





Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY *Typographi Regij ordinarij via Iacobæa sub Ciconijs* M. DC XXXVII. *Cum Privilegio.*

ARMANDO
EMINENTISSIMO CARDINALI
DVCI DE RICHELIEV
inclyto
Imperij Galliarum Tutelari.
quo feliciter aspirante
REX
Iustus, Pius, Maximus:
æterna cum sui nominis gloria
REGNAT, VINCIT, TRIVMPHAT,
OB
Admirandam Rerum
administrationem
Præcipuumque intemeratæ
Religionis cultum.
HOS
Christianissimæ Ecclesiæ
FASTOS
Perenni Sacrorum Galliæ
liliorum candore
micantes
Indelebile deuotæ mentis
MNEMOSYNON
Andreas Du Soußay
Protonotarius Apostolicus.
Dat, Dicat, Consecrat.

Horn inu.
Chargnon sculp









MARTYROLOGIVM GALLICANVM,

IN QVO

SANCTORVM, BEATORVMQVE

AC PIORVM

PLVSQVAM OCTOGINTA MILLIVM,

ORTV, VITA, FACTIS, DOCTRINA; agonibus, trophæis, opitulationúmque gloriâ: ac cæteris quibuſque ſacræ venerationis titulis, in Gallia illuſtrium:

CERTI NATALES INDICANTVR, TRIVMPHI ſuſpiciendi exhibentur, nitidáque ac vindicata eorumdem Elogia deſcribuntur.

QVÆ COMMENTARIORVM APODICTICORVM Tomi quatuor ſubſequentes, vberiùs recenſita, inſignitáque multiplici antiquitatis Eccleſiaſticæ indagine, cumulabunt.

OPVS,

In cuius penu conſtat

ABSOLVTA CHRISTIANISSIMÆ ECCLESIÆ HISTORIA, pridem antè deſiderata: iámque, vt ex rebus conſerta per Sanctos diuinè geſtis; ſic ex probatiſſimis quibuſque monimentis, ac priſcis Codd. MSS. ſumma fide, collecta.

Studio ac labore ANDREÆ DV SAVSSAY Pariſini, S. R. E. Protonotarij, Concionatoris Regij, necnon Eccleſiæ SS. Lupi & Ægidij in vrbe Paſtoris.






LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Typographi Regij, via Iacobæa, ſub Ciconiis.

M. DC. XXXVII.

Cum Priuilegio Regis, & Theologorum approbatione.



ARMANDO IOANNI
EMINENTISSIMO
CARDINALI
DVCI
DE RICHELIEV.



IVINO planè nutu factum videtur, CARDINALIS EMINENTISSIME, vt hæc ſacra Gallicanæ Eccleſiæ diptycha, imò æternum memoranda celebrandáque Heroum beatiſſimorum certamina, qui CHRISTI SERVATORIS imperio, Gallias ab ipsâ ferè Apoſtolorum ætate, fortiſſimis agonibus ſubegerunt, ſalutiferis documentis imbuerunt, ac præclariſſimis illuſtrârunt ſuis coronis & triumphis: vnáque ſanctiſsimorum fidei noſtræ myſtarum, qui has ſubinde ampliſsimas Prouincias, aſsiduis pietatis ſtudiis ac laboribus excoluerunt, atque ad perfectum intemeratæ religionis cultum, decúſque Chriſtianiſsimi nominis, feliciſsimè prouexerunt, encomia: nonniſi ſub inclytis EMINENTIÆ TVÆ titulis, optatam in lucem progrederentur; hócque ipſo tempore, orbis in conſpectum prodirent, quo, velut au-

ſpicato ſuis è ſupernis ſedibus has in terras reditu, Regi iuſtiſsimo ac inuictiſsimo LVDOVICO XIII. impotentes Regni ſui hoſtes fortiſsimâ dexterâ profliganti; TIBIQVE ſummæ Gallici huius orbis motrici Intelligentiæ, ſtupendis diuinæ penè mentis irradiationibus, excelſa eius facinora fortunatiſsimè dirigenti, COELITES ipſi, patriæ huius ſuæ nequaquam immemores, ceu repentino exciti claſsico, conglobatis agminibus, viſi ſunt opitulari. FRANCORVM ſiquidem potentiſsimum ac florentiſsimum Imperium, ex SANCTORVM beatorum indigetum conſpicuâ in terris gloriâ (Deo gratiæ ſuæ munera in eis coronante) ante duodecim ferè ſæcula ortum, auctum, ac euectum, iampridem Nicetius, celebri ſanctimoniâ Antiſtes Treuirenſis, dum ad Clodoſuindam Alboini Longobardorum Regis coniugem, noſtri verò Clotharij I. filiam, ſcriberet, graui præconio aſſeuerabat. Is enim, natam ex Cœlitum Galliæ, ſuis in tumulis, crebris adhuc prodigiis coruſcantium ſplendore, CLODOVÆI MAGNI (diuinis eiuſmodi perculſi fulgoribus) conuerſionem; vnáque communem Galliarum felicitatem, & Regni Francorum amplitudinem, diſertè ac ſanctè teſtabatur. Porrò temporum rerúmque progreſſu, ita hactenus vſu compertum eſt, noſtrâ cum gente, ipſo ex ſuſceptæ religionis fœdere, diuinitus fuiſſe conſtitutum: vt per quos Euangelicæ veritatis præcones, gratiæ & ſalutis primum nobis lumen affulſit, adytúmque beatæ vitæ fuit, CHRISTO auſpice, reſeratum; ab iiſdem temporalis regni ſecuritas, perenni diuinæ Maieſtatis propitiatione nobiſmet conciliaretur, ſuíſque ipſi patrociniis, Sancti glorioſi, Imperium iſtud perpetim communirent, quod ſpeciali ſupernæ gratiæ priuilegio, immaculatæ fidei ſyncero ore, in extrema vſque ſæcula profitendæ, Catholicæ Eccleſiæ fouendæ ac propagandæ, tuendæ & colendæ Apoſtolicæ ſedi, deſtruendis quibuſque impietatis portentis; ipſique Agarenorum

Christiano orbi exitiali, euertendæ tyrannidi, destinatum, præuiis vaticiniis, multísque comitantibus prodigiis, diuina prouidentia, iamdudum arcano suæ bonitatis & sapientiæ consilio, excitauit. Hinc SANCTI, prisci gentis nostræ didascali, non modò cùm mortalem adhuc sarcinam gererent, FRANCIS Gallias ingressis, totâ fauebant propensione; regnúmque vt ijsdem (exclusis æmulis) fixum inibi constituerent, orationibus, sacrificiis, ac quibusque piis affectibus, & officiis satagebant emereri: verùm etiam postquàm mole carnis expediti ad superna regna euolârunt, perpetuâ apud supremum Dominatorem DEVM, visi sunt curâ ac sollicitudine institisse, vt impendentia vndecunque charo sibi liliorum Imperio discrimina procul auerruncarent, omniáque huic, assiduis suffragationibus, impertirent auxilia atque præsidia. Cuius tutelæ regni adeò sese addictos prodiderunt, vt infestos hostium exercitus, Gallias barbarâ feritate inuadentes, sæpesæpiùs de summis cœlorum hæc in ima loca delapsi, visibili occursu represserint, nostrísque illos ex finibus extruserint, tam turpiter quàm mirabiliter profligatos. REGNVM enim Francorum à Deo benedictum re verâ est (vt Paulus I. Pont. Max. pridem pronuntiabat) *fundamentum & caput Christianorum*; *ex cuius exaltatione*, æquè verè asserebat Innocentius III. *pendere sublimationem Apostolicæ Sedis*, & præcipuum robur Reipublicæ Christianæ. Quamobrem diu ántè, Mauricius Imperator, de Francorum (quod mirum dictu est) ditionis amplificatione nonnihil lætabatur, Childebertóque Christianissimo Regi honorificis apicibus rescribens piè congratulabatur, non tam de susceptis nuper liberis, quàm reuectis supernâ ope victoriis: *quibus sancta Romana Respublica reparabatur, & regno* ipsi Francorum, amplior in dies accedebat *gloria. Scientes* (ita ipso diuali rescripto præloquitur,) *quia diuinitas Celsitudinem vestram summis beneficiis ad se colendum prouocauit, augere nos*

credimus studium, per quod Regni vestri stabilitas maiora fundamenta percipiat. Quæ dum moliuntur euertere, cæco perciti liuore, posteri Imperialis tituli, non tam geruli, quàm ambitores, huius antiqui magníque Cæsaris non solùm votis & consiliis indecorè obuersantur: sed & FRANCIAM, Christiani nominis culmen ac columen, inualidis machinis dum impetunt, & labem sibi inurunt ipsa impotenti ex inuidentia sua inexpiabilem: inaníque ferocitate nitendo; *Et inhonesta* (vt in casu haud absimili, diuinè afflatus prænunciabat S. Germanus, magnus ille Episcopus Parisiensis) *potiri victoria; contra semetipsos pugnant, & suam felicitatem exterminant, de suáque gaudent, quam ipsi accelerant, perditione.* Præter id enim quod VRBANVS V. his adscriptis fastis, sanctissimus Christi Vicarius, perpetuo anathemate percussit, omnes quicumque Christianissimum Francorum Regnum hostili incursu vnquam inuaderent: DEVS certè ipse enũtiat Opt. Max. *qui ex omnibus floribus orbis* (vt Propheta) *sibi elegit* LILIVM VNVM, eos quiquod in deliciis habet nobilissimum germen, sibi obsistendo oderunt, suáque dexterâ quod plantauit, eradicare conantur; quod sublimiori cedris fastigio extulit, nituntur fœdis inuidiæ calcibus deprimere; incenso sæpiùs furore coërcuit, nec minùs potenti, quàm patenti nuper compressit vltione. SANCTI porrò Galliæ Tutelares, qui numero maris arenam vincunt, & sidera cœli virtute ita vt decore longè superant, strages quas nuperi illi incursores (qui de solâ Catholici nominis laruâ gloriantur) Gallicis non tam oris quàm aris, horrenda impietate intulerunt, otiosis haud potuêre oculis contueri: sed eo quo accensi zelo, Hunnos pridem Vvandalósque ex patriæ dulcissimæ finibus, per effusos coram Deo & Agno, persuaues orationum suffitus, & prodigia cœlitus edita, profligârunt, istos etiam grassatores, priscis omni immanitate nequiores, expulerunt: à quibus illata templis suis dedecora ac sacrilegia, tam seuerâ

quàm citâ iam animaduersione vindicauêre. Res sanè hoc ex codice omninò explorata fit, Sanctos quamdiu in viâ sunt, vltrò iniurias condonare: verùm postquam viuunt in gloriâ, quæ sibi in locis, suis vestigiis insignitis, à mortalibus probra irrogantur, concita vlcisci punitione solitos. Experta est verò hactenus, semperque in posterum experietur Gallia, quàm præcordiali amore Cœlites, quos dudum mortales aluit, nunc beatos colit, erga se afficiantur: cuius vt perpetem apud DEVM recordationem gerunt, sic nec cessant, nec desinent vnquam, eiusdem tutelæ inuigilare, opportunisq; ipsi subsidiis (largiente Domino) contra quæcumque aduersa auxiliari. Vnde præclarum illud antiquissimi exceptoris actorum passionis S. Saturnini, in Patrum auribus dudum personuit, quod & posterorum mirè erigit animos, monimentum. *Amicos Dei, ac dilectos Deo, non negligamus vt mortuos, sed honoremus vt viuos: quia* NON DVBIA FIDE *certum est, quòd si eorum fideliter suffragia postulemus, feliciter patrocinia sentiemus.*

Et verò quàm mirandus sit in SANCTIS DEVS, non est piorum quem fugiat: quòd in se beatus, luci dari velit prodigia, virtutes & innumera virorum suâ gratiâ illustrium trophæa, qui ab ipsis orbis incunabulis, ad nostrum vsque æuum, placitorum suorum obseruantiæ, & omnigenæ virtutis studio diditi, innocentiam primæuam sectati, cursu non intermisso, gloriæ portum tenuerunt. Quorum nominatissimos, qui sub naturæ & legis institutis floruerunt, sacra pagina prodidit, & mortalibus tanquam in patentissimum theatrum produxit; vt Maiorum exemplo instigati, præcepta & consilia, quorum diuini codices pleni sunt, in mores traherent & seruarent, iisque incedendo vestigiis, suum & illorum fauorem promererentur. Qui verò post vnigeniti Filij Dei, temporalem in carne natalem, *Agnum ipsum immaculatum sectando, & vestes suas sacro eius cruore abluendo*, de inferorum copiis triumphum

reportârunt, & Christianam pietatem immortali factorum gloriâ illustrârunt: vt pro meritis & præmiis satis suspici non possunt, ita præ numero nequeunt comprehendi. Ecclesia enim diuini roris aspersione fœcundata, post Apostolicos viros, innumeras inuictorum Martyrum phalanges, constantium Confessorum turmas, orbi dedit: quorum admirandas concertationes & præclarissima gesta, auctores grauissimi calamo suo posteris, æternæque memoriæ sacrârunt; ne eorum benedicta nomina, lethæis vndis sepelirentur, sed vt fulgentissima sidera in militantis Ecclesiæ sacrario, perpetuis splendoribus coruscarent, ac benignis erga nos aspectibus collucerent. Sed cùm in CATHOLICA ipsa CHRISTI ECCLESIA, exempli luce, eruditionis fulgore & sanctimoniæ multiplici gloriâ, tanquam clarum iubar GALLICANA ECCLESIA, CATHOLICÆ PRIMOGENITA, resplendeat: Sanctorum maximè alumnorum suorum copia innumerabili, euasit perillustris. Ex hac enim tot inclyti Martyres, tot excellentes Præsules, tot Doctores incomparabiles, tam castæ Virgines, aliique tam religiosi vtriusque sexus & ordinis, fidei nostræ cultores, prodiêre; vt quod de Româ, Sanctorum insignioribus quàm Cæsarum laureis coronatâ, sacer Poëta dudum cecinit, vix inferiori laude, censeam ad Galliæ æternum decus, referri posse. Ipsam nimirum, quæ vel *vnâ in vrbe* (vt iam olim prædicabat Eucherius Lugdunensis) MARTYRVM POPVLOS POSSIDET; tot rutilantem luminibus, tot columinibus nixam & ornatam, reliquam prorsus *vincere mundi pulchritudinem*. Id porrò liquet vel ex his tabulis, in quibus conspicere est vnicam Galliam plures cœlo myriades patriorum Sanctorum vno die, quàm pleræque simul æquè amplæ orbis regiones, integro protulerint anni curriculo, suorum Beatorum centurias; Catholicæ militanti in terris Ecclesiæ peperisse, imò triumphanti in cœli regiâ, contulisse. Verùm tametsi ingentem adeò multitudinem

radiatorum capitum, hoc Galliæ Hagiologio conſcriptam præbeamus: longè tamen maiorem, hoc minimè cenſitam profuſo quantumuis indice, nequaquam inficiamur: cùm numerus vinceret omnem laborem atque ſolertiam, ipſaque veneranda nomina, ſeu potiùs numina Heroum Galliæ cœleſtium, potiori ex parte ſacris ex diptychis excidiſſent; res verò permultorum forſitan numquam fuiſſent litteris conſignatæ: adeóque & ſacræ antiquitatis monimenta, quæ à Maioribus, fideli narratione commendata fuerant poſteris, vel caducitate Codd. deleta, vel ab auitæ pietatis deſertoribus direpta, aut incenſa, vel alio nobis infauſto caſu erepta; quicquid ſit, immerſa altæ obliuioni, lachrymabili nimiùm Galliæ diſpendio, doleremus. Si enim illuſtris fidei aſſertor Athanaſius, ingens ſibi lucrum & vtilitatem duxit, quòd vnius magni Antonij diuinè geſtorum meditatione, ad omnem virtutem incitaretur: quas fidei flammas, quos virtutum igniculos, in FRANCORVM animis excitarent, conſpectæ per actorum nitidam ſeriem, tot indigetum Martyrum trabeatæ & purpuratæ turmæ, ſub vnius fidei flammulâ militantes, & diuerſis victoriarum coronis inſignitæ? tot Confeſſorum, tot Virginum candidata agmina, in diuerſas cohortes tributa, diuerſóſque virtutum manipulos circumferentia? At verò feliciſſimam eorum memoriam non ſola viciſſitudo temporum obnubilauerat, ſed gentilium quoque Scriptorum noſtrorum incuria, qui quibus neſcio futilium magnâ ex parte opuſculorum generibus oblectati, SANCTORVM PATRIORVM res diuinè actas, ex quibus Galliæ tanta vtilitas, tanta gloria obueniſſet, indagare, expromere; vtque gemmas diu abditas vindicare à ſitu & puluere, neglexerunt: neque hactenus etiam exterarum nationum exemplo, quæ certatim FASTOS Sanctorum proprios ſibi contexuêre: neque aculeatis extraneorum auctorum inſultationibus, à quibus pudenda hac in re nobis inertia exprobra-

tur; prouocati, calamum vt huic admouerent collectioni, ex quâ fulcitur fides, augetur pietas, excitatur virtus, æterna felicitas indicatur, adduci potuerunt. CVM igitur beatorum Galliæ Opitulatorum excidisset magnâ ex parte recordatio, cultus obsoleuisset, noménque ipsum quasi obliteratum, imò abolitum sine luce iaceret, diutiùs ferre non potui, tanta patriæ damna, tanto cum dedecore, Gallico nomini hærere. Vtrique iacturæ, hoc ipso opere annisus sum occurrere & mederi: quo dum sacra nostratum Athletarum refero ac refero monimenta, simul & colendæ eorum memoriæ iusta rependo obsequia atq; præconia. Sed & Francis nostris specula exhibendo nitidissima auitæ fidei & virtutis, CHRISTIANISSIMÆ insuper ECCLESIÆ GALLICANÆ ortum, progressum, scita, facinora, luctas, victorias, laureas, triumphales titulos, ac præclara alia quæuis ornamenta, perdiu in tenebris abscondita: tamquam ex profundo Oceani sinu, erutas multo labore ac æstu margaritas, superatis certè immensis voraginum anfractibus, aperio ac profero.

Iam igitur, CHRISTO duce & auspice, hoc ex vasto pelago tandem emergens, portum vbi in proximo positum aspexi (MAXIME CARDINALIS:) præfigendam censui puppi meæ EMINENTIÆ TVÆ tutelam; ad solem purpuræ tuæ confugere, ad sacram nominis tui ANCHORAM me recipere, non inani cum fiduciâ securitatis, existimaui. Fuit semper anchora præsidij & salutis typus, symbolúmque felicitatis & gloriæ. Quam ideò, cùm in tuis augustissimis insigniis conspicuam cernerem, persuasum habui, haud absque diuino quodam consilio fuisse præclarissimis hisce tuis stemmatibus additam: quæ non modò te soli salique potentem, pro Gallici Imperij securitate & felicitate terrâ mariq; stabiliendâ, indicat perpetim inuigilantem: sed vnum illud fulcrum Te itidem esse demonstrat, quo suffultam REX omnium MAXIMVS, tanti Imperij sustentat mo-

lem, cuique omnis huius Monarchiæ cura ac salus imposita, TAM IN FLVCTV, QVAM IN PORTV, præsidiū & decus recipit inconcussum. Nimirùm verè aptéque ad TE referri posse censeo, quod Auitus sanctissimus Metropolita Viennensis, dudum Galliis (singulari Dei munere) faustissimum obtigisse prædicabat. *Inuenit nostro tempore diuina dispositio* ARBITRVM, dum vos elegit, *vt status nostros* benigniùs disponeret, *successúque felicium triumphorum, quos per vos Gallia gerit*, ipsa *religionis primitus imperio, (sine corruptela prauorum dogmatum)* Principisque Christianissimi sublimiori gloria, *sine obumbratione micans*, expansis toto orbe radiis præfulgeret. *Vestra fides nostra victoria est. Vestrâ sollicitudine securi sumus. Quotiescumque pugnatis vincimus. vestris honorum gradibus attollimur. Siquidem in apice* (quem secundus à Rege tenetis) *rerum omnium gubernacula obtinente, non minùs eminet pietas quàm potestas. Vtraque, æquè profectò radiatis, quibus animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrâstis.* Sed verò miranda orbi, colenda Francis, stupenda mihi, attingere præ ingenij mei exilitate, nec audeo, nec debeo. Sat sit, TE publicis, priuatisque nostris commodis, speciali Dei beneficio, Galliæ datum gratulari. TE, inquam, FORTVNATISSIME HEROS, cuius præcelsis facinoribus conspicimus, religionis orthodoxæ veritatem dignitatémque vindicatam, restitutam SANCTORVM FIDEM, exarmatam segregum factionem, REGIS omni virtute incomparabilis, potentiam, Maiestatem famámque ampliatam; euectam Francorum gloriam, Imperij huius hostibus terrorem incussum, Ecclesiæ auctum honorem, Regni amorem, exterorum stuporem: omnium denique, quibus inest aliquid pietatis, generositatis, atque solertiæ, summam cum ingenti admiratione, excitatam in animis, tui admirationem & venerationem. Propter quam augustissimi tui nominis magnitudinem, Apollinaris illius Sidonij vocibus præclaris, mihi liceat TE prosequi, quibus Galliarum fe-

licem suâ ætate compellabat Rectorem. *Propter prudentiam tantam, prouidentiámque, quâ Galliarum habenas moderaris, currum tuum prouinciales, cum plausuum maximo accentu, spontaneis subiisse ceruicibus.* Inuidiam enim ipsam debellasti, & Tuo nomini litare tandem coëgisti; ipsúmque liuorem tuâ præeminenti virtute superatum, in amorem & obsequium inflexisti. *Cedant* igitur *iam necesse est* præclarè à Te gestis (sic enim EMINENTIAM TVAM affari videtur, diuinus ille Aurelianus Arelatensis Archimysta,) *si qua sunt mandata litteris. Facta priscorum supergrederis, antiquitatem exemplis, tempora meritis. Macte restaurator vetustatis, nouitatis inuentor. Multiplica cotidianis operibus, & profectibus indefessis, gratiam quam* DEVS *contulit, mens meruit, mundus agnouit. Multùm enim tuis onusta virtutibus currit fama, cùm pondere & veris opinionibus iam assueta,* DE TE TANTVM, *didicit nō mentiri.* Certant idcircò se omnes insignire Tuis titulis, suáque præmunire splendidissimo Tuo nomine; Theologi placita, volumina Scriptores, castra milites, vrbes propugnacula: Illi pacis otio, hi belli studio adducti. Nempe spem omnes hinc concipiunt sibi suísque cœptis fausta primordia, imò firma præsidia ad futura, vnde REGI REGNOQVE tanta felicitas, fauentibus Superis, iam affulsit, maiórque in dies speratur proditura.

Præclarè tùm consultum fore rebus Gallicis Sanctus REMIGIVS Francorum in Christo regenerator asseuerabat, cùm Rex, sacrorum præsertim hominum consilio ac operâ vteretur. Idcircò signatis paulò ante beatum excessum apicibus, CLODOVÆVM MAGNVM admonebat: *vt Consiliarios quidem adhiberet*, qui *famam suam ornare scirent*. At maximè, *vt ad* SACERDOTVM CONSILIA *semper recurreret*, sic enim futurum vaticinabatur, *vt Regnum meliori statu constaret.* Quod diuinum monitum atque oraculum, Reges plerique posteri, exemplo ducti ipsius Clodouęi, qui beato ipsimet Remigio in omnibus quasi patri deferebat: quàm verum fuerit, faustissimo

rerum suarum incremento, experti sunt. Sicut enim sanctißimorum Galliæ Præsulum in sui Imperij administratione vsi sunt paßim consiliis, ita qui potißimùm eorum arbitrio Rempublicam gubernârunt, & DEO gratam præstiterunt, & felicem ipsi possederunt, filiisque reliquerunt florentißimam. TV verò, INCOMPARABILIS CARDINALIS, quem Rex noster piißimus ac inuictißimus, gerendis secum tanti Regni gubernaculis, non sine speciali quodam Dei afflatu, (*qui cor Regis in manu habet, & in cuius vult nutus inclinat*; euocauit, adlegit; vberrimo exemplo docuisti, quàm fortunatis accesßibus candida lilia sacris manibus contrectentur: Regnúmque Francorum, præcipuum Ecclesiæ propugnaculum, HIS CARDINIBVS fulciatur, quibus in terrâ nititur, roboratur, attollitur, ipsum, CHRISTI summi omnium Regnatoris, Imperium. A multis certè retrò sæculis Gallia, ita altè sceptri sui fastigium non extulit, nec ei tot simul prospera concesserunt, quàm ex quo curam & tutelam huius Imperij, à Rege Tibi commissam suscepisti. Magna quidem iam tum sibi de Te Francia pollicebatur. At spem & existimationem longè plurimùm exuperârunt, tot rara, ardua, singularia, inaudita, incredibilia, quæ hactenus stupente orbe, Tuâ in administratione peregisti. Fremunt ideò furúntque nouo perciti felicitatis tuæ splendore, antiqui Regni huius hostes, quorum ferocem in Galliam eruptionem, solo Regiæ Maiestatis occursu, & Tui nominis terrore, confregisti. Ad cuius vibrantes radios, consternati animis, infesta sua signa & agmina, fugâ præcipiti, sua in latibula reductârunt. Qui verò arce validissimâ, in quam fraude irrepserant, tecti, déque eius situ & munitione fidentes, ausi sunt tantisper Regias vires, tuis fretas consiliis, opperiri: aperto impetiti Marte, cùm se breui hinc exturbatum iri prospicerent, magno suo dedecore inde pulsi, Gallicis oris ignominiosè excesßêre; sua hac de-

ditione binum REGI TIBIQVE trophæum adornantes: ſcilicet & incruentæ de ſe relatæ victoriæ, & inſignis editæ erga ſe clementiæ. Quo reuecto tam celeri, quàm celebri triumpho, egregiè indicâſti, quàm inani metu paulò antè trepidârint nonnulli noſtri populares: qui hoc exorto ventoſo turbine perterriti, ſe ex iis eſſe, qui apud Sidonium feſtiuo ſcommate appellantur, *in pace Leones, in bello Lepores*, apertè prodiderunt. Cùm *Te, per quem tot felicia videre conſueuerant*, (vt verba S. Remigij, rurſus vſurpem,) *nulla viderint anxietate contuti*, quin impauidam gerere mentem, & vultus ipsâ ſerenitate (quam his in fluctibus perferebas) non dubiam Galliæ ſecuritatem, imò promptam Regi victoriam, & triumphum, haud tam ominari, quàm polliceri. CONCEDET ſpero DEVS Opt. Max. qui Te admirabile ſuorum magnalium inſtrumentum, ad excelſa quæque patranda, hoc ſæculo excitauit; fauſta hæc præſagia, imò felicia exordia quæ cernimus, pleniore ſucceſſu cumulari: vel euectis ad ſummum gloriæ faſtigium, Regis ſibi obſequentiſſimi, hoc ex bello trophæis: vel eâ pace orbi Chriſtiano impertitâ, quæ ipſius omnipotentis rerum Conditoris, perennem in Franciam amorem; tantique Regis, quem virtute ſuâ armauit, potentiam, fortitudinem; Tuámque incomparabilem prudentiam ac magnanimitatem & felicitatem, perpetuis abhinc rerum excurſibus, teſtatam toto terrarum orbe, reddat atque conſpicuam.

SISTVNT ſe tamquam fidiſſimos optatæ huius ſpei obſides, caſtis tuis conſpectibus (PRÆEMINENTISSIME CARDINALIS) his in tabulis recèns expreſſi, quaſi animatis virtutum ſuarum ſimulachris, DIVI noſtri viui: in quibus velut in pulcherrimis Phrygionum aulæis, varij colores, diuerſa vitæ lineamenta ac inſtituta, variæque diuinarum mentium effigies conſpiciuntur, quarum imagines non poſſunt non eſſe TIBI gratiſſimæ: qui cùm in pleriſque horum cœleſtium

Athletarum gestis, piè & præclarè à Te peracta contemplaris, propriæ (ex iis desumptæ diuinis archetypis,) virtutis tuæ genuinos characteres, imò micantes radios intueris. HIC enim procedentes, facibus diuinæ lucis, quibus gentem nostram illuminârunt, coruscos specularis, DIONYSIOS, Irenæos, Hilarios, fidem Christi & gratiam, diuinâ (quâ tu quoque polles) facundiâ prædicantes; hæreses, quas tu itidem aculeatis apicibus confodisti, stylo acerrimo profligantes. Prosperos inde conspicis, Eucherios, Saluianos, politissimis ac eruditissimis scriptis (quibus quoque promicas) diuina Christianæ pietatis arcana enucleantes. Paulinos, Sidonios, Fortunatos (Poëtas sacros quos diligis) fortissimorum Christi in Gallia bellatorum certamina præclaris epiniciis canentes: horúmque viridantes lauros, vernantes palmas, rutilantes coronas, triumphalibus tubis pangentes, celebrantes. Sulpitios vides; Gregorios, Paschasios, sanctissimorum fidei nostræ Antistitum, cultorúmque obseruantissimorum, scita & exempla, sincerâ descriptione commendantes: horúmque diuina opera, merita, prodigia, egregiis suarum prosequentes laudum præconiis. Perspicis vnà Euphronios, Eustochios, Leontios, templa diuinitatis palatia (quæ ipsemet in dies cupidè illustras) Deíque amicorum tabernacula, memorias, basilicas, sepulchra, mausolæa; auro, marmore, omníque alio decore exornantes. Odones inde cernis, Maiolos, Bernardos, sacrorum næuos ordinum, eximiâ quâ tu quoque ferues pietate abstergentes: collapsámque in iis disciplinam, ad amussim natiuæ institutionis, tam paternâ curâ, quàm sacrâ auctoritate reuocantes. REGES insuper nostros contemplaris, CHRISTIANISSIMOS eosdémque sanctissimos, Clodouæos, Sigebertos, Gunteramnos, Carolos, Robertos, Ludouicos (quorum HODIERNVS HÆRES continuis pietatis & iustitiæ progressibus, numerum auget, & decus cumulat) diuinæ

gloriæ ardentes zelatores, soli Christo deditos, ex eiúsque obsequio, magis quàm ipso quo pollebant Imperio, gloriantes; sanctis Episcopis præcipuam suæ, publicæque Regni salutis ac felicitatis curam committentes, eosdémque eâ habentes commendatione, quâ quispiam eorum dicere solebat, se eos *honorare vt parentes, coleréque vt Dominos.* Vides æquâ vice Episcopos, insigni conspicuos morum sanctimoniâ, cœlestique dotatos sæpientiâ, Remigios, Melanios, Bonitos, Audoenos, Eligios, Malardos, Flauios, Cunibertos, Landericos, pro Dei domus ampliando decore cœlesti feruore succensos; fidos (quos proximè æmularis) Regum administros; ipsis quæcumque Deo placent, & publicis commodis conferunt, assiduè suadentes: itáque pro sui cuiusque Regis honore, & gregis salute sollicitos; intentos; incensos; vt non solùm precibus, litationibus, consiliis publicam procurârint Galliarum felicitatem & gloriam: sed armis etiam (quæ eodem zelo induisti) Regni iura & amplitudinem defensârint, atque prouexerint. Sic Ebbonem fecisse hîc comperies, notæ sanctitatis Archipræsulem Senonensem, qui VVisigothos, suam Metropolim obsidentes, magnâ attritos clade, his è terminis non modò extrusit, sed tota quoque ex Burgundia (vnde nuper inimicas acies depulisti) magnanimiter profligauit. Sic & egisse Cessatorem hîc intueberis, haud minùs spectatâ sanctimoniâ Præsulem Lemouicensem: qui Mauros ex Hispaniâ in Aquitaniam irruentes, ductis in occursum Francorum agminibus, forti ac memorabili prælio superauit, fudit, expulit: hócque strenuo facinore, nouus Phinees, & populum suum ab imminenti seruauit excidio, & sibi erigi æternum gloriæ mnemosynon (quod etiamnum in loco vbi vicit, iacet & colitur, conspicuum perdurat) inde promeruit. Prætermittebam Mammertum Hierarcham priscum Viennensem, sanctitatis quoque meritis percelebrem,

lebrem, qui ſpiritualibus & temporalibus armis vſus, & ſacra iura defendit, & huic regioni, quæ impendebant diſcrimina, tam fortiter quàm feliciter propulſauit. Nec enim ab his exemplis tua manat præcipua magnitudo & gloria: cui diuiniora ſpiranti cœleſtia nimirùm & æterna, SANCTI Gallici ſublimioribus factis, quæ in hoc Volumine narrantur, præluxerunt. Hi certè Tibi maiora in dies aggredienti pro Dei cultu & gloria, ſuo omnium honore, Eccleſiæ Chriſti decore, Apoſtolicæ ſedis libertate, Regis cœlo chari maieſtate & felicitate, Regni huius dilatatione, & tutelâ, è ſummâ illâ beatitudinis arce impensè gratulantur: vtque pergas his ſtudiis, humano prodeſſe generi, donec euerſam, hoſtium huius Regni ambitu, repares Chriſtiani orbis tranquillitatem, coniunctis apud DEVM ſuffragationibus iugiter fauebunt: quin & vota cœptáque tua aduerſus quoſlibet inimicos potentiſſimis præſidiis adiuuabunt, ac ſubſidiis continuis proſequentur.

CETERVM dum Imperij Galliarum orbem, onus ingens, immenſis quà mentis quà dextræ viribus fulcis, infractiſque humeris tantam molem rerum ſuſtentas: excipiat EMINENTISSIMA TVA CELSITVDO hæc dicata ſibi religioſo munere, ſacræ FRANCORVM hiſtoriæ clara primordia, generalia CHRISTIANISSIMÆ ECCLESIÆ diptycha: hæc immortalium illorum Spirituum, qui hoc ſolum corporeis cùm premerent veſtigiis, *doctrinâ mirabiles*, *virtutibus illuſtres* (vt pridem Paſchaſius, Corbeiæ Gallicæ, tuis nuper auſpiciis vindicatæ, inſignis Cœnobiarcha ſcribebat) *gentem noſtram, gentili adhuc ſuperſtitione detentam, verba æternæ vitæ prædicantes, à iugo dæmonum, ad* CHRISTI *libertatem vocauerunt*, déque ſemitis mortis, in viam ſempiternæ felicitatis *tamquam lætiſſima ſidera*, ſalutifero ſplendore ſuo deduxerunt; viua ſimulachra, triumphales titulos, & epinicia, quæ non priuatæ modò ex-

hibendæ venerationis affectu, sed & publici in Te testandi Franciæ amoris cultúsque desiderio, atque patenti monimento, gratissimâ mente expromimus, fastigióque TVÆ EMINENTIÆ appendimus. Munus certè Tibi legitimo iure debitum. quid enim rectæ rationi tam consentaneum, quàm vt auctori suo accepta data referantur, & fontem riui repetant, è quo suo à primo fluxu, dimanarunt? FASTOS Catholicæ Ecclesiæ quicunque hactenus conscripserunt, id muneris sicut nonnisi exciti magnorum Principum iussu obierunt, sic non aliis quàm sub verendis eorum titulis, exaratos à se mysticos apices prodidère. At verò his edendis Fastis ECCLESIÆ GALLICANÆ, non modò tua mihi præluxit (quæ suprema mihi est) auctoritas, cùm ex specimine cognitum, meum horum condendorum studium, multâ dignatione comprobâsti: Sed eo insuper quo ferues, ornandæ quibusque modis patriæ communis amore, hos vt pertexerem ederémque, Te optare, Te velle summopere, indicâsti, quin etiam omninò imperâsti.

Hoc igitur GALLICANVM MARTYROLOGIVM (MAGNANIME CARDINALIS) aliis quàm sub augustissimi nominis TVI auspiciis, publicum exire in conspectum, nec decuit nec debuit: quod certè vt magis tuum esset quàm parentis, iure ipso, quo tibi deuinxeras auctorem, id vt conderet, ac tandem proderet in huius Solis oculos, effecisti. Patere igitur quod totum tuum est opus, inscriptione inclyti tui nominis suo in ortu fulgere; inaugurationem suam, à præclarissimis tuis titulis mutuari, nec modò in fronte tuis nobilitari splendidissimis insigniis, sed præsidiis quoque potentissimis niti ac muniri, quibus annuente cœlo, stupente terra Gallicum lilium foues & protegis. Ego certè TANTO DEFENSORE tectus, securus cetera quæ à me vulganda supersunt SACRÆ ANTIQVITATIS GALLICÆ MONIMENTA, eruere, superstrue-

re, publicósque in vsus proferre non desinam: Diuinámque clementiam interim profusis votis implorare, vt REGI Opt. Max. cui tam feliciter suffragaris, prospera ea largiatur, quæ magno Regi & Imperatori nostro, dudum spectabilis Galliæ Mysta Scriptóque, effusis præcordiis deposcebat; PROLIXAM SOSPITATEM, INCRVENTAM VICTORIAM, PERPETVAM PACEM. TIBI verò tantarum illius curarum Subleuatori, hydrorum Domitori, publicæ salutis Fundatori, emeritum eiusdem felicitatis consortium: æternæque laudis & celebritatis, quam tot prodigiis in dies adauges & cumulas, immortale decus; atque demum palmare, (quod summum est) ac perenne, beatis istis cum HEROIBVS, qui cum DEO victores regnant, præmium & triumphum.

EMINENTIÆ TVÆ,

Humillimus, deditissimus, ac obsequentissimus seruus,
ANDREAS DV SAVSSAY.

S. Ioannes Apoc. 13. 10.

Hic est patientia & fides Sanctorum.

S. Paulus Heb. 13. 7.

Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.

S. August. lib. 2. contra Iulianum Pelagianum, tom. 7. vbi commemoratis Catholicis Doctoribus, subiungit.

Isti sunt Episcopi & Pastores, docti, graues, sancti, veritatis Catholicæ acerrimi defensores: qui Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt; cuius lac & cibum paruis magnisque ministrauerunt. Talibus post Apostolos Plantatoribus, Rigatoribus, Ædificatoribus, Pastoribus, Nutritoribus, creuit. Igitur vt ipsius B. Augustini Magister ac Baptista monet

S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7.

Seruemus præcepta Maiorum, nec hæreditaria signacula temerè violemus.



ELENCHVS OPERIS,

SEV

INDICVLVS EORVM, QVÆ TAM IN PRIORI, quàm Posteriori Parte huius Martyrologij continentur, eo, quo sunt ordine, in vtroque Volumine digesta.

I.

APPARATVS ad Martyrologium Gallicanum, & SACRAM Francorum HISTORIAM, viginti octo capitibus distinctus: quorum propria series & inscriptio exhibita in eiusdem tractatus fronte apparebit.

II.

NOTITIA ANTIQVA Galliæ Ciuitatum & Regionum: seu nomina Prouinciarum & Ciuitatum Galliæ, descripta ex Codice vetustissimo Canonum Gallicanæ Ecclesiæ, tempore Ioannis Papæ duodecimi Agapiti II. successoris, in membrana exarato.

III.

NOTITIA NOVA Galliæ Prouinciarum & Ciuitatum, quæ sub CHRISTIANISSIMI FRANCORVM REGIS imperio, continentur: eo distinctæ ordine, quo, sub Metropolitanarum sedium sacra terminatione, iam numerantur & consistunt.

IV.

TOPOGRAPHIA Sanctorum Galliæ. In qua relatis primùm Prouinciis, vrbibus, oppidis, ac locis de quibus in hoc Martyrologio fit mentio: singulis deinde Sanctorum nomina, quibus loca ipsa inclaruerunt, subnectuntur.

V.

MARTYROLOGIVM GALLICANVM, ordine mensium & dierum, per integram anni seriem contextum, * à pagina 1. ad 1073. inclusiuè.

VI.

SVPPLEMENTVM, anni circulum iterum excurrens. In quo Sancti & Pij plerique, minimè in hoc Martyrologio adscripti, suo cuique proprio die consignantur: nonnullíque iam signati, accuratiùs recensentur, à pagina 1074. ad 1107. exclusiuè.

* Nouem priores tantùm anni menses, Prima in Parte exhibentur, cũ superiùs notatis opusculis & tabulis. Ceteri verò tres menses, qui annum perficiunt, cum subiũctis Appendicibus, & Apologetico, necnon ternis Indicibus, in altera Parte, seu posteriori volumine, continentur.

VII.

Corollarivm: quo prætermissi alij Sancti vel Pij, tam in Martyrologio, quàm in Supplemento; diebus propriis, quibus assignari debuerant, superadduntur à pag. 1207. ad 1216. inclusiuè.

VIII.

Appendix ad Martyrologium Gallicanum. Complectens nonnullos Sanctos ordine litterarum, qui ipso in Martyrologio non scripti sunt, neque in eius Supplemento aut Corollario: eo quòd dies eorum Natales hactenus incertos, vel incompertos habeamus. Quibus adiuncti sunt aliquot insignis notæ Beati vel Pij, quorum etiam migrationis dies ignoratur, à pag. 1217. ad 1243.

IX.

Catalogvs Sanctorvm, Beatorum, & Piorum; qui proprias historias vel natales non habent: sed in gestis Sanctorum hoc in Martyrologio eiúsque Supplemento conscriptorum, propriísque eorum diebus, cum laude pietatis commemorantur, pag. 1243.

X.

Sanctorum Galliæ Medicorum, qui dona opitulationum habent, & contra diuersos morbos, aduersósque casus patrocinantur, Nomenclatvra: ex contextu huius Hagiologij, secundùm seriem paginarum concinnata, pag. 1244. 1245. 1246.

XI.

Aliquorum Sanctorum ad Gallias spectantium, non ita cognitorum Nomina. Ex vetustissimo Monasterij Patrum Benedictinorum sancti Sabini, seu Sauini de Leuitania, in montibus Pyrenæis, in agro Tarbiensi, Martyrologio Manvscripto, abhinc circiter quingentis annis exarato in pergameno, verbatim fidelissiméque sumpta, pro clarissimo, eruditissimóque Domino Andrea du Saussay S. T. D. &c. à pag. 1247. ad 1251.

XII.

Excerptvm, è sacris Pictauiensis Ecclesiæ Monimentis, nuper post hoc opus fermè editum ex Reuerendissimi Domini Episcopi munere acceptis mense Septembri, anno salutis 1636. pag. 1251. 1252.

XIII.

Apologeticvs breuis Theologicus: pro pio ac orthodoxo Sanctorum cum Christo regnantium cvltv. Aduersus se-

gregum, qui communionem Sanctorum deseruerunt, fucatas argutationes, duas in partes dissectus; quarum prior paraenetica, posterior est didascalica.

XIV.

KALENDARIVM GALLICANVM, seu Series Sanctorum, Beatorum, & Piorum, qui in hoc Martyrologio, & eius Supplemento, necnon Corollario conferuntur, ordine mensium & dierum; cum locorum cuiusque propria designatione.

XV.

INDEX locupletissimus rerum & verborum insignium, quae in hoc opere continentur.

XVI.

INDEX NOMINVM, Sanctorum & Piorum, ordine alphabetico descriptus, in quo numerus paginam designat, qua quisque illorum commemoratur: additae verò nominibus propriis notatiunculae, dignitatem vel conditionem cuiusque coelitum indigitant.

COMMENTARII APODICTICI, *qui Martyrologium hoc Gallicanum vndequaque dilucidabunt, ac fulcient*, in Tomos quatuor *digesti, quorum vnusquisque tres anni menses decurrit: tam rara, quàm diuersa Ecclesiasticae antiquitatis suppellectile instructi: mox è typis, publicum in conspectum* CHRISTO AVSPICE, *progressuri sunt.*

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. *Galliæ & Nauarræ Regis Christianißimi auctoritate sancitum est, & patentibus eius Litteris cautum, ne quis in Regno ipsius, aliisve locis suæ Maiestatis ditioni subiectis, intra viginti proximos annos à die impreßionis primæ inchoandos & numerandos, excudat, vendat excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inscribitur*, MARTYROLOGIVM GALLICANVM, *&c.* Auctore ANDREA DV SAVSSAY, Parisino, S. R. E. Protonotario, Concionatore Regio, & Ecclesiæ SS. Lupi & Ægidij in vrbe Pastore. *præter Sebastianum Cramoisy Typographum Regium ordinarium, atque Bibliopolam Iuratum, Ciuémque Parisiensem, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus eius subditis, eumdem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere ac instigare, sine consensu dicti Sebastiani Cramoisy, sub pœna confiscationis librorum, aliisve pœnis originali diplomate contra delinquentes expreßis. Datum Lutetiæ* 23. *die Ianuarij* 1637.

Sic signatum, DE MANDATO REGIS,

VICTON.

Prima editio perfecta fuit die 18. Februarij 1637.

THEOLOGORVM IVDICIA.

Literatißimo, Amplißimóque Viro, DOMINO DV SAVSSAY *Hagiographo fidelißimo, & Paræciæ SS. Lupi & Ægidij Pastori Paræco peruigili. Salutem.*

EX quo sanctus ille Basilius Magnus eremum laudans asseruit, amicorum filios agnosci ex vultus & lineamentorum similitudine quam gerunt: non laboro, sed procliue est mihi (VIR ORNATISSIME) vt te filium Sanctorum appellem. Tuâ enim hac de illis HISTORIA MARTYROLOGICA vsque adeò graphicè pingis & fingis, vt nec quidem Phidias feliciùs, aut Praxiteles elegantiùs. Aiebat Euripides, suauius nihil esse aut iucundius, quàm viri boni oculum intueri. Et rectè id quidem, ἔστι γὰρ ὀφθαλμὸς, τὸ ἄγαλμα τῆς ψυχῆς ἀκριβές. At post tuum hunc Codicem DE SANCTIS varium & multiplicem, quid pulchrius, quid ad specimen ingenij tui conuenientius inuestigari queat, hercle nescio. Testatur Zenobius τῆς δωματρίδος ὄλβιον ἄγας. Tu (VIR AMPLISSIME) etiam πολύπατρις imò & εὐεργεσόπατρις nobis ades; qui à quatuor ventis, à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum, & ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione conferrum agmen vehis sacrarum diptycharum, magna *naui quasi institoris*; scilicet *de longè portas panem facierum, panem frugum terræ vberrimum.* Nauim hanc tuam naui Theoridi comparauerim, lubens, quâ Deliastæ & Theori vtebantur ad diuina oracula perdiscenda & excipienda. Imò, & si placet, Nauis hæc tua Hagiogra-

pha, ſeu SANCTORVM TVTELIS apparata, planè alludit & reſpondet ad eam cœlèſtem & mythologicam Aſtrologorum, quam magnis ſtellis, velut vnionibus & pyropis coronatam aiunt. ſic enim qui tuam Nauim inſtitoriam conſcendens, certè proſpero flatu facient operationem ſeu circuitionem, in aquis multis; hoc enim Gratiarum vnione, nempe Euangelica margarita pretioſiſſima, gemma ignealuce vibrante non è ſinu Erythræo, ſedè penu tuo ferent & lucrabuntur. Tu enim Deliaco mercatore ſagacior, ἀυταύτης verè Mileſius, cataplum bonorum omnium infers & exponis tuâ hac penulâ, tuo hoc penu, & ex tuis lapidibus pretioſis granis auri virginis collucentibus & interſtinctis FILIÆ IERVSALEM contexent ſibi faſciculos, & ſuſpendent ad collum, & inter earum vbera commorabuntur. Et propterea vt retineant ſibi ſemper neque ſeponant in Theba, aut in Hecal eum libro antiquæ Legis, ſed conferant in corde ſuo, habebunt me perpetuum monitorem, & commendatorem.

Pridie Kalendas Ianuarij Anni
CIↃ IↃC XXXVII. *domaust*

GEORGIVS FROGER Doctor Theologus Scholæ Pariſienſis, Socius Sorbonicus, & humilis Curio Parochiæ à S. Nicolao Cardineti in vrbe.

DE Martyrologio ANDREÆ SAVSSÆI, pietate & doctrina clariſſimi, noſtrum hoc martyrium. Opus eſt ſingulare, quo nihil doctius, nihil laborioſius, Eccleſiæ Gallicanæ monimentum ære perennius. Felix Eccleſia virum tandem nacta, qui reconditas opes tuas promeret; quantum valeas amicis, & inimicis aperiret; tuóſque partes & filios pro dignitate commendaret. Quæ ſis eius operâ videris, *hortus ſcilicet conclusus*, cui *roſæ nec lilia deſunt*. Cæterùm in hocce Martyrologio nihil ſubeſt periculi, omnia tuta, cuncta fidei Catholicæ conſona, nihil bonis moribus aduerſum. Quod vidimus ſincerè teſtamur. Lutetiæ Pariſiorum die tertia Ianuarij, anno 1637.

G. DE Y Doctor Theologus Pariſienſis, Regi Chriſtianiſſimo à Conſiliis, & Concionibus.

Epiſtola D. CHAPELAS *Doctoris Theologi Pariſienſis, Sancti Iacobi in vrbe Parochi. In qua Cenſura & approbatio Operis.*

COEPIT me admiratio tui Operis (CLARISSIME SAVSSAYE) dum vidi tot gemmas Orientis dicam an Occidentis Eccleſiæ, felici labore tuo erutas ex ſitu obſoleto, & ruderibus veterum membranarum. Imò quod miraculum eſt Nuntij ſiderei, tot ſtellas & noua Cœli lumina per tubum calami tui Europæ videnda proponi. Grande ſanè operæpretium, in quo Cœlo ipſi & Cœlitibus mortalis ſcriptor lucem fœneraris, & nouo auſu mortuos Cœli indigetes, prima quaſi reſurrectione donans *vindicas ſanguinem tot Sanctorum ſub altare ſilentum*. Dudum tamen te hæc palma manebat, atque adeò æquum erat, vt qui quondam pro militantis Eccleſiæ Præſulibus ſtylum tuum armaueras, nunc triumphantis Eccleſiæ myſtis currum apparares. Sed quod magnæ tibi gloriæ eſt, eodem cum illis curru fama tui nominis vehetur. Perge itaque (VIR CLARISSIME) in perficiendo hoc opere deſignato, & perpetuos Eccleſiæ Gallicanæ faſtos apparans, per epochas ſeptemdecim ſæculorum & Kalendaria currentis anni, VNIVERSAM SACRÆ NOSTRATIS HISTORIÆ FACIEM repræſenta. Ego certè quæ partes collegæ & amici Doctoris ſunt, tam eruditi Operis ſemper Aſſertor veniam, ſatiſque præſtans. Pariſiis Kal. Iul. an. 1636.

CHAPELAS.

MARTYROLOGIVM HOC GALLICANVM graui ac eleganti stylo conscriptum, fide syncerum, doctrina refertum, pietate conspicuum; velut MYSTICVM ILLVD CANDELABRVM est, in medio diuini Tabernaculi positum; intertinctum LILIIS, instructum septem donorum gratiæ lucernis, inextinguibili SANCTORVM luce accensum: à quo nullus errorum fumus exhalat, nulla vitiorum nigredo oritur; quinimò tot vibrat fulgores exemplorum pietatis & iustitiæ, tótque præmiorum gloriæ eiaculatur splendores; vt mentes vitiorum infectas fumo, & peccatorum nigredine deturpatas, nitori suo (si attentè conspiciatur) restituat; magnóque virtutum lumine, mentes eorum qui piè affecti in SANCTORVM GALLIÆ BEATORVM persuauem memoriam, ac deuotam obseruantiam, pensilem hunc in lychnuchum, aciem suæ contemplationis intenderint (præstante Domino, qui in Sanctorum suorum clarificatione gloriatur:) vndequaque irradiet & perfundat. Sic censeo, sic attestor, LVTETIÆ PARISIORVM in nostro sancti Bernardi Collegio, octauo Idus Ianuarij, Anno ab intemeratæ Virginis partu millesimo sexcentesimo trigesimo septimo.

Fr. IOANNES PELLETIER, Abb. Fulcardimontis, & Doctor Parisiensis.

Epistola ad ANDREAM SAVSSAYVM, *Ecclesiæ Sanctorum Lupi & Ægidij Lutetiæ Pastorem vigilantissimum.*

MARTYROLOGIVM GALLICANVM (VIR CLARISSIME) non tam vidimus, quàm mirati sumus. Quod opus vnius sæculi studio & diligentia videbatur indigere, tu paucis abhinc annis immensum absoluisti. Qui hoc profectò ita breui temporis intercapedine conficeret, vnum te noui, præterea neminem. Theatrum Gallicæ vniuersitatis sic ob oculos statuis, vt quos martyrio purpuratos non aspicimus, innocentiâ candidatos intueamur; alios Pastores, qui *totam Christi doctrinam cum suo sanguine profuderunt*; alios fidelium Greges, qui vt Pastorum vocem ita & vitam secuti sunt; alios Principes, Reges, Cæsares, qui populorum turbæ sanctimonia iuxta ac imperio præluxerunt. Enimuerò quorum vindicatam ab Ecclesia non asseruisti beatitudinem, notam fecisti pietatem. Hos omnes nostros in Gallia vixisse, nostros è Gallia emigrasse reperio. Etiam hoc ampliùs, innumerabiles alios, qui cum nec perenni vita nec morte potuerunt, suis aut peregrinationibus, aut sacris exuuiis Galliam in tuo Martyrologio ditauêre; quasi ad illorum Beatorum decus pertineret, viuos Galliam coluisse, aut iu ea mortuos coli, cultósque colentibus opitulari. Multa quidem hoc in Opere, sed illud eximium effecisti, VT REGNVM CHRISTIANITATIS SIT ET REGNVM SANCTITATIS, & si quis terræ angulus dictus fit aliàs SEMINARIVM SANCTORVM, modò Gallicus orbis totus ferè quantus est, habeatur amplissimus Beatorum ΠΑΡΑΔΕΙΣΟΣ. Hacce ratione & Sanctos ipsos & singulas Galliæ Ecclesias tibi oppignerasti; Sanctos quidem, quòd illos piæ ac sinceræ Genti colendos, vt Religionis suæ parentes exponas; Ecclesias verò, quòd illarum honori, quà nouo, quà veteri partu cupidè velificeris. Ecquid porrò vspiam est in rerum natura diues ac pretiosum, siue in auro, siue in argento, siue in gemmis numeretur, quod Operi tanto componatur: omnia sunt infra quamlibet similitudinem posita, nemo sit homo qui vel tantisper addubitet. Pretiosissima quæque terrenis adhuc immixta sunt concretionibus, at terram nubésque ipsas excedit Olympus. Vno verbo homines cœlo recepti οἱ ἐν ἁγίοις dicuntur. Faxit Deus immortalis, vt hic veluti liber vitæ diu desideratus prodeat in lucem, & τῶν ζώντων viuentium, atque adeò vt prætereitis tot Sanctorum agonibus, Gallorum quilibet ad patem in hac militia pugnam & victoriam inflammetur.

Anno Domini 1637. 10. Ianuarij. IOANNES DELAVNOY Theologus Parisiensis.

APPARATVS
AD MARTYROLOGIVM GALLICANVM,
ET
SACRAM FRANCORVM HISTORIAM.

TRACTANDORVM IN HOC APPARATV SYNOPSIS.

Præfatiuncula.



APPARATVS AD MARTYROLOGIVM GALLICANVM.

PRÆFATIVNCVLA.



NNATVM *iampridem Galliæ populis morem hunc fuisse, C. Cæsar, qui genium gentis apprime calluit, disertè testatur, vt viatores festinantiori gressu cohibitos, de instituto profectionis, obuij quique locorum indigenæ, sedulò inquirerent.* Est hoc, *ait,* Gallicæ consuetudinis, ✱ viatores etiam inuitos consistere cogant, & quod quique eorum de quacunque re audierit, aut cognouerit, quærant. *Quo ex populari more Sidonius Apollinaris, insignis ille sanctimonia ac eruditione Aruernorum Antistes, ad Faustum scribens Episcopum (itidem clari nominis) Regiensem, ipsimet consulit & suadet, vt tempore præsertim minùs quieto, à stylo frequentiori vicissim abstineant, dilatáque tantisper mutui sedulitate sermonis, curam potiùs assumant conticescendi; eâ potissimùm de causâ,* quòd tabellarius nequaquam irrequisitus transiret, dum secretum omne gerulorum, peruigil indagaret explorator. *Nolim ego equidem à gentilibus meis, in hac qua progredior via intercipi. Lubens gradum sisto in ipso vestibulo huius operis, causámque meæ peregrinationis (antequam de via interpellari queam) sponte mea, obuio cuique aperio. Nempe patulum affero,* MARTYROLOGIVM SANCTORVM GALLIÆ, *hactenus desideratum: volumen haud exile quidem, tomis suffultum quatuor apodicticorum commentariorum, ex quibus integra coalescit Christianissimæ Ecclesiæ, Francorúmque inclytæ gentis historia. En quàm breui epigraphe rem sum ingentem complexus. At sic datâ operâ, vt lector, rei ipsius quæ me in iter impellit magnitudine stupefactus, quin & ipsa nouitate opificij illectus, hic mecum paulisper intentus hæreat; institutique huius, (quod compendioso adeo programmate adumbraui,) rationem, quam infrà magis enucleatè edissero, ipso vt opere meliùs fruatur, maturè percipiat.*

CAPVT PRIMVM.

De mente auctoris in operis huius suscipienda conscriptione.



VI dudum res Sanctorum literis prodidêre, cùm so impares profiterentur, beatarum illarum mentium dignè offerendis laudibus, non suapte sponte hæc sé texenda encomia aggressos, sed Præsulum auctoritate; adeóque iussione huic obstrictos officio, ipso in limine lucubrationum suarum passim contestabantur. Cuius modestæ excusationis, insigne præfixit dudum specimen Fortunatus ille tùm Presbyter, post Episcopus, Pictauiensis, gestis sancti Hilarij Episcopi, quæ Pascentij Antistitis eiusdem sedis commendatione, sedulò indagata, ad perpetuum tanti cœlitis memoriæ decus & posterorum vtile monimentum, in literas misit. Sic enim cætera intet præfatut. *Cuius* (diuini) *operis amore prauentus, me dignatus es perurgere, quò de actibus sacratißimi viri Hilarij Confessoris, qui te ab ipsis cunabulis ante sua vestigia quasi peculiarem vernulam familiariter enutriuit, vt impensi muneris vel verba rependerem, etsi non plenè, vel quadam ex parte amplexa perstringerem, quatenus dum gregis auribus vox quodammodo & vita Pastoris antiquißimi resonaret, & ille probaret ministerium, & ipse tuum non celares affectum. Sed cùm mei ingenij breuitatem mensuro, adeo beati Hilarij immensitatem fortem cognosco; vt pene mihi videatur aquale, iam istud posse dicere, quam digito cœlum tangere,* &c. *Tamen etsi cum mea verecundia, vobis quidem obedientiam, & illi impendo (de quo non dignè loquor) fortasse iniuriam.* Ita ille, vt à culpa temeritatis, apud eos qui pium carpebant opus sese probaret immunem. At ego, vt eâ causâ, quam sibi in facti sui præsidium assumebat, ingenuè fateor me isto in molimine destitui: non tamen hoc tam arduum opus velim quis me adorsum putet, sine aliqua quæ conatum fulciat meum, æquè graui ac suspicienda ratione. *Obedientia* quidem

1. Reg. 13. 22. *melior est quàm victima.* Attamen quæ à piis affectibus charitas elicit sacrificia, Deo solent iis quæ fiunt ex vi sola obsequij longè acceptiora esse. Porrò ipsius Dei zelus & patriæ amor, mihi aculeos illos incussit, qui vt molirer tantum opus, ederémque in lucem impulerunt. Cùm enim Deus ipse actionum

Psal. 67. 36. nostrarum scopus esse debeat: qui *in Sanctis suis mirabilis*, illorum in laudibus glorificatur (nam vt ait sanctus Hieronymus, *triumphus Dei, est Apostolorum vi-*

Ad Hedib. q. 11. *ctoria; & Martyrum paßione, aliorúmque Sanctorum praclaris actibus, odor notitia Dei disseminatur in gentes.*) Ideo diuinæ gloriæ obsequium me existimaui præstiturum, si Sanctorum, quos innumeros in gente nostra, præcipuo gratiæ suæ munere Altissimus ipse excitauit, laude dignissimas actiones ferè obliteratas ad lucem reuocarem, hásque in conspectu positas populorum regni ipsius amplissimi, in quo Sancti ipsi pridem claruerunt, his intuendas non solùm, sed imitandas exponerem. Accendit magis eo in proposito animum, Paschalii celebris illius Abbatis Corbeiensis pia æquè ac grauis commonitio. Sanctorum virtutis ac gloriæ insignia literis esse multis nominibus consignanda, sed eam ob rem potissimum, quòd immortalitatis eorum clarificatio, illorum euincit insaniam, quin & audaciam retundit, qui vt carnis desideria liberiùs consectentur, laxatis in omnes concupiscentiæ illecebras habenis, brutorum more viuunt, brutorúmque itidem more mori gestiunt; ideóque mortalem animam esse sibi exitiali deliramento fingere non verentur. At *nouimus Sanctos* (ait Paschasius; per tot diuinæ virtutis edita ad eorum memoriæ collustrationem & euidens indicium eorumdem beatificationis, gloriosa insignia!) *non periisse post mortem, sed beatiùs immutatos, vt moriendo, ad immortalia summa felicitatis gaudia peruenirent. Idcirco non omnino penitus obliterandi sunt à memoria, præsertim tales, quorum non desiisse, hinc mortis euulsio fuit, sed in melius commutasse. Neque enim*

fatendum est, iuxta quorumdam perfidorum insaniam, (quam multis eiusmodi portentis, misera iam hæc nostra scatet Gallia!) *quod scriptura inquit. Exiguum &* Sap. 2. 1.
cum tædio est tempus vitæ nostræ, nec est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit regressus ab inferis. Neque enim dicendum est quod ex nihilo nati sumus, & post hæc futuri simus, quasi non fuerimus. Verum igitur est & incunctanter profitendum, Christum resurrexisse à mortuis, & mortem moriendo vicisse, vt similiter omnes qui in Christo moriuntur, non iam mortui, imò in eo viui, atque beati inueniantur. Porro id imprimis est quod luculenta hac tota conscriptione contendimus, paritérque ostendimus, vt æui huius Epicurei, tam euidenti quàm efficaci demonstratione concussi, tandem ad sanam mentem redeant: & sicut in hoc speculo gloriam Sanctorum post mortem viuentium conspiciunt, ita exitium suum reformident, damnéntque dementiam propriam; qua non modò à beatæ illius immortalitatis vsura, qua Sancti apud Deum cui purè seruierunt, fruuntur, sese perditis moribus excludunt, sed eo ipso quòd animam diuino charactere signatam, Christi sanguine redemptam, vitæ destinatam sempiternæ, morti obnoxiam impiè comminiscuntur: mortis ipsius sese perpetuæ mancipant nexibus, inque barathrum perditionis, ex volutabro illo impietatis ac omnis impuritatis cœno (nisi Sanctorum clara quæ cernunt vestigia, quibus beata petitur æternitas oppidò requirant) miserè deuoluuntur. Nec minùs dum hunc tractatum meditarer, deuios à fide Catholica illos suspexi, qui auitæ illius religionis, in qua tot sidera pietatis effulserunt desertores, salutis quoque viam à tergo relinquentes, pronis suam in perniciem ruunt progressibus. Dum *peregrinis doctrinis abducti, errorísque magistros* Heb. 13. 9.
prurientes auribus auscultantes, quasi Syrenarum illecti vocibus, in æterni nau- 2. Tim. 4. 3.
fragij abyssum demerguntur. Hos enim auris felicioribus ad *semitas vitæ* pos- Prou. 2. 16.
se censebam reuocari: si propalato Sanctorum tramite, qui fide vera ac viua, ad portum salutis peruenerunt, exitiales illis, aduersæ quam tuentur credulitatis scopulos, vnà ostenderem. Porro speciali monimento, quod huic quoque Martyrologio præfixum est, id illis ex fidei Sanctorum patriorum consideratione, subsidium pietatis affatim exhibetur. Quamobrem superfluum esset, quæ luculenter ibi tractantur, hic vel perstringere compendiò. Verùm non deuios tantùm à fidei Catholicæ obseruantia, respicit hic conatus noster. Segreges cuncti à fide vera alieni sunt: at plerique Catholicorum, ne dicam ferè omnes, à *fide viua*. Hos commonefaciendos ex Sanctorum propriorum actibus sanctus Bernardus me docebat, qui sic in vitam sancti Malachiæ aculeatè proloquitur, atque omnino ad huius sæculi mores appositè. *Semper quidem operæpretium fuit illustres Sanctorum describere vitas, vt sint in speculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem viuunt, multósque ex his qui viuentes mortui sunt, ad veram prouocant & reuocant vitam. Verùm nunc maximè id requirit raritas sanctitatis, & nostra planè ætas inops virorum. Quàm sanè inopiam super nos adeo inualuisse sentimus: vt non dubium sit illâ sententiâ nos feriri: quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et vt* Matth. 24.
suspicor ego, aut præsto aut prope est, de quo scriptum est, faciem eius præcedet 12.
egestas. Ni fallor Antichristus est iste, quem fames & sterilitas totius boni, & Iob 41. 13.
præit & comitatur. Siue igitur nuncia iam præsentis, siue iamiámque adfuturi prænuncia, egestas in euidenti est. Taceo vulgus. Taceo vilem filiorum huius sæculi multitudinem. In ipsas columnas Ecclesiæ volue oculos leues. Quem mihi ostendas vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem quàm flammantem? Etsi lumen quod in te est, inquit, tenebræ Matt. 16.
sunt, quantæ sunt tenebræ? Nisi tu illos fortè (quod non credo) lucere dixeris, qui 23.
quæstum æstimant pietatem, qui in hæreditate Domini, non quæ Domini; sed ma- 1. Tim. 6. 5.
gis quæ sua sunt quæritant. Quid dico, quæ sua sunt? Perfectus sit, & San- Philipp. 2.
ctus etiam, sua quærens, suáque retinens, si ab alienis cor manúsque con- 21.
tineat. Meminerit tamen qui sibi vsque huc peruenisse videtur, eumdem exigi sanctitatis gradum & ab ethnico. An non milites suis iubentur contenti fore stipendiis, vt salui fiant? Magnum verò Ecclesiæ doctori, si sit sicut vnus militum? Luc. 3. 14.

aut certè (quod ad illorum improperium Propheta loquitur) si vt populus, ita sacerdos
Esa. 24. 2. *fuerit. O deformitatem? Itáne summus merito, reputandus erit, qui à summo corruens*
gradu, hærebit vix infimo, ne abysso absorbeatur? Quàm rarus tamen ille ipse in cle-
ro? Quem item das mihi contentum necessariis, contemptorem superfluorum? Lex est
1. Tim. 6. 8. *tamen præfixa ab Apostolis, Apostolorum successoribus. Victum & vestitum ha-*
bentes inquiunt his contenti simus. Vbi forma hæc? In libris cernimus eam, & non
Psal. 36. 31. *in viris. Habes verò de Iusto, quia lex Dei eius in corde ipsius, & non in codice,*
&c. Sed vnde quid agimus? Quæramus virum optimum, multorum liberatorem:
& ecce laboramus in inueniendo, qui seipsum saluum facere possit. Optimus, est ho-
Psalm. 11. 1. *die nimis malus. Vnde quoniam à terra defecit Sanctus, videor mihi non superuacuè*
ex his qui empti sunt, reuocare ad medium Malachiam Episcopum, virum verè
Sanctum. Ita mellifluus ille, (dum etiam pungit amicis stimulis, veræ Ec-
clesiæ filios, at desides) Bernardus : qui si hac nostra ætate in carne super-
esset, longè acrioribus nos transfigeret aculeis : imò longè profusioribus ge-
mitibus penuriam nostram, qui penitus degeneramus à stirpe nostra, à viua
vitę fidei veræ, cui frustra insiti sumus, infrugiferi sterilésque palmites, de-
ploraret. Vtinam Gallicus ille Ieremias è transmigratione illa reuerteretur, vt
dispendia nostra & dedecora prope conspiceret, longè iis maiora, quæ tam
tragicis vocibus olim lamentabatur. Certè non clamore tantùm, non fletu,
non stylo conuertere curaret hanc dolendam Galliæ vicem, sed efficaciori
quam vocis aut scripturæ suæ subsidio, huic exitioso gentis nostræ torpori,
satageret mederi. Etenim si ad excitandam Cleri & populi Gallici desidiam,
Tob. 8. 5. qui cùm essent *Sanctorum filij*, cultum sanctitatis propudiosa negligebant
inertia : Sancti vnius & quidem exteri, at in sinu Galliæ defuncti, res in
Dei famulatu piè ac strenuè gestas in medium reuocandas indicauit, quibus
pudore suffusi inertes fideles, ad studium virtutis & diuinæ legis obseruan-
tiam, fœnúsque crediti fidei talenti ocyus prouocarentur. Quid putamus fo-
re nunc, facturum, cùm omnia in deterius apud nos collapsa cerneret, qui
idem solùm quod pressere Sancti puris vestigiis, inquinatissimo calle calcan-
tes, eamdem aspirantes auram, eamdem quod magis est legem & fidem, pro-
fitentes, dissimillimis in tantum ab his moribus viuimus, vt iam Gallia suos
horreat incolas, stupeátque dum videt habitatores suos, ita à priscis suis alum-
nis, iam cœli ciuibus degenerasse, vt nec illi horum parentes, nec isti illorum
filij (tanta morum dissimilitudine se gerunt) censeri posse videantur? Profectò
Gallicas Sanctorum, qui sursum in templo gloriæ cum Deo regnant, euocaret
deorsum candidas phalanges, imò myriades, vt numero & splendore trium-
phalium horum agminum, quæ chara hæc patria cœlo dudum enutriuit, stu-
porem nostrum conuerteret, nósque expergefactos à somno lethalis desidiæ,
ad pia & honesta quæque conamina, quæ Sancti nobis exemplis suis prætendunt
animaret. Ita sanè. At ne hoc Galliæ subsidium deesset, quo ad me-
liora erigeretur, pius me omnium indignissimum incessit affectus : quo non
sine superna ope excitus, tam operosæ collectioni manus & mentem admo-
ui. Ecce enim non vnius aut alterius, seu certè paucorum vel nonnullorum
etiam, sed omnium penè, quotquot suo pridem Gallia sinu aluit, Sanctorum
profero congesta nomina, præstantissima quæque facinora, inclytas victorias,
& nunquam excisura trophæa : vt his suppudefacti, conglobatis gratiarum
splendidis speculis, imò spiculis validis totius virtutis confixi, omnem sopo-
Psal. 76. 6. rem ignauiámque qua torpemus excutiamus : *memoré sque annorum æternorum*
eum concipiamus spiritum, eam induamus mentem, qua Maiores tot titulis
prædicandi, diuinæ similitudinis & gloriæ decora ambierunt, ac munera felici-
ter compararunt. Ad id enim nos diuini illi athletæ superno ex amphitheatro
triumphi cœlestis incitant, hisque diuinis præconiis, quæ vnus ex iis Eucherius
Lugdunensis quondam Protomysta sanctissimus insonat facundo ore, vnanimi
quasi interpellatione cohortantur. *Discite ex nobis fidem quærendo acquirere, viuen-*
do excolere, moriendò seruare: discite plus peccatum timere quàm gladium. discite pro-
pter vitam, magis iustitiam amare, quàm vitam; fidémque & timorem Dei, quem nos
in media belli tribulatione seruauimus, obseruate, ne vos in pace vel pacis secu-

ritate perdatis. Cauete ne anchoram spei, ac religionis, quam nos custodiuimus in fluctu, vos amittatis in portu. Cauete ne vitam bonam si quando afflictionibus subditam vidertis, miseram iudicetis. Cauete ne in arena mundi, in qua ad subeundos agones missi sumus, aliquam felicitatem expectandam putetis. BEATITVDO PARARI HIC POTEST: NON POTEST ACQVIRI. *Non hic quaeras, quod hic nec Christus inuenit. Si mundus pacem haberet, gloriam Martyres non haberent. Si examinatio non praecederet, tribulationis periret accessio.* His certè intentos auscultandis vocibus, Sancti beati, quos inducimus hoc in theatrum glorificationis, esse nos admonent, tantóque opportuniùs, quanto deteriùs his perditissimis temporibus vnusquisque nostrûm in aduersa pietati studia dilabitur. Quæquidem illorum salutaria monita, si ea qua par est reuerentia excipiantur, votorum certè meorum consequat cumulum. Tum enim supernos illos ciues, communes generis nostri custodes & suffragatores existimauero faustè me in auxilium patriæ euocasse, si illorum felicissimo occursu perditorum morum, huius nostræ gentis cohibitâ repressâque eluuione, viuaces pietatis & sanctimoniæ affectus in popularium nostrorum animos, ferè Christo emortuos, refundantur. His efficacissimis incentiuis, quæ me ad struendum hoc auitæ pietatis & fidei propugnaculum, aduersus hæreseon & iniquitatum emergentia profluuia, nonnullæ aliæ accesserunt causæ, quæ ex dicendis in subiunctis capitibus commodiùs elicientur; nempe ipsorum Sanctorum honorificatio; patriæ, quæ tot heroum cunabulis, aut certè agonibus & trophæis mirè illustratur, eximium & peculiare decus; Ecclesiarum, vrbiúmque & ciuium singulare præsidium, Religionis sacratissimæ augmentum, diuinorum officiorum ornatus, fastorum patriorum instauratio, obliteratæ ferè sacræ gentis nostræ historiæ vindiciæ, desiderij plurimorum cumulus, & id genus alia momenti grauissimi motiua, quæ omnia ex ipso opere vt affatim sese prodent: ita superfluè & præposterè à nobis, speciali insinuatione ingererentur. Aliqua tamen quæ ex his præcipua sunt, hic seorsim exposita operæpretium subiiciemus.

CAPVT II.

De sacra historia vtilitate.



HISTORIAM temporum testem, lucem veritatis, magistram vitæ, & vetustatis nunciam, omnium rerum quibus hominis felicitas paratur laudem sibi præcipuam causámque vendicare, veteres meritò censuerunt. Huiúsque vim admirabilem, ideo Gregorius Nazianzenus in carmine ad Nicobulum, altè deprædicat, à qua efficiatur, vt vnius hominis mens, ex omnium mentium & sæculorum perfectione, in vnum sapientiæ aceruum coalescere videatur. Quid enim diuinius, quàm omnia nosse, quàm disiunctissimas regiones velocissimi sideris more lustrare? Quàm omnium ætatum memoriam, res gestas, facta, exempla percensere? Quàm Imperiorum status, ortus, progressus, vicissitudines, decursus, exitus, vno mentis aspectu contemplari? Quid illustrius, quàm regendi militandique disciplinam, clarissimarum virtutum effigies, in vnam veluti tabellam congestas inspicere, præterita cum præsentibus comparate? alieno damno sapere, salutaria inde præcepta ad omnem vitæ culturam decerpere? Hæc porro omnia suo ex ditissimo penu historia promit, quæ omnium rerum experimenta subministrat, personas secernit, tempora discriminat, politiam docet, eloquentiam adornat, mores componit, & excultos instructósque sua notitia animos, queq. ad sublimia erigit, hæc sanè plerosque viros priuatos, imperio dignos effecit, Imperatores ad immortalem gloriam per præclara facinora impellit: milites propter laudem, quæ mortuos sequitur, promptiores efficit ad pericula pro patria subeunda; improbos timore infamię à malis facinorib. deterret, multósq. peccatores qui in dies deteriùs Cicer. in Orator.

in perniciosa ruebant, in rectas iustorum vias reducit: quæ dum virtutem perennem efficit, totóque in orbe præbet conspicuam, ipsum quod cætera consumit tempus custodem sui habet. Cùm tot igitur iustæ commendationis ea præstet titulis, tótque hominibus vtilitates suo ex vsu conferat, non est cur gentis nostræ genium vel hac in parte non admodum collaudemus, quæ cùm se honestissimis quibusque studiis semper oblectata sit, historiæ potissimùm illecta decore & fructu, primas in omni mentis exercitatione eidem concesserit, cui etiamnum impensiùs adicta, vni huic discendæ, illustrandæ videtur incumbere. Et æstum quidem hunc laudabilem, minimè reprehendo. Sed cùm historiæ bina sit facies, altera quæ ciuiles tantùm res politicúmque statum respicit, altera quæ Dei regnum résque sacras & mysticas intuetur; nescio quo casu accidit, vt decora semper ingenia magis in profanam inclinarent, sacram & Ecclesiasticam minimè sectarentur. Et verò, vt non mediocriter deplorandum reor, hanc præsertim tam necessariam vitæ formandæ partem, non adeo vt par erat, scriptorum priscorum diligentiâ, industriâ ac eloquentiâ excultam & ornatam fuisse, vt ætatis nostræ hominibus, quâ omnes artes & studiorum genera ad miraculum ferè prouecta sunt, placere queat: sic est quòd plurimùm quisque bonus, eruditis huius sæculi viris succenseat, qui ciuilium rerum indagini, & profanæ historiæ cognitioni ac elucidationi, vires omnes animi intendunt, præclarásque illas dotes, quibus Deus gratiæ suæ copioso munere illos locupletauit, caducis rebus quærendis, prædicandis, illustrandis impendunt: exigua vel nulla potiùs studiorum parte, æternis diuinísque inuestigandis, cognoscendis ac commendandis attributâ. Nunquam certè maior prodiit quàm nunc, nouorum librorum copia: sed quorum? sed qualium? vt fabularum taceam inania commenta, pudendásque & exitiosas impiorum & impurorum opusculorum consarcinationes: profectò, melior quæ librorum exit in lucem congeries, vel antiqui Romanorum eloquij, aut Imperij Græcorum moris, & inanis sapientiæ scrutandis, propalandis, decorandísque monimentis, vel litium instruendis conflictibus, vel regnorum & rerum publicarum originibus ac progressibus indicandis, applicatur. Et cùm singulis vrbibus, quæ modò noscuntur aliquo nomine & fama, singuli pene & scriptores obtigerint, Ecclesiastica res fermè vt minor siletur. Imperatorum, Regum, & aliorum humani generis culminum, ac quorumcumque virorum illustrium, qui quaque in gente dignitate, & factorum ciuilium gloria præfulserunt, sollicitè Chronologicæ series, indices, nomenclaturæ, encomia, exarantur, excuduntur. Sanctorum verò qui orbem, potissimum Gallicum, Christo Seruatori sanguine suo vendicârunt, cœlestísque doctrinæ theoriis gentem nostram imbuerunt, omnium virtutum informârunt exemplis, ac mirificis etiam actibus illustrârunt, monimentis ditârunt ac cumulârunt veræ sapientiæ & pietatis, beneficiis denique innumeris perpetuæ clientelæ & opitulationis repleuerunt: iacent ferè sepulta nomina veneranda, latent præstantissima exempla, præclariora facinora maiori ex parte ignorantur; dicta factáque pene vniuersa, non modò à memoria Gallorum exciderunt: sed neque si maxima pars illorum Regni huius Christianissimi beatorum tutelarium, vnquam extiterit in Gallia, vel vllibi sit, aut fuerit, ne à vulgo quidem, sed neque à plerisque sæculi sapientibus cognoscitur. Pij quidam & eruditi viri, at perpauci, patriæ hac in re opitulari non ita diù nisi sunt: at quæ præstiterunt adeo fuère modica, vt vix tam graui dispendio tantillum subsidium videantur attulisse. Quid enim? centum aut circiter qui Gallias natalibus suis, ac præclaris actibus decorarunt, res gestas, patrio idiomate, ad vulgus erudiendum domesticis exemplis in lucem dedêre. At centum ferè millia beatorum in quibus præcipui sunt Christi athletæ, Galliæ sacri heroës; imò vt veriùs dicam, in Sanctorum floribus, primarios Ecclesiastici germinis flosculos, lilia magis candida, suauiùs fragrantia, prætermisêre. Nec suâ id culpâ: etenim tantæ florum adeo speciosorum colligendæ copiæ, nec iis patebat aditus, ingenti obliuionis puluere coopertus: nec fortè tanto labori insudare, iisdem, aliis studiis præpeditis, concessum erat. Cæterùm haud sanè ego sum ille, quem vlla pars Reipublicæ scriptorem optauerit, quive sæculi corruptelis ire

queam obuiam. Nec otium quidem mihi curis Ecclesiasticis præoccupato, erat molestum, vt quærere necesse haberem leuamina. Sed quia videbam res Gallicanæ Ecclesiæ carere luce, Sanctósque ipsos qui patriæ sunt nitida sidera, offusos nigro velamine pudendæ ac dispendiosæ obliuionis, splendore suo cohibito, in amicum solùm lumen suum (quo omnis gratiæ & benedictionis benignos effunderent influxus) minimè spargere, sed clausos vt lamentatur Propheta, *Sicut stellas sub signaculo* delitescere: nos autem tot luminum orbatos solatio medias inter tenebras versari, eáque caligine circumfusos palpare, impingere, atque à viis salutis in quas lucidis inducunt exemplis Sancti, cùm *splendorem è custodiis suis* emittunt, longè deflectere, & vt aiebat Tertullianus, *extra oleas*, pacis & iustitiæ multum *euagari* hæc potissimùm causa me obstrinxit suscipiendæ collectioni tam arduæ, támque piis ac necessariis vindiciis ineundis, è quibus non solùm oritur amplior Dei gloria, Sanctorum patriorum honor, sed à quibus etiam charissimæ patriæ præcipua illustratio, atque adeo omnis felicitas dependet. Sicut enim beatorum Galliæ tutelarium ignoratio, debita illos priuat veneratione: imò & Deum ipsum iusta glorificatione, quæ ex donis in Sanctos ab ipso affatim collatis & cumulatis, enascitur: *Omnia enim* (vt est in vulgatis pridem apud Maiores nostros, sedis Apostolicæ Præsulum, de gratia Dei, regulis) *studia & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudémque referenda sunt: quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donauerit*. Ita certè Galliæ incolas hæc crassa inscitia, ingenti spoliat subsidio atq; solatio: quandoquidem, sicut gentiles nostri Sanctos quos non nouerunt, nec colunt nec recolunt; ignotos porro nec laudant, nec imitantur: sic quàm vicissim, huius ex religiosæ obseruationis commercio, opem ab iis perciperent, huius contesserationis defectu haudquaquam mutuantur. Laude sanè nostra Sancti beati non indigent, at gaudent nihilominus laudari à nobis, vt in se Deus magnificetur: nos verò in his virtutum viuas effigies conspicientes, easdem actibus studeamus propriis æmulari, quibus & altissimo sicut illi obsequentes & placentes, eadem quæ acceperunt præmia promereamur: ac quorum vestigia sectamur, etiam experiamur suffragia. Parati enim sunt semper Sancti ad nobis opitulandum, præsertim si interpellentur. At efficaciùs non possunt à nobis interpellari, quàm sedula obseruatione & imitatione. Porro tametsi quoslibet Beatos nos deceat suspicere & colere, eos tamen specialiter honorare ac sectari nos conuenit, qui patriæ quam incolimus lumina propria extiterunt. Pulchrè id insinuat Eucherius Lugdunensis, vbi ait: *Indigenorum Martyrum cultu, & honor specialium patronorum, sicut peculiare dat gaudium, ita proprium requirit affectum. Etenim si peregrinas palmas extraneásque victorias & coronas, ac transmarinos triumphos, tanta nos oportet sedulitate venerari, vt quod alienum est loci, nostrum faciamus officiis: & illud quod includitur sepulchris, sit commune suffragiis. Quanto nos impensiùs conuenit in eorum celebritate feruere studio, excubare famulatu, quibus multiplicem debet religio venerationem, Ecclesia honorem, patria charitatem? vt sicut eorum per vnius parentis gremium, iure nascendi cognati sumus; ita nobis erga eos pietatis & gratiæ priuilegium vindicemus; atque ad eos fidei deuotione priùs accedamus, vt quorum esse ciues gratulamur in terris, cum his municipatum habere mereamur in cælis.* Tales enim *si amicos* nobis hac in vita dignis officiis comparauerimus, nos certè postquam è mortalitatis stadio excesserimus, secum beandos *suscipient* (vt Dominus ipse loquitur) *in æterna tabernacula*. Hinc itaque conatus hic meus iuuandi populares meos respexit. Cùm enim sapiens illud Aristotelis consilium sæpè mente versarem, quo Alexandro auctor fuit; vt assiduo labore res gestas antiquorum peruolueret, annales Maiorum discuteret, exempla meliora colligeret: quoniam acta, vt ait præterita, dant certa documenta, quomodo agendum sit in præsentibus, & quid prospiciendum de futuris. Quo monitu ille inductus, ita rebus gestis illustrium virorum, perdiscendis mentique infigendis se adixit, vt ne dormiens quidem Iliadem Homeri à se separari pateretur, historiásque vndique ad se adferri curaret: qua laudabili consuetudine, eam ad magnitudinem ascendit, vt Magni sibi iure pepererit immortale nomen. Cuius & gestorum inclytorum fortuita lectione, ita concussus fuit pridem Iulius Cæsar, vt conceptis inde igneis stimulis ingentia illa ediderit fa-

[Margin notes: Iob 9.7. — Baruch 3. 34. — Luc. 16.9. — Rhetoric. c. 5.]

cinota, quibus subactum orbem, traxit non modò in obsequium, sed & in perpetuam suæ virtutis admirationem. Hinc sanè mihi facilè persuasi, longè validiora fore ad incutiendum gentilium nostrorum animis, solidæ virtutis & gloriæ studium, ac veteræ felicitatis affectum: illorum Heroum, quos Deus sua simi-
Ephes. 1.13. litudine signauit, sua impleuit gratia, actibúsque supernæ suæ virtutis clarifica-
1.Cor.1.7. uit, & ad immortales triumphos beata illa in cœli patria prouexit, præclara
Ioan.17.22. exempla, & illustrissima quæque facinora patrauêre, reuexêre trophæa. Hic
Apoc.3.21. 7.9. enim habent docti & indocti quique magni & infimi, vnde ad eadem decora
Rom.1.14. efformentur, vnde ad ipsamet præmia instigentur. Dicebat Paulus summis & pusillis se debitorem esse, seruis & dominis, Græcis & Iudæis. At Græci, aiebat,
1.Cor.1.22. *Sapientiam quærunt: Iudæi miracula* venantur. Ita quidem non nescio vulgares homines, actibus Sanctorum qui mira edunt opera passim delectari: at sapientes huius sæculi, eiusmodi historias sacras, politicarum rerum argumentis, leporibus & deliciis humanæ literaturæ, vt plurimum vacuas, fastidire solent: quod antiquius ducant linguam quàm pectus formare, & plus verbis ne dicam vmbris, quàm rebus solidis, quæ æternitatem pariunt, oblectentur. At non est cur ab hac lectione sacrorum Galliæ fastorum, ita se auersos præbeant. Non enim (quæ quærunt) consilia Principum, non arcana dominationis, non rerum hominúmque vicissitudo, non magna exempla magnæ virtutis, hinc absunt. At quæcumque sunt in profanis rebus aliqua specie honesti insignia, hic sanè vberiori cumulo expromuntur, altiorique emicant veræ virtutis fastigio. Vtque turbas & seditiones, & reliqua monstra, Sancti præstanti sua virtute (sua vtique fortitudine, patientia & mansuetudine, fide, pietate; quâ mundum debellauêre) effecerunt, vt non codicibus profanis inuideremus. Ita pabulum est, in Ecclesiastica historia, siue multiplices honesti vias consectari lubet, siue ab tristis animi pronitate, delectaris agonibus extremis & sanguine, tragicósque velut in scena spectare casus amas, & vt vno dicam verbo, cætera quæque magna, in sæcularibus literis miraris, suspicere ac consequi. Sed verò insuper, illa propriam hic sedem habent, quæ alibi reperire non possis; ingentes animæ, & radiata capita nostratium heroum, Martyrum scilicet aut Virginum, aliorumve culmina, qui forti certamine domuerunt corpus & mortalitatem. Campus est hic vniuersus Ecclesiastici iuris, nec vlla regio, regnúmve tantam historiæ materiam suppeditauerit. Hæc enim nostra collectio, rerum à Deo per Sanctos Galliæ alumnos mirabiliter editarum, sic refert gloriosa insignia: vt regni vnà Christianissimi Francorum, quod orbis singulare decus est, illustria quæque, in hisque nonnulla minimè ab historicis inclytæ huius gentis comperta, aut tradita monimenta, affatim promat, éxque affinitate vtriusque regiminis, & rerum ciuilium cum sacris connexione, plurima rara commemorent, lectorique etiam inexquisita vberum impertiatur.

CAPVT III.

De primis in Gallia rerum sacrarum Scriptoribus.

EST ea Ecclesiastica Historia, quæ ex professo res proprias religionis complectitur. Quibus scilicet initiis coaluerit Ecclesia in qualibet genre, quam rituum originem & obseruantiam, quam Pastorum successionem & doctrinam: vbi ea singulis temporibus fuerit, quas passa sit persecutiones, quæ pro fide certamina contra hæreses, & quibus denique defensoribus, ac Doctoribus illustrata sit. Qui hæc simul ab initio in Gallia complexus ac persecutus sit, vix dici potest: imò qui nouissimis his temporibus hæc vna comprehenderit, aut indagare sit aggressus, fateor mihi haud hactenus innotuisse. Verumtamen quoniam priscum Galliæ decus est, quod decore facundiæ & eloquij gratiâ, æquè ac bellica fortitudine, semper præcelluit: (vnde sanctus Hilarius, tamquam *Latinæ eloquentiæ Rodanus*, apud san-

ctum Hieronymum *Gallico cothurno attollitur:* & Gallia ipsa à nitore eloquij commendatur:) sicut à tam inclytæ gentis genio longè abhorret arbitrari, in ea defuisse vnquam qui strenuè agerent: sic qui ornatè dicerent vel scriberent. Et sanè præter auctores illos, qui res ciuiles suis commentariis curarunt, ex instituto posteritati commendare, factas qui æterna dignas memoria literis consignare paruipenderint, vel leuiter suspicari, haud est pietati consentaneum. Nihil est quod magis quàm fidem Christianam Gallia vnquam coluerit, vnde citra adulationem sanctus Hilarius Genti huic tribuit pro singulari laude in libro de Synodis, quod religionis Catholicæ ac Apostolicæ semper fuerit tenacissima. Cui Gregorius magnus ita succinit, vt tametsi plerisque in rebus, Gallis cæteras gentes existimet posse æquiparari: tamen synceritate speciali prorsus asseueret illibatæ fidei prærogatiua eminere. *Regnum vestrum* (Childebertum Regem affatur Clodouæi magni filium) *Deus fidei rectitudine decorauit, & integritate Christianæ religionis inter gentes alias fecit esse conspicuum.* Idque tam verum exploratúmque fuit apud omnes, vt etiam ex Græcis Agathias, immortali Galliæ gloriæ id elogium honorificè appenderit. *Francos inter omnes Christianos rectissima esse fides.* Cuius gentis Pontifices (vt Arator Poëta facet ad Vigilium Papam scribit, in prœmio suorum Carminum in Actâ Apostolorum) *præstantes fuerunt religionis magistri, protatisque studiosi cultores.* Hic certè innatus genti vniuersæ castæ religionis zelus, hæc Antistitum gemina pietas atque solertia, minimè sinit existimare hos fuisse in sacris rebus exornandis suo labore, desides. Itaque segniter, & ipsarum rerum dignitati & vtilitati posterorum prospexisse, vt quæ eloquio perennare non poterant, stylo neglexerint futuras in ætates transmittere. Si quis ita abiectè de mystis Galliæ sacris sentiret, vix dignum illum, cordatus quisque existimaret, vlla in classe eruditorum considere. Certè enim sacrorum Scriptorum, quos suo in sinu aluit Gallia, sole lucidiora sunt monimenta: eorúmque nomina & illustrissima & ferè innumera. Bone Deus! quæ gens, vel populus sub cœlo est, qui pares possit suo è gremio acies, Gallicis Doctorum Scriptorúmque piorum agminibus opponere? Ecce prodit Gallia * apud suos Celtas Dionysium, & Irenæum: quàm celsa Theologorum capita! Reticium Æduensem & Modoinum; ambos Eucherios Lugdunenses, itidémque Viuentiolum & Agobardum: Gregorium illum, Pontificio Turonensem, quamquam ortu Aruernum; Alcuinum & Heraldum: vtrumque propriæ iure dignitatis etiam Turonicum, Antistitésque Theodulphum & Ionam Aurelianenses, Æneam & Petrum Parisienses, quin & ascetas Aymoinum, Abbonem & Vsuardum; sed & Audoenum Præsulem illum Rotomagensem & Ionam Fontanellæ Abbatem; Episcopum Carnutensem, Fulbertum & Iuonem; Marbodum Redonensem, Odonem Ætherii archam Cluniacensem, Heticum & Hubaldum, ac Florum magistrum; Hugonem Floriacensem, itidémque Adreualdum, Rodulphum & Gauzbertum; Lupum Abbatem Ferrariensem. Porro ex Aquitanis ecce profert Victorinum Martyrem, Episcopum Pictauiensem; vnáque magnum illum Hilarium, Seuerum Sulpitium, Paulinum vtrumque scilicet seniorem Nolanum dignitate, & alterum Benedictum cognomine; quibus addere oportet Prosperum dictum Aquitanicum; item Phebadium Agennensem, Sidonium Claromontanum, Fortunatum Pictauiensem. Ex Gallia Viennensi post Vincentium Lerinensem, Arelatensem Hilarium, itémque ex eadem sede binum Cæsarium, Maximúmque Regiensem & Faustum; Saluianum Massiliensem, atque Gennadium & Honoratum, ac Massæum; Claudianum Mamercum, Alcimum Auitum, & Adonem Viennenses. Ex Belgio indicat suum Remensem Remigium, Nouiomensem

* Non in hoc indiculo quos in textu expressimus, accuratam delineare statuimus antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorũ, qui Galliam à Christo glorificato, ad annum vsque eiusdem millesimum illustrarũt nomenclaturã: sed exempli causâ præcipuos enumerauimus, queis eodem tenore adscribi possunt, ex Celtica Gallia Eucherius cognomento Emesenus origine Lugdunensis, professione monachus Lerinensis, Ansegisus Burgundus Abbas Laubiensis, Aymoinus Floriacensis, Ercculphus monachus Episcopus Lexouiensis, Claudius Clemens Alcuini discipulus, eiúsdémque in fundatione Academiæ Parisiensis conditor. Ex Aquitanica Ferreolus Episcopus Vcetiensis Christianus. Dunstanus ortu Aquitanus, et habitu monachus Corbeiensis, Berthaius Abbas Cassinensis, Martyr. Ex Viennensi Claudius Marius Victor Massiliensis, Salonius Saluiani discipulus. Ex Belgica Gallia Protadius Vesuntionensis Episcopus, Haliticarius Cameracensis, Athanasius Dagoberti Regis Archicapellanus, postea Episcopus Spirensis, Arbogastes Argentinensis, Amalarius Treuirensis, Adelboldus Vltraiectinus, Gerbertus Remensis, postea Romanus Pontifex dictus Siluester II. Almarius Monachus Altiuillaris in Remensi tractu Anselmus Remensis, & alius Leodiensis, quibus ætate paulo inferior fuit Leuduneusis, Angelomúsque Luxouiensis asceta. At tempus enarrantem cùm prætereat: satius est Catalogum illum perstringere. Nec enim vacat quinque aut sex posteriorum seculorum lumina hic recensere, quæ cœli sidera numero vincunt & adæquant splendore nominis & scriptorum suorum, qui vt radij perennes diuinæ Sapientiæ in terra fulgent decore.

Eligium, Sueſſionenſem Engelmodum. Item Hincmarum vtrumque, & Flodoardum. At quis ſi liceret poſteriora ſæcula, quæ poſt mille à Chriſto exactato annos effluxerunt excurrere; conſcribere poſſet auguſta ſacrorum auctorum nomina, quibus omni decore ſcientiæ & ſplendore religionis clariſſimis, Gallia ipſa vndequaque emicuit? Quis huius gentis Theologos, ſacros Iuriſperitos, Poëtas, Hiſtoricos, Chronologos, cæteróſque, qui Rempublicam Chriſtianam egregiis ſuis lucubrationibus ditârunt, decorârunt, ex ſerie recenſens, tandem tot diuinorum hominum nominibus non vinceretur, tótque eorum monimentis, quæ omnem exiſtimationem ſuperant, non obrueretur? Superſedeo igitur fuſiorem de his ſermonem texere. Sat ſit ad propoſitum indicaſſe Eccleſiam Gallicanam nunquam claris omni ex parte caruiſſe Scriptoribus. Quorum ſi in re hiſtorica pauciora iam monimenta ſuppetunt, hinc certè euenit: vel quod alij, quorum non ſuperſunt fœtus, eorum ſtudia in hoc inſtituto quondam præuerterint, vel ſanè quod ipſorum pleraque exciderint opera. De qua iactura inferiùs magis appoſitè diſſeremus.

CAPVT IV.

De Martyrologiorum origine.

DE hoc titulo luculenter antea tractauêre Ioannes Molanus in opuſculo poſito poſt appendicem ad Vſuardi Martyrologium à ſe recognitum & ampliatum: Cardinalis Baronius in præcapitulatione Romani Martyrologij, & Petrus Galeſinius in epiſtola nuncupatoria ſatis fuſa, ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum ſuper Martyrologium, à ſe Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vſui in ſingulos anni dies accommadatum. Strictim igitur quantum ad propoſitum noſtrum pertinet, de ea re hic agemus. Et primò quidem lubens in Baronij ſententiam concedo, qui pro fundamento, hoc theorema ſupponit. *Nihil antiquius apud Sancta Romana Eccleſia Præſules fuiſſe, quàm vt Chriſtianorum acta fortia, ipſa Sanctorum res præclariſſima, perpetua memoria monimentis conſignarentur. Cui rei egregiam nauatam operam primum fuiſſe à ſancto Clemente*, &c. Hoc enim geſta Sancti huius Pontificis & Martyris apertè teſtantur, quæ perhibent *eum feciſſe diuidi regiones notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicitè & curioſe vnuſquiſque per regionem ſuam perquirerent.* Sed inde tamen vulgaris vnde fulciri videtur, explodenda venit opinatio: quæ hinc colligit primam Martyrologij originem. Quòd enim ſtudium mandauit Clemens Notariis Eccleſiaſticis, haudquaquam munus erat concinnandi illas ſacras tabulas, è quibus vindicatorum Martyrum nomina recitabantur. Igitur ante omnia obſeruandum eſt, apud veteres tria in vſu fuiſſe memoriæ Sanctorum clarificandæ monimenta. I. Quorum primum & cui cætera innitebantur, non mera nominum, ſed plena geſtorum cuiuſque Martyris erat collectio, Notariis à Clemente, vt dictum eſt, demandata. Id patet ex facto Fabiani Papæ, qui vt refert Anaſtaſius Bibliothecarius, *regiones diuiſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiacones, qui ſeptem Notariis imminerent, qui geſta Martyrum in integrum colligebant.* Vbi notanda occurrit maximè illa particula *in integrum*. Non enim ſummatim conficiebant Notarij illa elogia, quæ Sanctis, ſacris in tabulis, dum enunciantur in Eccleſia eorum natales, tribuuntur. Sed cùm actas res Martyrum fusè in ſuum codicem congeſſiſſent, has Diacono, qui cuique eorum ſuperintendebat, cognoſcendas tradebant: qui eas ad ſummum Pontificem referebat. II. Is autem ſi res narratas probaſſet, & agoniſtam iudicaſſet in pietatis iuſto certamine laurearum, huius ſacras in tabulas venerandum nomen adſcribebat eum breui elogio, die quo Martyr occubuerat publicè ſacro in cœtu fidelium recitandum, & hic liber MARTYROLOGIVM, quòd Martyrum potiſſimum natales indicaret, & vindicata promeret encomia, paſſim appellatum eſt. De quo ſic meminit ſanctus Gregorius ſcribens ad Eulogium Patriarcham Ale-

xandrinum. Nos penè omnium Martyrum distinctis per singulos dies passionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus, non tamen in eodem volumine, quis qualiter passus sit indicatur (sicut in illa Notariorum collectione quam Anteros Papa sollicitè ab iis requisiuit, & ad amplius munimen veritatis, in Ecclesia recondidit) *sed tantùm locus & dies passionis ponitur. Vnde fit vt ex multis terris, atque prouinciis per dies* (vt priùs dixi) *singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed hæc habere nos beatissimos credimus.* Ita magnus Gregorius. III. At ex S. Augustino didici præter historias passionis Martyrum, & sacras tabulas, in quibus ad venerationem eorum nomina commemorabantur, alium adhuc in vsu fuisse libellum, quo quisque, Martyris cuiuspiam opitulatione, à morbo vel ægritudine quauis sanatus, accepti beneficij simul testimonium & grates referebat. *Lib. 22. de Ciuitate Dei c. 8.* Conscribebantur enim eiusmodi libelli, vt facti miraculi certa esset testificatio, multorúm rei spectatorum suffragiis communita, publicéque in Ecclesia legebantur: imò & populo tradebantur ad dilatandam diuini operis gloriam, & augendam Martyris celebritatem, populúmque ipsum in fide magis roborandum. Vnde Sanctus ipse Episcopus, horum libellorum impensè vsum commendat, quasi plurimum ad fidelium ædificationem & commodum conferentẽ. Passim igitur in Africa conficiebantur, quamobrẽ non obscurè queritur idẽ Augustinus de Calamensi Ecclesia, in qua horum dandorũ consuetudo non esset, quæ cùm esset vtilissima, curabat ipsemet, vt religiosè vbiq. & à quibusq. seruaretur. Hoc enim perspicuè prodit ibidem, ex re insigni à se commemorata. *Petroniam*, inquit, *clarissimam fœminam, quæ ibi mirabiliter* (ad sancti Stephani memoriam) *ex magno & diuturno, in quo medicorum adiutoria defecerant, languore sanata est, hortati sumus, volente supradicti loci Episcopo, vt libellum daret, qui recitaretur in populo: & obedientissimè paruit.* Ita sanctus Augustinus. Cæterùm non in Romana tantùm Ecclesia, sed vbique viguisse pium illum morem ab initio, vt heroum fidei sedulò exciperentur res gestæ à delectis Notariis sicut ex Eusebio liquet lib. 4. c. 14. lib. 5. cap. 2. & 3. lib. 6. cap. 33. & 34. lib. 7. cap. 10. Ita & breuem illum Martyrum indicem in vsu passim fuisse, apud quasque Ecclesias satis patet ex ipso dicto sancti Gregorij superiùs inducto, vbi eiusmodi tabulas haberi in Alexandrina Ecclesia non ambigit. Fuisse autem in Africa antiquissimum hac de re morem, apertè prodidit Pontius Diaconus in ipso limine vitæ sancti Cypriani Episcopi Carthaginensis & Martyris. At ex ipsiusmet Cypriani epistola 37. id quoque colligitur, qua mandat Presbyteris & Diaconis, non quidem vt acta in carcere morientium pro fide conscribere studeant: hoc enim notariorum munus erat, sed vt dies quibus quisque excederet in agone annotarent, quatenus commemorationes eorum inter memorias Martyrum possent concelebrare. Catalogus ille quem viri sacri contexebant, & ad Primatem Episcopum referebant approbandum, nihil aliud quàm ipsum MARTYROLOGIVM erat, Carthaginensis Ecclesiæ proprium. At verò cæteras orbis Ecclesias similem libellum habuisse, ex memorabili monitu Tertulliani facile est deprehendere, sic Christianum hortantis in aureo de corona militis opusculo cap. 13. *Coronatur & vulgus, nunc ex principalium prosperitatum exultatione, nunc ex municipalium solemnitatum proprietate: & est omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus es mundi huius, ciuis supernæ Ierusalem. Noster*, inquit, *municipatus in cælis. Habes tuos census, tuos Fastos: nihil tibi cum gaudiis seculi.* Vbi distinguendæ maximè sunt duæ illæ voculæ, *Census* & *Fasti*, qui Christianorum proprij sunt. Per *Census* enim, vt in præscriptionibus aduersus hæreticos sese exprimit, Codicem insinuat proprium cuiusque matricis Ecclesiæ, in quo, Ecclesiæ ipsius origo & Episcopalis successionis series describebatur. Per *Fastos* autem, libellum illum diarium, natalitiis distinctum eorum, qui in pietatis conflictu occubuerant. Explosis enim Ethnicorum Kalendariis, * quæ pseudonuminum erant solemniis consignata, Christiani suum habebant Fastorum codicellum, in quo puri diuinitatis cultus assertorum recolenda nomina, ad Dei gloriam, athletarum ipsorum honorem, & fidelium documentum distinctè annotabantur. Quibus enim diebus Christi bellatores è palæstra certaminis victores excesserant, fidelis populus conuentus sacros habebat,

* Extat adhuc Kalendarium Ethnicum vetus Romanum quod è marmore descri-

ptum in Ædibus Maffeiorum ad Agrippinā, è tabula supernè fracta, Aldus Manucius expressum, typisque excusum Veretus, anno Christi 1581. publicauit, idemque Iacobo Boncompagno Duci Soræ, cum subiuncta dissertatiuncula, *De veterum dierum ratione*, & tractatu *de Senatu Romano*, dedicauit.

* De more Gallicano insrà c. 6. 7. & 8.

in quibus fortia eorum facta memorabantur, offerebantur pro eorum gloriosa coronarione gratulatoria sacrificia, sicut idem Tertullianus non obscurè insinuat eiusdem libri cap. 3. num. 37. & omnino perspicuè Cyprianus epistola 34. *Sacrificia* (ait scribens ad Clerum & populum suum) *pro eis* (Celerina scilicet, Laurentino & Ignatio, non ita diù in confessione pietatis laureatis) *semper vt meministis offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus*. Nec is in Africa modò, à primordiis Christianæ religionis mos solemnis fuit, sed vbique terrarum, vbicumque populus Christianus diffusus erat*, praxis hæc religiosè recepta: prout ex sancti Augustini celebri documenro libro 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. & sancti Hieronymi testimonio libro 2. Comment. in epist. ad Galat. c. 4. quin & his antiquiorum Patrum Concilii Gangrensis, sub Siluestro Papa habiti anno Christi 324. decreto aduersus Eustathium Sebastianensem in Armenia Episcopum, qui Sanctorum dies natales, & conuentus ad eorum basilicas, oblationésque in eorum venerabilem memoriam fieri solitas, impugnabat. Ibi enim can. 20. illi, & quibuscunque ita cum eo desipe- ronr, disertè anathema denunciatur, hoc sub tenore. *Si quis per superbiam tanquam se perfectum existimans, conuentus qui per loca & basilicas Sanctorum Martyrum fiunt accusauerit: vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur contemnendas putauerit, anathema sit.* Hócque nomine acerbè dudum perstrinxit Parmenianum Donatistarum Pseudoepiscopum Optatus Mileuitanus: quod nō verebatur Catholicos, reatus arguere, quoniam memoriis Apostolorum & Sanctorum, communicarenr: cùm ipse vniuerso orbi Christiano, hoc in probatissimo more repugnans, graui piaculo idcirco obstringeretur.

CAPVT V.

De primis Martyrologiorum Scriptoribus.



MOREM qui hactenus viget in Romana omnium matre Ecclesia, vt solius sit summi Pontificis, Sanctorum Catalogum præscribere, huicque quemcumque dignum iudicauerit præuia solemni disquisitione intexere, non modò æquissimum esse (vt probant passim orthodoxæ fidei, aduersus hodiernos sectarios assertores, & nos insinuamus in apologetico pro Sanctorum cultu, intra ad calcem huius operis subiuncto, parr. 2. §. 9.) sed & antiquissimum etiam existimo. Nam cùm munus esset Notariorum, quod eis primùm iniunxisse memoratur S. Clemens, facta Martyrum dictáque sedulo colligere: Diaconorum confecta ab his monimenra recensere, eáque referre ad summum Antistitem diiudicanda. Ita ipsius Pontificis prærogatiuæ ex officio competebat, non acta modò illa sua auctoritate probare, sed & eorum Ecclesiæ Heroum, quos victricem palmam iure tulisse constabat in fidei stadio, nomina, in illorum indicem reponere, qui publicè in sacris vt Christi strenui athletæ & synceri pietatis vindices, ad perpetuum meritorum gloriam, commemorabantur. Si enim Patriarchas nemo admittere, nemo in diptychis scribere, nemo ex his delere poterat nisi solus Pontifex maximus, vt peritis historiæ Ecclesiasticæ quibusque, non potest esse incompertum. Maiori certè iure ad ipsum spectabat summum religionis Antistitem,* Martyres veros nominare: ac eorum fidelibus præscribere indicem, qui hoc titulo essent dignos honores promeriri: ne fortè indignis gloria indebita deferretur, & proprius assertorum veræ religionis cultus, perperam extenderetur ad falsæ persuasionis testes & fucatæ virtutis coryphæos. Sicut igitur Clementem iam nominatum, at nunquam satis cum honore nominandum, Apostolorum in Ecclesia principali successorem, imò primarium Christi Vicarium, suæ esse curæ & muneris comperimus censuisse, solemnium dierum, & festorum quæ Christiani colere deberenr in honorem Seruatoris, eiúsque sanctissimæ Dei genitricis, Apostolorum quoque, & Stephani aliorúmque Martyrum venerationem

*Cura inquirēdi de Martyrum synceritate, vt fuerit à sede Apostolica iā fere ab religionis ortu Gallicanis mystis demandata, habes notatum sequenti capite.

nem consignare indicem, quem hactenus extantem legimus lib. 8. c. 39. Apostolicarum eius Constitutionum. Ita eumdem non dubito sui duxisse partes muneris, ipsorum Martyrum quorum gloriosi recolendi essent agones, & celebrandæ victoriæ, quorúmque tanta solicitudine exquiri iusserat inclyta certamina, nomenclaturam ordinare, qua & iure vindicata intelligeretur veneranda eorum memoria, & fideles tanta auctoritate qua suprema fulti, ius securè rependerent statis diebus sacros honores. Quod præclarum eius studium, ex traduce pietatis, & Pontificalis propagatione officij, non solùm Anterum, & Fabianum purpuratos quoque Christianæ religionis Antistites, qui speciali hac affecti fuisse cura recoluntur, sed & posteros quosque summæ illius sedis insessores, sedulo amplexos ac persecutos fuisse ambigendum non reputo. Id mihi persuadet insigne Adonis Viennensis testimonium, qui in præfatione sui Martyrologij, vbi antiquissimi illius meminit, quod Rauennæ, sibi, ingenti munere fuisse scribit à religioso quodam viro mutuò commodatum: Id è Romanæ Ecclesiæ manibus ad Aquileiensem sic deuenisse innuit, vt dum à Romano Pontifice directũ, & ab Episcopo Aquileiensi hinc acceptum asserit, simul non obscurè significet, illum Præsulem, Martyrologium à summo Pontifice flagitasse (sicut dudum poposcisse legitur Eulogius Patriarcha Alexandrinus, à Gregorio Magno) cuius curæ illud disponere, & autoritati promulgare, ac pietati cõmunicare inferioribus Pastoribus competebat. Nec nouo id iure sed antiquissimo, adeóque religioni nostræ coæuo. Legimus enim in actis S. Dionysij Galliæ protomystæ perillustris, cùm is sibi agonem extremum imminere afflatu diuino cognouisset, accersiuisse ex latino Meldorum oppido Sanctinum, & Antoninum, *Hisque præcepisse, vt sermones & agones suos solerter intenderent, ac quibus tormentorum generibus per passionum supplicia corporis vitam finire conspicerent, memoriæ commendarent.* Nec iniunxit id solùm, sed subiunxit vt hæc Romam deferrent ad sedis illius Pontificem. vti & fecisse post eius consummationem, Hincmarus Remensis Archiepiscopus in epistola, à se ad Carolum Caluum de S. Dionysio conscripta, disertè commemorat & testatur. At quorsum hæc Dionysij studia & Sanctini subsidia? Nimirum vt haberet summa sedes, quæ de ipsius Dionysij & sociorum exitu cognosceret, quæ cognoscenda exteris populis ipsisque (vt expressum est illa in narratione Atheniensibus) intimaret; quid de Martyrum, quorum Princeps illa Ecclesia mater est, actibus ac memoria decerneret. Eadem ductus ratione ipsemet Dionysius conscripta à se acta passionis B. Eutropij Santonensis Ecclesiæ Apostoli, è Gallia Romam à S. Anacletum Clementis successorem probãda & diuulganda transmiserat. Qua ex disciplina Gallicanæ Ecclesiæ mos antiquissimus fluxit, Martyrum indigenorum res gestas ad Sedis Apostolicæ Pontificem transcribere: (quæ postea cõflagrata apud se cùm fuissent, inde repetut.) Imò & Synodorum acta & decreta Rom. mittere comprobanda, & inde per orbem publicãda, sicut liquet ex Concilij I. Arelatensis sub Siluest. habiti Synodica Episcoporum, ad ipsam Papam Epistola. At de Romanæ Ecclesiæ iuribus ac honoribus, vti de Gallicanæ circa hanc perenni obseruantia, aliàs opportuniùs: impræsentiarum de more illo ab hac exorto, & in exteras diffuso gentes, Martyrum non modò res gestas conscribendi, sed & proprios horum indices habendi, ex præfixo scopo est disquirendum. Quemadmodum igitur non Romæ tantùm, sed vbicumque sol lucet, Martyrum præclaræ concertationes à delectis viris colligebantur: Ita & horum indiculi à primoribus Ecclesiarum Episcopis sua quaque in prouincia præscribebantur, qui hinc inferioribus Episcopis transcribebantur ad vsum, & Romam mittebantur ad plenæ collectionis augmentum, & argumentum integræ auctoritatis. Eam in rem, Carthagine, Cyprianum, Primatialem Episcopum, operam adhibuisse Tertulli Presbyteri religiosissimi, ipso Cypriano teste didicimus. *Cùm Tertullus*, inquit, *fidelissimus & deuotissimus frater noster pro cætera sollicitudine, & cura sua quàm pluribus in omni obsequio operationis impertit (quæ nec illis circa curam corporum deest) scripserit, & scribat ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem, gloriosæ mortis exitu transeant, & celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.* At verò in Hispania Gregorium Cordubensem Episcopum, breui eiusmodi col-

lectioni concinnandæ manum admouisse, quæ Martyrum nomina & natalitia propriis assignata diebus contineret, fit ex narratione Walfridi Strabo satis exploratum, qui in fine cap. 8. lib. *de rebus Ecclesiasticis* recitat, Theodosium religiosissimum Imperatorem, in Concilio Episcoporum laudasse illum Gregorium, quòd omni die Missas explicās, eorum Martyrum quorum natalitia essent, nomina commemoraret. Porro in Oriente Eusebium Cæsariensem Episcopum, hortante Constantino magno omnium orbis Martyrum, hagiologium texuisse, res est tam certa quàm testatissima. Vt enim missas faciam epistolas Chromatij & Heliodori Episcoporum ad B. Hieronymum: & illius ad eosdem de Martyrologij collectione, quas Cardinalis Baronius suppositionis arguit: certè in ipsius laudatissimi Cardinalis sententiam haud possum lubens concedere, qui omnino negat Eusebium Martyrologium vllum texuisse. Fatetur quidem Martyrum res gestas collegisse. At excipit, hoc eius opus non fuisse Martyrologium, hoc est cōpendiosam collectionem, sed ingens volumen & prolixum, in quo fusa narratione diuinorum illorum heroum agones (puta interrogationes, responsa, torsiones, dicta, facta, & totam cōcertationē) fuisse, bene longa serie descriptos, arbitratur, & reipsa probat ex multiplici ipsius Eusebij testimonio. Cui in eo non refragamur, quod non nuda dederit sua in compilatione Eusebius, Christianorū bellatorū nomina, & dierum natalitiorū signa. At hinc sequi inficiamur, quòd Martyrologium non cuderit, sed solùm quod fusius præstiterit, quàm veteris illius Romani, ab Adone dudum reperti, à Rosweydo nuper vindicati & editi, specimen ferat. Nec enim hoc sufficit, ad titulū Martyrologij, Eusebianæ collectioni detrahendū: alioqui erit etiam proprij Martyrologij ipsius Adonis titulo derogandū, quod longè latiùs in narrationibus expatietur, quàm antiqui illius Romani formula permittat. Imò moderni Romani, quod Baronii iunctū aureis notationibus, iustum efficit volumen, esset Martyrologij inscriptio abroganda, si de intrinseca ratione, & vt aiunt *de ipsa essentia* Martyrologij, breuitatem in antiquo illo obseruatam, existimare oporteret. Meminisse proprij monimenti debuisset (pace tanti viri dixerim) ipse Baronius: qui ad calcem sexti capitis rectissimè admonuit, collectionem Eusebij quamquam profusam, volumen tamen vnum non excessisse. Quæ certè series iure breuior videbitur, si illa considerentur, quæ ea textura sui operis, Eusebius complexus est. Nam si totius orbis Martyrum congeriem ipse iniit Eusebius, vix codicem illum quamquam prolixum, ad eorum vel nuda nomina recensenda (rectè aduertit Baronius) sufficere potuisse. Non dixerim igitur vel omnium Martyrum orbis nomina, Eusebium sua indagine consecutum, neque itidem sua collectione complexum, sed plurimorum & insigniorum (quorum sic scripsit nomina, sic natalitia signauit, vt elogia etiam singulorum ibidem contexuerit) nec stricta adeo nec nimis itidem profusa. Nam cæteroquin Martyrologium quòd exarauerit Eusebius, certa testificatione habemus venerabilis Bedæ. Sic enim illius disertè meminit lib. 2. in Marc. c. 26. *In libro Sacramentorum Natale Ioannis IV. Kal. Septemb. notatum est. Et in Martyrologio quod Eusebij & Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur IV. Septemb. &c.* Et rursus in Initio retractat. in Acta, nominatim citat illud Martyrologium, cuius Eusebium auctorem fuisse asserit: at Hieronymum cuius nomine iamdudum præsignabatur, eiusdem innuit duntaxat interpretē. Imò diu ante Bedam, id testificatus est insigni relatione Eulogius Patriarcha Alexādrinus, de quo sic ait ad eundem rescribens S. Gregorius Papa. *Mihi sanctissima vestra beatitudo scribere studuit, vt cunctorum Martyrum gesta, quæ piæ memoriæ Constantini temporibus, ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt, transmittere debeamus.* Igitur apud Orientales iam tunc compertissimum erat, Eusebium eiusmodi hagiologium concinnasse. Porrò collectionem illam perantiquo in codice se vidisse, Hilduinus, Martyrologij programmate prænotatam; dilucidè insinuat, in præfatione vitæ Dionysij Areopagitæ, quam ab annis ab hinc plus minùs octingentis conscripsit: sic enim ibi loquitur. *Habemus Græcæ authoritatis Martyrologion, de Chartiscriniis Constantinopolitanis adeptum, quod tanta vetustate dissoluitur, vt maximam cautelam à se contingentibus exigat: in quo diem natalitij Dionysij designatum, & quia Atheniensium Episcopus fuerit reperimus annotatum. Quod Martyrologium vt antiquitas eius declarat, ex eo tempore constare posse non incongruè remur, quo Constantino iubente,* NOTA OCCASIONE, *de toto orbe*

collecta, & Cæsaream (certè ad Eusebium loci Episcopū) *sunt connecta*. Imò Hilduino antiquiorem longè testem, & illum domesticum vtpote Gallum, pro Eusebio hagiologij auctore, habemus, nempe Variharum passionis Sanctorum tergeminorum Lingonensium recognitorem, qui horum gesta & trophæa ad Cerannum beatæ memoriæ Episcopum Parisiensem (de quo inferius plura,) ante annos mille à se recensita dedicauit: hic enim suæ in dissertationis procemio, Eusebium hoc nomine laudat, cuius pia quòd æmuletur studia Cerannus, impensè eidem gratulatur. At de Eusebio satis superque. Ad sanctum Hieronymum est operæprecium reuertendum, cui secundas construendi Martyrologij partes, passim Ecclesiastici tractatores deferunt. Etenim post Eusebium, Sanctorum Christi pugilum memorias, illum proprio labore exornasse; Fastos recensuisse sacros, illámque antiquam nomenclaturam ab Eusebio consertam, non modò è Græco in Latinum traduxisse eloquium, vt restatur Beda: sed emendasse etiam & auxisse, communis est posteriorum scriptorum asseueratio. Quorum antesignanus Cassiodorus cap. 32. libri diuinarum lectionum, dum studiosos Christianæ pietatis & gratiæ, ad Sanctorum vestigia hortatur consectanda, Hieronymum perspicuè designat, illustrium illorum factorum celebrem præconem. *Et ideo futuræ beatitudinis memores*, ait: *vitas Patrum, confessiones fidelium, passiones Martyrum legite constanter, quas inter alia in epistola sancti Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum destinata, proculdubio reperitis: qui per totum terrarum orbem floruêre, vt sancta imitatio vos prouocans, ad cælestia regna perducat.* Nec est quod Baronij congesta in epistolam memoratam Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum argumenta nos moueant, vt Hieronymo laudem quam illi tribuit hac in parte Cassiodorus abiudicemus: nec enim tanta sunt vt auctoritati Cassiodori præponderent; nec necesse est iis submouendis hîc datâ operâ immoremur. Est enim facilis conciliatio si dicamus, illam quæ commendatur à Cassiodoro Hieronymi epistolam periisse, nec enim quæ hodie circumfertur hoc nomine, his pulchris characteribus, quibus quam laudat, Cassiodorus insignit, conspicua renidet. Cui insuper adiunctus Catalogus ille Beatorum, tanti ab eodem Cassiodoro habitus, cùm non hæreat subiunctus, nec alibi quouis subsistens appareat, & illum dudum excidisse fateri magisconsentaneum est: modò Hieronymo laus sua maneat, quæ ei ex tam insigni collectione, aut certè recensione, meritò iure debetur.

CAPVT VI.

De antiquo Ecclesiæ Gallicanæ, gesta suorum Martyrum colligendi studio, eadémque diuulgandi more.



HABVIT Gallicana Ecclesia ad genium Romanæ matris suæ per primos suos Doctores & nutritios instituta, hunc ab initio morem, vt heroum suorum qui in fidei certamine victrici agone occumbebant gloriosa facinora & funera, solerti vigilantia obseruaret, atque vt immortali commendaret memoriæ, literis per delectos spectatæ fidei viros, consignaret. Extat ritus huius præclarum in actis Sanctorum Martyrum tergeminorum, qui Lingonis passi sunt sub Aurelio * Imperatore vestigium. Illic enim hoc admodum memoratu dignum censetur, quomodo Martyrum illorum triumphus, Neonis qui eorum agonem spectando describebat, fuerit adiuncto agone duplicatus: imò noua amplificatus corona alterius fidelis Turbonis appellati, qui deprehensi pij exceptoris codicillum, sibi inter furentes turbas, ex fœdere pietatis ab ipsomet Neone raptim traditum, suscipere ad seruandum, non metuerat. Literæ verò illæ cedro dignissimæ, quæ nomine Lugdunensis & Viennensis Ecclesiarum ad Asianas & Phrygianas Ecclesias directæ sunt, crudelem

* alias *Aureliano*

& asperam persecutionem referentes, quam sub eodem Principe passi sunt Celtica, ac Viennensi in Gallia Christi cultores, potissimum verò apud prædictas Ciuitates vtrinque Rodano vicinas: patenti sunt indicio religiosæ huius praxis, qua apud Gallos Martyrum certamina, omni cura à delectis scribis excipiebantur, descriptáque non modò posteris per literas consignabantur, sed longè latéque diuulgata per epistolas, ad fidelium deferebantur cuiusque gentis notitiam. Quin & Eusebius, qui præmemoratas literas suo Martyrum libro intexuit, rursúsque magna ex parte transcripsit in sua historia Ecclesiastica lib. 5. cap. 2. 3. etiam id signanter notat cap. 4. vbi de legatione agit Irenæi ex parte Lugdunensis Ecclesiæ, ad Eleutherium Papam; scripta illa, quæ è Gallia in Asiam transmissa sunt, catalogum continuisse, in quo sigillatim omnium, qui ibi in illa atroci persecutione pro Christi gloria fortiter decertauerant nomina, propriique conflictus, summatim enarrabantur. Quem autem ibidem *Martyrum catalogum* appellat, nemo inficias ierit, iure posse à nobis MARTYROLOGIVM nuncupari: exque hoc illustri testimonio elici, huius iam in primæua nostra Ecclesia inualuisse vsum. Huic insinuationi autem proximè cohæret sancti Dionysij iam superiori capite obiter memoratum præceptum; quo discipulis suis Sanctino & Antonino ad hoc Lutetiam Parisiorum euocatis mandauit, vt suæ & sociorum pugnæ, non modò assidui adessent conspectores: at etiam exceptores seduli, qui quæ pateretur aut diceret fidis apicibus ad posteros consignarent: imò & confecta à se extrema colluctatione, passionis suæ seriem exactè descriptam, ad Romanam deferrent matricem Ecclesiam. Nec enim vir diuinus gloriam propriam huiusmodi ex monimentis sibi quærebat, sed Dei honorem intendebat, Ecclesiæ decus, præsentium incitationem, instructionem posterorum: identidémque Ecclesiarum Præsulibus, hoc suo monitu incutiebat, quanta cum diligentia Martyrum agones, qui pro Christi fide extrema oppetere non formidassent, obseruare deberent, quantóque cum studio efficere, vt illustrium eorumdem præliorum magnitudo, nunquam à fidelium memoria excideret, sed quà verbis, quà scriptis, iisdem ad exemplum & cultum perennem commendarentur. Quo & intuitu ipse certaminis sui per discipulos conscribendis actibus exemplo suo præluxit. Nam cùm Eutropium Sanctonensem illum protomystam fortissimo conflictu supernos ad triumphos percepisset, fuisse euectum: mox ipse calamum arripiens Græco stylo sublimique quo pollebat dicendi genere gesta tanti athletæ delineauit, descripsit pugnam, celebrauit palmam, hócque æternum pietatis monimentum cùm Romam ad Apostolicæ sedis Præsulem, tum in Græciam è qua ortum duxerat Eutropius, ad eius consanguineos Christum colentes, quo illius triumphalem excessum agnoscerent, & in hac gente fortissima eius facta ad Dei gloriam prædicarent, studiosè transmisit. Nec dubium quin præclari huius encomij copiam fecerit Gallis, cuius gentis proprius Apostolus, prouectioni eiusdem ad salutem, omni qua poterat ratione intendebat. Hoc ducti exemplo posteri Galliarum Pontifices, non dedignati sunt per se Notariorum munus obire, acta Martyrum indigenarum proprio opere describentes: rati scilicet dignum sua sollicitudine munus, præcelsas Sanctorum actiones atque passiones, quibus Deum clarificauerant, iter sibi ad immortalitatem aperuerant, præsentes posterósque ad id strenuè capessendum potenter excitabant, dignis commendare elogiis, apicibúsque fidelissimis æternitati consecrare. Intercesserat equidem Apostolico digna Præsule, Pij Papæ & Martyris directa ad Iustum Viennensem Episcopum (in quo cæteri impellebantur) hac de re grauis & memoranda hortatio. Quà eum inter cætera monet, Sanctorum in testimonio diuinæ veritatis occisorum, *non solum vt corpora curet, sicut Dei membra: quemadmodum Apostoli Stephani corpus curauerunt. sed vt etiam* SPIRITV SANCTO DVCE SANCTA PROBET MARTYRIA. Hinc enim didicerunt Episcopi Galliarum, sibi ex delegata Apostolica sollicitudine competere, Martyrum speculari certamina, prælia quæ ex Dei dono & motu ab his quæ priuato impulsu procedebant, sagaci cautela discernere, probare quæ syncera essent, atque eadem, fidelibus sibi commissis, congruis commendationibus

ad imitationem proponere. Hoc igitur officio dignè imprimis perfunctum comperio Paschasium Viennensem Episcopum, qui sub Diocletiani & Maximiani tyrannide huic Ecclesiæ præsidens, sancti Mauricij corpus ad se Rodani fluctibus haud sine Angelico ductu & monitu peruectum, digno funere suscepit, religiosis officiis honorauit, natalem tanti Martyris suo colendum populo indixit, cui vt perpetuam tanti cœlitis tutelam conciliaret, colendam illius memoriam, egregiis encomiis, commendauit. Vir enim * disertissimus erat. Ex cuius claris monimentis, quæque Ado itidem Viennensis, Eucherius Lugdunensis, & Fortunatus Pictauiensis ad laudem tanti Martyrum coryphæi eiúsque commilitonum gloriam, suis subinde scriptis intexuère, decerpserunt. Insignem etiam se præbuit in hoc pietatis obsequio Theodorus Massiliensis Antistes, qui S. Defendente, & aliis plerisque militibus, iussu Maximiani Imperatoris trucidatis ad Rodanum, sacra cadauera religiosè tumulauit, & præclaram eorumdem literis consignauit victoriam. Sic enim de eo habet Galesinius in suo Martyrologio 4. Non. Ianuarij. *In Gallia ad Rodanum flumium sancti Defendentis & aliorum multorum militum, qui Maximiano Imperatore, pro Christo Domino, cruciatibus eo loco affecti, martyrij coronam consecuti sunt: ad cuius fluminis ripam à S. Theodoro Massiliensi Episcopo, Defendentis Martyris corpus sepultum * est, eiúsque nomine Ecclesia dicata.* Et in notationibus ad illum diem. *Sancti Defendentis, qui Martyrium pertulit anno Domini 308. Eius suscepta pro Christo certamina literis testata reliquit Theodorus Massilia Episcopus: cuius eo de genere liber extat in vetustis monimentis Ecclesiæ Bergomensis.* Proh dolor! vt exteri habeant in scriniis, vetustissima Sanctorum nostrorum monimenta, quibus parum de patriæ honore solliciti, etiamnum caremus. At hoc πάρεργον. Hinc tamen est quod animaduertamus, quanta cura & studio Patres fuerint præditi, Sanctorum non solùm vt grata Deo facta, literis perpetua efficerent: sed vt insuper longè latéque extra Galliæ sinum perueherent, illorum meritissima encomia. Cæterùm ex præcitata Pij Papæ & Martyris ad Iustum Viennensem Episcopum epistola, non difficile est percipere, quo fieret modo, vt Martyrum Galliæ notitia, vicinas semotásque nationes commodè diffunderetur. Nempe Gallorum mos erat Præsulum, Sanctorum adhuc certantium pugnas, & iam coronatorum Martyrum trophæa, parta extremis colluctationibus, per destinatos nuncios, qui vel Episcoporum epistolas, vel acta Martyrum ferebant, ad Apostolicæ sedis Hierarchæ cognitionem dirigere. quo ex fonte pietatis, probatorum Martyrum res & nomina sacris inscripta diptychis, summorum Pontificum curâ & auctoritate, ad populorum omnium notitiam defluebant. Nam & illo ex Pontificali rescripto compertum fit, vicissim Apostolicos Præsules solitos fuisse Martyrum, qui Romæ & alibi coronabantur, nomenclaturam transmittere in Galliam, ad primores Episcopos, quorum subsidiariâ operâ, in reliquorum notitiam, veneranda radiatorum capitum nomina peruenirent. Sic enim in limine legitur illius epistolæ. *Athalus epistolas Martyrum portans ad nos venit, gaudium nobis ineffabile faciens de triumpho eorum.* Et paulò ante finem. *Fratres nostri, quos per Athalum recognosces, de tyranni sauitia iam liberati requiescunt in Domino.* Digna certè hoc loco memoratu erant, beatorum illorum Episcoporum nomina Gallorum, qui res Christi bellatorum strenuas, suis commentariis perennarunt, in quibus præcipuo splendore pietatis & sapientiæ illuxit sanctus Præiectus Episcopus Aruernensis, & ipse Martyr, qui beatissimorum Cassij, Victorini, Anatoliani, Astrobodi, Ionati, Sabini & Agapæ, aliorúmque plurimorum Martyrum certamina, luculento tractatu celebrauit. Quem vt ætate, ita religioso eiusmodi studio antecessit. Similinus Episcopus Nannetensis, sanctitatis quoque conspicuæ, à quo sancti Donatiani (quem Christo peperit, verbo diuino & lauacro) fratrísque eius Rogatiani, gloriosa concertatio, literis quoque dudum prodita est. Posteriorum certè, vt veri Arausicani Episc. Sidonij Claromontani Heriberti Coloniensis, Prudentij Trecensis, & aliorum, qui eadem laudabili opera enituerunt, nobis non permittit capitis huius angustia vocabula recensere: quæ commentariorum huius operis congruis locis insignia apparebunt. Ideóque ne Lectorem oneremus superfluis obseruationibus, ad alia his Prolegomenis magis affinia, progredimur.

* Ita testatur Ado in Chronico sub Melchiadis Papæ Pontificatu: *Floruit* (ait) *& tunc temporis vir disertissimus Paschasius Viennensis Ecclesiæ Episcopus.*

* seu reconditum.

CAPVT VII.

De Priscis Galliæ Hagiologiis: specialique Galliæ, affectu ac cultu pietatis, gloria.

In Præscriptionibus.



ERTVLLIANI hîc non incongruè insigne dictum, quo hæreticos perstringit repetemus. Ecclesias nimirum quascumque, siue quæ ab ortu Apostolicæ essent, siue quæ ex consanguinitate doctrinæ, & contesseratione cum Ecclesiis Apostolicis, ius adeptæ erant vt & ipsæ fierent Apostolicæ, suos iam tunc habuisse, ac vbi opus erat exeruisse *census*: hoc est libros in quibus (sicut variis ipse auctor locis insinuat) ipsarum Ecclesiarum origines & progressus, Episcoporum successio, *proprij* vrbium *Fasti*, & natales indigenarum fidei assertorum, recensebantur. Quales Indices hæreticos minimè habuisse innuit, quin & iis insultans, eosdem affirmat non ausos adhuc fuisse quid simile comminisci. His enim ex regulis, sicut rectè colligimus, Galliæ Ecclesias quæ ab Apostolis, vel certè Apostolicis viris fundatæ sunt, consanguinitatéque fidei & sacra contesseratione cum Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia, decus Apostolicæ propaginis sunt assecutæ: iure saltem illo Apostolicas nuncupari, quo *partus ventrem sequitur*, & proles ius obtinet geritque nomen parentis: ita certè elicimus illas à prima sua conditione, hac forma & œconomia fuisse à suis auctoribus instructas, vt proprios haberent conscriptos census, commentarios scilicet quasi municipales, in quibus cuiusque Ecclesiæ describebantur primordia & progressus, Episcoporum series, Martyrum indices, Fastorum sacrorum notæ, & quæque alia prædicat Tertullianus, testatúrque sua ætate, veras Christi Ecclesias habuisse sacræ politiæ instrumenta, monimentáque sui legitimi ortus & existentiæ. Nec enim Gallia vnquam, Africâ vel Græciâ, aut qualibet gente, in studiis pietatis, Christianæque religionis amore & cultu fuit inferior: de cuius inclyto nomine Christo iamiam consecraræ, ipsemet Tertullianus scribens contra Iudæos*, pia superbia insolescit, Christianámque religionem, multam inde innuit suscepisse gloriam. Meritò etenim aptiúsque etiam & verius, illud quod in gentis suæ laudem dudum Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus effudit præconium, ad Galliæ nostræ decus & honorem vendicauero: ** *Nostra natio fuit inter cæteras sapiens, clara, generosa, prudens, fortis, & quæ omnem terram* (nam & ipsam Græciam & Idumæam) *suo subegit imperio. Præterea virtutis studio omnes gentes est supergressa, ieiuniis, vigiliis, orationibus, & vt vno verbo dicam, veluti spongia, omnem hausit virtutem, Deo semper accepta.* Hinc vox illa in omne æuum memorabilis Pauli Papæ I. ad Episcopos & Presbyteros regni Francorum: *** *Verè enim eleuatum est nomen gentis vestræ super multas generationum nationes, & regnum Francorum vibrans micat in conspectu Domini.* Nec inferior laus illa Galliæ, quam ore sacro diù licet postea eodem è solio protulit Clemens VIII. in parænetico ad Archiepiscopum Senonensem & eius Suffraganeos rescripto, vbi Franciam appellat, *Regnum certè florentissimum, innumeris bonis & ornamentis cumulatum à Deo: Galliam Christianissimam; quæ ob insignem in fidei integritate constantiam, à veteribus celebrata est, & illustri elogio ornata, quòd hæreticorum monstra non aluerit. Regnum nobilissimum, vnde tot fortissimi Christi Martyres, tot sanctissimi Episcopi, tot Christianissimi Reges prodierunt. Vbi multa, per Dei gratiam, adhuc supersunt semina veteris pietatis, & auita religionis & deuotionis.* His certè titulis aliísque Gallia nostra præeminet, *eniteat*que (vt alio sedis Apostolicæ oraculo pridem personuit) *super omnes gentes*. Bellica autem fortitudine non solùm cæteris semper præcelluit, at longè magis religione & diuini cultus feruore, ac œconomia. Quæ enim vnquam post Romanam omnium matrem (cuius primogenita est filia) alia fuit Ecclesia, in qua post susceptà diuinitus semina gratiæ, viguerit ita ab initio, flórueritque diuinorum dogmatum puritas, disciplinæ obseruantia, morum censura, custodia Cano-

Maximè verò libro de corona militis.

Cap. 7 n. 42. Cui & alia gentes crediderunt: Parthi & Medi & Gallorum diuersæ nationes.

** Sect. 25. exposit. pro Concil. Florentino, quæ extat tomo 4. Concill. general & in Bibliothec. PP tom. 4. p. 1047. postrem. edit. Paris.

*** Apud Sirmond. tom 2. Concill. Gall. p. 59.

Stephanus Papa III. in epistola ad Carolum & Caroloman. Reges apud eumdem Sirmond p. 69. tomi iam signati.

num, nitor sacrorum rituum & Sanctarum artium, atque scientiarum peritia? Si excurrere vltra præfixas oleas liceret, hæc singula decora Gallicanæ Ecclesiæ, natiua, facilè esset propalare. At apparatus id non sinit huius, iusta quæ debet esse, hoc est breuis & constricta series. Lubens igitur me è diuerticulo recipio in viam, & quem inuestigare indicareque statui morem huius Ecclesiæ antiquissimum, circa Sanctorum memorias cultu condignò prosequendas, illorúmque trophæa celebranda & gloriosa efferenda nomina, paucis explicare aggredior. Circa vetera hagiologia Galliæ breuiores esse nos oportet, quòd in commentariis, vberior illorum dum occurret mentio, ita etiam clarior horum sese prodet notitia. Hoc nomine codices, in quibus probatæ erant Martyrum passiones descriptæ, sat est hîc intelligere: quales ex Gregorio Turonensi passim elicitur iam olim Galliam libros habuisse. Is locus insignis instar sit omnium, qui legitur lib. 1. eius historiæ cap. 26. subiuncto illi quod de persecutione Traiani prænotatum est. *Sed & in Galliis*, inquit, *multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cælestibus coronati, quorum passionum historiæ apud nos fideliter vsque hodie retinentur.* Porro digestas fuisse eo tenore, vt his certa series Sanctorum, qui piè coli deberent, cohæreret, ex Concilio Francofordiensi, quod irrepentes abusus circa Sanctorum venerationem sustulit, promptum est deprehendere. Synodi enim huius cap. 42. hic titulus est. QVINAM SANCTI IN ECCLESIA VENERANDI SINT. Et continuò subiicitur sanctio his verbis contexta. *Vt nulli noui Sancti colantur, aut inuocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito, electi sunt.* Hinc Carolus Magnus, qui per Paulum Diaconum, Sanctorum gesta fecit recenseri, eóque concinnari stylo puro & climato, quo possent in Ecclesia cum decore & sine offendiculo legi, sua in Capitularia hæc inuexit religiosæ constitutionis præcepta. *De Ecclesiis seu Sanctis nouiter sine auctoritate inuentis, nisi Episcopo probante, minimè venerentur. Salua etiam & de hoc & de omnibus Ecclesiis canonica auctoritate.* Append. 1. cap. 10. Qua restrictiua clausula hanc sic attemperauit prohibitionem Princeps sapientissimus & religiosissimus, vt cautè subindigitaret: si qui Sancti in certis Ecclesiis ex legitima traditione colerentur, vel quorum nomina canonica auctoritate fuissent debitæ venerationi consecrata, & historiæ ex Maiorum manibus acceptæ, & ab Episcopis locorum probatæ, horum honorificationem hac lege non cohiberi, quin potiùs ex religioso more esse persequendam. Cæterùm de Sanctorum actis, iterum inferiùs, vbi de tentata à Cerannio Episcopo Parisiensi, vniuersali illorum collectione, déque priscorum monimentorum iactura tractabimus. Iam agere conuenit magis copiosè.

CAPVT VIII.

De sacris Diptychis.



DOCTI quique nôrunt diptychorum nomen esse & sacrum & profanum. Hócque nomine designatum libellum duarum paginarum seu tabularum. Vnde qui tribus foliis constabant, codicillos, passim Martialis triplica vocitabat. de sacris diptychis nobis hîc est sermo. In antiquis certè Liturgiis passim occurrit fundenda *oratio super diptycha*. Insigne est illud Alcuini de celebrat. Missæ. *Post ergo illa verba quibus dicitur, in somno pacis, vsus fuit antiquorum, sicut etiam vsque hodie Romana agit Ecclesia, vt statim recitarentur ex diptychis nomina defunctorum.* Vide Sacrament. S. Gregorij & Grimoaldi Abbatis in Liturgicis Pamelij. Et reuera diptychum erat tabula duplex, quarum vna viuorum, altera mortuorum nomina continebat. Altari dum tremenda fieret actio imponebantur eiusmodi tabulæ, vt Sacerdos mysticas orationes & gratias super hæc profunderet: pro viuis enim & defunctis orabat, at eùm omnium nomina, sicut antiqui erat moris, præ multitudine recitare non posset, commemoratis ex his aliquot præcipui nominis, cæteros generali commendatione recolebat. Porro in

viuorum diptychis Papæ * imprimis, tum Patriarcharum, deinde Episcopi proprij. Postmodum Imperatoris seu Regis. Denique & eorum etiam fidelium ** qui ad sacrificij subsidium oblationes faciebant, nomina efferebantur. Dignus execratione proditur ab Historicis Acacius ***, qui Felicis Papæ viuentis, à quo excommunicatus fuerat ob hæresim, nomen ex albo sacrarum tabularum expunxerat. At contrà iure æquissimo Theodorus Papa*, Pauli Constantinopolitani Patriarchæ Monothelitarum signiferi, sacris è tabulis nomen deleuit, horrendóque illum anathemate percussit, quod à prauo dogmate asserendo irreuocabilis esset. At verò in tabulis mortuorum referebantur illorum primariorum Antistitum nomina, qui piè in fide orthodoxa obdormierant. Quo ex more priùs noluit Innocentius Papa cum Orientali Ecclesia communicare, quàm Ioannis Chrysostomi defuncti nomen, sacra in diptycha fuisset relatum. Adrianus autem II. Papa, in commonitoria epistola ad Synodum Tricassinam seriò Episcopos hortatus est, vt Nicolai Papæ sui decessoris nomen, sacris eiusmodi tabulis adscriberent. ***Ita*, inquit, *vos quoque meis nunc votis satisfacere procurantes, crebrò dictum Apostolica recordationis Papam Nicolaum, in codicibus vel diptychis Ecclesiarum vestrarum, scribi, & nomen eius inter sacra Missarum solemnia impratermissè recitari faciatis: ita vt aliis quoque fratribus, & diœcesium vestrarum Sacerdotibus, idipsum agere pracipiatis.* Sed verò illorum qui in hæréseos suspicione vel pertinacia erant demortui, nomina, sacris ex eiusmodi tabulis eradebantur. Vnde sexta Synodus, Patriarcharum qui Monothelitarum impium dogma propugnauerant, effigies, de Ecclesia iussit auferri, horúmque nomina in sacris diptychis obliterari. *Deinde abstulerunt de diptychis* (ait Anastasius in Agathone) *nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesia figuras eorum. Id est Cyri, Sergij, Pauli, Pyrri, Petri, per quos error orthodoxa fidei, vsque nunc pullulauerat.* Nec modò hæreticorum, sed eorum quoque Præsulum, qui graui famæ macula laborauerant in moribus, ideóque sede fuerant Ecclesiastico iudicio deturbati, nomina, è sacris diptychis proscribebantur. Quamobrem & Hincmarus Remensis Metropolita, decessoris sui Ebonis depositi nomen, in diptychis adscriptum, securè se tolerare, vel recitare posse non existimabat, nisi sedis Apostolicæ, mori recepto suæ Ecclesiæ accederet authoritas. Vnde sic antedicto Nicolao Pontifici maximo eum consultando, scribit. *Denique prafato Ebone defuncto Ecclesia, sed & parochia nostra, secundum consuetudinem quam ex antiquo habuit (etiam de his qui in Episcopatu vsque ad obitum in eadem Ecclesia non permanserunt) ipsius nomen inter sacrosancta mysteria, in Episcoporum Catalogo recitare, pietatis gratiâ cœpit, & hactenus fecit. Quod ego ne scandalizarem deuotos, quasi inuidens saluti fraterna, maximè autem quiescentis in Domino anima, qui non pro exorbitatione à Catholica fidei sanctitate, sed sua conscientia stimulante, primùm à seipso, & postea à Synodo, sed & Apostolica sede damnatus extitit, hoc prohibere sine Apostolica sedis auctoritate, nequaquam prasumpsi: dicente beato Calestino Papa, quia nefas est hac pati religiosas animas, quarum afflictione (quia membra nostra sunt) nos quoque conuenit macerari,* &c. *rescribere mihi dignetur Apostolica vestra auctoritas, vtrùm eumdem Ebonem* INTER EPISCOPOS, *in sacris diptychis, in Ecclesia nostra nominare permittam: an ne de catero in Episcoporum Catalogo nominetur, prohibere debeam,* &c. Atque hæc de eiusmodi diptychis vsu receptis in Gallia satis supérque. Verùm alia erant his quæ meminimus longè sanctiora. Sicut enim apud veteres Romanos aliqua diptycha erant certè vt plurimùm eburnea, alia aurea seu auro illita, ea scilicet quæ ad Principem mittebantur; sicut illud Symmachi innuit lib. 2. epistola 81. *Cateros quoque amicos eburneis pugillaribus & canistellis argenteis honoraui,* &c. *Praterea Domino & Principi nostro, ad referendam largitatis eius sedulam magis quàm parem gratiam, auro circundatum diptychum misi.* Ita sanè, sacræ Ecclesiarum tabulæ duplici specie erant. Etenim eburnearum erant instar, quæ viuorum Præsulum & defunctorum in Christi pace & fide orthodoxa nomina referebant. Aurea autem iure dixero fuisse illa diptycha, in quibus Sanctorum cum Christo regnantium veneranda nomina recitabantur. Morem enim fuisse solemnem Sanctos beatos in tremenda actione commemorandi, nemo reor inficiabitur, qui veterum tantisper scripta lustrauerit. Pauca tamen vt rem nostram meliùs

*Inter capita concordiæ incundæ inter veteris & nouæ Romæ Ecclesias, imperante Michaële Paleologo primum fuit, in sacris Hymnodiis Papæ cum quatuor Patriarchis memoriam facere, Niceph. Gregora lib. 5. & in Fragmentis Pachymerij lib. 5.

** Innocent. I. De Cōsecr. dist. 1. *De nominibus igitur.* Ex quo refert Carolus Magnus in Capit. Aquisgran. nu. 14.

*** Niceph. lib. 16. c. 16.

* Vide relationem Legatorū Hormisdæ Papæ inter eius epistolas, de qua Baronius anno Domini 519. num. 3 quem de Tyrannorum deletis nominibus à publicis tabulis consule ad annum 98. 4. 206. 2. 309. 2. 314. 2. 394. 1. 408. 6 410. 5. 484. 1.

** Anno 868. apud Sirmōd. tom 3 Conc. Gall. p. 363.

*** Apud Flodoard. l. 3. c. 13.

Symmachus item in auctario epistolar. cap. 7. & lib. 5. epist. 81.

fulciam hic ſubindicare non grauabor Patrum probatiſſimorum teſtimonia. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 5. *Poſtea*, inquit, *facimus mentionem etiam eorum qui ante nos obdormierunt, Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Præmittebatur autem huic Sanctorum commemorationi ſemper & vbique ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ religioſa recordatio; ſicut tam ex Latinorum quàm Græcorum Liturgiis fit omnino perſpicuum. In Liturgia enim ſancti Iacobi, exarata leguntur hæc verba. *Deinde exclamat Sacerdos; Præcipuè ſanctiſſimæ, immaculatæ, ſuper omnes benedictæ, glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ſemperque Virginis Mariæ.* Item in Liturgia ſancti Baſilij, *Pontifex voce excelſa: Precibus ſanctæ & intemeratæ benedictæ Dominatricis noſtræ*, &c. Ita & in Liturgia S. Chryſoſtomi. *Præcipuè autem ſanctiſſimæ, intemeratæ, ſemper benedictæ Reginæ noſtræ Deigenitricis.* Ita in Æthiopica quoque Liturgia. Nemo ignorat id in Miſſa Latina hanc Virginis ſanctiſſimæ commemorationem cæteris præfixam eſſe, his ſolemnibus verbis. *Communicantes & memoriam venerantes in primis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quem ritum ſanctus Epiphanius hæreſi 5. & Cyrill. 5. Catecheſi agnoſcunt itidem, & teſtantur. Rationem autem Rituales noſtri auctores afferunt non vnicam. Florus & Alcuinus in expoſitione de officio Miſſæ. *Beata Deigenitrix* (aiunt) *primùm ponitur, per quam Sancti & nos meruimus auctorem vitæ ſuſcipere.* Stephanus Eduenſis Epiſcopus de Sacramento altaris cap. 13. *In memoria & veneratione Sanctorum talis ordo eſt conſiderandus, vt primùm nominetur beata Virgo, quæ eſt Domina & Regina Angelorum & hominum.* Quæ quantum vna inter omnes excellat, apúdque Deum meritis & precibus præpolleat, Caniſius in libris Marianis omnino luculenter oſtendit. Hac autem ex prærogatiua ſingulari fluxiſſe reor hunc morem, qui in Græcis Liturgiis perenniter obſeruatur, vt ſanctiſſimæ Virginis alta voce Pontifex, aut Sacerdos commemorationem efferat: cæterorum verò Sanctorum nomina ſub ſilentio proſequatur. Cauetur id ſignanter in Liturgia ſancti Baſilij expreſſa commonitione, nam poſtquam Beatiſſima illa, ſpeciali cum elogio nuncupata fuit, ſubnectitur. Cætera proſequenda *ſecretè*. Porrò tamen, vt nec Virgini glorioſiſſimæ, nec Sanctis fit myſtica illa immolatio (ſicut monet ſanctus Auguſtinus libro 8. de Ciuitate Dei, cap. 27.) *Sed vni Deo & Sanctorum & noſtro, ſacrificium quod Chriſtus eſt, à ſacerdote qui Dei eſt non Sanctorum*, titulo ſupremæ eius maieſtatis & dominationis offertur. *In cuius conſpectu in illa hora vel nominari magnus ipſis Sanctis honor eſt*, prout grauiter dictat ſanctus Chryſoſtomus homilia 21. in Acta Apoſtolorum. Ita nec pro illis, qui apud Deum beatitudine fruuntur, (quoad propitiandum vel impetrandum) fit ipſa incruenta agni immaculati oblatio. Ideóque ad menſam Domini (ait Auguſtinus tractatu 84. in Ioannem) non ſic Martyres commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus, ſed magis vt ipſi orent pro nobis. Quod & inter Græcos Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ cap. 33. optimè etiam admonuit, dum formulam illam explicat, qua in Græcis Liturgiis pro Sanctis glorioſis, & præcipuè pro ſanctiſſima Deigenitrice ſacrificium dicitur offerri. *Sunt*, inquit, *Eccleſiæ agendarum Deo gratiarum cauſa. Pro iis offert rationabilem cultum, tanquam Deo gratiarum actionem.* Et inferiùs: *Propterea nihil pro eis orat Sacerdos, ſed potiùs eos orat, vt ab eis in orationibus adiuuetur:* non enim ad ſupplicationem, *ſed gratiarum actionem, vt dictum eſt, facit pro ipſis, donorum oblationem in eorum gloriam.* Quamobrem & Latina Eccleſia orat ſua in Liturgia: *Vt illis oblatio quidem ipſa proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem.* Extátque in vetuſtis Galliæ Miſſalibus illa collecta diuinæ libationis completiua. *Sumpſimus Domine ſancta myſteria, quæ ſicut Sanctis tuis proſunt ad gloriam, ita nobis quæſumus proficiant ad medelam.* Vt autem ipſa diuina libatio Sanctis proſit ad gloriam, non quidem eſſentialem, vt loquuntur Theologi, quam Sancti beati Deo largitore adepti ſunt: ſed ad externam glorificationem, qua in terris à fidelibus celebrantur, honorantur, obſeruantur, Deóque de eorum victoriis & coronis gratiæ rependuntur; vnde & ex eiuſmodi commemoratione magis Deus quoque apud homines glorificatur, & eius nomen adorandum in terra ſicut in

cœlo ſanctificatur: Innocentius III. egregiè id docet atque inſinuat, cùm *in libris de mysteriis Miſſæ*, tum *cap. cùm Marthæ, de celebratione Miſſarum.* His autem obſeruationibus haud longè à ſcopo deflexi propoſito. Neceſſe enim fuit oſtendere generalem hunc fuiſſe morem, vt Sancti in Eccleſia, adeóque in diuina ſacrificij actione nominatim commemorarentur. Hinc enim ſequitur fuiſſe & Sanctorum diptycha propria, quibuſque in Eccleſiis, in quibus recenſerentur Sanctorum, quos legitimè conſecratos vel inde conſtaret, vocabula glorioſa: quorum diptychorum haud infrequens apud veteres occurrit deſignatio: verbi gratia inter epiſtolas virorum illuſtr. pro Concil. Chalced. & apud Thodoret. lib. 5. cap. 5. cap. 34. & 35. & in actis Concil. Conſtant. ſub Men. act. 1. Victorem in Chronico, &c. Nec hæc in Gallia defuiſſe patentiſſimum eſt, cùm ex vetuſtiſſimis agendarum diuinarum monimentis: tum ex ipſa praxi, ſuprà, ex Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo delibata. Cùm enim teſtetur grauiſſimus hic ſcriptor & Antiſtes, moris fuiſſe in vniuerſa Remenſi parœcia (hoc eſt diœceſi, ſeu etiam prouincia) *vt inter ſacroſancta myſteria Epiſcoporum catalogus pietatis gratiâ recitaretur.* Et vt ſubnectit; Epiſcopi nominarentur *in ſacris Eccleſiæ diptychis:* abſurdum eſt opinari, Sanctis glorificatis propriam defuiſſe ſeriem, quâ ſuo quique ordine & loco, ea qua congruebat reuerentia & laude recenſerentur. Nec enim putandum eſt, conſcribendis Epiſcoporum ſuorum nominibus recolendiſque in Eccleſia; inter ipſa tremenda myſteria nominibus, Galliæ paſtores & populos tanta cura proſpexiſſe; Sanctis autem quibus ſuſceptæ fidei & traditæ religionis ac excultæ virtutis omnimodæ beneficio deuincti, clientelæque & ſuffragationis perpetuæ titulo obſtricti erant, nullam impendiſſe operam: maximè cùm moris eſſet Catholici Sanctos in diuino ſacrificio honoris cauſsâ & præſidij, nominare, ſicut ſuprà eſt à nobis cumulatè demonſtratum. Verùm obiiciet quiſpiam, arduùm eſſe intelligere, quomodo diptycha in quibus Sanctorum exarata nomina eſſent, potuerint in Eccleſia, adeóque dum diuina fieret oblatio ſeriatim recitari, cùm innumera ſit Beatorum multitudo: ideóque nomine illorum ſi nuncupatim (vt loquitur Sidonius) expromerentur, iure videri, in infinitum productura fuiſſe actionem: quæ ſi quæ alia legitimis circumſcripta terminis eſſe debet. Et ego hanc ſequelam, tali ex antecedente rectè elici, non inficior. Sed reſpondeo clarè & expeditè rem ſecus quam præſupponitur, ſe habuiſſe. Sicut enim ritus ille Catholicos Præſules nominandi ex concepta ſerie in actione Liturgica, non ita accipi debet, vt moris fuerit omnium orbis Epiſcoporum, imò nec Regni, quin nec prouinciæ totius nomenclaturam legere. Ita cùm Catholicam illam fuiſſe obſeruantiam dicimus, Sanctos cum Chriſto beatos in Miſſa recolere ex ſacris diptychis, vbi nomina erant illorum ordine recenſita: non inde colligendum eſt, omnium Sanctorum qui gratiæ luminibus orbem repleuerunt radiata nomina, fuiſſe ſigillatim celebrata. At ſicut in vnaquaque diœceſi catalogi qui legebantur Antiſtitum (præter Hierarchiæ ſummorum capitùm nomina eorum tantùm vocabula referebant Præſulum, qui cuiuſque diœceſis proprij fuerant Epiſcopi. Sic & mos in diptychis Sanctorum expromendis ſe habebat, vt poſt primarios, puta Deiparam, Apoſtolos & Martyres, qui & hodie in intimo canone Liturgico nominatim recoluntur: ſoli illi commemorarentur in ea ſtupenda oblatione, qui diœceſeωn indigenæ dudum & alumni, ſpeciales tum erant effecti per gloriam, apud Deum patroni & tutelàres. Vnde illud ſolemne fuit pridem in Gallia (ſicut antiqui codices ſacri nonnulli, qui apud me ſunt indicant) ne dicam diœceſeωn, ſed proprios Eccleſiarum quarumcumque patronos, ſpeciatim in canone, poſt magnos illos religionis coryphæos, qui vbique nuncupantur recolere. Inſuper & Sancti, qui die quo agebatur ſacrificium, colendus occurrebat, proprio natali, fiebat ſpecifica ipſo in canone commemoratio, idque ex more antiquiſſimo, qui & apud Græcos viguit. Namque in Liturgia Sancti Baſilij immediatè poſt beati Ioannis præcurſoris Domini memoriam, ſancti cuius ea die natalis agebatur, fiet propria recordatio. Inter Latinos autem ſeruatam fuiſſe eamdem praxim Eccleſiaſticam, ex pleriſque priſcis Liturgicis codicibus, itidem apertè liquet: in quibus poſt enunciata propriorum Sanctorum, qui ibi commemorantur nomi-

Hinc Molanus in opuſculo de Martyrologiis, notat, in Belgij Eccleſiis propria Sanctorum fuiſſe diptycha, ſeu Martyrologia à Romano, Vſuardi, Adonis, cæteriſque diuerſa.

na, continuò subditur pto corollario sacræ deprecarionis. *Et illorum quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur toto orbe terrarum, Domine Deus noster.* Cuius ritus auctotem facit Gregorium III. Sigebertus, dum ait. *Hic constituit post primam commemorationem Sanctorum, in canone Missæ à Sacerdote ita dicendum: & eorum quorum solemnitas hodie in conspectu*, &c. Idque ipsum testanrur Marianus Scotus, Martinus Polonus, & Platina in Gregor. III. At Vualfridus Strabo cap. 22. de rebus Ecclesiasticis, ac post eum Radulphus Tungrensis Decanus can. de obser. præposit. 23. id dignum notatione addunt ad Gregorij institutum. *Oratorium in basilica beati Petri in honorem omnium Sanctorum condidisse, & quotidianas Missas, & cætera diuina officia, præcepisse ibidem in eorum honorem celebrari, pariterque instituisse in canone dicendum à Sacerdote. Quorum solemnitas hodie in conspectu*, &c. Ex quo sequitur peculiarem potiùs fuisse ab hoc Pontifice, sacello huic adscriptam obseruantiam, quam generalem morem statutum vbique frequentandum. Nihilominus in plerasque Ecclesias Galliarum inuectam fuisse ad vsum illam commemorationis Sanctorum coronidem, ex antiquis ritualibus patet. Idemque Strabo & Radulphus id non obscurè sua ipsa obseruatione significant, submouentes solùm, non fuisse vbique hanc clausulam sacro canoni annexam: quæ & hodie in eo minimè continetur. Quamquam scintillam huius ipsius obseruationis liceat adhuc in ipsa Missa cernere: in qua ante præfationem orat Sacerdos Sanctissimam Trinitatem, intima hac supplicatione. *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi ob memoriam passionis Domini nostri* IESV CHRISTI *; & in honorem beatæ Mariæ semper Virginis, beati Ioannis Baptistæ, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & istorum.* Vbi illa particula, ISTORVM, non Sanctos duntaxat illos denotat, quorum reliquiæ hîc in ara conduntur. Nam hos præmemorauit sub expressa hac designatione Sacerdos, in ipso suo primo ad altare accessu. Sed illos certè Beatos, qui ea die sacris in diptychis celebres commemorati sunt. Elucet & alia, antiqui huius ritus, sacra diptycha legendi in sacrificio Eucharistiæ, scintilla. Quòd enim specialis Sanctorum nuncupatio plus æquo diuinam illam actionem protenderet: ideo cautum fuit, ne *ante preces Sacerdotis*, hoc est, canonis Liturgici peractionem *nomina recitarentur.* Ideóque post absolutam viuificæ hostiæ immolationem, addita est ad finem Dominicæ orationis solemnis ista precatio, quâ Sancti sigillatim commemorantur. Licet enim vt hodie legitur, eminentissimorum tantùm Sanctorum (vt ait Alcuinus de celebratione Missæ) nempe *Sanctissimæ Virginis Deiparæ, beatorúmque Apostolorum Petri & Pauli, atque Andreæ*, qui Christianæ pietatis duces, iam in prima parte Canonis nominati fuerunt, retentet commemorationem specialem: tamen Micrologus cap. 23. & Radulphus propositione 23. seriò monent liberum esse Sacerdoti, quotquot Sanctos voluerit nominare. Embolismi enim ad instar additam fuisse in fine Canonis hanc precem: vt Sanctos quoslibet iam peracta immolatione, Presbyter ad honorificationem & patrocinium inuocaret, quos intra tremendæ oblationis actionem commodè non potuisset sacra in serie nominare. At id etiam vsu compertum est incommodum. Vnde satiùs diuini mystæ censuerunt (vt notat Alcuinus) tam profusam nomenclaturam intra *paucissimorum, sed eminentissimorum, Sanctorum* designationem restringere. Sicque diptycha, quæ hoc loco recitari pleniùs consueuerant, prorsùs extra sacrificium fuêre remissa. Conuenientiùs enim visum est extra totam actionem sacram, illorum fieri in Ecclesia signatam nuncupationem, per lectionem Martyrologij, quod ex haud ** nupero vsu & more, solet ad finem matutinalis synaxis, hoc est ad exitum Primæ, ante hanc solemnem Beatorum laudem & inuocationem, recitari: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius: Sancta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum*, &c. Tum enim Sanctorum occurrentium natalitia, in sacris illis diptychis signata, enunciantur, eo tenore quo sunt illic Canonica auctoritate conscripta. De quo perantiquo ac religioso ritu proprium caput texuit vir doctissimus Ioannes Molanus in Opusculo quod addidit post appendicem ad Vsuardi Martyrologium à se recensitum num. 14. Quapropter de hoc superfluum esset nos hîc fusiùs agere. Certè habet lector vnde se (quoad Ecclesiastica illa diptycha) ex his quæ congessimus

** Sectus? enim iampridem fuisse vt diptycha sacra plenè recitarentur extra sacrificiū, liquet ex Constit. Innoc. I. quam Carolus Magnus in Capit. Aquisgran. anno 789. num. 54. seruari præcepit Idē edixit Concil. Francoford. an 794. num. 52.

satisfaciat: ad quotum tamen vberiorem elucidationem ex Gallicanæ Ecclesiæ priscis monimentis & moribus, nonnulla, quæ plurimùm huic pleniori indagini & notitiæ conferunt, sequenti capite expromimus.

CAPVT IX.

De Liturgicis præfationibus Sanctorum propriis, déque sequentiis more Gallicano vsurpatis, ac Parisiensis Ecclesiæ insigni ritu in celebrandis Sanctorum paßionibus inter diuinæ oblationis libamina.

Apud Sirmond. tom. 1. Concil. Gall. anno Christi 452. p. 92. & 93.



VERVM est quod antiquissimi Galliarum Sacerdotes, piissimi Antistites Ceretius, Salonius, & Veranus dudum ad sanctum Papam Leonem cognomine Magnum, at merito Maximum, petentes nitidum exemplar eius admirabilis ad Flauianum epistolæ, *de Verbi Incarnatione*, religiosis apicibus conscribebant. *Meritò illic principatum sedis Apostolicæ fuisse constitutum, vnde adhuc Apostolici spiritus oracula resonabant.* At illud certè verissimum est, & omni acceptione dignum, quod Leo ipse Pontifex de Christo exaltato differens, sermone 8. de eius passione magnificè, si quid vnquam, & piè prædicauit. *Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertóque sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior est vnctio Sacerdotum, quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quàm datur credentibus, virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: & ita in te omnia perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita vnum de omni gente sit regnum.* Ecclesia nempe vna Catholica, quæ toto orbe diffusa, vno (sub Christo summo Rege) visibili capite regitur, vno spiritu animatur, vno sacrificio, quod vbique idem est copulatur & munitur. At tametsi vnum pro omni victima sit in vniuersa Ecclesia sacrificium, diuersum tamen citra rei mutationem, esse potest officium, quo Euangelicum ipsum sacrificium varias per orbis partes celebratur. *De officiis Missarum* (aiebat quondam Ioannes Papa V. rescribens ad consulta Edaldi Viennensis Metropolitæ) *de quibus in literis vestris requisistis, sciat charitas vestra, quia variè apud diuersas Ecclesias fiant. Aliter enim Alexandrina, aliter Hierosolymitana, aliter Ephesina, aliter Romana facit. Cuius morem & instituta debet seruare Ecclesia tua, quæ fundamentum sanctæ habitus ab illa sumpsit.* At nec tantùm Orientales Ecclesiæ, quæ peculiares Liturgias habent, diuinam oblationem suis propriis ritibus iampridem consueuerant peragere: verùm & diuersæ Occidentalis Ecclesiæ, speciales in hoc obeundo mystico opere theorias & cæremonias adhibuerunt, hodiéque etiam Mediolanensis, quæ Ambrosianis institutis gloriatur, suos seruat ac retinet, antiquos quos vsurpat ritus. Gallicanæ itidem Ecclesiæ pleræque suos dudum habuêre proprios mores, nihil quidem quantum ad rei substantiam spectat, à Romanis obseruationibus discrepantes, at duntaxat dissimiles in modo & non in re. Id luculenta insinuatione testatus est pridem Carolus Magnus, vbi de constanti Gallicanæ Ecclesiæ cum Romana matre omnium, in fundamentalibus religionis rebus adhæsione, proloquitur, hac verborum memorabili textura. *A cuius* (Romanæ nimirum Ecclesiæ) *sancta & veneranda communione multis recedentibus, nostra tamen partis* (quod Galliæ singulare decus est) *nunquam recessit Ecclesia, sed ea Apostolica traditione instruente, & eo à quo est omne datum optimum tribuente, semper suscepit reuerenda charismata: quæ dum à primis fidei temporibus cum ea præstaret in reli-*

Ex Monimentis Ecclesiæ Viennens. Bibliothecæ Floriac. insertis p. 40. & antiqq. Viennæ Ioannis Leporij p. 164. cap. 25.

Lib. 1. contra Synod. Græcor.

religionis sacra vnione, & ab ea paulò distaret, quod tamen contra fidem non est in officiorum celebratione, veneranda memoria genitoris nostri illustrissimi Pipini Regis cura & industria, siue aduentu in Gallias Reuerentissimi & sanctissimi viri Stephani Romana vrbis Antistitis, est ei etiam in ratione psallendi copulata: vt non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi, & qua vnita erant sancta legis sacra lectione, essent etiam vnita vnius modulationis veneranda traditione, nec seiungeret officiorum varia celebratio, quas coniunxerat vnius fidei pia deuotio. Quod etiam nos collato nobis à Deo Italia regno fecimus, Sancta Romana Ecclesia fastigium sublimare cupientes, Reuerentissimi Papa Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes; scilicet vt plures illius partis Ecclesia, qua quondam Apostolica sedis traditionem in psallendo recusabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhaserunt fidei munere, adhareant quoque psallendi ordine. Quod non solùm omnium Galliarum prouincia, & Germania, siue Italia, sed etiam & quadam Aquilonaris plaga gentes, per nos Deo annuente, ad fidei rudimenta conuersa facere noscuntur. Verumtamen post initam hanc rituum in sacris exoluendis officiis consonantiam, quam Carolus ipse præfatus, deuoto pietatis affectu, *ob vnanimitatem Apostolica sedis & sancta Dei Ecclesia pacificam concordiam* (sicut ait in Capitulari suo Aquisgranensi capite 8.) induxit: subinde tamen aliquot peculiares ritus Gallicanas plerasque Ecclesias, retinuisse, non quidem à Romanæ Ecclesiæ dogmatibus, sed ceremoniis discrepantes, profusa inductione ostendit Berno Abbas Augiensis, qui ducentis ferè annis post Carolum claruit, in libro de officio Missæ cap. 2. & 3. At non est mei instituti hæc per singula disquirere. vnum discrimen duntaxat afferam, atque discutiam, quod omnino collineat in conficiendum huius præcapitulationis tractatum. Iam mille fluxerunt anni, ex quo Pelagius II. Papa, inquisitus ab Episcopis Galliæ & Germaniæ de sacris præfationibus, quæ ex Romanæ Ecclesiæ more, immediatè antè tremendam actionem à Sacerdote præcinebantur: respondit illas esse duntaxat nouem, quas eiusmodi recensuit. *Vnam in albis Paschalibus. Aliam de Ascensione Domini. Tertiam in die Pentecostes. Quartam de Natali Domini. Quintam de Apparitione. Sextam de Apostolis. Septimam de sancta Trinitate. Octauam de Cruce. Nonam de ieiunio, in quadragesima tantùm dicendam. Has*, inquit Pelagius, *tenet & custodit Romana Ecclesia, easque tenendas mandat*, canone *Inuenimus*. de consec. dist. 1. His Vrbanus secundus qui monachus fuerat Cluniacensis, decimam *de Beatissima Virgine Maria* addidit, cuius & Officium proprium, in Concilio celeberrimo Claromontensi, à se magno pietatis sensu concinnatum, Ecclesiæ filiis tradidit frequentandum. En quàm parcè vsa sit ab initio præfationibus mysticis Romana Ecclesia. At Gallicana longè profusior iamdudum hac in re fuit. Cùm enim Sanctorum memoriâ suauiter afficeretur, ideo & Natalitia Martyrum suorum frequentiùs impensiúsque celebrabat: in quibus non nuda eorum nomina ex diptychis solita erat recitare; sed insuper insertas propriis Præfationibus eorumdem passiones, aut potiora elogia, eleganti conserta breuique verborum connexione, ante canonem solemni Sacerdotis præconio, auscultante Clero & Populo, enunciabat. Habeo in manibus sacrum codicem liturgicum venerandæ & suspiciendæ vetustatis, vt qui septingentorum circiter annorum (quemadmodum ex fastis patet, & agendarum serie; necnon Imaginum piissimarum antiquissimæ artis & formæ conspectu) vsum & originem spirat: in quo ferè totidem diebus quib. primariorum vel Martyrum, vel Confessorum, aut certè Virginum, aliorúmq. Beatorum sacræ memoriæ celebrantur, præter proprias & multiplices Collectas, speciales Præfationes, gesta Sanctorum, & encomia compendio referentes, assignantur. Nec me fugit in Ambrosiani ritus collectione multas etiam Præfationes haberi: vti in Gregoriano Sacramentario, & Grimoaldi Abbatis liturgico ordine. At nec eædem illæ sunt, nec totidem quæ præsignato in mystico libro Gallici ritus, qui penes me est, perscribuntur. Pauca huius discriminis signa exempli vice retexam. Certè in Sacramentario sancti Gregorij nulla extat in festo ipsorum Apostolorum principum Petri & Pauli, de his singularis præfatio. At in vigilia tantùm, ea

Vide Sigebert. ad ann. 581. Microlog c.60. sed Burchardus integrum illud decretum refert lib 3. cap. 69.

S. Antonin. part. 2 Chronol. tit. 16. c. 1. Nauclerus tom 2. generat. 37. Vvion ligni vitæ l. 5. c. 20.

signatur quæ omnium Apostolorum communis est, quæ & in die Natali reperenda notatur. At in Codice meo hæc propria in communi vtriusque festo præscribitur. *Aeterne Deus, apud quem cùm Beatorum istorum Apostolorum continuata festiuitas, triumphique cœlestis perpetua & æterna sit celebritas, nobis tamen eorum festa annuis recursibus tribuis frequentare: vt illorum passioni sit veneratio ex nostra deuotione, & nobis auxilium proueniat de eorum sanctissima intercessione, per Christum Dominum nostrum*, &c. Ita in Assumptione Sanctissimæ Deigenitricis, imò & Natiuitate propria consignatur Præfatio. Atque in Natali sancti Matthæi. Item in Natali Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, quæ sunt peculiares, nec alibi vspiam leguntur. Refertum est autem illud Missale, Sanctorum Galliæ præsertim propriis fastis & fastorum officiis: in quibus vbicumque desunt Præfationes, tres Collectæ speciales proferuntur; ita ad Sancti cuiusque dignitatem moresque compositæ, vt summatim præcipua eorum decora commemorent, inque Sacerdotis & populi mentes incutiant magis notandos, quibus Sanctum illum diuina insigniuit gratia, characteres. At verò in Gallia antiquissimum fuisse vsum propriorum eiusmodi officiorum recitandorum, in Sanctorum festiuitatibus, id vel insigne suadet monimentum, quod prodidit sua in historia, de Apollinari Sidonio Gregorius Turonensis. *Tanta*, ait, *facundia erat, vt plerumque ex improuiso luculentissimè quæ voluisset, nulla obsistente mora componeret. Contigit autem quadam die, vt ad festiuitatem basilicæ monasterij sancti Cyriaci inuitatus accederet, ablatóque sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueuerat, ita paratus è tempore cunctum festiuitatis opus explicuit, vt ab omnibus miraretur, nec putaretur ab astantibus hominem locutum fuisse, sed Angelum.* Vnde colligere est mysticum Codicem illum, officium proprium festiuitatis sancti Cyriaci habuisse intextum: si enim commune fuisset, nihil mirum, si Sidonius ex tritiori vsu, expeditè sine adminiculo libri replicasset. Quem idem historicus ibidem, Missarum testatur librum edidisse, à se cum Præfatione vulgatum. Porro in concinnaro non ita à nobis diù commentario, quem *Bibliotheca mystica* prænotauimus programmate, vbi *de sacrorum rituum auctoribus tractamus*, quos innumeros ferè eósque omnes præstantissimos fuisse ostendimus Galliæ alumnos: insinuamus hoc Patribus nostris, sanctissimis sacerdotibus & Episcopis, aliisque sapientissimis viris inditum fuisse semper præclarum pietatis studium, ad diuini cultus augendam maiestatem, & Dei Sanctorúmque eius amplificandam gloriam, texendis diuinorum officiorum formulis, mentes præcelsas intendere, eóque pietatis spiritu quo feruebant, ferè omnes contexuisse sacrarum celebritatum Hymnodias, Prosas, Antiphonas, Responsoria, Collectas, Præfationes, Liturgias, aliásque theorias & praxes sacratissimas diuinorum munerum, quæ ab Ecclesia Catholica sensim approbatæ, magna ex parte, in vsum communem fidelium, & religionis decoramentum fuêre vbique receptæ. Alia parte quæ ex vsu vniuersali exoleuit, in nonnullis Ecclesiis Galliæ, quæ eas etiamnum frequentant, ex antiqua obseruatione retentà. At nolim *longiùs à scopo*, vt aiunt, *iaculari*. Iam à digressione certè non otiosa, ad rem propositam reuertor. Ostendimus moris fuisse in Gallia perantiqui, ad Beatorum ampliùs celebranda merita, illustrandas memorias, incutienda exempla, præclaras eorum actiones strictim in specialibus Præfationibus Liturgicis signatas, ore Sacerdotis tremendam actionem aggredientis recitare. Superest (quod ad rem plurimùm facit) indigitare, quis huius ritus auctor fuerit, & vbi primùm incœperit, actualis eiusdem religiosæ obseruationis vsus.

Lib. 2. histor. Franc. c. 22.

Honorius Augustodunensis *in Gemma*, & Radulphus Tungrensis decanus *de Canon. obseruant.* præpositione vltima asserunt, beatum Dionysium, qui tam præclarè scripsit de diuinæ Synaxis mysteriis, etiam Præfationes composuisse. Ad quam traditionem respiciens auctor, ex neotericis non infimus, Antonius Posseuinus, non temerè autumat, nec obscurè indicat Ecclesiam Parisiensem ab ipsomet Dionysio institutam, hunc ab eo morem delibasse, vt in diuinæ oblationis celebratione, mysticis illis Præfationibus vteretur, quibus cum Deo sum-

mam referret laudem: tum illorum qui pro restamento redemptoris decertantes, in agone fidei occubuerant, fortia facta & felicia funera, breui elogio commendaret. Quibus ex sactis præfationibus anriquis, etiam argumentum neruosum satis elicit, pro ipsiusmet Dionysij (quem verè Areopagitam astruit) Parisiensis Ecclesiæ parentis, fulcienda dignitate, historiáque eius de Apostolatu Gallicano & Lutetiano præsulatu ac martyrio, veritate confirmanda, *Deinde* (inquit) *Ecclesia Parisiensis, qua in Missalibus antiquis hoc habebat, è quibus consueuerat in diebus anniuersariis Sanctorum gesta summatim publicè recitare*, &c. De eiusmodi antiquis Missalibus Berno Augiensis Abbas, idem antè collegerat in libro *de officio Missa*, quem ante annos sexcentos conscripsit: vbi ostendit in Missarum celebratione, proprio more Gallicanam Ecclesiam vsam fuisse, tempotéque Ludouici Pij Imperatoris, repertos fuisse libros Missales antiquissimos, & nimia vetustate penè consumptos, continentes Missæ ordinem *more Gallicano*, quorum ab initio receptæ fidei vsus in Galliæ partibus fuerat obseruatus: quin & horum ex serie declarat, ipsius athletæ Dionysij Parisiorum Præantistitis, symmystarúmque eius, agonis narrationem, in Liturgicis præfationibus fuisse descriptam. Ar longè luculentius atque efficacius his in asseuerationibus formandis mihi suffragatur monimentum, Hilduini nimirum Abbatis, qui sub ipso Ludouico pio floruit, & de re ipsa scripsit ex instituto clara, copiosa & authentica testificatio, quæ sic habet: *Cui* (libello videlicet passionis Dionysij & sociorum, à Visbio confetto) *adstipulari videntur antiquissimi, & nimia penè vetustate consumpti, Missales libri; continentes Missa ordinem more Gallico, qui ab initio recepta fidei, vsu, in hac occidentali plaga est habitus, vsquequo tenorem quo nunc vtitur Romanum susceperit. In quibus voluminibus habentur dua Missa, qua sic inter celebrandum, ad prouocandam diuina miserationis clementiam, & corda populi ad deuotionis studium excitanda, tormenta Martyris sociorúmque eius succinctè commemorant, sicut & reliqua Missa ibidem scripta, aliorum Apostolorum vel Martyrum, quorum passiones habentur, notissimè decantant. Quarum Missarum cantus, sensus & verba, adeo passionis eorumdem, quam vobis misimus, seriei concordare videntur, vt nulli sit dubium, à textu illorum martyrij agones eorum fuisse descriptos, & ex ipsa veraci historia, memoriam tormentorum suorum in præfatis precibus fuisse mandatam.* Quæ verò ex eiusmodi mysticis præfationibus tradebatur, fidelium recordationi Martyrum historiam, hoc ipso sacratissimo tenore ac more in diuinis obseruato, intimis scilicet sacrificij mysteriis plurimum auctoritatis hinc accepisse, sapienter argumentatur. *Videtur porro* (sic pergit) *in his Missarum obsecrationibus, non contemnenda auctoritas de memorata passione Sanctorum, cùm extent apud nos epistola Innocentij: & post eum Gelasij, necnon & modernius beati Papa Gregorij, aliorúmque Pontificum ad Episcopos vrbium Galliarum, & Antistitum nostrorum ad ipsos, de more Romano in cunctis Ecclesiastica auctoritatis muniis imitando: quibus datur intelligi, ab annis pluribus hunc Missa tenorem de Gallica consuetudine recessisse, & hanc passionis Martyrum istorum memoriam, longo superiori tempore, his occidentalibus partibus, per supplicationum postulationes inoleuisse; quibus tanto certiùs fidem accommodamus, quanto in tempore vicino post consummationem eorum easdem fuisse compositas, sine dubitatione concredimus.* At vir benè nasutus obiectionem præsentiens, quæ ei ingeri posset, quod scilicet id videatur minuere vel Ecclesiæ Romanæ dignitatem, vel Dionysij in eam obseruantiam, à qua missus ipse in Galliam, Gallis tamen & potissimum Parisiensibus, quibus proprius præluxit Apostolus ac Episcopus, ritus sacrificij, ab iis diuersos quos Romana ipsa seruat Ecclesia, tradiderit: cùm, sicut Carolus Magnus passim dicebat, æquum esset, *vt qua nobis mater est Sacerdotalis dignitatis, Ecclesiastica quoque haberetur magistra rationis:* hunc obicem aptè remouet, quem præuertit hac responsi anticipatione. *Nec tamen quisquam putabit, beatum Dionysium eiúsque successores ab institutione Apostolica, propter huiusmodi Missa ordinem, Gallicis consuetudinibus ab initio traditum discrepasse: si ei constiterit ipsorum Apostolorum & Apostolicorum virorum, ipsiúsque etiam vrbis Roma sensus proprij abun-*

In apparat. facio.

Nota.

dantiam, notam esse. Liberam enim fuisse iamdudum ex indulto ipsius Apostolicæ sedis, ceremoniarum diuersitatem, sanctus Gregorius clarè edocuit Augustinum Anglorum protomystam, cui sic ea de re consulenti rescribit: *Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit esse nutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia inuenisti quod plus possit Deo placere, id sollicitè agas*, &c. *Ex singulis ergo quibuscumque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige; & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone*. Porro ex hoc Apostolico oraculo habes, sancto Gregorio teste Gallicanam Ecclesiam iam olim proprios habuisse, hósque suspiciendos, ritus. Ex Hilduini autem dictis, horum, sanctum Dionysium, præcipuum auctorem extitisse; quorum hic vnus præ cæteris fuit insignis, quem Ecclesia Parisiensis ab ipso Dionysio primùm edocta, eiúsque successoribus, iam sub initio susceptæ religionis seruauit, & in cæteras Galliæ Ecclesias delibauit: vt in tremendæ actionis diuini sacrificij mysterio, digesta breui encomio, athletarum pietatis concertatio, illa in diuinæ Maiestatis solemni collaudatione, quæ *legitimum Christianum*, vt veteres vocant, seu canonem liturgicum immediatè præcedit, per Sacerdotem celebraretur, vt & Deo hinc redderetur debita, pro data suis pugilibus victoria & corona, glorificatio: Sanctis ipsis beatis, quæ iure propagatæ pietatis competebat veneratio, & fidelium animis, vt illorum charitatis & patientiæ, ac fortitudinis pia æmulatio, tam magnificâ præclaræ virtutis commendatione, instillaretur. At mos ille vetustissimus & celebris, quamquam non modicè vtilis & religiosus, tandem ex Galliæ vsu exoleuit, cùm summorum Pontificum instantiâ (qui Ecclesiam Gallicanam primogenitam Romanæ filiam, matri in omnibus conformare, intentâ semper curâ studuerunt) tùm Caroli Magni zelo & opera, tum Antistitum nostrorum, qui sedi Apostolicæ semper indiuulsè adhæserunt, eiúsque placita, multa semper veneratione complexi sunt, religiosâ obseruantiâ & obsecutione. Iamdudum quidem Cardinalis Hostiensis ægrè ferens superfluentem præfationum liturgicarum numerũ, plerisque adhuc in locis obtinere, ad hoc vt solæ nouem, quas ab antiquo more Romana Ecclesia frequentabat, in vsu essent apud omnes Ecclesias, sicut dudum Pelagius Papa statuerat, suadebat: *vt cæteræ ex agendis sacerdotalibus, delerentur*. Verùm non opus erat Episcopis nostris & Regib. impensa affectis deuotione in Romanam Ecclesiam, monitore. Præuerterant enim illi diu antè, hanc Hostiensis suadelam, summæ sedis exciti præcepto & reuerentia, quà ducti, præfationum propriarum eiusmodi ritum, in suis Ecclesiis abrogauerant. At ne hinc Sanctis quicquam venerationis detraheretur & gloriæ, populique ædificationis, quæ ex recitatione adeo solemni gestorum patriæ tutelarium beatorum, manabat, aliquid hac ex suppressione decideret: aliò confugerunt, vt simul sedis Apostolicæ votis iussísq. satisfacerent, vnáq. debitam Sanctis assuetámque laudem rependerent, & populo quæ hinc percipiebat, documenta impertirentur. Præfationibus igitur quæ erant vltra numerum & ordinem à sede Apostolica præfixum, nempe nouem antiquarum, & modernæ ab Vrbano II. in honorem Sanctissimæ Deiparæ editæ, seriem; resectis, sequentias ante Euangeliũ canendas inuexerunt, quæ rythmica modulatione cõpositæ, Sanctorum præclaras actiones elegãti nexu, at succincto tenore comprehendebant; dúmque memorias occurrentium Beatorum illustrabant, sic astantis populi eruditioni conferebant, vt interim intimæ sacrificij actioni locum darent integrum, & præparatoriam diuinæ synaxis partem, multo exornarent decore. Qui primam his texendis prosodiis operam adhibuêre, viri fuerunt cum sanctimonia, tum eruditione sua ætate præcellentes, inter quos potiorem sibi ea in re vendicarunt celebritatem, Hucbaldus antiquus monachus Elnonẽsis, S. Odilo Abbas Cluniacensis, Notgerus monachus Leodiensis, Fulbertus Episcopus Carnotensis, Robertus Rex Christianissimus, S. Bernardus, sanctus Thomas Aquinas, Latinus Malabranca Cardinalis, Adam à sancto Victore, Calixtus II. Papa antea Archiepiscopus Viennensis, aliique plurimi ingentis nominis & dignitatis viri: iique Gallici omnes vel certè in sinu Galliæ enutriti, quorum in * *Bibliotheca nostra mystica*, seu commentario, *de mysticis Galliæ Scriptoribus, sacrorúmque rituum auctoribus*, æterna digna laude nomina & opuscula re-

Optat. lib. 2. contra Parmenian.

Hēric. Card. Hostiens. orig. Gallus qui vixit sub Vrbano Papa IV. & S. Ludouic. Reg. in exposit. super Epist. decret. & summa canonica.

* Cõscriptus est ex toto iste liber, per sæcula sexdecim distinctus: at minimè adhuc prælo commissus, ob huius operis magis vrgentem editionem, aliáque auctori occurrentia impedimenta.

cenſemus; ſecundum temporum, quo quique claruerunt, ordinem. In quo tractatu, quia de eiuſmodi ſacris modulationibus copioſè diſſerimus, ab his hîc enumerandis, vel deſcribendis, aptiùs cenſemus, effluentem iam ferè calamū cohibere. Lector interim pius à ſe fugere hoc monitum non patiatur, ritum eiuſmodi ſequentiarum, Romanam Eccleſiam, ipſo ab initio quo fluxit approbaſſe*: atq. etiā in ſuum vendicaſſe vſum, ſicut nonnullæ quæ etiamnum in viridi obſeruantia manent Romano Miſſali intextæ, perſpicuo ſunt indicio: nempe ſequentia *Victimæ Paſchali laudes*, ab Adam aſceta Victorino; *Veni ſancte Spiritus*, à Roberto Francorum Rege; *Lauda Sion Saluatorem*, à S. Thoma; *Dies iræ, dies illa*, à Latino præmemorato Cardinale, Doctore Pariſienſi, in lucem editæ. Quas etiamnum ſacra in Synaxi mos Romanus frequentat: è quo aliæ nonnullæ quæ in Sanctorum Natalitiis, præſertim Apoſtolorum & inſigniorum Martyrum & Confeſſorum concinebantur, ante reformationem diuinorum præconiorum, non ita diù exoleuerunt. Non quòd quicquam in eiuſmodi proſodiis, pietati aduerſum cenſores delecti iudicârint, ſed quod à primæuo religionis fonte, non fluxerant, atque numero exuberabant, quo diuinæ Liturgiæ codex nimis onerabatur. Non tamen præclara illa auitæ pietatis monimenta, ita ideo apud nos obliterata ſunt, quin hodiéque ſint in pleriſque ſacris libris conſpicua: quorum & vſus manet ſemper in Gallia, haud improbante ſumma ſede, frequentior, cùm ob auctorum reuerentiam, priſcæque obſeruationis omnium fere Eccleſiarum religioſum ſtudium: tum maximè ob Sanctorum tutelarium Galliæ, qui eiuſmodi in præconiis magnificè collaudantur, ſuauiſſimam recordationem, eorumdémque diuinè factorum, quibus merita eorum populis innoteſcunt, clariorem commendationem & venerationem.

* Decreto Nicolai Papæ I. de quo vide infrà in Notgero c. 11. §. 9.

CAPVT X.

De Ceranniј ſanctæ memoriæ Epiſcopi Pariſienſis, qui res geſtas Sanctorum, præſertim Galliæ colligere, & Martyrologium conſcribere ante mille annos curauit, laudabili at minus efficaci conatu.



MVLTIS quidem & miris modis anniſi ſunt Maiores noſtri, vt Sanctorum feliciſſima recordatio, poſterorum animis ſemper viuida inhæreret, factáque ipſorum præclariſſima, omnium præcordiis ad ſalutarem æmulationem inſigerentur. Hoc ex ſtudio laudabili, prodiit pridem Lugduni duarum congregationū religioſorum hominum excitatio: quarum vna in templo S. Irenæi ad cultum Sanctorum Martyrum, alia in ſancti Iuſti baſilica ad Sanctorum Confeſſorum venerationem conſtituta erat. Nempe ſingulis vnius vrbis Martyribus, ſingulis Confeſſoribus, qui numerum ferè omnem ſuperabant, (vt Eucherius in homil. de S. Blandina inſinuat) cùm ædes proprias ſacrare ciuitas vna, cæteroqui ampla non valeret: pietas autem non permitteret legitimo cultu quemquam Sanctorum vrbis illius tutelarium carere: conſultè & religioſè Patres cenſuerunt, ſaltem collectiuè illorum agmina venerari, quorum capita nequirent ſigillatim ſuſpicere, ac indiuiduali, ſeu propria, honorificatione proſequi. At longè altiori mente ac inſigniori conſilio ductus comperitur fuiſſe CERANNIVS, glorioſæ memoriæ vrbis auguſtæ Pariſiorum Antiſtes, qui mille ante annos nobilis illius Eccleſiæ cathedræ præſidens, eam ſingularis doctrinæ & ſanctitatis fulgoribus irradiauit, excedénſque ex huius mortalitatis ſtadio, póſt edita relictáque fructuoſæ & inſignis adminiſtrationis inſignia, in crypta baſilicæ ſancti Petri ſepultus, Sanctiſſimæ Virginis Genouefæ illic micantis gloriæ crebris corruſcationibus, (iam vt exploratæ candidatus æternitatis, & beatæ illius ſuppar ac ſocius) meruit pone ſepulchrū tumulari: móxq. clarificatus diuinis teſtificationibus ſanctitatis,

choro tutelarium ipsius regiæ vrbis adcenseri, perpetuæ venerationi fideliũ (qui quotannis sacris anniuersariis eius memoriam colunt 4. Kalend. Octobris) piè & iustè consecratus. Hic enim Deo gratus Pontifex, amore cœlestium ciuium incensus, qui Christi regnum miris ardoribus in terra propagantes, cœlestis viræ, mortalibus, tramitem tantis sudoribus aperuerunt, vestigiisque felicissimis, quæ fortissimis impresserunt agonibus, aditum perennis gloriæ indicârunt, munierunt: ac in memoriam præsertim eorum pia deuotione affectus, qui Galliam charissimam patriam his primùm beneficiis illustrârunt luminibus, ac salutiferis opitulationibus repleuerunt: voto omne in æuum memorabili, dignóque tantæ sedis Præsule, tantique Præsulis nomine, flagrans, disposuit *omnium Beatorum nomina*, ceu pretiosas quas Christus suo quæsiuit sanguine margaritas sollicitè perquirere, *horúmque res diuinè gestas vndequaque* inuestigans & colligens vnum in promptuarium seu aerarium, decore quo congruebat, ceu pretiosa monilia, congerere, quod præsentibus & posteris patens, Sanctorum singulorum salutarem recordationem in eis excitaret, éxque speciali actorum cuiusque notitia, non solùm ad specialem imitationem singulos prouocaret, qui illorum facinora præclara inspicerent: sed & dum simul beatorum gloriosam perennaret in terra memoriam ac venerationem, illorum quoque beneuolentiam, & communia ac singularia patrocinia, populis qui eos colerent, feliei contesseratione charitatis (cuius commercio Beati cum viatoribus Christo apice ac auspice copulantur) perpetuis temporibus conciliaret. Cùm igitur sanctus Episcopus seriò recogitaret Eusebium Cæsatiensem, quondam hoc nobili inito opere, faustè edita collectione perfunctum, omnium ferè orbis Martyrum memorandis conflictationibus & triumphis vnum in vastum codicem compilatis, historiæ Martyrum nomine prænotatum: at ex vsu Ecclesiæ Martyrologium deinde nuncupatum. Perpenderet autem, post Eusebij tempora, multos propéque innumeros, ad athletarum Christi accessisse consortium: deinde & infinitos prope extitisse diuinæ gratiæ operarios, qui sedatis persecutionum turbinibus, fidem in omni pietate excolentes, Satanam, mundúmque forti certamine debellauerant, incruentáq. victoria gloriæ cœlestis reuexerant immarcessibilem lauream; quorũ fulgentia nomina in Dei conspectu, ceu paradisi sidera perpetim collucebant: at in terris tanta obliuionis caligine tegebantur, vt nulla superesset micans scintilla in mortaliũ oculis, benedictæ eorum memoriæ. Cùm & eorum acta sub puluere altè sepulta delitescerent, & Eusebij antiqua collectio pridem obliterata, vetustatis squalore & procellarum motibus, quæ orbem concusserant, ab hominum obtutibus & vsu iamiam excidisset. His excitus assiduis meditationibus, nouam statuit diuinus heros adornare collectionem, qua sic sacræ historiæ prospiceret dispendiis, vt hæc vna manu resarciret: alteráque nouis ornamentorum cumulis locupletaret. Sanctorum porro non solùm vindicaret gloriam, penè apud mortales emortuam, penè extinctam: sed impensiùs etiam quàm ante vnquam clarificatam, ad perpetuum Ecclesiæ Catholicæ decus & præsidium, Galliæque (cuius maximè dolebat abscondita latere lumina) singulare solatium & ornamentum, redderet tam aperta propalatione, quàm sedula indagatione, perpetuò conspicuam. Tam augusto igitur diuinóque operi ordiendo, regiam vrbem, in quam ceu Gallici orbis centrum, cæteræ regni ciuitates velut lineæ ad punctũ, necessariâ politici status connexione concurrebant, sedem aptam cum superno munere nactũ se intelligeret: hine omnes per Galliæ regiones transmittere studuit supplices, ad Ecclesiarũ præsides, epistolas; ad doctos & religiosos viros, qui votorum suorum idonei suffragatores forent, amicas literas, benignásq. crebrò dirigere efflagitationes, quibus eos sacra scrinia reserare, perquirere antiqua religionis monimenta, sibi verò pias inde & necessarias suppetias transcribere, enixè obsecrabat. Ita instiisse apud sacros Galliæ mystas & sapientes, æstuantem pietate virum, non dubium est: idque perspicuè ostendit insignis illa Variharij epistola liminaris & munifica, qui conatum tanti Præsulis, graui encomio commendans, in sancti operis subsidium, acta Passionis Sanctorum Tergeminorum, qui Lingonis sub Aurelio diro Principe, tam forti quàm pio agone occubuerant: necnon sancti Desiderij Lingonensis Episcopi passionem quam à Vvandalis perpessus

est, ad illum omni cum veneratione transmisit. Hanc in fulcimentum prætaxatæ narrationis, & decus perpetuum tanti Antistitis, inclytique eius moliminis dignum præconium, ex serie operæ pretium hic retexere censuimus. Est autem huius tenoris illa inscriptio.

EPISTOLA WARIHARII LINGONENSIS CLERICI,*

*seu Monachi.

Ad Cerannium Parisiensem Episcopum.

Sancto & à me Pontificali apice præferendo Cerannio Papæ, Wariharius.

PRÆCIPVIS *beatissimorum personis Episcoporum assiduè coæquari meritis non desistis, in omni conuersatione Sacerdotij, sancta, quotidie exornari religione festinans, diuinarum Scripturarum legendi studio vniuersa dogmata peragrasti: nunc* SANCTORVM MARTYRVM GESTA, *ad laudis tuæ cumulum, pro amore religionis, in vrbe Parisiaca deuotius intendis. Vnde sancto* Eusebio Cæsariensi in æmulationis studio æquandus es, & pari gloriæ dono perpetualiter memorandus. Da veniam nostræ imperitiæ, quoniam te laudare tantum non sufficimus, quantum es, cordis facundia succurrente, præferendus. Gesta Sanctorum geminorum, qui in suburbio Lingonicæ ciuitatis, pretiosam adepti sunt consummationem Martyrij: vel beatissimi Desiderij Martyris & Antistitis ipsius ciuitatis, sicut deuotionis studio imperastis, ita desiderantissimâ famulationis obedientiâ, descripsisse cognoscatis.*

*De hoc sanctitatis titulo, est apud plerosque controuersia. Cum scriptorum Ecclesiasticorum pars non modica, S. Hieronymi sententiam secuta, Eusebium Cæsariensem Arrianorum signiferum fuisse & hostem Catholicæ Ecclesiæ, indignum ideo prorsus sanctitatis honoribus, serio asseuerat. At alij cum, quem ab Arrianismo defendere nequeunt, demum resipuisse volunt, errorisque lapsum egregiis factis, & scriptis compensasse. Hac ex persuasione, audio, Lemouicensem Ecclesiam Eusebium illum pro sancto colere: quem & nouo Sanctorum Catalogo, *Decimo Kal. Iulij* Ferrarius, secutus nonnullos veteres recentésque hagiologos, inscripsit, non improbante Vrbano VIII. Pont. Max. cui Catalogus ipse dedicatus est.


Hae ex præfixa gestis Tergeminorum Martyrum epistola, habèmus nonnulla digna obseruatione. Primùm, Cerannium (posteri Cerannum, abscisâ, i, vocali penultimâ, vocitarunt) sua ætate inter sanctitate præstantes Episcopos, Pontificiis verè ornatum dotibus, non modica celebritate extitisse. II. etiam cælesti sapientia egregiè cumulatum, diuinorum oraculorum scientia, & sacrorum dogmatum notitiâ ac interpretatione, fuisse paucos inter conspicuum. III. Postquam Theologica theoremata egregiè tractauisset, quasi ad maxima quæque, vndequaque instructum, ad sacræ historiæ conuersum conscriptionem, Martyrologij editionem, seu rerum à Martyribus diuinè gestarum synopsim, ad instar antiquæ collectionis quam condiderat Eusebius Cæsariensis, aggressum fuisse. IV. Diligentem adhibuisse operam, vt gesta Sanctorum maximè Gallicanorum, sicut patet ex actis petitis & transmissis, genuina & nitida comperiret ac reciperet, quibus suam instrueret historiæ illorum panopliam. V. Denique hoc à VVariharia, pio certè & verè humili, nec inerudito clerico seu asceta (nec enim satis liquet de eius ordine, vel munere,) consecutum fuisse, vt narrationem præcelsi certaminis, quo athletæ isti triumphârunt authenticam, ab eo ex antiquis illius Ecclesiæ monimentis excerptam, & digestam non indecoro tenore, pretioso munere acciperet: ex quo eam in hunc diem feliciter propagatam possidemus. At excidit eiusdem auctoris de martyrio Desiderij Lingonensis Episcopi, luculenta illa tractatio, quam vnà se subinsinuat, ipsum ad Cerannium transcripsisse. Sed quod longè magis dolendum, periit immensa illa actorum beatissimorum Galliæ heroum congeries, quam ex sacris Galliæ archiuis collegisse, eumdem par est arbitrari. Quin nec vllum, præter illud quod tetigimus, vestigium insignis eius conaminis superest: quô in noui huius operis, quondam à sancto illo Antistite tanta virtute, & gloria inchoati, & multùm fortè prouecti, structuram, tantillum nobis subsidium comparemus. Cetærùm, sicut hinc iure est quòd ingens ex tanta iactura illatum patriæ detrimentum defleamus: ita est etiam quod nostram doleamus vicem, qui tam vberi promptuario, vnde præclara quæque venerandæ antiquitatis peruium erat mutuari monimenta, prorsùs destituimur. At beatissimi Cerannij nihil tamen hinc decidit emeritæ gloriæ, qui siue rem ita Deo gratam, & patriæ decoram ac fructuosam ad colophonem perduxerit, siue tentatam solùm, ocyùs abreptus è carnis domicilio, reliquerit imperfectam; plenam tamen apud Deum, qui piis votis benefactorum integra rependit præmia,

non dubium est percepisse remunerationis mensuram. Huic igitur aptum hoc
Epigram. 62. dictum Prosperi, licet, pro bonæ voluntatis encomio appendere.

Non semper verè est felix impleta voluntas,
Cùm sæpe iniustis sint mala vota animis.
Recta igitur cupiens etiamsi non sit adeptus,
Persistendo tamen velle bonum, bonus est.
At prauus quod fert animo, si non habet actu,
Tam miser est, quàm si, quod cupit obtineat.

CAPVT XI.

De medij æui Martyrologiorum auctoribus, & sacrorum Fastorum vindicibus.



ANCTORVM maximam in eo iam olim sitam fuisse gloriam,
non quòd tartareæ illis subditæ essent potestates, naturáque ipsa
vniuersalis, quibúsque ferè eorum nutibus obsecundaret: sed
quòd Deo chari essent, à quo *nomina eorum in cælis scripta*, semper
in eius conspectu conspicua, non poterunt vlla in æternum cali-
gine offundi, vlla obliuione deleri, magnificè Christus Sancto-
Luc.10.20. tum suorum principes, Apostolos vtique, edocuit, *Gaudete*,
ait, *non quòd dæmonia subijciantur vobis: sed quòd nomina vestra scripta sint in cælis.*
Magnum vtique, & præcipuum illud est decus Sanctorum, quorum, vt ait Apo-
Heb.12.22. stolus, *municipatus in cælis est. Accesserunt enim* (vt idem ait) *ad Sion montem & ciui-*
&c. *tatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam,*
& Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, (apud
quem suis suffragationibus quid non possunt?) *& ad spiritus iustorum perfectorum,*
Ioan.12.26. *& testamenti mediatorum Iesum*, qui eos *iam non appellat seruos, sed amicos*. cuius *Pater*
Ps.8.6.7.8. æternus eos sicut ipse *honorat*, & ita magnificat, *gloria & honore coronatos*. *& super*
Apoc. capp. *opus manuum suarum constitutos*, vt positos in Paradiso sicut regni Dei *columnas*; *Dei*
1.2.3. *& agni cælestisque ciuitatis titulis insignitas*, imò lucentes in dextera filij hominis re-
diuiui & triumphantis, sicut *stellas*, & sicut *candelabra aurea*, in conspectu eius
fulgentia, & *lampades ante thronum* coruscantes, & sicut *gemmas* cælum empy-
reum illustrantes, *superneque Sion valuas*, imò omnem structuram illam Dei mi-
rabilem æterno suo exornantes *splendore*: diuinæ ille gloriæ speculator intuitus,
hoc eorum conspectu stupefactus, extra se raptus, procideret ante pedes Angeli,
Apoc.19.10. qui sibi hanc Sanctorum gloriam ostenderat, *vt adoraret eum*. Nec enim dilectus
22.8. ille Christi discipulus, minori honore dignum arbitrabatur, qui tantæ beatitudi-
nis candidatorum sibi inæstimabiles diuitias, delicias, honores, splendores, tri-
umphos, palmas, coronas, gaudia, tripudia, ouationes ostentabat: cùm ex ipso
tantæ gloriæ & felicitatis intuitu, iam beatitatis fluenta, sicut cùm dudum quies-
cebat *super Christi ipsius pectus*, se prælibasse ille diuinæ Trinitatis spectator non
abs re existimaret. Porro hanc Sanctorum felicem sortem quam tanta admira-
tione contemplatus est, tantá cum intimi affectus pietatis significatione, in diui-
narum suarum speculationum codice, stylo Angelico designauit, infernali draco-
ni perennem innuit incitare liuorem, qui nefando ausu beatos illos cæli ciues
impugnare non veritus, *ipsas stellas cæli cauda suæ veneno in puteum abyssi detra-*
here satagit. Scripta enim in *fundamentis* cælestis Hierusalem Sanctorum nomi-
na, quæ delere nequit, tetro nititur turbine offundere, nec mirum cùm densa
Apoc.16.8. caligine excitatâ, ipsum *solem* iustitiæ & gloriæ *obumbrare* aggressus sit. Christi
enim vnicè salutiferum nomen numénque sursum deorsúmque adorandum,
quantis hæreseon nebulis non tentauit obscurare, imò & extinguere, vt debitus
illi supremo diuinitatis iure ac redemptionis beneficio cultus, apud nos sepelire-
tur, nostráque omnium excideret spes, & periret salus? Verùm quòd immanis

illa bellua, odij sui fœdo ac venenoso halitu, non præualuit circa solem illum æterni luminis perficere, circa stellas perpetrare iam olim putidâ inuidentiâ conatur. Sanctorum siquidem cum Christo regnantium memoriam, quæ Dei gloriam manifestat, irradiat fidelium mentes, eosdémque ad Beatorum illorum imitationem & honorificationem miris instigat pietatis stimulis, non solùm sui liuoris fumo inumbrate ac euacuare pertentat: sed obliterare, quia in cælo nequit, in terra delere, ac extinguere modis omnibus enititur. Eóque astu quo dudum, vt cæli impressa Dei templo effigies, de Hebræorum tolleret obtutibus, Angelorum figuras & Cherubim imagines de sacris parietibus deleuit, in quarum vicem depinxit multiplices fœdorum impiorúmque simulachrorum formas. Ita sanè fœtidus ille draco cùm liuidis cerneret oculis, Ecclesiam in terra militantem, triumphantis in cælo qua cum fœdus habet, specimen gloriosum præ se ferre: ornatam scilicèt Beatorum cæli ciuium, suorum quondam alumnorum, lucidis speculis; eruditam videlicèt eorum documentis, illustratam virtutibus, locupletatam meritis, directam exemplis, lætificatam memoriis, decoratam imaginibus, munitam pignoribus, fi fultam præsidiis: vt omne abrumperet fidelium cum beatis commercium, viatoribúsque, patriæ illius supernæ (in quam tot felices athletæ triumphaliter intromissi, aditum nobis ad eam suo nitido tramite patefaciunt, perpetuisque affectibus nos ad se inuitant, nos expectant, nos incitant, nos adiuuant continuis subsidiis:) omne desiderium & recordationem auferret, nihil exitiali suo machinamento aptiùs perficiendo censuit, quàm ipsorum gloriosorum cæli incolarum, de terra nomina tollere, omniáque memoriæ eorum eradere vestigia, recordationis & cultus vniuersa monimenta ac adminicula deprædari & diripere. Quid non tentauit, quid non egit teterrimus Sanctorum ille hostis, perpetuúsque salutis humanæ aduersator, vt illorum titulos, vestigia, insignia, acta, documenta, trophæa, destrueret? euulsit lapides, solo æquauit templa, discerpsit codices, incendit pignora, sustulit obuia quæque mortalium oculis beatissimæ recordationis immortalium illorum spirituum quæ in terris reliquerant vestigia, vel habebant ex posterorum pietate erecta insignia. Nec hoc satis ei fuit, per summissos nefarios suæ fraudis & æmulationis operarios, fidelibus, qui *Sanctorum communionem* credere ex Symbolo Fidei edocti erant, elaborauit persuadere exitiosis sermonibus & impiis tractatibus, impium esse Sanctorum cum honore reminisci, memorias eorum agere, celebrare certamina, colere natalitia, venerandas imagines habere, pignora obseruare, patrocinia deprecari. At quo liuore, & æstu diabolus Sanctorum abolere conatus est gloriam, ex aduerso Spiritus Dei illorum honorem, & recordationem, quæ gratiæ suæ muneribus iusta præconia rependit, stabilire incubuit. Excitauit igitur per succedentia sæculorum curricula, non solùm pios homines, qui Sanctorum ossa, & cineres cum honore colligerent, illorúmque virtuti & gloriæ erigerent clara insignia: sed robustissimos insuper produxit præliatores, qui suæ gloriæ assertorum, inclytorum illorum mundi, & Satanæ triumphatorum, propugnarent, quà stylo, quà eloquio, quà etiam miris operationibus, hoc est diuinis testificationibus, nomen & venerationem. Conspicui sunt in omnium oculis illorum pietatis propugnatorum triumphi, qui Iudæos Euangelij præconum gloriæ cæco liuore inuidentes, præstanti virtute coercuerunt. Qui Saracenos, & Mahumeti fœdam progeniem, impuros Turcas, ab omni Sanctorum recordatione & honore abhorrentes, Dei esse hostes euicerunt. Qui Eunomij, Vigilantij, & Iconomachorum impia dogmata, Sanctorum memoriam, & obseruantiam, tàm fraude, quàm furore impetentia, validis documentis expugnârunt; hagiomachorúmque cæterorum blasphemias, & deploratam perfidiam, non incruentâ pugnâ viriliter profligârunt. Quamobrem superuacaneum est hic, istorum Dei exercituum inclytorum pugilum, aperto marte cum impiis satanæ copiis confligentium, nomina sole clariora recensere. Verùm aliorum iuuat seriem hic subiicere, qui extra aciem positi, Beatorum in cælis regnantium gloriæ præcones, memoriæ pij vindices, ex Dei afflatu qui hos ad hoc opus excitauit, religiosis studiis, pacificis calamis, apicibus lacteis, indiculis aureis, nomenclaturis gemmeis, quas diuersis temporibus concinnauêre, & Ecclesiæ in subsidium fidei, in monimentum pietatis perpetuum

Ezech. 8. 8. &c.

In quem locum vide Cornel. contra Maldonat.

Apoc. 12. 4.

Vide Concil. Gangrens. & Nicen. 2.

reliquêre, summo Dei beneficio extiterunt. Hi certè fuerunt qui Sanctorum gesta omni sollicitudine perquisita & collecta, ceu in fasciculum vitæ; in codices ordine congesta enarrare, vel in fastos recensita eorum veneranda nomina, suis Martyrologiis consignare, ad perennem cultum & obseruantiam studuerunt.

§. I.

De venerabili Beda.

NON indiget vir tantus vlla nostra commendatione, vt hîc cum decore nominis se Lectori sistat. Sat est VENERABILEM BEDAM solo nomine designasse, qui sui temporis alter Augustinus, orbem repleuerit admirabilibus doctrinæ suæ monimentis. Inter quæ (præterea quæ de Sanctis sua in historia Ecclesiastica commemorat, non solùm Angliæ, vel Italiæ, sed etiam Galliæ:) cùm nonnullorum Beatorum vitæ sint descriptæ: Sancti plerique nostrates ab eo celebrati dignis elogiis enituerunt: scilicet SS. Vedastus & Eustasius, Pharâque virgo beata, eum Iustino puero, cuius Martyrium in inrerioris Galliæ sinu peractum, metrica cecinit præconizatione. Memoratur etiam Beda, scripsisse vitam & actus sancti Andreæ Apostoli & miracula eius, quæ edidit apud Scotos. Sed in omnibus scriptis, quæ de Sanctis auctor ille grauis exarauit, Martyrologium sanè præeminet, quo non vnius gentis, sed omnium, beatos alumnos & tutelares complexus est. Quid Bedam mouerit ad eiusmodi libri conscriptionem, facile est conjicere: nempe vt illata temporum superiorum continuis ferè calamitatibus, & gentium erraticarum conflictationibus, sacris historiis, resarciret detrimenta, & offusam Sanctorum gestis, ac memoriis caliginem eiusmodi natalium nitida serie, depelleret, quin & addiramento Sanctorum, qui post primas fastorum sacrorum consignationes ac antiquas actorum Martyrum collectiones, eorumdem numero accesserant ex qualibet orbis parte, locupletaret. Est quidem Cardinalis Baronius in ea sententia vt censeat, Bedam nullum proprium Martyrologium texuisse: at auxisse duntaxat vetus Romanum. Idémque putat præstitisse Vsuardum, Adonem, & quotquot deinde Martyrologia suis nominibus promulgârunt. *Prædicta omnia*, ait, *non Hieronymi, non Bedæ, vel Flori; non Vsuardi, Adonis, aliorúmve nomine essent inscribenda, sed Romani Martyrologij, ab hoc vel illo aucti, essent potiùs consignanda.* Rationem autem & comparationem accommodam, vt putat, insinuandæ huic persuasioni, paulò antè præfigit, his verbis. *Cæterùm si quis horum omnium quæ à nobis sunt recensita Martyrologia, & quæ postea accesserunt, originem petat, & ad suum principium velit reducere: omnia e Romano velut ex trunco ramos, producta esse cognoscat: quæ etiamsi (vt de fluminibus accidit, quæ licet maiorum fluminum accessione turgescant, tamen nomen, quod ab eo acceperant, non amittunt, sed communicant cæteris) sic à suo principio nomen sumerent.* Quod vt ita sit: siquidem à Romana Ecclesia, *vnde ipsa vnitas sacerdotalis nobis exorta est* (sicut ait sanctus Cyprianus:) sacrorum rituum disciplinam & Martyrologij originem fluxisse lubenter agnosco: tamen non ita crudè accipi debet, vt auctores præsignari, sui spolientur laboris certè magni & memorabilis, commendatione. Quod ad Bedam attinet, ita de eo sigillatim Baronius indicat. *Mea quidem sententia, nihil aliud Beda fecisse videtur, nisi quod Romanum Martyrologium, cuius vt vidimus sanctus Gregorius meminit, in Angliam per Augustinum vel successores allatum, aliquibus additionibus auxit.* Et sic quidem autumat vir ille magnus, at non id innuit, quo asserrionem suam muniat. Certè habetur iam in omnium manibus, Dei singulari munere, & Heriberti Rosuueydi Societaris IESV Presbyteri nunquam laudanda satis curâ & operâ, inuentum edirúmque ANTIQVVM ILLVD ROMANVM MARTYROLOGIVM *ab Adone laudatum, sine vllo additamento, simplex, perbreue, in quo tantùm nomina Martyrum, locus ac dies passionis, positi habentur, vt verbis vtar ipsius Baronij*, à quo vehementer desideratum, nec tamen inspectum fuit. At qui contulerit hunc indiculum, cum Bedæ Martyrologio, seclusis additionibus Sanctorum, qui post Bedæ obi-

In Præcapitui Martyrol.

tum accesserunt: sine negotio animaduertet, ideóque ex prima vtriusque nomenclaturæ fronte iudicabit, potiùs vetus illud Martyrologium, quod ita Baronius commendat, fuisse merum Martyrologij Bedæ indicem, quàm Martyrologium ipsum Bedæ, illius indiculi simplex esse additamentum. Sed quæso, Bedam ipsum, candidum & ingenuum sanè testem sui ipsius laboris, audiamus. Sic ait venerabilis ille auctor de suo Martyrologio, in catalogo suorum operum, quem * subtexuit epilogo historiæ suæ Ecclesiasticæ. *Scripsi Martyrologium de natalitiis Sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos inuenire potui, non solùm qua die, verumetiam quo genere certaminis, vel sub quo Iudice mundum vicerint, diligenter annotare studui.* Ex quibus verbis prudens Lector æquè oro perpendat, an Beda nullum speciale Martyrologium texuerit, sed auxerit tantùm vetus Romanum? Certè illæ voces, *Scripsi Martyrologium. In quo omnes quos inuenire potui, diligenter annotare studui.* apertè clamant, Bedam non simplex exarasse auctarium. Quæ enim magna diligentia ab eo adhibenda fuisset, in inueniendis Sanctorum natalitiis, quorum indicem adeo certum & completum sibi præ·lucentem habuisset? Et ad quid Beda ipse sibi sollicitæ indagationis tribueret laborem, si mero solemnis nomenclaturæ illius intuitu ac adminiculo, vsus esset? Adde inuictum insuper argumentum. Romanum illud vetus Martyrologium nullum diem natalitiis habet vacuum. At Beda quantumlibet sudauerit, in conquirendis Sanctorum Martyrum fastis, non tamen dies singulos natalibus insignire potuit: nam quosdam reliquisse vacuos, Ado testatur, quos Florus (de quo proximè dicemus) repleuit. Satis igitur superque constat, Bedam proprio opere perfunctum: cuius etiamsi hodie purum textum non habemus, quoniam eius Martyrologium, fuit à posteris multis incrementis ampliatum, quin & à plerisque nonnullis in locis mutilatum, vt Molanus latè ostendit: maximè eo quòd antiqua MSS. multa habeant, quæ hodie in vulgato Bedæ Martyrologio desiderantur. Tamen laus sua Bedæ manet singularis atque perpetua, ex hoc ipso insigni opere, quo Sanctorum extinctam ferè memoriam, ex sinu æui ad lucem, *omnes*, vt ait, *quos potuit diligentia* reuocârit, & facem cæteris qui fastos sacros postea illustrârunt, prætulerit.

* Non extát hic catalogus in fine ipsius epilogi in operibus Bedæ editis Coloniæ anno 1612. At Pitseus in catalogo scriptorum Angliæ agnoscit ipsum et epilogo, eiusmodi indicē à Beda fuisse subiunctum. Quem laudat Molanus sine designatione catalogi, cap. 5 opusc. de Martyrolog. & ex hoc verba inducta in textū, adducit. Cuius locum, ad marginem, notat, extare nationum in fine Eccles. histor. Anglorum, vbi in antiqq. Codd. legitur.

§. II.

De Floro Magistro.

HVNC nonnulli sub Carolo Calno perperam notant claruisse. Quem non dubium esse potest seniorem fuisse Vsuardo, qui sic de eo meminit, in nuncuparoria sua ad Carolum Magnum epistola super Martyrologij sui conscriptione. *Quos tamen secutus* (Hieronymum scilicet & Bedam) *censui & Flori memorabilis viri latiora tam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo eiusdem libro. Ibi enim multa quæ in priori omiserat, correxit & addidit.* Quæ prædicamenta vt melius intelligantur, obseruare conuenit Florum illum natione Gallum, monachum fuisse sancti Trudonis diœcesis Leodiensis in Hasbania, pietate & doctrina sua ætate præclarum sub annum Domini 760. Qui in sacris Scripturis apprimè eruditus, & egregiè versatus, expositiones pulcherrimas in omnes epistolas sancti Pauli concinnauit, vnum in librum digestas: ex quibus ob raræ sapientiæ lumina, Magistri nomen retulit: quòd hoc sæculo præcipuus Theologus, Pauli interpres absolutus, ingentem ex diuinis eius epistolis lucem cupidis cœlestis intelligentiæ aperuisset. At hoc graui labore exoneratus, à Theologia ad historiam se sacram conferens, quo Christiano populo ad formandos omnem ad pietatem omnium mores prodesset, Ecclesiæque conspicuas redderet mysticas gemmas sub puluere latentes: Sanctorum, solerti industriâ passiones & acta quæque præclara, perquisita ac comperta, non modico sudore vnum in fasciculum complexus, sic digessit, vt reuocatis quibusque ad proprij natalis diem sicut ad sedem propriam, vnicuique Sanctorum quæ dee-

Mireus & Posseuin.

rant propriæ virtutis & gloriæ insignia, elogio speciali impertierit. Et quoniam Bedam hoc studium nouerat ante se aggressum, recensito eius Martyrologio, quæ in eo desiderari poterant repleuit vacua interstitia: additis qui minimè signati à Beda fuerant diebus, congruis Natalitiis à se repertis, & cuique Sanctorum, erga quem Beda fuerat parcior, specialibus characterismis, quibus propria illius decora commendaret. Id testatur Ado in sui Martyrologij prologo, vbi disertè ait, *Bedæ Martyrologium, Flori studio ac labore accreuisse*: eiúsque operâ factum, *ne absque nominibus Martyrum dies superessent*. Arnoldus Vvion, qui Florum hunc Benedictini ordinis Scriptoribus adcensuit, libro 2. ligni vitæ cap. 76. *Scripsit Martyrologium* (inquit) *id est, gesta & passiones Sanctorum lib. 1*. Verùm integrum decus nobili huic Sanctorum memoriæ vindici, hac designatione, Vvion non reddidit. Nam testis est Vsuardus, Florum de Sanctis binum librum contexuisse: atque in secundo, quem præsertim se secutum profitetur, multa quæ in priori omiserat *correxisse & addidisse*. Quo ex testimonio mihi persuadeo, Florum scripsisse primo conamine Martyrologium, seu vt Vsuardo & Adoni magis cohæream, Bedæ Martyrologium recognouisse & auxisse. Deinde compararâ locupleriori monimentorum sacrorum supellectile, per modum supplementi adornasse opificium, in quo proprium ipse suum ad Bedam auctarium emendauerit, atque & Bedæ & suam collectionem maiori collustrauerit compertæ veritatis splendore, firmioribúsque præsidiis auctoritatis sacræ munierit. Auctorem hunc non sine latentis inuidiæ suspicione, sic Sigebertus suo in Catalogo ascripsit cap. 93. vt expositionum in epistolas Apostoli præcipuam ei dettaxerit laudem: porro Martyrologij, vel collectionis historiæ Sanctorum, nullatenus meminerit. Tamen exscripsit Sigeberrum ad verbum Trithemius, nec, quæ ille derogauerat Floro *certè memorabili* (vt eum nuncupat Vsuardus) *viro*, curauit tam benemerito ordinis sui alumno reuendicare, vti pietas & iustitia ipso iure suo deposcebat.

§. III.

De Vsuardo Monacho Parisiensi.

VRBS regia Parisiorum, hoc inter plurima quibus pollet antiquæ pietatis insignia singulari præstat commendationis honore, quod in Sanctorum è quibus Dei gratiæ lumina accepimus, fuerit semper colendam memoriam religiosè propensa. Quo ex natiuo genio, Cerannius (vt præsignatum est) illius vrbis Episcopus notæ religionis & sapientiæ, pridem Martyrologij integram restitutionem, seu nitidam concinnationem tentauit: Vsuardus autem doctissimus & piissimus asceta eiusdem vrbis ad sanctum Germanum Pratensem, post aliorum quos collaudauimus strenua conamina, iterum aggressus, tandem feliciter absoluit. Verùm vt id auspicaretur memorabile opus, quamquam illi nec eruditio necessaria, nec prona deuotio deesset, operæprecium fuit vt Caroli Magni Francorum Regis Christianissimi, pia hortatio, imò & sacra iussio intercederet, quâ obstrictus vir modestus & humilis, tam insignem inchoauit ac præstitit omnium penè Beatorum, quos colit Ecclesia sacris honoribus nomenclaturam. Is vt processerit faustus adeo conatus, Vsuardus suis ipse verbis melius expresserit, cuius ideo consentaneum mihi visum est, liminarem epistolam, quam ad ipsum super hoc opere Carolum epistolam dedit, hic seriatim retexere.

EPISTOLA

Epistola Vsvardi Monachi,

Ad Carolum Magnum Regem Francorum & Imperatorem, super opere Martyrologij.

Domino Regum piissimo Carolo Avgvsto, Vsuardus indignus Sacerdos & Monachus, perennem in Christo coronam.

Minimè latet vestram celsitudinem SAPIENTISSIME PRINCEPS, *qualiter monemur in imitandis antiquorum studiis, vt quicquid in gestis præcipuè Ecclesiastico dogmati congruis, minùs perfectum inuentum fuerit, debeamus vel pro posse supplere, vel certè suppleri optare. Quæ res pia quidem solicitudine (vestro, si recordamini, iussu dignanter admoto) me ad hoc, etsi indignum, compulit, quatenus Sanctorum sacras atq. anniuersario recolendas festiuitates, ex quibusdam præcedentium Patrum Martyrologiis, in quandam colligerem vnitatem. Recolebámque in ipsis eorumdem solemnitatibus, quàm multos propria negligentia excessus, quos etiam purgari tali cupiebam officio. Præterea & venerabilium Hieronymi scilicet ac Bedæ presbyterorum, piis quamuis succinctis, super hoc prouocabar descriptis. Quorum prior breuitati studens, alter verò quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis præteriisse necessaria: quos tamen sequutus, censui & Flori memorabilis viri latiora iam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo eiusdem libro. Ibi enim multa quæ in priori omiserat, & correxit & addidit. At si quid præter quod ab illis accepi, in hoc tempore auctum vel mutatum est, sagaci à me indagine id perquisitum agnosci poterit. Cæterùm* BENIGNISSIME, *idcirco hanc exiguitatis meæ præfatiunculam huic opusculo inserere malui, vt sciretur non me in hoc vsum leuitatis conamine, sed potiùs vestris (vt erat dignum) paruisse imperiis Catholicorum fidelium solitò consulentibus vtilitati. Vnde quod vestrum est obsecro, vt si iustum decernitur, propria tuitionis anchora roboretur, quò videlicet & præsentibus regalis examinis auctoritate, & futuris tantæ auctoritatis firmetur examine. Excellentiam magnitudinis vestræ per multa annorum curricula, Rex Regum Dominus sua dignetur custodire potentia. Amen.*

Hanc consultò hîc retexuimus inscriptionem, vt de Vsuardi instituto ac operationem ipse redderet: nósque ipso loquente, & cæteri quique discerent, quibus incentiuis, susceperit quibúsque modis & mediis inierit Martyrologij recensionem, seu vt veriùs dicam, nouam & integram sacrorum Ecclesiæ fastorum collectionem. Rotundè enim Vsuardum, Martyrologium condidisse Sigebertus insinuat, vbi de eo ait. *Carolo Magno iam decus Augusti assecuto iubente festiuitates Sanctorum per singulos Kalendarum dies annotans, integrum Martyrologium compilauit. Accuratum* (vt censuit Bellarminus) *& celebre quo hactenus multæ Ecclesiæ vsæ sunt.* Nam ante Martyrologium Romanum recensitum, ferè hoc solùm in vsu vbique fuit. Ita de eo Trithemius lib. 3. de viris illust. ord. S. Bened. cap. 29. *Vir ille studiosus atque doctissimus, iussu Caroli Imperatoris ad imitationem Eusebij Cæsariensis gesta & passiones Sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginúmque sacrarum in vnum volumen comportauit, quod opus dictum Martyrologium Vsuardi vsque in hunc diem perseuerat. Et in multis Ecclesiis religiosorum legitur.* At Arnoldus Vvion magis profusum fuisse eius vsum his verbis indicat. *Hic*, inquit, *apparere in conspectu Domini vacuus nolens, iussu Caroli Magni Imperatoris post sanctum Hieronymum & Bedam, ex scripturis veterum gesta & passiones Martyrum, Confessorum, Virginúmque sacrarum, in vnum volumen contulit, quod Vsuardi Martyrologium vocatum & ab Ecclesia approbatum, vsque in hunc diem perseuerat, & in Romana Ecclesia aliquando, ac in aliis multis Gallicanis præsertim, Germanicis, Hispanicis & Anglicis, necnon monachorum & religiosorum domibus legi consueuit post primam, vt titulus eius libri in editione Molani indicat.* Vbi iterum de Vsuardi Martyrologio nobis dicendum erit, quod recensuit & auxit, ediditque ipsemet Molanus vir certè eruditissimus, ex eóque nobili opere de Repub. Christiana admodum benemeritus. Ceterùm est quod moneamus lectorem, ne Trithemij errore deci-

In libro de scriptoribus Eccles. sub an. 812.

Lib. 2. ligni vitæ.

piatur, asserentis Vsuardum natione quidem fuisse Gallum, at Cœnobij Fuldensis in Francorum finibus ascitam. Reuerà enim Vsuardum fuisse Gallum, at insuper Monachum Parisiensem, in sancti Germani celebri cœnobio, vetustis ex monimentis constat, quæ secutus Aubertus Miræus Protonotarius Apostolicus & Canonicus Bruxellensis candidè id testatus est in nuncupatoria sua super Fastos Belgicos & Burgundicos epistola, ad Franciscum de Rye Decanum maiorem Ecclesiæ Bisuntinæ. *Ne quid verò* (ait) *Ecclesiis Latinis præsertim Galliarum ac Germaniæ deesset, Carolus Magnus, Vsuardum Monachum Benedictinum (qui Parisiis in Pratensi sancti Germani cœnobio, doctrina tunc florebat,) ad fastos Martyrum ac Confessorum, vt illos vetustissimus scriptor Tertullianus nuncupat, digerendos, impulit.* Fulcit hanc notam, Alcuini memoria, cuius discipulum fuisse Vsuardum, omnes, adeóque ipse Trithemius, & eius sequaces fatentur. Fuldensem autem vnquam Alcuinum fuisse Abbatem vel hospitem, nemo dicit, quin plerique testanrur origine Anglo-Britannum fuisse ex prouincia Eboracensi, Bedæ auditorem, ob ingenij felicitatem, magnæ eruditionis, facundiæ nec imparis pietatis celebritatem, à Carolo Magno in Galliam * euocatum; qui eo præceptore in disciplinis vsus, Academiæ Parisiensi, eo auspice, exordia dedit. Vnde non inconcinnè cecinit quidam poëta,

> *Quid non Alcuino facunda Lutetia debes?*
> *Instaurare bonas ibi qui feliciter artes,*
> *Barbariémque procul solus depellere cœpit, &c.*

Tametsi enim subsidiaria opera vsus sit Ioannis Scoti, Clandij & Clementis, quos amandatos è Britannia, Lutetiæ primos Magistros omnis literaturæ constituit. Tamen quia hos ipse instituerat: quæ cum primariis discipulis fecit vir inclytus, solus non immeritò dicitur præstitisse. Et verò Alcuinum splendore tanto sapientiæ Parisiis micantem, nobilissima quæque Galliæ ingenia, religione, moribus & omni meliore literatura, gesta eius tradunt illustrasse. Dum autem Parisiis ageret, Vsuardum in cœnobio sancti Germani celeberrimo, eximiis dotibus ingenij florentem, excoluisse, atque ad hoc religionis & sapientiæ fastigium, quo postea enituit prouexisse; quis tempori, loco & personis conuenire non videat? Verùm id mitto πάρεργον.

* Alij dicunt ab Offa magno, Mercio rum Rege, cùm legatus fuisset in Galliam ad Carolum Magnum negotiorum publicorum, ac pacis maximè componendæ gratiâ, ab ipsomet benignè susceptum & retentum.

§. IV.

De Vvandelberto Monacho Prumiensi.

HVNC, Ludouico pio imperante, Prumiensi in monasterio militasse vt probemus, non externo teste opus est: quoniam id ipsemet lib. 2. quem scripsit de vita & miraculis sancti Goaris Confessoris cap. 16. apertè asseuerat. Quod autem scripserit Fastos sacros metrica serie, seu Martyrologium carmine illo texuerit, quod sub Ephemeridis titulo vulgatum est, inter opera Bedæ tom. 1. Molanus ex Sigeberti testimonio astipulationéque Trithemij non solùm probat, sed ex operis ipsius characteribus optimè elicit. Cæterùm quamquam Germanus natione fuerit iste auctor insignis illius poëmatis, tamen admodum in decorum & laudem Galliæ fuisse propensum, vel ex eo colligere est, quod Molanus ibidem obseruat: Vvandelbertum *diligenter Sanctos Galliæ* notauisse. Sicut ex ipsa sacra Ephemeride constat.

§. V.

De Adone Viennensi Archiepiscopo, perperam à nonnullis dicto Treuirensi.

CVM inter Sanctos Galliæ in cœlo triumphantes, hunc beatũ Antistitẽ, quem Romana Ecclesia diptychis suis adscribens, omnium gentium venerationi

conſecrauit, 17. Kalend. Ianuarij, adcenſuerimus, quo die ad Chriſtum feliciter migrauit; eíque propria ſanctitatis præconia, quin & debitæ quouis titulo laudis obſequia exhibuerimus, ſuperuacaneum videtur hæc eius decora rurſus expromere. Vnum eſt huius loci proprium problema excutiendum, num ſcilicet Sanctus hic Viennenſis Eccleſiæ Pontifex, qui celebre *Chronicon per ſex mundi ætates* digeſtum edidit: idem ſit auctor illius *Martyrologij*, quod hactenus ſub Adonis nomine fuit vbique multis ab annis promulgatum. Et Molanus quidem qui de Martyrologiis ex profeſſo diſſerit, cap. 6. ſui opuſculi ipſo in titulo mentem ſuam prodit, ab ea perſuaſione auerſam, quòd Ado Viennenſis Martyrologium, de quo ſermo eſt, condiderit: id enim ipſo in limine adiudicat Adoni Treuirenſi Archiepiſcopo, qui Gregorio ſeptimo Pontifice claruit. Atè veſtigio miratur, qui fiat vt Sigebertus, quin & Trithemius, nihil de eo meminerint in ſuis virorum ſcriptis illuſtrium catalogis. Sed verò non erat cur Molanum ex ea re vlla caperet admiratio, ſiquidem Ado Treuirenſis factis quidem illuſtris, at ſcriptis minimè conſpicuus fuit. Nec enim inficiamur verum eſſe quod Aloyſius Lippomanus Epiſcopus Veronenſis, ex Platina in eiuſdem Adonis Treuirenſis commendationem adducit, tantæ eum extitiſſe auctoritatis, vt ab eodem Pontifice ad componendas res inter Henricum & Rodulphum, qui de Romano Imperio contendebant, vnà cum duobus collegis (Bernardo ſcilicet Maſſilienſi Abbate, & alio Bernardo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diacono) de latere ſedis Apoſtolicæ legatus, deſtinatus fuerit. At quid hoc conferat non video ad Adonem illum, Martyrologij auctorem aſſerendum, qui quantacumque morum probitate, rerúmque geſtarum gloria enituerit; concinnatorum tamen literariorum monimentorum laude, à nullo inſignium ſcriptorum nomenclatore, memoratur vel cenſetur. Verùm Ado Viennenſis editorum illuſtrium libellorum laude nobilis, à nullo prætermiſſus eſt, qui auctorum catalogos hactenus accuratè texuerit: quem non modò Chronici ſuo ſub nomine celebris auctorem, ſed & Martyrologij, Adonis quoque titulo prænotati, conditorem, ſicut & exaratorem *libelli de feſtiuitatibus Sanctorum Apoſtolorum, & reliquorum qui diſcipuli aut vicini ſucceſſoreſque ipſorum Apoſtolorum fuerunt*: vt paſſim omnes ferè perhibent indiciorum eiuſmodi textores: ſic vetuſta quæque ipſius Martyrologij exemplaria, nomine Adonis Viennenſis Epiſcopi præſignata, palam innuunt & teſtantur: perſuadent etiam ſtyli horum opuſculorum, cùm Chronici quod citra controuerſiam Viennenſi Adoni competit, textura conformitas; vitæ Adonis ipſius quam ex Viennenſis Eccleſiæ monimentis, aliíſque certis inſinuationibus, eius in natali à nobis conſertam exhibuimus ſeries; genij eiuſdem hic elucens propenſio, morum tinctura, & cæteri characteres, quibus ſeipſum non obſcurè prodit tam pij & præclari opificij artificem. Vnde eſt quòd ſicut Heriberto Roſuueydo plurimum laudis referimus, qui ex indigitatione Adonis, vetus Romanum Martyrologium ab illo pridem repertum, delineatum, commendatum, tandem à ſe feliciter inueſtigatum & inuentum typis primus euulgauit: Adoníſque ipſius Martyrologium à ſe recenſitum, & appendice ac aliquot obſeruationibus munitum, nouis typis excudens, id à Lippomano, Moſandro & Molano haud rectè Treuirenſi attributum, veterum codicum authoritate fretus, Viennenſi Adoni iure adſcriptum, ſtrenuè vendicauit. Miræóque itidem non minimùm gratulamur, qui cùm in epiſtola ſuper faſtos ſuos nuncupatoria, tum ipſis in faſtis die decima ſexta Decembris i Heriberti optimam ſententiam ſecutus, auctorem. Martyrologij, Adonem Viennenſem aſſeuerauit, propriáque hoc nomine beatæ eius memoriæ reddidit decora. Ita ex oppoſito, Ferratium haudquaquam ſuo ex facto commendamus, qui non ita diù Catalogum publicans generalem Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non ſunt, hæc ſcripſit in textu XVII. Kalendas Ianuarij. *Treuiris ſancti Adonis Epiſcopi, qui Martyrologium ſcripſit.* Cùm enim hac die Eccleſia Catholica colat in Romano Martyrologio, ſanctum Adonem Viennenſem Archiepiſcopum & Confeſſorem, manifeſtum hinc fit huius laudem propriam, quam emeruit

titulis ſplendidiſſimis conſpicuæ ſanctitatis & doctrinæ, Ferrarium perperam ad Treuirenſem traduxiſſe: ſicque, quod aiunt, ſpoliaſſe Petrum, vt Paulum eius exuuiis locupletaret. Nec enim quæ in notatione ſubiuncta promit, eum excuſare poſſunt ab explorato errore, viderit ipſe an non potiùs à ſpontaneo lapſu. Sic enim deſignato, abbreuiatâ epigraphe, Adone illo Treuirenſi, monet. *Ex Tabulis Epiſcoporum Treuirenſium. Claruit circa annum milleſimum quinquageſimum ſeptimum Greg. VII. Pont. Max. à quo ad pacem inter Henricum & Rodulphum de Imperio certantes Legatus miſſus eſt. Qua de re Baronius in Annal. Eccleſ.* Quæ inſinuatio nihil ad intentum facit. duo enim probanda incumbebant Ferrario: nempe, Adonem Treuirenſem, honore ſanctitatis proſequendum, & quidem 16. Decembris, qui ſacer eſt ex Eccleſiæ Catholicæ iudicio S. Adoni Viennenſi. Et iterum quòd Treuirenſis ille, auctor fuerit Martyrologij illius celebris, cuius ſcriptionis in textu ſuo, Ferrarius laudem illi adſcribit ſingularem. Sed verò de primo haud ſe bene expedit, tabulis Treuirenſibus duntaxat indicatis. Quicquid ſit enim de nouo Kalendario Treuirenſi, in quod ex æmulatione alienæ gloriæ, vti ex vulgari iam conſonantia nominis, Adonis Viennenſis decus ad Treuirenſem traductum, potuit induſtriâ nuperi exaratoris obrepere. Sanè antiqua ſacra Treuirenſis Eccleſiæ diptycha, Adonem ſedis illius Epiſcopis ſanctitate illuſtribus, cultúque eiuſdem obſeruandis nequaquam annumerant. Quinimò in Epiſcopalibus tabulis nullâ ſanctitatis notâ Ado ille conſignatur: quem nec Adonem indiculi illi nominant, ſed *Vdonem* vt videre eſt apud Miræum, catalogũ Treuirenſium Præſulum ex ſcriniis eiuſdem Eccleſiæ promentem. Quo & nomine eum Apoſtolicis apicibus ſalutans Gregorius VII. Papa affatur lib. 7. ep. 81. eumdémq commemorat Paulus Bentiedenſis in vita ipſius Papæ Gregorij: in cuius geſtorum epitome, Platina *Odonem* illum appellat. Nauclerus autem nuncupat *Othonem*: vixque quiſpiam ex priſcis Scriptoribus reperitur, qui rotundè *Adonis* illi nomen adiudicet. Sanctitatis autem titulum aut cultum nemo ferè eſt qui tribuat, præter Cratepolium, qui Germaniæ Sanctorum breuem Catalogum ex inſtituto texens, binum Adonem Treuirenſem & Viennenſem Sanctis adcenſuit. At Treuirenſi nullam impertiit ſcriptionis laudem, tantum abeſt vt Martyrologij auctorem illũ exiſtimauerit. Id igitur potiſſimùm erat quod à Ferrario fuerat in notatione probandum: quoniam præcipuum, imò ſingulare eſt prædicamentũ, quo merita eius cohoneſtat. Sed affirmatæ à ſe rei teſtimonio planè deſtituitur, dúmque probat quod in quæſtione non eſt ſatis prodit, id quod probare oportebat, neceſſario fulcimẽto carere. Sed Ferrario ſuæ opinationi dimiſſo, errati quod ante eum à nuperis quibuſdam hagiologis admiſſum eſt, vt Treuirenſi partum tribuerint Adonis Viennenſis, cauſam non inaniter Lectori indicauero. Aliqua nimirum repetiebãtur Martyrologia, ſatis antiquæ notæ, quæ Martyrologio, de quo agitur, Adonis ſimpliciter nomen præfigerent: nulla adhibita Viennenſis vel Treuirenſis diſtinctione. Hinc Germani aliquot neoterici tractatores, anſam arripuerunt primùm dubitandi, cuius Adonis hoc opus ſit. Deinde in gratiã ſuæ gentis aſſerendi, eſſe prolẽ hunc indicem Adonis Treuirenſis. Verùm horum perſuaſioni antiquiſſimi codices refragãtur: ex quib. tres vel quatuor Heribertus ſe inſpexiſſe teſtatur, aperta cognominis diſtinctione, parentem huius ſobolis Viennenſem aſtruentes. Quibus adſtipulatur vetuſtiſſimus codex Euerbordiẽſis, iſtum & libelli *de feſtiuitatibus Apoſtolorum* indigitans opificem, hoc præfixo capiti programmate. *Ado Viennenſis Archiepiſcopus, quaſi epilogatim compilauit, incipiens à feſtiuitatibus Apoſtolorum aut Diſcipulorum, aut ſucceſſorum eorum.* Sed de his ſatis. Nam cæteroqui Gallia ex vtriuſque Adonis commendatione, ſibi decus parari non ignorat. Cùm ſuos eſſe ambos vel ſola metropolitanarũ ſedium, quibus ipſi præfuerunt, denominatio perſpicuè demonſtret. Veritatis igitur tantùm ſtudio has vindicias præſtitimus. Quibus præhabitis, cùm tempus quo auctor claruit in comperto ſit: nemo eſt enim qui neſciat Adonem Viennenſem ab anno 875. ſuæ Eccleſiæ cum ſplendore doctrinæ & religionis præſidentem, anno 891. defunctũ in ætate prouecta, in Apoſtolorũ templo Viẽnæ ſepulrũ, beatitudinis gloria poſt occaſum refulſiſſe. Iã ſupereſt de fine & ſcopo initæ ab eo Martyrologij ſcriptionis, déq. ſtylo & methodo qua eã adornauit, pauca digniora obſeruatu retexere. Inſtituti quidẽ ſui Ado

In præmonitione ad Lectorem ſuper hunc Adonis libellum, & in procemiolo in appendice ad Adonis Archiepiſcopi Viennenſis Martyrologium.

ipſe optimus eſt reſerator. In prologo enim ſuæ collectionis diſertè expoſuit quid eum mouerit, vt hoc opus edendum ſuſciperet: quo fine id aggreſſus eſt, quáque ſit vſus in eo concinnando, fuſioris texendæ ſeriei ratione. *Primò* itaque ſe indicat Sanctorum virorum ſibi iubentium auctoritate compulſum. *Secundò*, id antè omnia intendiſſe ex eorum votis, vt vacuos dies natalitiis in præcedentium Martyrologiorum Bedæ, Flori, Vſuardique tabulis, Martyrum nominibus ac feſtiuitatibus repleret. Deinde vt non nuda nomina, ſed præclarè geſtas res, à Chriſti bellatoribus, quæ in antiquis hagiologiis ſtrictè nimium exprimebantur, fuſiori elogio deſcriberet: idque, vt ſubnectit, *in gratiam infirmorum fratrum, & minùs legere valentium, vt ad laudem Dei omnipotentis, & ipſorum inſtructionem haberent in memoriis Martyrum, compendioſam lectionem, atque in paruo codicello, quod multo labore alij per plures codices exquirebant.* Cui labori ſibi opportuno ſubſidio ceſſiſſe teſtificatur *venerabile & perantiquum Martyrologium, ab vrbe Roma Aquileiam, cuidam ſancto Epiſcopo à Pontifice Romano directum, & ſibi apud Rauennam exiſtenti poſtmodum à quodam religioſo fratre aliquot diebus præſtitum:* quod diligenti cura à ſe tranſcriptum capiti ſui operis præfixit. Ex hoc enim locupletiſſimo penu, ſe id mutuatum profitetur, *vt dies Martyrum veriſſimè annotaret, qui confuſi in Kalendariis paſſim occurrebant.* Ita Ado totidem verbis adeo perſpicuè, vt eius intentio nemini eſſe poſſit occulta: ſed ab eo præſtiti operis conſtructio vndequaque lectori notificata pateat, cognitáque, opem ſanè non exiguam, ſtudioſo cuique Sanctorum memoriæ, impertiatur.

§. VI.

De Rabano Moguntino Archiepiſcopo.

ORDO temporis poſtulabat vt Rabanum Adoni anteferremus. At inſtituti noſtri id ratio non permiſit, cùm famam Ado conſecutus ſit, in re quam elucidamus, Rabano ampliorem. De hoc ſic legitur in veteri catalogo Epiſcoporum Moguntinorum, vbi numeratur metropoliticæ huius Cathedræ Præſul vigeſimus ſecundus. etſi in nouis indicibus quadrageſimus ſextus cenſeatur. *Rabanus patria Fuldenſis, alibi Magnentius Maurus appellatus, Bedæ Anglici diſcipulus, poeta mirificus, Theologus inſignis, qui tota biblia commentariis illuſtrauit, & multa etiam alia, cum proſa, tum ligata oratione ſcripſit: vir vita innocentiâ & morum ſanctimoniâ clariſſimus. Primùm ex profeſſore Pariſienſis Gymnaſij, Abbas factus, poſtea vero ex Abbate Fuldenſi, ad Archiepiſcopalem dignitatem euectus eligitur à Ludouico ſecundo, anno octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo præfuit Moguntinæ ſedi nouem annis, qui priùs Fuldæ triginta duobus annis Abbatiam gubernârat: vbi incomparabilis bibliothecæ primus collector & auctor extitit. Condidit extra muros Fuldenſis Ciuitatis monaſterium montis ſancti Petri, in ſublimi colle ſitum. Damnauit in Synodo Moguntina Godeſchalcum hæreticum. Obiit anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſexto. Sepelitur in patria.* Ita habet breue elogium Rabani, viri certè magni: cuius quoad patriam attinet, hoc ex documento habes quo corrigas Ademari erratum (à nupero nomenclatore* cæteroqui oculatiſſimo, non obſeruatum:) quo Rabanum ipſum, Anglum fuiſſe ſubinſinuauit, hoc verborum tenore. *Beda docuit Simplicium, Simplicius Rabanum, qui à tranſmarinis oris à Domino Imperatore Carolo ſuſceptus eſt: & Pontifex in Francia factus, Alcuinum docuit*, &c. Quod enim ortu fuerit Germanus, non Anglus, auctor ipſius Epitaphij liquidò teſtificatus eſt: ſic enim ſub ipſius Rabani perſona ibi loquitur. *Vrbe quidem hac genitus ſum, ac ſacro fonte renatus in Fulda.* Errauerunt & alij, qui Meldenſem Epiſcopum aſſeuerauêre. Ruſúſque præfatus Ademarus, in eo quod magiſtrum Alcuini, Rabanum extitiſſe prodidit: quem è contrà Alcuini auditorem fuiſſe, ſeu ſymmyſtam, rectè Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſua, ſeu Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum annotauit. A quo cùm luculento indice ſcripta eiuſdem Rabani recenſeantur, poſt Trithemij aliorúmq. anteriorum accuratam delineationem: non eſt huius loci ea quæ & ſatis per ſe nota ſunt enumerare. Martyrologij duntaxat non poſſumus titulum prætetire,

* Robert in ſerie Moguntinẽſium Archiepp. num. 46.

quod iam in serie eius operum conspicuum est. Nam diù antè delituit tam nobile opificium, vsque ad annum scilicèr 1603. quo repertum in celebris Monasterij sancti Galli inter Heluetios Bibliotheca, ab Henrico Canisio, tom. 6. & vltimo antiquæ lectionis insertum, primùm in lucem typis emissum prodiit. Incipit autem à Kalend. Ianuarij, totúmque discurrit per annum. Stylo autem cæteris Martyrologiis non ita consonat, vt ex iis decerptum iure possit existimari. Habet enim proprias phrases, eásque ponderosas & graues, appositásque & rebus ipsis admodum conuenientes. Multa insuper ex historiæ intimo penu habet selecta & sibi propria: quæ in aliis non loquuntur, tam circa nomina, quàm res gestas Sanctorum. In eo autem Adoni facem prætulit, quod quibusdam in locis auctor fusiori textura referat, quàm soleant vetustiores Indiculi Martyrum passiones. Confessorum autem plerumque etiam describit claras actiones. Et vt vno dicam verbo nonnulla passim suggerit, rara & singularis animaduersionis digna, vt experti sumus in operis huius consarcinatione: nam in textu plerasque voces, quæ magis ibi genuinæ sunt, ex huius libelli serie deprompsimus: & in Commentario nostro easdem perpendentes, quæ alibi vel prorsus non leguntur, vel mendosè referuntur, vtiles inde obseruationes expressimus, historiæque non infrequenter nutanti, fulcra inde desumentes, supposuimus non exilia. At de Rabano quem *fulgentissimum Ecclesiæ sydus* plerique magni viri vocitârunt, pro instituto satis supérque.

§. VII.

De Notkero Monacho.

NON de Episcopo Leodiensi huius nominis, hunc titulum prænotámus, at de Monacho, qui alumnus, postea Abbas præsignati Monasterij sancti Galli in Heluetia, cognomento Balbulus dictus est. Vir itidem sapientiâ & pietate admodum illustris: cuius iam vbi de sequentiis liturgicis ab eo editis in gloriam Dei & Sanctorum meminimus: quas Nicolaus Papa I. auctoritate Apostolica approbans, vbique terrarum ante Euangelium decantari praecepit. Alia edidit præclara opuscula religiosissimus ac doctissimus asceta, quæ à Trithemio, Sixto, Posseuino, Vvione, aliísque enumerantur. In his computatur à Posseuino *Martyrologium*, quodquidem longa per tempora abditum, at tandem diuino beneficio in monasterio sancti Galli inuentum, & editum à præmemorato Canisio, cum Martyrologio Rabani, hoc sub programmate in vulgus exiuit. *Martyrologium Notkeri, cognomento Balbuli, Monachi sancti Galli. Nunc primùm ex Bibliotheca sancti Galli publicatum.* Non concinit in tenore ad amussim verborum neque rerum plurimarum cum Rabani Martyrologio. Nam quibusdam in locis vt est breuius, sic plerisque in aliis vberius. Adeóque sibi ipsi dispar & inæquale, vt quorumdam Sanctorum nuda nomina vix adhibitâ qualificatione dignitatis, vel mortis designatione exhibeat: quorumdam verò ita profusè describat actiones vel agones, vt historicam texere narrationem auctor ille videatur. Cæterùm Martyrologium ipsius mutilum superstat: deficit enim in septimo Kalendas Nouembris eius series, sicque duo supráque menses ad perfectum eius cumulum desiderantur. Quod magno cedit Galliæ detrimento: nam Notkerus, Sanctorum Galliæ elogiis (quorum gesta meliùs quàm cæterorum nouerat) concinnandis passim immoratur, vnde nobis pleraque impertitus est.

CAPVT XII.

De intermissa post Christianum circiter millenarium Hagiologiorum cura, Scriptorúmque qui ab hinc de Sanctorum Galliæ gestis tractauerunt paucitate.



VSQVE ad Adonem qui ante septingentos annos Martyrologium postremus omnium recensuit, seu potiùs enixu memorabili, ad colophonem, antea variè tentatum potiusquam absolutum, tandem perduxit: perpetua videtur fuisse pius quibusque & præstanti eruditione claris viris contentio, tam insignem quàm vtilem Sanctorum nomenclaturam, conspicuis pigmentis adornare, & plenis cumulare augmentis. At exinde per aliquot sæculorum curricula, nescio quis torpor, quæve desidia, cuiusque certè gentis ac præcipuè Franciçæ, viros doctos inuasit: quâ studia ab sacris indicibus, hagiologiisque augendis, illustrandisque auerterunt, scriptionum generibus oblectari, seu nescio quibus aliis affectibus abducti. Non defuêre tamen deinde potissimum in Gallia viri quidam sanctitate ac doctrina præcipui, at perpauci; qui quantum exempla Sanctorum informandæ ad omnem religionem posteritati conferrent, perpendentes, vt eorum memoriam ac obseruantiam popularibus suis infigerent, vitas Sanctorum quorum vel comites, vel discipuli fuerant, seu quorum res actas antiquis probarisque ex monimentis collegerant, indelebilibus literis studuerunt præsentibus & futuris fidelibus commendare: ex quibus Paschasius ille insignis Abbas Corbeiensis sancti Adelhardi vitam præclaro commentario complexus, æternæ gloriæ eiusdem merita consecrauit. Odo Cluniacensis Cœnobiarcha, qui libros quatuor de vita sancti Geraldi luculentos texuit. Odilo, qui vitam sancti Maioli sui prædecessoris libello tam eleganti quàm pio descripsit. Petrus Damiani, qui eiusdem beati Odilonis discipulus, res ab eo diuinè gestas, nobili encomio celebrauit. Sanctus Bernardus Claræuallensis, qui Malachiæ sanctissimi Pontificis admirandam vitæ seriem, felicémque mortem cuius inspector fuerat, cœlesti calamo & diuino prorsus penicillo expressit. Qui & in sermonibus suis super Cantica, defunctos plerosque symmystas suos, eximiæ sanctitatis meritis nobiles, magnificis extulit emeritæ gloriæ encomiis: propriúmque sermonem in obitu deuoti Humberti habuit, in quo Angelicæ eius vitæ sic decora indicauit, vt & beatitudinis præmia non tacuerit. Porro ipsius Bernardi diuinas actiones, ortum, cursum & occasum, ambitioso quasi famulatu, at religioso ac perutili sanè studio præclaróque prorsus opere, discipuli eius duo literis consignârunt: nempe Guillelmus Abbas sancti Theodorici Remensis, qui librum primum de eius vita construxit; Arnoldus Abbas Bonæuallis, qui secundum edidit, & Gaufridus Monachus Claræuallensis, quondam ipsius sancti Bernardi notarius, qui tres sequentes addidit. Coæuus fuit sancto Bernardo Philippus bonæ spei Abbas, ordinis Præmonstratensis, cuius laudabile studium in aliquot Sanctorum Galliæ gestis describendis emicuit. Huius enim felici operâ habemus sancti Amandi Traiectensis Episcopi acta præclarissima, capitibus quinquaginta duo vitæ eius conscripta. Cum appendice de eiusdem miraculis & eleuatione. Item ex eiusdem textura passionem Sanctorum Martyrum Cyrici & Iulittæ, quorum sacra lipsana eo tempore è Græcia in Franciam diuino beneficio transuecta fuerant, nitidè descriptam. Insuper concertationes gloriosas Sanctorum Martyrum, atque Pontificum Saluij & Foillani. Vitam quoque sancti Gisleni Confessoris. Item sancti Landelini; Venerabilis Odæ Virginis; denique & sancti Vvaldetrudis electæ historiam. Sancti Iuonis vitam Clemens VI. Pontifex Maximus ipse contexuit, inseruitque processui & diplomati canonizationis:

Clemens autem V. beati Petri Cœlestini vitam compendio expressit, quam fusiori serie edidit Petrus ab Aliaco Cardinalis Cameracensis. Item Ioannes XXII. Papa sancti Ludouici Episcopi Tolosani vitam, Apostolico suo diplomate, de eius canonizatione à se exarato, conscripsit. Porro sancti Ludouici Francorum Christianissimi Regis pium vitæ tramitem graphicè delineauit, Gaufridus de Bello loco eiusdem Pœnitentiarius. Sequacium Galliæ Beatorum, qui deinceps rariores extitere, pij quidam viri, scriptis etiam commendare curârunt: antiquorum Galliæ mystarum religiosam prouidentiam imitati, quorum diligentiâ tanta quanta (quæ modica sanè supersunt) priscorum & neotericorum Sanctorum nostrâtium vitæ ac mortis monimenta possidemus. Sed si quæ vel Surius, vel Benedictus, vel iis adhuc recentiores Collectores typis eunlgârunt, historiarum eiusmodi Sanctorum opuscula numerentur, vix certè minimam eorum partem efficient, quæ nunc deficiunt & desiderantur. Centum circiter millium Sanctorum patriorum, hoc in fasciculo expromimus veneranda nomina: horùmque si non omnium certè plurimorum decora, quæ antea vix in tabulis saeris elucebant, propria exhibemus. At tantæ multitudinis vnde putas nos vel vocabula mutuasse, vel encomia excerpsisse quæ damus? Nomina quidem non ex solis Martyrologicis indicibus, at fateor ingenuè ex Regni huius Christianissimi Ecclesiarum tabulis, non nuperis modò, sed quæ magno sudore perquisitæ & inuentæ sunt, antiquissimis descripsimus. At res gestas vnde? vix sanè sexcentorum Beatorum historias propriis digestas vitarum libellis, nacti sumus, ex sedula quam adhibuimus harum inuestigatione. Cæteras proprio labore concinnare oportuit, delibatis narrationum fluentis ex innumerabilium, siue editorum, siue MSS. Codd. fontibus, qui cùm non ex instituto quæ quærebamus persequerentur, ex diuersarum collectione historiarum, tractatuum, epistolarum, diptychorum, poëmatum, officiorum, mysticorúmque librorum petuetustorum penu, necesse fuit quæ describimus, tot Sanctorum indigenarum aduenarúmque præconia, eruere. Attamen non ita de nostro labore præsumimus, vt quamuis copiosissimæ Sanctorum Gallicorum turmæ (quæ antea densa obliuionis caligine ferè tota, offusa latebat) heroica facinora referamus: illius stupendæ multitudinis quæ arenam maris & cœli sydera suo longè numero exuperat, absoluta prædicamenta ne dixerim, sed nec omnia vocabula me putem consecutum: quinimo modicæ duntaxat huius partis arbitror me nomina vel decora attigisse. Quod verò non plura sim adeptus, bina obfuit præpeditio.

CAPVT XIII.

De priscorum sacræ Galliarum Historiæ monimentorum tenuitate, si conferantur cum Sanctorum multitudine inenarrabili, qui ab ortu fidei in Gallia claruerunt.



RIMA emersit ex Sanctorum Galliæ immensa multitudine, de qua illud citra inuidiam & temeritatis notam secure asseuerauero: gentem hanc vnam cœlo emisisse ad perennes Regis gloriæ triumphos, *turbam magnam, quam nemo dinumerare queat*: multominùs paribus laudum præconiis celebrare. Certè dudum Eucherius Lugdunensis, cùm adhuc Galliæ Sanctorum tanta non insurrexisset multitudo, suæ ciuitatis mysticas diuitias, singularémque diuinæ in eam bonitatis munificentiam demiratus, ita populares suos ad piam gratitudinem incitans ex tanta Sanctorum segete grauissimè contestabatur, in fronte illius homiliæ quam de sancta Blandina habuit: *Agnoscamus charissimi, circa Ecclesiam nostram vberiorem diuinorum munerum largitatem. Exultant singularium vrbium populi, etsi vnius saltem Martyris reliquiis muniantur. Ecce nos* POPVLOS MARTYRVM *possidemus. Gaudeat terra no-*

Apoc. 7. 9.

stra nutrix cælestium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Reuera enim vnum * Lugdunum, liquidò ex his fastis constat, Sanctorum quantitate vel Bethleemitico solo posse iure præferri. At quàm Galliarum vna vrbs sibi vendicat, ex Sanctorum multitudine ferè innumera, gloriam, quanto hanc puras cumulo vniuersa ipsa Gallia ex heroum suorum Beatorum plenitudine altè euehit, efficitque miris diuini huius splendoris accrementis (quibus vndique affluit) ampliorem? Nemo sanè est mortalium, qui hunc liligerum exercitum cœlo iam ex Gallico solo euectum recensere possit. Qui inclytorum istorum bellatorum radiata queat triumphalibus aureolis capita numerare: Heroum, inquam, illorum vel nomina conscribere, qui inuicto robore pro Christi Euangelio & diuinitate decertantes, cruciatibus afflicti, suppliciis explorati, sæuis ignibus sacrificij more decocti, *quantas susceperunt in corpore pœnas, tantas perceperunt* (vt ait ipsemet Eucherius) *coronas: ac sic per tormentorum plagas, & torquentium motus, priùs consecrati sunt quàm perempti.* Quamobrem pulchrè iuxta ac verè dudum Vualfridus Strabo Galliæ magnificas dotes, quibus gentibus fermè vniuersis antecellit, suspiciens cecinit, in hymni de Agaunensibus Martyribus procemio.

* Lugdunus dixit S. Hieronym. in epitaphio Nepotiani.

Felix Gallia fortibus trophæis,
Vbertate soli, virûm nitore,
Regni nomine purpurata magno,
Romana soror vrbis atque consors.
Hac inquam meliùs dicata Christi
Signis, illita MARTYRVM CRVORE,
Excellentius has togas frequentat,
Quas non impius inquietat hostis.
O summis pia laudibus colenda! &c.

Et sanè si vno die apud Celtas, adeóque apud Lugdunenses, vna in vrbe vndeviginti millia Martyrum cum suo coryphæo Irenæo, agonem peregisse in Christi confessione memorantur: cùm, quemadmodum scribit Gregorius Turonensis, *talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, & tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem dominici nominis est iugulata, vt per plateas ex sanguine Christiano flumina currerent,* quorum *nec nomina nec numerum* se fatetur valuisse colligere. Si, inquam, & vna die apud Claromontanos Aruernenses sex mille ducenti sexaginta sex Christi agonistæ contrucidati sunt. Si apud vicum Agaunum integra legio fuit assertorum fidei obtruncata. Si apud Parisienses eo temporis articulo quo dux cœlestis in terra militiæ Dionysius cum symmystis, vltimâ pugnâ congressus cum inferorum copiis, victor est laureatus cruento diademate, tanta fidelium multitudo quæ per eum crediderat, cum illo, eodem die, & in circuitu ciuitatis illius interfecta est, vt præ numero interemptorum fatigati superstites incolæ, nemo iam reperiretur qui necatos sepeliret. Si apud Massilienses cum sancto Defendente signifero pietatis, vno die, vnius tyranni gladio, militum Christianorum est edita immanis strages. Si sub vno Croco Vvandalorum Duce, sub vno deinde Attila Hunnorum Rege, verè dicto *Dei flagello*, athletarum fidei Myriades infinitæ, toto quo patet spacioso Gallia sinu, obrutis templis, euersis vrbibus, vastatis prouinciis, dira clade attritis regionibus, omni sæuitia imperitæ, fetali mucrone barbari exercitus, ad internecionem vsque deletæ sunt. Deinde sub Saracenorum Gallias inuadentium feris turbinibus; Danorum etiam infidorum exitiosis incursionibus, & omnium Galliæ ciuitatum ac agrorum miserandis depopulationibus, tanta strages Christicolarum patrata est, vt à fœdis his gyrouagis, vno in monasterio Gemericensi, nongenti ascetæ fuerint vno in momento combusti. Quis iam est qui iam parem se existimet elogiis eorum conserendis? cùm nec nominibus eorum consignandis vlla contemporaneorum Scriptorum satisfacere potuerit cura aut industria? Sidonius Apollinaris cum Beatorum Galliæ Heroum encomium gestiret versu contexere: se metro renuente præpeditum, quod nomina singulorum mensura versus non caperet, abstinuisse ab hac recensione ingenuè restabatur.

Histor. lib. 1. cap 27.

Lib.9.epiſt. 56.

Forſitan dicam meritóſque cælum
Martyres, mortis pretio paraſſe
Præmia vitæ.
Singulos quos nunc pia nuncupatim
Non valent verſu cohibere verba:
Quos tamen chordæ nequeunt ſonare,
Corda ſonabunt.

Carm.23. Et rurſus: *Horum nomina cum referre verſu*
Affectus cupiat, metrum recuſat.

Quanto aptiùs dixerim, non tam ſyllabarum pondere, quàm capitum numero, quæ pro fide tuenda deciſa, vt erigerentur ad lauream, ſub gladio ceciderunt, quémque iamdudum diſertum, eruditum, ac quantumuis ocularum fuiſſe impeditum, ne ſeriem eorum integram contexeret, multò magis ne horum glorioſos agones & trophæa, nunquam ſatis prædicanda, deſcriberet. Sagaciter notauit Theophilus Raynaudus Theologus Societatis IESV, in aureo illo quem edidit proximè elapſis annis *Sanctorum Lugdunenſium Indiculo*: vndeuiginti millium illorum fidelium, qui Lugduni vna die, in agone fidei, cum ſancto Irenæo duce ſuo occubuerunt, titulos edidiſſe: illius ſolius nomen cognitum ſupereſſe. Et ne circa Martyres, quorum purpurâ tota Gallia eſt cooperta, diutiùs immorer, Sanctorum ſanè Pontificum & Sacerdotum Beatorum *(quos multos Gallia bonos, præſtantéſque religionis magiſtros* iam olim *dare conſueuit*, ſicut Arator Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus præfatione Poëmatum in Acta Apoſtolorum ad Vigilium Papam, memorabili gentis noſtræ encomio teſtabatur) venerandus chorus, omnem ſuo numero vincit exiſtimationem. Confeſſorum autem cæterorum, & Virginum ſacrarum, quæ incruentâ victoriâ immarceſſibiles palmas & coronas reportârunt, glorioſa agmina, nulla poſſunt multitudinis quantumuis copioſæ amplitudine compenſari. Profectò Gregorius Turonenſis verba faciens de ſua natali ciuitate Aruerna, libro de Gloria Confeſſorum cap. 36. *Sunt ibi* (ait) *illuſtrium meritorum viri, quorum nomina ignota incolis, ſcripta tamen, vt credimus, retinentur in cælis.* Et reuera, in veteri libello MSS de Eccleſiis & altaribus Claromonte conſiſtentibus num. 3. ſic legitur: *In Eccleſia ſancti Laurentij, altare ſancti Laurentij, vbi requieſcunt ſanctus Gallus, ſanctus Briccius, & alij Sancti, quorum nomina Deus ſcit.* Porro num. 10. *In Eccleſia ſancti Veneraudi*, &c. *Vbi ſanctus Venerandus & Linguinus & Nepotianus, & ſanctus Auitus, & ſancta Clara, & alij ſex mille ducenti in corpore quieſcunt, quorum nomina Deus ſcit.* Et vetus inſcriptio Illidianæ baſilicæ marmore inciſa. *Hic requieſcunt corpora Sanctorum, quorum nomina Deus ſcit.* Cùm igitur tot extiterint Sanctorum in Gallia myriades, vt vna in vnius ciuitatis, certè non maximæ, Eccleſia, ſex mille ducenti conditi requieſcant, quorum nomina ſolus Deus nouit: qui fiet vt ampliſſimi huius Regni glorioſos quis numeret Heroës, factáque eorum diuina ſignatis apicibus commemoret, quorum ipſa vocabula, *clauſa vt ſtellæ* æternæ *ſub ſignaculo*, ſoli Deo qui hæc ſidera ſplendoribus ſuis in regno gloriæ decorauit ſunt cognita? Haud mirum igitur, ſi omnium Galliæ tutelarium Beatorum hiſtorias minimè teneamus, cùm exterriti victíque ſcriptores immenſa illorum multitudine, quin & ipſorum nominum, quæ ſola Dei notitia comprehendit, coërciti inſcitiâ, meritorúmque eorumdem quòd ignorarent propria encomia: res diuinè ab eis geſtas litteris delineare ſe poſſe deſperârint, eáque ratione abſtinuerint, ab ſingulari cuiuſque deſcribenda vita, vel extrema concertatione laudibus propriis efferenda: ſat ſibi & poſteris præſtitiſſe rati, ſi celebriorum, quamuis pauciſſimorum præclara facinora, à ſe haud ſine ſupremo fauore obſeruata, iis commentariis complecterentur, quibus debita eorum memoriæ rependeretur veneratio, fidei adhiberetur teſtificatio perennis, & pietati apud poſteros muniendæ inſtructio ſufficiens impertiretur.

CAPVT XIV.

Alteram afferens causam præsentis monimentorum Ecclesiasticorum penuriæ, videlicet multiplicem sacrorum Codd. iacturam, & frequentem religiosæ supellectilis direptionem.



LTERA causa, cur in Sanctorum historiæ indagandis monimentis, concinnandisque elogiis eorumdem, tantâ penuriâ laboremus, ex multiplici prodiit eorumdem actorum iactura. Licèt enim non omnium Maiores nostri literis ad nos mandauerint certamina: certè longè plurium nobis pugnas & agones consignauerunt, quam quorum historias retinemus. Sensim autem irrepsit hæc, multóque per casus & clades Galliarum diuersas, ad nos vsque iampridem serpens peruenit deploranda iactura. Tempori imprimis multa tanti detrimenti venit adscribenda pars, quod rerum edax, diuturnitate & vicissitudine sua cuncta quæ materiæ hærent deuorat & consumit. Deinde persecutorum Christiani nominis sæuitiæ, qui furente in iis Satana, vt fidem & gloriam Christi abolerent, & Sanctorum eius delerent memoriam; omni quo potuerunt conatu satagerunt, Beatorum ipsorum diuinæ veritatis præconum & assertorum, inclytas actiones & trophæa obscurare, quin & eorum vel minima vestigia eradere: vtque funditus religionem ab iis inuectam diuinis auspiciis, infeliciter subuerterent, exitiosæ sub obliuionis puluere nomina eorumdem occultare contenderunt: quo & molimine nihil actum fore ab se existimârunt, nisi ipsorum Beatorum cineres in auras dispergerent tradita, ab iis etiam scripto, salutaria monimenta comburerent; & quæ de eorum gloriosis actibus & exemplis, à studiosis Euangelicæ religionis Scriptoribus, fuerant ad æternam memoriam literis commendata, delere & abolere pertinacissimè conniterentur. Hanc diaboli inuidiam, & hominum impiorum insaniam, iam ab religionis ferè cunabulis deplorauit graui expostulatione Arnobius lib 1. aduersus gentes, vbi sic ait: *Sed neque hæc omnia conscribi, aut in aures omnium peruenire potuerunt, gesta gentibus in ignotis, & vsum nescientibus literarum: aut si qua sunt literis scriptionibúsque mandata, maleuolentiâ dæmonum quorum cura & studium est hanc intercipere veritatem, & consimilium his hominum; interpolata quædam & addita, partim mutata atque detracta, verbis, syllabis, literis, vt credentium tardarent fidem, & gestorum corrumperent auctoritatem.* Sed hæc generalis est contra ethnicos ac hæreticos querimonia. Pressiùs ad rem nostram facit illa obseruatio, quam ex indicibus Ecclesiarum censualibus (vt Tertulliani voce vtar) seu Episcopalibus tabulis sedium Pontificiarum Galliæ deprompsimus. Antiquissimas certè esse Galliarum Ecclesias ipse Tertullianus libro aduersus Iudæos prædicat. Et tamen post singulorum Episcopatuum auctores, qui in singulis populis Patres fidei excitêre, vix vlla est ex primæua eiusmodi fundatione sedes, quæ seriem suæ pontificiæ successionis * haud interruptam ostendat: cùm à primo Præsule vel secundo, vacuus appareat diuturno temporum cursu pontificalis consessus; vel si Antistes quispiam fractis vicibus comparet, solo censeatur nomine, actorum eius vel modica expressione suppressâ. Hinc nonnulli suspicandi ansam arripuerunt, sedium Gallicanarum origines, quæ ab antiquissimo stemmate passim commendantur, non tantæ vetustatis esse quâ prædicantur: at diù post annunciatum orbi Christi saluiferum nomen, sacros matricum illarum Ecclesiarum excitatos esse Præsulatus. Sed falluntur. nam interpontificia, quæ in tabulis Episcopalibus passim apparent, longè ab alia quam putant manârunt occasione. Nimirum à persecutorum immanitate, qui diabolica perciti maleuolentia, post necatos primos Christianæ religionis apud Gallos parentes, eorem nomina obliterare, & memoriam supprimere omnibus

* Nota genuinam causam interpontificij, quod plerisque in antiquissimis Galliarũ Ecclesiis primis sæculis contigit: Episcopalibúsq in tabulis passim conspicitur, paulò post inita ab Apostolis earumdem Ecclesiarum, religionis primordia.

modis contendebant. Atrocitate infectationis insuper efficiebant, vt non facilè quisquam in interemptorum tanta feritate Pastorum locum se substitui pateretur. Si quis verò vel inuitus sublegeretur, mox latibula quærere, si diuinum munus creditum exequi vellet pro ouium exercitarum solario atque subsidio, eidem necesse erat: sicut plerisque exemplis hoc in Martyrologio signaris fiet cuique sedulo lustratori compertum. Accessit Diocleriani feralis sanctio, quâ mandauit omnes religiosos Christianorum codices cremari, anno imperij sui 18. mense Martio. Quam sacrorum librorum conflagrationem, suis quam aspexit oculis, amare deflet Eusebius Cæsariensis histor. lib. 8. cap. 2. & 3. Arnobius lib. 4. aduersus gentes, Optatus Mileuitanus in libris suis contra Parmenianum. Cujus & frequenter nec sine dolore meminit sanctus Augustinus in Epistolis, & aliis Opusculis contra Donatistas conscriptis. Nec abs re. Tunc enim temporis in tanto Christianarum Scripturarum naufragio, factam esse lacrymabilem illam actorum Martyrum iacturam, nulla est penes sensatos dubitatio: tuncque sublata illa nobilissima rerum gestarum monimenta, tanto labore collecta, tot cognitoribus comprobata, tanto denique studio custodita: vixque ex tam immenso naufragio perpaucæ remanserunt tabulæ, eædémque etiam mutilæ, quæ supersunt. Hanc cladem Episcopalium censuum, disertis verbis commemorat ac deflet in sua historia Ecclesiæ Remensis Flodoardus lib. 1. cap. 5. hoc verborum tenore. *Frequentibus igitur persecutionum procellis intonantibus, Ecclesia puppis nostra iactata, diuersisque oppressa fluctibus, quoniam caput vix attollere poterat, quanto sedes ipsa tempore rectore vacua digno resederit, haud facilè panditur. Adeovt post præmissos nostræ fidei Patres, beatum Sextum atque Sinicium, vnum dumtaxat Præsulem inueniamus Amansium ad imperium vsque Constantini, sub quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito diacono suo, primus ex hac Belgica prouincia legitur Arelatensi prima Synodo, relata per Marinum* * *Episcopum beatissimo patri Siluestro, Volusiano, & Aniano Consulibus.* Hæc ille. Post exitiosum autem edictum Diocletiani, quo quæ ad eius tempora edita & seruata fuerant Christianæ nascentis religionis monimenta, luctuoso funere interiêre. Accessit iterata sacrorum codicum iactura ex Vvandalorum & Hunnorum funesta vniuersis Gallijs incursione: cui Harigerus in actis Episcoporum Leodicensium, luctuosam reparatorum sacrorum monimentorum direptionem deputat. Sic enim infit commentationis suæ cap. 17. *Post Materni decessum in Pontificio sibi per ordinem successerunt Nauitus, Marcellus, Metropolus, Seuerinus, Florentius, Maximinus, Valentinus: & quorum Imperatorum vel Consulum claruerunt tempore, vel quos vita singulorum habuerit exitus, quótque annis administrauerint singuli officium Pontificatus, vel quis illorum sepulturæ sit locus, nullius à nobis requiritur exactio.* CVM ECCLESIARVM TOTIVS GALLIÆ MEMORIAM ABOLEVERIT FACTA PER HVNNOS SVBVERSIO. Hæc Harigerus, qui ante annos ferè septingentos scribebat. Dices tam insigni quidem testificatione probari Martyrum ferè omnium Galliæ periisse acta, quæ Gregorius Turonensis * * passim testatur ideo ex Italia repetita. At Confessorum cæterorúmque Beatorum historias, quæ post diras has clades conscriptæ sunt, non inde probari excidisse. Fateor. Sed Galliarum aliæ postmodum haud minus graues concussiones contigerunt: quibus hæc monimenta non dubites pessumdata. Danorum enim, quos Nortmanos dicimus, multiplex in Gallias irruptio, diræque quas intulerunt vrbibus etiam florentissimis strages, facra hæc pietatis indicia, vt cætera quæque religiosa insignia suis motibus ac direptionibus, maiori ex parte sustulerunt. Horum enim barbarorum mos fuit impius, Ecclesias & Monasteria non modò vastare, sed & incendiis absumere: sicut in eorum gestis, maximè autem in Chronico rerum per eas factarum ante Rolonem, passim legitur annotatum. Illic enim habetur anno 841. eos ab Oceano irruentes, Rorumam (quam Rotomagum posteri vocitarunt) ferro ignéque ditipuisse, Monachos populúmque cædibus vel captiuitate deleuisse, & omnia templa & loca Sequanæ adhærentia miserè esse depopulatos. Anno 843. Nannetum aggressos, omnia cædibus, incendiis ac rapinis impleuisse. Pontificem * * * eiuitatis ipso die Sabbato sancto Paschæ, cùm baptismum ex more celebraret, in basilica interfecisse, Clerum, trucidasse,

* Nota iam ante Nicenū Cōcilium acta synodorū ad sedis Apostolic. Præsulem per Galliæ aliarúmq. gentium Episcopos relata fuisse. Nam Arelatense. Concil. Nicenum antecessit. Et in eo exteri etiā Præsules cōuenerūt, quorum Arelatēsis Primas, qui vices in Gallia gerebat Apostol. sedis, caput fuit. Et hoc nomine gesta & decreta ad summū Antistitē examinanda, & si is probaret promulgāda retulit. Vide in re consimili S. Ambros. testimonium in epist. ad Theoph. Alexand.

* * De gloria Martyr. cap. 40. 51. & 64.

* * * Guichardus his ciui.

trucidasse, ciues pleto sque interfecisse, deprædatáque ciuitate, inferioris Aquitaniæ partes inuasisse. Anno octingentesimo quadragesimo quinto alueo Sequanæ remenso, cuncta maris finitima loca diripuisse, vastasse, atque incendiis concremasse. Celebre autem Sithiu monasterium in Morinis incendisse. Anno octingentesimo quadragesimo octauo Burdegalam prodentibus Iudæis captam, depopulatámque concremasse. Anno 850. desolasse Batauos, vastasse Gandauum, & sancti Bauonis nobile Monasterium consumpsisse incendio. Anno 853. relicta Sequana Ligerim adeuntes, Nannetum vrbem eamdem iterum inflammasse, Monasterium sancti Florentij ac vicina loca diripuisse. Deinde superiora petentes, sexto Idus Nouembris vrbem Turonicam incendisse, cum Ecclesia famosissima sancti Martini, & cæteris adiacentibus locis. Anno 855. Aurelianam pessumdasse vrbem. Anno 857. Lutetiam impetentes basilicam sancti Petri & sanctæ Genouefæ incendisse. At Ecclesias sancti Vincentij, & sancti Dionysij multo pretio ne incenderentur tum fuisse redemptas. Anno 859. ingressos Rodanum, adiacentes ciuitates & Monasteria deuastasse. Eodem anno Ambianos rapinis & incendiis affecisse, concremasse sancti Valerici cœnobium. Deinde Nouiomum noctu ingressos, ciuitatem subuertisse. Abduxisse Immonem Episcopum, Clericósque & ciues insigniores captiuos, eosdem porro deinde in itinere interfecisse. Anno octingentesimo sexagesimo primo, iterum tentasse Lutetiam, basilicámque Sanctorum Vincentij & Germani ferialibus flammis destruxisse. Anno octingentesimo sexagesimo quinto, Ligerim nauigantes vsque ad Monasterium sancti Florentij peruenisse, id quoque pessumdasse ignibus. Deinde reuertentes, Aureliam cum Ecclesiis concremasse, præter basilicam sanctæ Crucis, quam, etsi multùm barbari illi desudassent in admouendis faculis, protegente Christo nequiuerunt flammæ iniectæ attingere. Anno octingentesimo sexagesimo nono, diripuisse Cenomanos. Anno octingentesimo septuagesimo nono, Corbeiæ celeberrimum Monasterium; Ambianum, aliásque ciuitates, & sancta loca inuasisse. Anno 881. eosdem incendiis & deuastationibus inhiantes, ad interitum & perditionem Regni intendisse vires, Gandauum rursus occupasse: Tornacum ciuitatem, & omnia Monasteria super Schaldim fluuium, ferro & igne deuastasse, incolis partim interfectis, partim in captiuitatem abductis. Anno 881. Cameracum ingressos incendiis & occisionibus ciuitatem repleuisse. Monasterium S. Gaugerici, Centulam S. Richarij, & omnia Monasteria circa mare diripuisse. hinc vastasse Attrebatum. Anno autem 882. Mediomatricum aggressos, Vvalonem Episcopum Metensem cum plerisque occidisse. Postea famosissimum Aquisgrani Palatium facibus admotis cremasse, & Monasteria atque metropolim Treuirensem & Coloniam Agrippinam, Palatia quoque Regum & villas ignibus tradidisse. Anno 883. iterum Regnum inuadentes, id omne ferro & igne deuastasse, Ecclesiis disruptis, accolis terræ deletis ad Veromanduos peruenisse, túmque incendisse S. Quintini Ecclesiam: & S. Mariæ in Attrebatis basilicam. Obuiam ad Samonam fluuium Karlomanum fugasse Regem cum exercitu, túmque magis efferatis animis debachantes, Ecclesias, ciuitates, vicos subuertisse, incolas ad internecionem deleuisse. Tædet tam miserandas charissimæ patriæ strages, tam horrendas sacrorum locorum direptiones fusiùs persequi. Ex his satis patet quanta fetali ex hoc turbine Gallia perpessa sit, cùm in omnibus charis pignoribus, tum potissimum suis in rerum sacrarum monimentis detrimenta. Consumptis enim lachrymabilibus incendiis, Ecclesiis & Monasteriis, quis dubitet asseruatos in earum scriniis & bibliothecis quosuis religiosos codices iisdem absumptos conflagrationibus periisse. Esse consueuerant certè in Ecclesiis duo secretaria à dextro sinistróque latere apsidis posita: in quorum altero sacra Eucharistia: in altero sacræ Scripturæ diuini codices asseruabantur. De vtrisque sanctus Paulinus origine Aquitanus, Nolanus autem Episcopali sede, epist. 12. ad Seuerum meminit itidem Aquitanum. At cùm scholæ in Monasteriis exercerentur iuxta Turonensis II. Concilij constitutum cap. 14. Monasteria verò Episcopalibus Ecclesiis ad eruditionem Cleri adhærerent, vbi bibliothecæ

erant & *scholæ sub primicerio clarissima, lectorúmque militia*, vt loquitur sanctus Remigius epistola ad Falconem Tungrensem Episcopum, ordinem hunc canonicum non rectè obseruantem: in tantis Ecclesiarum ac Monasteriorum combustionibus, incensas quoque fuisse bibliothecas cùm negari non debeat: consequens est, vniuersali penè hoc incendio, codices quoque concrematos, paucásque admodum reliquias ex tam immani busto superfuisse. Verùm ab his, inquies, temporibus septem ad minus sæcula effluxerunt, sub quorum excursu vt Sancti plurimi effloruerunt: sic non defuerunt qui res eorum memorandas posteris stylo commiserint, disperditáque monimenta vetustiora solerti indagine reparârint. Nam & Ecclesiæ his procellis euersæ, & literariæ gazæ incensæ postmodum instauratæ sunt: quin & nouæ plurimæ excitatæ. Nec abnuo. Sed quis nesciat Francorum cum Anglis continuis ferè conflictationibus, Gallias cladibus multis exinde attritas fuisse, nec solùm tanto terræ motu ciuitates concussas: sed sacra quæque loca sæpiùs vastata, hostilique incursu direpta & incensa? Verùm vt demus vtriusque partis exercitus piis locis pepercisse. Numquid Hagiomachorum modernorum erumpentia in religionis & patriæ perniciem infernali ex orco agmina, eadem in loca Deo sacrata, Sanctorum vestigiis insignita, eorúmque pignoribus & monimentis adornata & cumulata, piè & Christianè se gesserunt? Impiæ eorum sanè grassationis atrocitas, horrorem mihi dum grauissimum incutit, vocem itidem eripit, lachrymarúmque erumpentibus profluuiis, quas patriæ elicit amor, & auitæ religionis zelus, lingua, suspiriis ac singultibus præpedita, tantæ desolationis diritatem verbis nequit exprimere. Mei igitur vicem hîc subeat Antonius Posseuinus, qui Lugduni agebat, cùm illorum sectariorum copiæ Lugdunum occupârunt: Ministrique eorum vt crebra quæ patrauerant facinora, aliquo fuco obducerent, libellum euulgârunt hac sub inscriptione: *Iusta & sancta defensio ciuitatis Lugdunensis*: subdit verò doctus ille scriptor ac religiosus testis. *Nimirum ita sanctè ac iustè (si Deo placet) eam vrbem hæretici defenderant (nam & nos eandem vidimus, qui ibidem in eorum manus incidimus) vt omnia templa diripuerint, sacras imagines erasérint*, CATHOLICOS LIBROS COMBVSSERINT, *Sacerdotales vestes ad vsum militum & mulierum hæreticorum adhibuerint; Sacerdotes, Monachos, Sanctimoniales omnes exulare coëgerint, è sacrosanctis calicibus altaris sese inebriauerint, mercatoribus Catholicis sua ademerint, Regiam sibi potestatem rebelles vsurpauerint, contra Regis exercitus pugnauerint, iuge altaris diuini sacrificium exterminauerint*, MARTYRVM RELIQVIAS CONCREMAVERINT, *aut in Ararim proiecerint, deturbaturi cælites è cælo si potuissent.* Hos autem pari si non acerbiori furore per totam Galliam sæuisse, Adrianus Bebottus maior Rotomagensis Ecclesiæ Archidiaconus, eo insigni libello, quem *de actis Ministrorum* inscripsit, graphica delineatione & luculenta relatione insinuat: qui cùm pagina 108. inclyti Archimonasterij Cluniacensis vastationem à Poncenaco segregum duce editam tragicè deplorat, cremationem tamen amariùs deflet totâ Europâ nobilissimæ eiusdem cœnobij bibliothecæ: quæ Codd. MSS. innumeris omni diligentia ibi congestis, & perenni studio conseruatis ad hæc vsque funesta tempora; referta, miserandâ hâc conflagratione tota deperiit & euanuit. Dolor impedit, ne recenseam alias quas diripuerunt, & ignibus tradiderunt sacras eiusmodi toto Galliarum regno religiosorum codicum, quibus se Maiorum iudicio damnari sciebant apothecas. Liceat hîc duntaxat in Galliæ persona Prophetæ gemitus refundere. *Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. Demolita sunt horrea, dissipata sunt apotheca. Gens enim ascendit super terram meam, & dentes eius, vt dentes Leonis. Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, si factum est istud in diebus vestris! Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Quæ enim monimenta pietatis Ethnicorum persecutorum furor discerpserat, barbarorum feritas vastauerat, eadem vtcumque

Apparat. sacri tom. 2. pag. 523.

Ioel. 1.

reparata hæresis, ex antiqua colluuie impietatis enata, sua leonina rabie non modò diripuit, sed admotis etiam ex infernali busto exitialibus faculis perditè incendit & consumpsit. Dices iterum mihi, si ita est: vnde igitur Martyrologium tuum, quod profers Gallicanum, deprompsisti? Cur ex vetustis monumentis & Codd. MSS. à te collectum id iactitas? Cur ita de antiquitatis præsidiis gloriaris? Et æquum est quidem huic grauissimo obiecto vt satisfaciam. Respondeo igitur. Quantum sit procella grauis, dum arbores & vineæ turbinibus quatiuntur, non ita tamen solet esse rigida, vt racemus vnus vel alter non remaneat à spoliatione immunis. & sicut excussio oleæ, duas saltem vel tres oliuas in summitate rami, siue quatuor vel quinque in cacuminibus eius hærentes, vt plurimum relinquit: ita sanè ex tot cladibus non inficiandum est, aliquas superfuisse reliquias, in tanta templorum, cœnobiorum, bibliothecarum multitudine, quibus referta erat Gallia sinu vastatissima, Gazæ quidem aliquot abditiores perstiterunt, vt hostibus impetuiæ, ita iis quantumuis furentibus, incombustæ: in quibus qui seruati Dei prouida benignitate vetusti aliquot codices incolumes, inde peritis diffusisque per totum regnum exemplaribus, quæ ambitioso enixu, docti quique ac pij viri suis vsibus exquisierunt, ruinam tam grauem nouis impendiis resarciuêre. Hoc ex alueo vt potiora nostra subsidia hausimus, sic vberiora quod nacti non simus, perdolemus. Tametsi non ita infaustis auibus ea in re lusimus, vt oporteat nos adhibitæ solicitudinis, indaginis & operæ pœnitere. Certè dudum post ethnici turbinis, & Vvandalicæ ac Hunnicæ procellæ feralia fulmina, excisis ferè vbique in Gallia sacrarum rerum monumentis, historiæque Ecclesiasticæ codicibus inflammatis, Maiores hoc studium in gestorum libellis Martyrum recuperandis adhibuêre, vt ad fontem religionis, matricem Catholicæ Ecclesiæ, Romanam scilicet & Apostolicam sedem, penúmque eius his documentis locupletissimam, recurrerent. Cùm enim Gallicana Ecclesia, quæ Romanæ omnium matri vt filia obsequentissima sempèr & deuotissima hæsit: Martyrum suorum concertationes vigili studio à testibus oculatis descriptas, atque à sacris mystis recognitas, Romam, vti ad fidei arcem & arcam, seu, vt ait sanctus Irenæus, *depositorium diues, totius veritatis*, examinandas asseruandásque transmittere consueuisset (sicut suprà à nobis indicatum est:) nihil magis leuandis suis necessitatibus opportunum censuit, post suscepta tot immanium cladium detrimenta, quam à matre amantissima opem expetere, eáque Sanctorum suorum quæ transmiserat dudum vera elogia inde repetere, vbi sciebat ab hinc esse religiosè, quoad fieri potuerat, conseruata. Sic Gregorius Turonensis, Patrocli Trecensis Martyris passionem, quæ vsu visúque Gallorum exciderat, à peregrino homine Trecas delatam, & postea cùm de fide eius dubitaretur, ex Italia authentico exemplari aduecto veram comprobatam, testatur. Idémque, Benigni Martyris Burgundiæ Apostoli, iam apud suos Diuionenses ex historiæ iactura incogniti, agonis narrat historiam, ab Italia fuisse per quosdam redeuntes aliaram ad sanctum Gregorium Lingonensem Episcopum, qui tanti athletæ cultor studiosus eius memoriam specioso tumulo, temploque insigni decorauit: populisque ad tanti Martyris incutiendum cultum, gestorum eius descripta serie præclara merita manifestauit. Queritur tamen & dolet ille beatus Antistes, & sacer historicus, acta omnia quæ ex Italia in Galliam afferebantur, vndecumque integra minimè extitisse: acta inquam non dico Gallorum tantùm Martyrum, sed nec Romanorum, cùm Roma ipsa variis concussionibus quassata, multa eiusmodi scripta iam perdidisset, tempúsque edax rerum, hominum vicissitudo, & ipsa librorum caducitas, pleraque obliterasset venerandæ antiquitatis documenta. Multa tamen post sedatos tam rigidæ procellæ flatus, & rerum fluctus humanarum, ex ipsis Galliæ intimis meatibus vt reuocarentur ad lucem, quibus damnum tam dolendum nonnihil fuit reparatum: Episcoporum, Sacerdotum, ascetarum, & aliorum pietate & doctrina præstantissimorum virorum (quorum copia semper, vt testatur sanctus Hieronymus, *abundauit Gallia*) eximia religio & sedula opera

Lib. 3 cap 4. cōtra hæres.

De gloria Martyr. cap. 64.

Idem ibidem cap. 51.

Idem c. 40.

Contra Vigil. tom. 2.

effecit: diuináque iis benignitas opitulata est, quæ ne Sanctorum quorum vtiliora cognitu erant certamina, documenta & exempla, recordatio & cultus periret, quasi ex sinu æui eruta eorum actorum insignia, ad splendorem nouæ manifestationis reuocauit. Hac ratione adepti sumus patriorum Sanctorum præconia, quæ hoc in promptuarium congessimus. Et quamquam ægrè feramus quæ efferimus esse adeo exilia, siue Galliæ Sanctorum multitudo, siue prisca codicum qui gesta eorum gloriosa exprimebant vbertas attendatur: tamen in hoc ipso nobis ipsi gratulari audemus, quòd post tantam rerum caliginem, támque diros & diuersos Galliæ casus, historiæ nostræ gentis Ecclesiasticæ instaurandæ, & Beatorum patriæ tutelarium gloriæ vindicandæ non modicum luminis afferamus: damnáque si non omnia quæ in libris sacris Ecclesia Christianissima perpessa est resarcimus: saltem eorum plurima, nouis studiosæ indaginis lucris compensemus. Id verò Lectorem confidimus studiosum, ipsa operis huius peruolutatione, auspice Christo, experturum.

CAPVT XV.

De nouis sacræ antiquitatis vindicibus, obscurataque Sanctorum generalis historia illustratoribus.



TAMETSI Christiani populi peccata effecerint, vt iusto Dei iudicio, minuta sit Sanctorum in terris gloria, dum videlicet exigentibus actis malorum, vita absconditur bonorum, & Sanctorum qui viam ad æternitatem nobis exemplis suis præsignârunt, piæ ac iustæ actiones ignotantur, imò dudum claræ & cognitæ iam sub obliuionis nebulis conteguntur, *Deo stellas sub signaculo claudente*, qui populos nimium terrenis reb. inhiantes, cœlestiáq. aspernantes, & dierum obliuiscentes antiquorum, ea caligine inscitiæ permittit inuolui, vt obscuratis cœli luminaribus, *viam scientiæ & disciplinæ* quam ipsi mundani ciues despexerunt non videant. Nihilominus auctor ipse luminis & amator (qui alternis vicibus diem & noctem ordinauit, vt noctis tenebras attéperet, sicut Solem posuit in potestatem diei, ita Lunam substituit in illuminationem noctis) non ita densam permisit *tempore huius insipientiæ* terris infundi caliginem, vt Sanctorum inclyta facinora penitus obuelarentur, Christianúsque populus qui horũ illustratione plurimùm indiget, qua salutis semitas aduertere ac adire queat, solatio huius lucis, & directionis tã necessariæ destitueretur subsidio. Quamquam igitur crebris Christianæ reipublicæ, & potissimum Christianissimi Francorũ regni cladibus, Sanctorum historiæ præclara monimenta passim, direpta, cremata, exsufflata, humanis vsibus exciderint: ipsáque temporum diuturnitate multa perierint, & scriptorum vel metu, vel ignauia. Metu quidem, cùm ætatis suæ corruptionem & dissimilem morum suorum à Sanctorum actib. sortem, & vitium suarum tenuitatẽ perpendentes, sese illorum sacras historias qui enarrarent indignos arbitrabantur. Vnde sic præfatus legitur Philippus Abbas, S. Bernardi Synchronus in epistola ad Hugonem itidem Abbatem de vita S. Amandi. *Sanctorum meritis flores adhibere sermonum, & officio scriptionis electi generis ornare præconia, difficile & arduum: maximè vbi nec vita conuenit, nec scientia suffragatur. Qui enim Beatorum prædicare mores, explicare vitam, retexere gesta disponit, sic expedit viuat vt loquitur, & factis ornet quod oratione commendat: ne vocis propriæ testimonio redarguatur, imitatione non approbet, quod assertione prosequitur.* Metu itaque isto exterriti plerique ab hoc studio abstinuerunt. Ignauia & torpore alij. Quamobrem meritò Paschasius popularibus nostris succensebat, qui suo tempore Sanctorum quidem ossa & cineres thecis pretiosis reconderent: res gestas, quæ viæ ad æternam vitam sunt certa indicia, paruipenderent, incultáque horum vestigia iacere sinerent puluere obliuionis cooperta. *Nónne indignum videtur* (ait)

Iob 9.9.7.
Baruch 3. 20.23.
Psal. 135.7. 8.9.
Act. 17.30.


dum illa thecis aureis vestiantur, pretiosò lapide adornentur, si sordidè ista & nequiter habeantur? At hoc fecit Scriptorum qui aliis oblectabantur studiis, non excusanda vnquam circa rem tanti momenti negligentia. Quæ, vt præmonitum est, maximè post annum millesimum paululùm serpens irrepsit. At licet ea plerumque fuerit grauis & semper dolenda, non talis tamen tantáque vt generalis fuerit. Effecit enim diuina pietas, vt quolibet sæculo aliqui insurrexerint pij & eruditi viri, qui Sanctorum colendæ memoriæ & horum actibus egregiis Christianæ plebis informandæ, desiderio succensi, gestarum à Beatis rerum historiam tot attritam casibus, instaurare, déque situ sepulchri & squalore vetustatis, quasi ad vitam, & decus noui luminis reuocare, támque genuina quàm speciosa serie texere, vel retexere, religiosa ac laudabili conspiratione studuerunt. Horum aliquos meritis præstantissimos iam cap. 12. designauimus: at eos tamen qui non omnium orbis terrarum Beatorum tutelarium acta, suis apicibus delineanda susceperunt: imò nec patriorum Sanctorum communem historiam voluerunt describere, sed singularium duntaxat, quorum vel vitæ fuerant inspectores, vel custodes erant sacrorum pignorum, aut speciales cultores venerandæ memoriæ. Alios autem subinde excitauit suâ misericordiâ Altissimus, qui generalem historiæ Sanctorum diuersas apud nationes collectionem construxerunt. Inter quos clariori nomine eluxêre, ob strenuam ac piam, quam in ea re præstiterunt operam, Alexander Essibiensis libro vnico *de sacris diebus*, Vincentius Beluacensis *in historiali suo speculo*, sanctus Antoninus in sua *Chronhistorica summa*. Primus Cabilon. Episcopus *in Topographia Martyrum*. Iacobus de Voragine Archiepiscopus * Genuensis *in Homiliis de Sanctis per totius anni circulum*. Petrus Exquilinus Episcopus *in suo Sanctorum Catalogo*. Baptista Mantuanus *in fastis suis Ecclesiasticis*. Claudius Rota Lugdun. ordinis Prædicatorum, in *aureo* quod inscripsit *opere de Sanctis*. Franciscus Mayronis *in sermonibus de laudibus Sanctorum*. Ambrosius Nouidius Fraceus Ferentinas in libb. 12. *sacrorum fastorum*. Iacobus Faber Stapulensis in libro inscripto, *Agones Martyrum*. Aloysius Lippomanus Veronensis Episcopus *in tomis octo de vitis Sanctorum*. qui Venetiis primùm editi prodierunt anno 1556. Laurentius Surius Carthusianus Coloniensis *in Collectaneis de probatis Sanctorum historiis, partim è tomis Aloysij Lippomani, partim è selectis Codd. MSS.* quæ Surij volumina Mosander recensuit, & *Martyrologio Adonis addito ad finem tomi septimi, & propria appendice ampliauit*. Item Georgius Vicelius *in Hagiologio*. Hieronymus Vida Albæ Episcopus *in hymnis de rebus diuinis & diuis cælestibus*. Ioachim Perionius *in vitis Sanctorum insigniorum cum veteris tum noui testamenti*. Cardinalis Baronius tum *in Notis ad Martyrologium Romanum, tum in Annalibus suis passim*. Renatus Benedictus *in vulgari historia de vita, morte, passione & miraculis Sanctorum, quorum præcipuè Catholica Ecclesia memoriam toto orbe Christiano colit & festa exequitur*. Petrus Ribadeneira *in floribus Sanctorum*. Heribertus Rosuueydus *in Fastis & Vitis Sanctorum*, quorum plenam insuper historiam aggressus est. Zacharias Lippeloo Goloniensis Carthusianus *in Epitome Surij*. Franciscus Haræus Vltraiectens. *in compendio eiusdem Surij de vitis Sanctorum omnium nationum & temporum*. Benedictus Gononius *in vitis & sententiis Patrum Occidentis: Et vitis insigniorum Eremitarum Orientis*. Iacobus Seuertius Ecclesiæ Lugdunens. Theolog. Canonicus *in Hagiologia, selectisque floribus ex Vitis Sanctorum tres in tomos digestis*. Aliique recentiores. Verùm, vt præmonuimus, hi ferè omnes Sanctos vniuersæ Ecclesiæ complexi sunt, generatimque studuerunt res eorum gestas perquirere, & vindicatas ab iniuria temporum & obliuione hominum, orbi vniuerso cuius communes sunt apud Deum defensores, fideli opera testituere.

In proœmio passion. Sanctorum Rufini & Valerij.

* Iam enim cùm sederet Genua sedes Metropolica erat. Imò diu antea. Pedū enim pastorale huius Ecclesiæ suscepit Iacobus iste, an. 1292. vt Trithemius notat. At Archiepiscopali honore decorata iam fuerat Genua ab Innocentio II. Papa anno 1132. vt obseruat Ciaconus, vbi tractat de Cyro Cardinale, qui primus ex Episcopo factus est Archiepiscopus, à præsignato Pontifice Max.

CAPVT XVI.

De nuperis particularis Sanctorum historiæ Scriptoribus, qui patrios Tutelares suis quique populis ad cultum & imitationem, propriis collectionibus commendârunt.



SANCTOS qui beati cum Christo regnant tametsi pro omnibus fidei domesticis, charitatis studio quo flagrant sunt affecti: speciali * tamen propensione ferri in populares suos, iisque apud Deum instantiùs & impensiùs opitulari, res est à sacris Doctoribus asserrissima. Et idcirco non taro Sancti Patres, peculiare in Sanctos indigenas cuiusque patriæ & ciuitatis venerationis studium suis satagunt infigere populis. Sic a sanctus Leo Sanctorum Apostolici chori Principum, tanquam specialium patronorum specialem Romanis indicit reuerentiam, & sanctus b Maximus Taurinensis præcipuum cultum erga Sanctos Taurinenses Octauium, Aduentitium & Solutorem à suis Taurinensibus exposcit. Ita monet c Eucherius Lugdunenses suos, & Sidonius d Viennenses. Porro eodem iure, quòd obstrictos se suósque populares nossent plerique perdocti ac religiosi viri, iampridem enixè curârunt, patriorum Sanctorum præclaras actiones peculiari cura inuestigare, scriptísque prodere, quibus quasi aptioribus stimulis incitarent ad pietatis officium, eiusdem soli alumnos quod Sancti incoluerunt. Domesticis enim exemplis magis quàm externis afficimur, Sanctorúmque qui patriam claris beatæ vitæ & mortis monimentis ornârunt, melius prouocamur trophæis & coronis. At labor ille Maiorum æternùm laudabilis, ex variis quos recensuimus supra casibus cùm ferè dispetierit: quæ hæsit semper hominum præcordiis insita patriæ dilectio, multos posterioribus his sæculis compulit scriptores egregios, vt genti suæ propriorum syderum ferme orbatæ splendoribus, necessariam opem impertirentur. Ita superiori sæculo apud Anglos, antiquum Venerabilis Bedæ studium imitatus Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuariensis (qui Londini obiit Confessor in carcere post 20. captiuitatis annum, sub duro Catholicis Elizabethæ regno) *historiam Angliæ Ecclesiasticam* aggressus, Sanctorum qui hanc Insulam puris vestigiis calcauerunt, & gloriosis illustrârunt factis res gestas vsque ad extremam sæculi 15. periodum insigni opere celebrauit. Eodémque incensus pio æstu Petrus Cratepolius Minorita Coloniensis, *Germaniæ Sanctos* Pontifices & Doctores, aliósque Beatos, qui populum hunc ad Christi religionem ab initio conuerterunt, & in eadem ad ætatem vsque suam continuerunt, speciali nomenclatura, encomia breuiter complexus edidit. At *Bauaria Sanctorum*, piorúmque omis quatuor Matthæus Rader̄us Societatis IESV alumnus præclarè historiam descripsit. Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis, & P. Ferrarius *Sanctos Italiæ*, Octauius Caietanus *Sanctos Siciliæ* proprio tractatu indicauit & laudauit. Petrus Scarga Grodecensis Societatis IESV Theologus, selectas ex septem Tomis Surij *vitas Sanctorum* in gratiam suæ gentis *Polonicè* texuit, Vilnæ typis primùm excusas: postea Cracouiæ publicauit. Ita præstitit *gentibus suis* Hispanicè Petrus Ribadeneyra. Verùm de *Sanctis Hispaniæ*, plurima Franciscus Biuarius Mantuæ Carpentanus annotauit & prodidit, hactenus ferè incognita, in suis ad assertum Dexrri Chronicon Commentariis. At *eiusdem gentis Sanctorum encomia* clara expressit veraci calamo Lucius Marineus Siculus lib. 5. de rebus Hispaniæ. Cæterùm Sanctorum Galliæ, qui multitudine & gestorum magnificentiâ, aliarum nationum Tutelarium singularia agmina longè superant, diuinas virtutes & immortalis glo-

* Huc illud pertinet Apostoli ad Rom. 11.13 *Quandiu quidem Gentium sum Apostolus, ministerium meum honorificabo* Qui & eodem cap. vers. 28. Iudæos etsi Christo aduersos nihilominus *Deo charissimos esse propter Patres*, asserit. Quoniã scilicet Patriarchæ & Prophetæ, hos Deo perpetuis meritorum & votorum suffragiis commẽdabant. Eò scilicet ex affectu perenni charitatis, quo æstuans ipse Paulus pro iis ardebat: *Quoniã fratres* (vt ait eadem epist. cap. 9 v. 3 4. 5.) *& cognati sui essent secundum carnem: qui Israelitæ erant; quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem*, &c.

a Serm. 1. de SS. App. Petr. & Paulo.

b Homil. de iis inscripta.

c Homil. de SS. Epipodio & Alexand.

d Lib. 7. epist. 1. & 17. & lib. 9. epist. vlt.

riæ perdigna merita, aliqui (etiam post proprios vnius vel alterius nostratium Sanctorum encomyastas, quos cap. 12. commemorauimus) ab aliquot annorum curriculis, studuerunt, exempla veterum nostrorum auctorum insignium pia secuti, ex instituto literis consignare, & debitis memoriæ exornare præconiis. Testatur Guillelmus Cruceus Iurisperitus perdoctus Caturcensis, in opere suo inscripto, *Series & acta Episcoporum Caturcensium*, extitisse apud se Codicem antiquum, ante annos scilicet quingentos exaratum, quo *acta Sanctorum Galliæ celebriorum non paucorum* habentur: huic similes penes me sunt vetustæ itidem notæ at incerti auctoris collectiones. Porro extare dicuntur Auenione in Bibliotheca Dominicanorum quina plúsque de vitis Sanctorum volumina, quorum potior numerus *Galliæ est Tutelarium*: auctore Bernardo Lodeuensi Episcopo, qui sub Ioanne Papa XXII. floruit. Sed & hac nostra ætate, *Claudius Robertus*, vir si quis alius sacræ historiæ peritus, & laude sempiterna tam eximiæ pietatis quàm omnis eruditionis prosequendus, opus pernobile in lucem emisit sub titulo GALLIÆ CHRISTIANÆ, in quo cùm sacros census Ecclesiæ recenset, beatorum Galliæ Patrum, Antistitum scilicet qui Ecclesias fundarunt, texerunt, ac titulis sanctitatis copiosis ornârunt, cumulârunt, non nudâ nomina promit, sed præcipua laudationis cuiusque propriæ insignia indigitat, breuiter quidem annotata, at certis probationum characteribus communita. Huic multa hoc nomine nos debere ingenuè confitemur. Nam densam syluam ingressis, sæpe sæpiùs suis indicibus, nobis prætulit facem, laborísque non modicum leuamentum plerisque in locis, suâ hac nomenclatura, egregiis pigmentis adornatâ, præuius hic explorator, & ductor fidelissimus contulit. Nec bonam gratitudinis huius partem deferre grauabimur religiosissimis doctissimísque illis ascetis, sacræ historiæ illustratoribus, qui ordinis sui dum decora indagarunt, nobis quoque subsidia plerumque opportuna impenderunt. Cuius officij præcipuam laudem promerentur ex nuperis at conspicuis Scriptoribus, *Arnoldus Vvion Duacensis*, ex quinque libris suis prænotatis LIGNVM VITÆ, quibus Ord. sancti Benedicti sancta propalat lumina. *Chrysostomus Henriquez* ex suo *Sanctorum Cisterciensium Fasciculo*, & eiusdem ordinis *Menologio*; quo Sanctorum eiusdem tesseræ fastos edidit: *Martinus Marrier ex Bibliotheca sua Cluniacensis*, in qua Beatorum religiosæ huius congregationis parentum enarrat laudes, concinnatione: cuius eo in opere suffragator, vir laicus quidem, at sacer grauísque scriptor *Andreas Quercetanus*, insigni laude dignus est. Insuper & *Ioannes le Page*, Parisiensis Doctor, ex editione *Bibliotheca Præmonstratensis*, vbi sui huius ordinis gloriosos Patres & alumnos specialibus ornat vitæ Deo gratæ præconiis. *Petrus Dorlandus & Theodorus Petraus*, ex *Chronico Carthusiensi*, in quo de viris sui ordinis illustrius tractauerunt. *Petrus* quoque *Ribadeneyra* (iam alio iure laudatus) ex suo *Patrum Societatis* IESV meritis pietatis & doctrinæ monimentis clarorum *Catalogo*. In quorum piorum nomenclatorum laudibus partem promerentur insignem *Franciscus Lanouius Chronologus Ordinis Minimorum*, eruditis suis de ea re codicillis. *Petrus Grisius* sua de *Clericis Regularibus* vtriusque sexus Historiâ. *Petrus Thomas Saracenus*, Carmelitano menologio. Cæteros lubens hîc nuncuparem, qui me conglobatim suis impendiis adiuuerunt. At quoniam de tabularum exaratoribus sacrarum, iterum dicendum mihi erit, nunc plura horum nomina consignare supersedeo, quæ Salustiano digna calamo, suis ipsorum splendoribus fulgent, ideóque mea ope non indigent, vt emeritæ gloriæ decore potiantur. Verumtamen extra hanc historiæ Sanctorum Galliæ elucidatorum seriem, non possum ANDREAM DVVALLIVM SORBONÆ CLARISSIMVM SIDVS præterire: cuius pia & præclara operâ, vitæ Sanctorum Franciæ aliquæ in lucem prodierunt, per modum appendicis ad Flores Ribadeneyræ, ex Hispanica in Gallicam tincturam transfusos, adiunctæ, quas vt auctore suo dignissimas agnoscimus: sic quod plures tam felici ex officina non exierint, est quod non minimum doleamus.

CAPVT XVII.

Quòd ex Scriptorum præsignatorum lucubrationibus, non extabat sufficiens Gallicæ sacræ historiæ supellex, nec plena affulgebat inquirenti Sanctos Franciæ Tutelares, notitia. Vnde prima necessitatis causa, cudendi huius Martyrologij, elicitur.



MOREM hunc apud Hebræos dudum viguisse, vt Pontificum singulorum ingressus & gubernatio, vno in codice describeretur, qui proprius erat liber vniuscuiusque sacerdotij, ex I. Machab. cap. 16. deprehendimus. Ibi enim hæc leguntur ad oram. *Cætera sermonum Ioannis & bellorum eius & bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, & ædificij murorum quos extruxit, & rerum gestarum eius: ecce hæc scripta sunt* IN LIBRO DIERVM SACERDOTII EIVS, *ex quo factus est princeps Sacerdotum post patrem suum* Verùm quia liber eiusmodi ea duntaxat continebat, quæ ad administrationem sacri principatus, cui tum adiunctum erat ciuile regimen, pertinebant: alius erat apud eamdem gentem insignis commentarius, qui IVSTORVM LIBER dicebatur, in quo quæ ad religionis propagatæ à maioribus in posteros, per continuam diuinæ legis obseruantiam decora spectabant: ex iustorum qui syncero Dei cultu pietatem coluerant actis commemorabantur, ipsorúmque Iustorum sic inclyta facta commendabantur, vt simul ex horum laude posteri prouocarentur ad iustitiæ & pietatis studium. Vtinam apud nos Gallos equidem talis esset liber, in quo Sanctorum, qui ex gente nostra, Deo puro famulatu obseruantiáque Euangelicæ legis placuerunt, præclaræ actiones & gloriosi agones nitida serie describerentur, & ad iuge eorum virtutis præconium, nostræque eruditionis monimentum, congruis apicibus consignarentur. Tum certè admittendum foret incunctanter, eximij illius apicis Theologorum S Thomæ consilium: qui interrogatus, *quo pacto quis in virum doctum euadere posset?* respondit, *Si vno duntaxat libro vteretur.* Enimuero in illo volumine omnia haberentur, quæ ad nostram instructionem vtilia forent. Verè enim & grauiter docet Paschasius, ex Sanctorum felicis ortus, cursus excessúsque monimentis, omnia quasi in ditissimo penu confluere, quæ ad fidei fulcrum, pietatis fomentum, decus & commodum Ecclesiæ, fideliúmque perfectam eruditionem desiderari possunt. Aurea eius verba digna sunt, quæ hic retexantur. *Religiosum sanè credimus* (ait) *obsequium, ac Sanctis Martyribus dignum, vt quorum doctrinâ vita nobis iter ostensum est, quorum exemplis ad virtutem instituti sumus, quorum precibus saluamur, ac præsidio protegimur; eorum quoque victorias ad nostræ fragilitatis institutionem, monimentis inseramus: nec perire per negligentiam torporem patiamur, vtilem nimis atque salutarem cunctis piè legentibus prouectum. Si enim vestis exigua particula, vel modicus resoluti corporis puluis, de Sanctorum memoriis comparatus, ineffabile fidelibus præbere patrocinium creditur: quis dignè vel explicare vel cogitare valeat, eorum vita, virtutésque quantam salutis materiam conferant deuotis mentibus, cùm replicantur? Inde namque fides firmatur, pietas nutritur, mundi contemptus nascitur, desiderium supernorum generatur, & vt totum breuiter dicamus, mors aufertur, vita largitur. Sic enim Saluator, qui credit, inquit, in me, etiamsi mortuus fuerit viuet. Ad resurrectionem denique ex mortuis, ad immortalitatis bonum perpetua*, HISTORIA SANCTORVM *incentiuum est sanctitatis, gradus prouectionis, ianua perpetua contemplationis.* Hæc æquè piè ac eleganter infit Paschasius. Igitur si vnum in volumen congesta essent Sanctorum ne dicam omnium nationum, sed Gallicæ duntaxat gentis nostræ salutaria documenta, egregia facinora, ac trophæa illustria: satis sanè superque ex vno hoc codice haberemus, quò nobis ad omnia sufficeret. Verùm qui hactenus de Sanctorum nostrorum gestis scripserunt, minimè id suis tractatibus præstitêre. Vel enim non

Iosue 10.13. 2. Reg. 1.18.

Præfat. in Passion. Sanctorum Rufini & Valerij.

omnia assecuti sunt, quæ ad cuiusque commendationem conferebant. (hinc passim conqueritur Gregorius Turonensis de notitiæ specialis horum historiæ defectu, & actorum eorumdem propriorum iactura & penuria.) Vel suorum temporum terminis constricti eorum solùm qui ad suam vsque ætatem claruerant, sanctimoniæ meritis intenderunt res conscribere. Vel denique non omnium nostratium Beatorum sibi proposuerunt facta narrare insignia, quin nec nomina recensere. V. G. qui nostra hac ætate religioso huic studio incubuerunt, vt *ad præsentem* (sicut aiebat sanctus Augustinus) *Episcopatum*, successionis Pontificum Franciæ seriem exprimerent accuratam: sicut Antonius Monchiacenus Demochares *Tomo II. de sacrificio*. Stephanus Lusignanus *in Catalogo virorum illustrium veteris & noui Testamenti*. Arnoldus Mermannius Alostanus *in Theatro conuersionis Gentium*. Ioannes Chenu *in Chronologica historia Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ*. Iacobus Seuertius *in Chronologia historica successionis Hierarchicæ Lugdunensis, eiúsque Ecclesiæ Primatialis suffraganearum sedium, ac metropoleon huic addictarum*. Et Claudius Robertus in celebri opere cui titulus est, *Gallia Christiana*. Sanctorum duntaxat Galliæ Episcoporum venerandum consessum expromere tabulis his suis contenderunt: quique priores à nobis commemorati sunt, simplicem eorum nomenclaturam, eámque plurimis in locis mutilam aut mendosam exhibuêre. Cæteri accuratiores etsi extiterint, nonnullis etiam locis iacturam censuum Ecclesiasticorum deplorârunt, sæpéque defectu vberioris luminis, impegerunt. Ad summum denique Sanctos Episcopos duntaxat recensuerunt: Martyres, cæterósque Beatos innumerabiles, quorum Gallia natalibus ac patrociniis meritò gloriatur, prætererierunt; quoniam ex instituto non susceperant radiata tot capita numerare. Quin potiùs singulorum piorum Antistitum facta notârunt insignia. Verùm id quàm breuiter, & per modum non historiæ, sed indiculi præstitêre: ad eáque potiùs, quæ ex pontificio munere gesserunt sacri illi mystæ, ipsi nomenclatores respexerunt, quàm ad ea quæ ex specialibus sanctificantis gratiæ donis habuerunt illi diuini viri, vel quæ ex propriæ iustitiæ dotibus ediderunt propria piorum morum lumina & decora. Igitur *libros Sacerdotij* tot habebat Gallia, quot eo-dicillos eiusmodi Episcopales: at *iustorum*, ipsi vel vnicus integérque *liber* deerat: Sanctorum scilicet generale promptuarium, quo in vnum collecti, suis quíque splendoribus coruscarent, & sui luminis radios in populares suos insigerent, latè per diffusam diuinorum suorum actorum & meritorum claritatem. 1. Machab. 16. Joh. 10. 13.

Etenim quamuis diebus nostris, plerique, præter hos illustres Episcopalium tabularum concinnatores, extiterint auctores quoque grauissimi, qui Sanctorum memorias illustrare datâ operâ instituerunt: non tamen vllus eorum hanc generalem collectionem inire visus est, sed vt capite superiori insinuauimus, parentum alumnorúmque sui cuiusque ordinis, nisi sunt illi tractatores facta gloriosa commendare: vel aliqui eorum, vnius duntaxat at illustris cœnobiarchiæ proprios olim incolas iam Beatos cœli ciues, studuerunt vnam adscribere in seriem, quâ veneranda eorum nomina & dignas immortali laude actiones, satis accuratè prodiderunt: quemadmodum fecit Vincentius Barrali Salernus, in *Chronologia* quam edidit *Sanctorum, & aliorum virorum illustrium & Abbatum, sacræ Insulæ Lerinensis*. Alij, quamuis pauci admodum hi fuerint, vnius ciuitatis vel diœcesis sacram historiam ordientes, indigenarum tantùm Sanctorum elogia huic intexuerunt. Quique apud exteros communem Sanctorum messem facere sunt aggressi, tametsi ingentes codices compilârint, plurimas Sanctorum historias nihilominus prætererierunt, quas fortè non erant assecuti. Id monet Posseuinus suo sacro in Apparatu tom. 3. vbi ait. *Atqui Surius etsi sex ingentes tomos Vitarum Sanctorum collegit, quos & protulit in publicum, non potuit tamen compos fieri vt plurium Italiæ Sanctorum vitæ ad se afferrentur, quæ si colligerentur amplum volumen facerent.* Imò plurimos replerent codices. Cùm sicut sapienter obseruat Cardinalis Baronius: *Si quæ videntur alicuius Ecclesiæ peculiaria Sanctorum historiæ monimenta colligerentur, nec vno nec paruo codice possent comprehendi, sed permultis, iisdémque prægrandibus, vt par est, credere opus esset. Acta enim vnius Martyris multas implesse chartas, si accuratè scripta essent, certissimum est.* Ideóque si eo tenore, In Præcapitul. ad Martyrolog. Roman. c. 13.

quo satis fuso vsus est Surius, acta Sanctorum, qui in hoc Galliæ Martyrologio recensentur, quispiam gesta Sanctorum ipsorum conscribere tentaret, non puto mille libros etiam non modicos, quæ coaceruanda essent in texturam tanti opificij posse huic collectioni concinnandæ satisfacere. Sed vt demus haud esse necessarium, imò neque conueniens vt Sanctorum Galliæ historia, tam prolixis narrationibus exhibeatur: (quamobrem & nos, misso antiquo, Legendarum, vt aiebant, scribendarum more: Martyrologij modum vt aptiorem & acceptiorem selegimus, in quo Sanctorum res gestas compendioso ordine, at succulento quamuis presso contextu digestas, complectimur: quas subinde commentarij clarâ methodo, nec tædiosâ, vt arbitramur, notandorum obseruatione & dilucidatione, enucleabunt:) saltem nemo est sapientum qui inficietur, ad historiæ Francorum Ecclesiasticæ absolutam structuram & plenam memorandarum religionis rerum notitiam, accuratam Sanctorum, per quos Deus, in regni sui institutione ac prouectione apud gentem nostram, omnia gratiæ suæ & gloriæ insignia ab initio ad hos vsque dies, operatus est, agnitionem necessariam esse. Ideóque non sola eorum nomina, fuisse solerti quâ fieri possit indagine perquirenda, sed diuinè quoque gestarum ab iis rerum vestigia inuestiganda atque propaganda. Aliàs textura illa tam copiosæ narrationis non solùm diuerso careret quo micare debet rerum colore, sed ipsis seriei nexibus ac fulcris identidem destitueretur. Hinc verò elicere promptum est, quàm necessaria fuerit Martyrologij huius conscriptio. Quod enim de Sanctis Italiæ notauit Posseuinus, *Scilicet, etsi Surius tam ingentes tomos de Vitis Sanctorum collegerit, eum non potuisse tamen compotem fieri, vt plurium Italiæ Sanctorum vitæ ad se afferrentur, quæ si colligerentur amplum volumen conficerent.* Maiori ratione de Sanctis Galliæ dici potest. Si enim quas intexuit suis collectionibus Surius Sanctorum Gallicorum vitæ narrationes numerentur, & cùm Sanctorum qui hoc censentur Martyrologio multitudine conferantur: vix centum pro mille illum constabit assecutum. hoc est ex innumera Galliæ Sanctorum caterua, nonnisi minimum agmen deprehendisse: proinde horum historiæ vix exilem (nec enim ampliorem suo æuo potuit) attulisse portionem. Sed & qui farragines eiusmodi post Surium, vulgari idiomate ediderunt, etsi non segniter laborârint, vt patriorum præcipue Beatorum acta syncera repetitent & proderent, tamen ex fastorum horum eum ipsorum collectionibus comparatione, liquet modicam solùm partem, eorùm quæ cupiebant & quærebant actorum, eosdem à se compertam euulgasse. Si quis enim hos excurrat fastos per dies & menses, vel Sanctorum gesta per indicem vocabulorum eorumdem, hos apud auctores perquirat: sanè non minimum demirabitur, qui fiat, vt ex tot cœlitum qui Gallicum olim solum incoluerunt, nunc ornant memoriâ, & præsidiis tuentur, non modò historiæ in eiusmodi collectionibus planè deficiant: sed nec nomina quæ in cœlis plus quàm sidera rutilant, illic vel apicibus tenuissimis habeantur expressa. Qua ex inopia quæ proueniant incommoda, quique in dies experiuntur, cùm de dignoscendis Ecclesiarum titulis, patronorum gestis & meritis, fit (ad edendum in eorumdem solemnitatibus speciale præconium) quâ opus est inuestigatio.

CAPVT XVIII.

Secunda aßignatur Fastorum horum consignandorum causa, deprompta ex Martyrologiorum multiplicitate, diuersitate & corruptela.



PRIMIS Christianæ religionis sæculis, tametsi vnæquæq. Ecclesiæ proprios *suos census*, vt Tertullianus loquitur, haberêt, seu vt idem ait, *successiones decurrentes*, propriósq. & *municipales fastos* festósq. dies, quibus athletarum pietatis, qui in suo sinu occubuerât, pro Christi testamêto

ad extremos vsque spiritus decertantes, celebrabant natalitia: vna tamen erat in matricis omnium Ecclesiæ gremio generalis matricula, quæ vindicata eorum collectáque ex omni gente nomina referebat, & memorias innuebat anniuersario cultu recolendas. Martyrologium verus Romanorum hæc erat. Quod vt Romæ vbi primùm editum fuerat, cuique erat peruium: sic & Alexandriæ fuisse pernotum sanctus Gregorius insinuat scribens ad Eulogium Episcopum Alexandrinum lib. 7. epist. 29. Et sacra quidem diptycha inter Romanam & Orientalem Ecclesiam fuisse olim communia, adeo vt qui in hæc à Romana Ecclesia referebantur, ab aliis Patriarchalibus itidem Ecclesiis in eadem cooptarentur: Et qui vice versa à Romana Ecclesia hoc ex albo proscriberentur, sic à cæteris reiicerentur ex ipsa sacra serie, res est apud Ecclesiasticos historiographos cùm Latinos tum Græcos testatissima. Verùm postquam *dierum antiquorum* oblita, tipho superbiæ* Græca Ecclesia intumuit, eò vsque progressa est, in sedem Apostolicam elata, vt subesse huic dum iam detrectaret, nec dogmata eius pura ampliùs retinuerit: nec sacrorum fastorum seriem, quam hæc præscribebat, exequi curauerit. Quæ enim fidei regulam intemeratam abiecit, Primatum sibi arrogauit indebitum, iugum excussit maternum; Fastos itidem** proprios habere voluit, in quorum album intrusit admixtos, bene pridem vindicatis veris religionis Patribus, infelicissimos scissuræ Ecclesiasticæ auctores, Petri summæ sedi infestos, auitæque pietatis normæ, magna ex parte aduersos. Extant pleraque Græcorum Menæa, Menologia, Triodia, Horologia, quibus docetur quo quisque die menséque celebrandus sit & colendus. Absit vt expungenda dicam eorum omnium nomina, qui his in Indicibus venerandi memorantur. Multos ibi ex antiqua contesseratione Græcæ Ecclesiæ cum Romana, ibi video signatos, omni dignos cultu, non modò Orientalis Ecclesiæ Patres & Doctores, sed & Latinæ, cuius iisdem in diptychis sacris plurimi Pontifices, Martyres, Confessores colendi conscribuntur. At de eiusmodi diptychis, idem iudicium ferre iuuat, quod æquissimum protulit Antonius Possewinus, Legatus missus Apostolicæ sedis ad Ruthenos, schismatis Græcanici pertæsos, reducendos ad sinum Catholicæ Romanæ Ecclesiæ: præfixitque eorumdem Ruthenorum Kalendario à se edito, hac sub epigraphe. *Kalendarium Ruthenorum quod tam in Moscouia, quàm in reliqua Russia est in vsu, huc adiicimus, vt constet quàm multorum memoria quoque in eorum anniuersariis habeatur, quorum Ecclesia Catholica semper mentionem fecit. At item in eodem Kalendario sunt multi, quos non agnoscimus, siue quoniam fuère schismatici, siue quod eorum vita haud nobis innotuit.* Præmissa hac animaduersione subnectenda venit alia obseruatio. Occidentales Ecclesias, in iisque illustrissimam Gallicanam iam olim habuisse proprios suos mores, speciales ritus, officiorúmque diuinorum libros nonnihil à Romanis theoriis diuersos. Ita & Fastos peculiares, suáque itidem Martyrologia, quemadmodum iam præmonuimus, vbi de primis Martyrologiorum auctoribus disseruimus. At non eâ mente quâ Græca ducta fuit Ecclesia, Gallicanam putes proprios rituales habuisse libros, & Fastorum sacrorum indices. Græca enim seiuncta à communione Romanæ matris Ecclesiæ, id fecit, vt suo genio viueret, & à summæ sedis se innueret prorsus placitis abhorrere. At Gallicana longè alia ratione suis praxibus vsa est, vt tectè Carolus Magnus iam laudatus lib. 1. contra Græcos insinuabat: scilicet salua semper fide & obedientiâ. At verò in Fastorum celebratione, penitus ipsa Gallica cum Romana consensit: adeo, vt nunquam colendos susceperit, quos ab illa *principali Ecclesia* (vt eam vocabat sanctus Cyprianus) repudiatos esse sciret. Omnes autem quos colendos suo Martyrologio illa indicaret, hæc omni veneratione prosecuta sit. Verùm quoniam patrios habebat Gallia Sanctos tutelares, quos præ multitudine non complectebatur illa Apostolicæ sedis breuis matricula: piâ in primorum fidei Magistrorum athletarúmque suorum recordationem obseruantiâ, obstricta, incultos eorum anniuersarios dies præterire cùm facilè non pateretur: ideo saluis summæ sedis iuribus atque honoribus, hoc ex eiusdem beneplacito vsa est priuilegio Gallia, vt indigenas suos Martyres, Pontifices, Doctores, Confessores & Virgines propriis sacris Indicibus suis, antiquissima ex

* Sommulam scripsimus controuersiæ, *de fundatione & vero gradu Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, Synopsi, quam construximus septuaginta duorum discipulorum Domini, insertam, sub Stachis, quem ab Andrea Apostolo, illic Episcopum primum ordinatum volunt, occupatione. Qua in diatriba, hunc Græcorum fucum & fastum simul prodimus & explodimus.

** Græcorum Kalendarium vulgauit Genebrardus inter Kalendaria diuersa, quæ præfixit suis in Psalmos commentariis. At vndequaq. hoc indiculo Ecclesiæ Græcæ hodie non vtuntur. Vt patet ex collatione eius cum Ruthenorum Kalendario iam in textu commemorato, quod Græcanici quoque moris est, multisq. modis à Græco quod Genebrardus edidit discrepat.

traditione ac probatissima annotatos, ipsis quibus ad Christum glorificandi processerant diebus, religiosis coleret officiis: hincque vt propriæ in festis Sanctorum Collectæ & Liturgiæ agendæ ab Hilario Pictauiensi, Sidonio Aruernensi, Gregorio Turonensi, Protadio Vesuntionensi, aliisque primariis Galliarum mystis consertæ prodierunt: ita etiam propria Ecclesiarum maximè Cathedralium, & Cœnobiticarum Kalendaria & Martyrologia dimanârunt: quorum tanta fuit copia, vt etiam quæ post incendia tot sacrorum locorum Dei munere supersunt, non nisi longa serie facile sit recensere. Est in meis manibus præfixum mysteriorum codici, Kalendarium peruetustum Parisiense. Habeo & Leodicense ante sexcentos annos conscriptum, aliáque priscæ notæ plurima ne dicam præcipuarum penè omnium Episcopalium Ecclesiarum Galliæ propria. Insuper Venetensis, Redonensis, Andegauensis, Tullensis, Metensis & Vesuntionensis Martyrologiorum mutila teneo apographa. Integrum penes me est MSS. itidem Martyrologium Episcopale Lingonense, est & Hederense * cœnobiticum ante annos vt minimum quadringentos exaratum. De quibus hísque similibus id quod scribit Georgius Vicelius in præfatione sui Hagiologij æquè dixero. *Martyrologia MSS. quæ in Canonicis templis quotidiana lectione versantur, antiquitatem præ se ferre, tam historiæ fide, quàm* ** *vetustate styli.* Háncque in rem mihi licet titulum referre, quem Molanus præfixit Vsuardi Martyrologio à se recognito & ampliato, scilicet: *Vsuardi Martyrologium, quo Romana Ecclesia & permulta vtuntur.* Enimuero, si è Gallicanarum Ecclesiarum Martyrologiis ea dempseris, quæ cuique Ecclesiæ, Sanctos suos olim alumnos nunc patronos gloriosos, specialibus elogiis honoranti, sunt propria: profectò cætera Vsuardi passim textum complectuntur: pauculáque admixta in iis deprehenduntur ex Adone. Vt verum sit permultas Ecclesias scilicet Gallicas, Vsuardi à multis retro sæculis Martyrologio vsas. At quod dicit Molanus de Romana Ecclesia, Cardinalis Baronius qui recensuit Martyrologium Romanum non admittit: cuius hæc fermè verba sunt. *Quod Molanus existimauit Romanam Ecclesiam, non alio quàm Vsuardi vti Martyrologio, (vnde in appendice de Martyrologiis cæteris agens memoratis, de Romano tamen agere prætermisit) id quidem non iniuriâ vel dolo malo factum noueris. Etenim agens de Martyrologio Vsuardi, ea ratione de Romano satisfactum putauit: credidit enim nullum aliud reperiri Romanum Martyrologium ab eo quod typis excusum Venetiis, scriptum, emendatum, editúmque habetur, auctore Alexandro de Peregrinis presbytero Brixiensi. Præterierunt enim Molanum quamplurima antiqua MSS. Romani Martyrologij exemplaria, ex quibus quodnam qualéve esset germanum Martyrologium intelligere certiùs potuisset.* Et infrà: *Scribit ad me Henricus Granius Theologus Louaniensis R. D. Molanum, accepto iam recens edito Romano Martyrologio, notationes mox suas quas in Vsuardum iampridem scripserat, probè recognitas, auctásque eidem Martyrologio attemperasse, atque accommodasse, sed eo præmatura morte subtracto, minus facere licuisse.* Hæc Baronius, qui eodem capite fatetur Romanum quod ex vetustis Codd. in lucem tandem vsúmque emissum est Martyrologium, ipsa in vrbe Roma, non omnibus in Ecclesiis fuisse obseruatum, cùm & ipsa Ecclesia Principis Apostolorum in Vaticano, diuerso à cæteris vrbis Ecclesiis Martyrologio vteretur, quod Manuscriptum in eiusdem Ecclesiæ bibliotheca hactenus asseruatur. Idem verò paulò antè asseuerat: *Romanum quidem vetus Martyrologium fuisse vbique ab initio diffusum, auctúmque postea Sanctorum numero, aliis superadditis Martyribus & Confessoribus, cùm diuersarum Ecclesiarum particulares Martyres, quorum annua celebritate natalitia agerentur, Martyrologio illi antiquo coniungerentur. Cùm autem non æquè omnes ab omnibus adderentur Ecclesiis (de omnibus enim omnium Ecclesiarum Martyribus simul agere, visum est nimis prolixum atque laboriosum:) inde accidit, vt quot essent Ecclesiæ, totidem ferè haberentur Romani Martyrologij exemplaria, eadémque inter se diuersa.* Accinit huic Baroniano asserto, sua testificatione sæpedictus Molanus. *Etsi* (inquit) *pleraque Canonicorum collegia, aut Regularium siue Monachorum Capitula, Vsuardo aucto vtantur, non omnia tamen. Vt enim de iis loquar quæ perlegi, Cathedrales* * *Ecclesiæ Cameracensis, Vltraiectensis & Leodiensis, non vtuntur Beda, Vsuardo aut Adone: sed propriis Martyrologiis, quæ partim ex prædictis, partim*

* Monasterij Virgin. est in agro Paris. in quo vicibus alternis studij ac muneris. hoc opus constructum.

** aliàs, venustate.

In Prolegom. ad Martyrol. Rom. cap. 9.

* Nota Galliæ Ecclesias propria habuisse Martyrologia.

tim aliunde olim sunt conflata. Ex quibus animaduersionibus id redditur exploratum, non omnium Sanctorum Ecclesiarum Galliæ nomina fuisse Romanis tabulis adscripta. Imò neque Bedæ, neque Vsuardi, neque Adonis Martyrologia ita plena fuisse, vt hæc vniuersa suo natiuo contextu complecterentur. Quamobrem cùm Ecclesiæ natales propriorum cœlitum incultos prætermittere non ferrent, vt suis Tutelaribus iustæ honorificationis officia redderentur, ita priuatis vsibus & commodis prospexerunt, vt assumpto vel Romano, vel Vsuardi quod Ado auxerat Martyrologio, intexerent suorum particularium Sanctorum elogia, signaréntque diebus propriis singulorum natalitia: quæ sanè pro diuersitate locorum & patronorum, diuersa etiam Martyrologia effecerunt. At parum fuisset si quæ ad vberiorem cœlitum cultum, & peculiarem Ecclesiarum ornatum, commodúmque, his additionibus instructa fuerunt sacratissima Ecclesiarum diptycha, inter se tantùm diuersa inde prodiissent. Asserit & verè quidem Baronius cum his augmentis & multiplicitate, non modò diuersitatem, sed & corruptelam ingentem sacras in tabulas Ecclesiarum irrepsisse, cùm exemplaria hinc non modò prorsus diuersa, sed etiam mirum in modum exierint deprauata. Cui incommodo, etsi Romani Martyrologij vindicias aliquod leuamen attulisse meritò dici possit: non tamen omnino huic eas palam est, medelam præstitisse. Vt enim rursus Baronij dictis inhæream, fateárque libenter quod asserit verum esse. In Romano Martyrologio restituendo piorum ac eruditorum virorum (quorum princeps fuit) sudasse ingenia: summáque adhibita diligentiâ, antiquorum multiplicium exēplariorum collatione, qui irrepsissent errores ac menda, esse emaculata atque purgata. Nihilominus viri perdocti ac religiosissimi, ipsam emendationem plurimis locis inanem fuisse, plurimis etiam erroneam & detrimentosam existimauêre. Certè Philippus Ferrarius ad calcem *noua sua Typographia in Martyrologium Romanum* subiunxit *Indicem* nonnulla continentem à se animaduersa in Romano Martyrologio, quæ purgatione indigent, præsertim quantum attinet ad historiam. Quæ sanè dignissima notatu sunt & propera vindicatione. Sed vt demus textum Martyrologij recensiti esse illibatum, longéque pleniorem & accuratiorem (vt reuera est) quàm ante recognitionem erat: nam ex Molano Baronius multos præsertim Galliæ Martyres ac Confessores antea nusquam eidem Romano Martyrologio inscriptos, in seriem sacrosanctæ huius nomenclaturæ inuexit. Tamen longè plures, imò innumerabiles penè supersunt Galliarum gloriosissimi heroës & beatissimi Tutelares, qui Romanis in Fastis nequaquam cōsignantur. Horum perire memoriam quam æternam Deus esse voluit vt æquitas non permittit, sic pietas exigit vt depulsâ temporum iniuriâ ac errorum nebula, inscitiæque caligine; ex quâ passim ignorata tot felicia nomina, etiam inculta apud plerosque populos (& ipsos quidem quos dudum præclarissimis actis illustrauêre) tamdiu iacuerunt, persuauis ac vtilissima tot cœlitum recordatio, ad lucem reuocetur: agonésque & victoriæ quib. regnum supernum inuaserunt, ita in Fastis referantur Galliæ municipales; vt nemo, ne dicam huius patriæ alumnorum, sed quod magis est, nulla prorsus exterarum gentium in posterum ignoret, ex palæstra Galliæ tot egressos athletas, cum Christo gloriæ Rege æternos in cœlis agere triumphos: nec gloriâ tantùm emeritâ, illa in perenni ouatione frui, sed pia erga mortales sollicitudine intentos, ac speciali in gentem suam affectione propensos, mala quæq. nobis impendentia sua apud Deū perpeti interuentione amoliri: bona verò quęcunq. desiderari possunt, assidua pro nobis efflagitatione conciliare, nósq. præclarissimis suis concertationibus, ad pugnā & palmam prouocare, quam non dubium est, ex prælio hodierno fideles reuecturos, quotquot illorū non solùm celebrabūt gloriosa trophæa, suspicient augusta nomina, patrocinia inuocabunt: sed & recta vestigia consectabūtur. Cæterùm quia sacrati quoque Fastorum Galliæ Ecclesiarum indices, qui illorum triumphatorū natales (quos, vt Baronius agnoscit, solum nō poterat vnicū Romanū Martyrologium cōplecti:) signatos exhibent, scribarum inscitiâ vel oscitantiâ, nonnihil deprauati sunt: suáq. ipsa caducitate codices illi Martyrologiorum iam penè deficiūt, quos ipsa exēplariū diuersitas, & inuecta ex tot additamētis corruptela multipliciter deformauit. Idcirco nō temerè mihi facturus visus sū, si Fastorū

Gallicanorum necessarias vindicias inirem, emaculatisque sacris Indicibus ab iis quibus scatent corruptelis, generalem collectionem ederem, quâ vno velut in cœlo fulgentia ostenderem tam speciosa quàm numerosa Galliæ lumina: quorum nec nomina tantùm panderem, sed decora quoque quibus singula præstant, quibusque horum notitiæ cupidis indigitarem.

CAPVT XIX.

Catalogum proferens insigniorum Scriptorum, qui Fastos Ecclesiasticos ab aliquot sæculis instaurare, expurgatósque illustrare, laudabili & fructuoso vniuersæ Ecclesiæ labore, contenderunt.



Daniel. 12. 33. 12. 3. 4. 5. OCTI *in populo docebunt plurimos* (prænunciabat de postremis temporibus Angelus, Danieli Prophetæ) *& multiplex erit scientia. Verùm qui docti fuerint fulgebunt sicut splendor firmamenti. Sed qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Fruuntur in cœlis hoc præmio innumeri Pontifices, Sacerdotes & cæteri diuini mystæ, qui viuentes in carne cùm eloquio, tum scriptis omne in æuum duraturis, Christi fideles ad eius beneplacitum erudierunt, etiámq. erudiũt ipsis quæ reliquerunt diuinæ suæ doctrinæ monimentis. Ideóq Sanctis fidei & iustitiæ Christianæ Doctoribus aureolam in cœlorũ regno donari, Theologi docent, pro speciali præmio & insigni. Verùm Leo Magnus *Sermone de sancto Laurentio*, Martyribus, non agonis solùm munere, sed doctrinæ etiam merito, coronam eiusmodi videtur insinuare potiori iure deberi: cùm efficaciùs & vtiliùs homines erudierint inclytis suis factis, quàm doctores dictis. *Nullorum est*, ait, *vtilior forma, quàm Martyrum eloquentia. Validiora enim sunt exempla quàm verba, & pleniùs est opere docere, quàm voce.* Idem sensit Gregorius quoque magnus, *homilia 39. in Euangelia*, vbi asserit ad amorem *Dei & proximi plerumque corda audientium plus exempla excitare quàm verba.* Quamobrem repromissæ institutoribus Christianæ plebis immarcessibilis laureæ, imò radiatæ coronæ præmium, iis potissimum Doctoribus iustitiæ non dubitauero diuinis ex promissis & meritorum munere adscribere, qui Sanctorum Martyrum præclarissima exempla, ipsorúmque Ecclesiæ Parrum salutaria præcepta suis monimentis commendârunt, suísque demonstrationibus pura vestigia eorumdem indicârunt. Qui id ab initio felicibus suis laboribus præstitêre, iam suprà à nobis ostensum est, vbi de priscis Martyrologiorum Scriptoribus ex proposito disseruimus. Sed illorũ qui sacrorum Fastorum vindices posterioribus his sæculis, imò his fermè diebus nostris, eidem pio studio incubuêre (quo cœlestium heroum emortuam ferè memoriam è sepulchri puluere excitarent, vindicatámque ab obliuione hominum, quin à squalore temporum & chartarum maculis antiquarum, redderent omnibus mortalibus conspicuam) quamquam aliquos iam proximis capitibus enumerauimus: cæterorum tamen qui pressiùs id opus aggressi sunt, feliciúsq. ac insigniùs eo perfuncti sunt, seriem hîc ad perpetuam eorum commendationem, æquum plúrimque censeo, subnectere.

Vide Augustin. Triuph in summa de Potestate Ecclesiastica q. 105 a. 3. c.

1. Certè RADVLPHVS à RIVO, Bredâ oriundus Brabantiæ oppido, Decanus Tungrensis apud Eburones, qui præter librum celebrem *de obseruantia Canonum*, & *Historiam Episcoporum Leodicensium* nonnullis doctis plúsque texendis lucubrationibus operam dedit: cùm benè intelligeret res Sãctorum gestas mirificè valere ad fidem muniendam & formandos mores: illorum Fastos quibus ex ordine beati ipsi nosceréntur propriisq. natalib. colerétur, à næuis vt expurgaret nitidósq. præberet & intemeratos, *Kalendarium* primò texuit *Ecclesiasticũ*, Louanij, superiori sęculo apud Vvellæũ ex MSS. Cod. Iacobi Pamelij operâ editũ. Inde & *Martyrolo-*

gium integrum versibus complexus est Poëta & Historicus egregius. Floruit àb anno millesimo treecentesimo sexagesimo ad annum vsque 1403. quo obiit vir æterna dignissimus gloria.

2. Huic ad Fastos sacros versibus conserendos, viam strauerat ALEXANDER ESSIBIENSIS, Prior Canonicorum regularium ordinis sancti Augustini in Anglia Occidentali, qui anno 1220. pollens pietatis & omnis literaturæ gloriâ, inter cætera insignis notæ opuscula, librum vnum *de sacris diebus* exarauit, in quo elegiaco carmine, dum de Fastis tractat (non profanis vt olim Ouidius,) sed sacris; vitas præcipuorum per circulum anni Sanctorum eleganter descripsit & cecinit.

3. Clatuit sub Iulio II. BAPTISTA cognomine HISPARTOLVS, ciuitate MANTVANVS, professione Carmelita, insignis Theologus & Poëta verè pius, qui nobilia opera præstanti ingenio peperit; quaruot in Tomos distributa, in quorum secundo sunt *Fastorum libri duodecim*; ipsimet Iulio Pontifici Maximo, insigni prooemio dedicati, quibus auctor, Hexametro versu, natales & agones Sanctorum per mensium & dierum ordinem magnificè celebrauit.

4. GEORGIVS VICELIVS insignis Lutheri antagonista, fideique Catholicæ assertor acerrimus: cuius innumera ferè extant, at solidæ & nitidæ texturæ opuscula didascalica, maximè de fidei controuersiis, præter aureum librum quem *de Ecclesia Sanctorum* inscripsit, & alium quem pro *Sanctorum intercessione* edidit: eodem incensus æstu pietatis erga beatos cœli incolas, *Hagiologium*, siue *de sanctis Ecclesiæ*, opus eximium concinnauit, Moguntiæ seorsim editum, cui postea additiones iunxit insignes.

5. ÆGIDIVS DE DAMMIS Dunensis; Monachus ordinis Cistereiensis piissimus ac eruditissimus; *Martyrologium ex pluribus Codd. MSS. recensuit, auxit & locupletauit*: sed morte præpeditus fœtum suum in lucem non edidit. Nec ideo hac classe ablegandus, quin potiùs spectabili ponendus loco, quoniam primus fuit qui proximè elapso sæculo opus hoc æternùm memorandum recognitionis sacrorum Fastorum, aggressus est.

6. Eadem laude prædicandus venit IACOBVS FABER STAPVLENSIS, cuius mens in eo fuit vt toto anni circulo *Martyrum agones* antiquis ex monimentis genuinè descriptos publicaret. At faustissimis initiis, desiderata corona non successit. *Librum* enim tantùm *vnum* vir doctissimus è typis emisit, *continentem agones Martyrum* per primi mensis; scilicet Ianuarij seriem. Hócque primo libro (sic inscripserat enim) desiit: vnde eadem forma concepti cæteri fœtus, non leui damno, antequam nati parentis morte enecti interierunt. Auctor iste fuit eo in studio singularis, quòd agones Martyrum ex antiquis actis, quæ spirant priscorum Notariorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stylum natiuámque phrasim, referre voluit, & ex parte præstitit. Dicauit autem insignem illum ac suaueolentem fasciculum Antonio à Prato Cancellario Franciæ, cum commentariis suis in epistolas Catholicas, Meldis existens, tanquam pro encæniis; *circa anni*, vt ait, *Virginei partus, initia; millesimi quingentesimi vigesimi quinti*.

7. AMBROSIVS NOVIDIVS FRACCVS FERENTINAS conceptos à se *Fastorum sacrorum duodecim libros*, sub Leone decimo, Adriano sexto & Clemente septimo; tandem sub Paulo tertio absolutos & editos, eidem consecrauit: quibus stylo Ouidij delectatus, quamquam abhorrens ab inani nugarum studio, elegiacè descripsit, non pseudonuminum fabulas, sed inclytas Heroum Christianorum concertationes. Rem (sicut præfatur ad eumdem Pontificem) intactam arbitratus, gratámque ac iucundam antiquis, multò gratiorem atque iucundiorem vel veritatis luce, vel honestiore erga Deum obseruantiâ, nostris fore existimans. *Vulgares igitur*, ait, *Fastorum consuetudines à Pontificibus olim, vt populos in fide retinerent concessas, diuisis in duodecim menses duodecim Apostolorum tutelis, non prætermissis aliquibus rebus gestis sui temporis memoria dignis, cum ortu atq. occasu siderum, suis cum causis ac Christianis historiis in duodecim libellos digessit*. Sic tamen vt omnia quæ ad rē pertinerēt, quæq. in figuris aut fabulis veluti in tenebris

insuoluta erant, ad ortum iam solem, id est, Christum reduxerit. Opus sanè laboriosum, & vt ait auctor, ante se intentatum. At feliciori operâ Fastos Christianos instaurauit

8. PETRVS CANISIVS Theologus Nouiomagus Societatis IESV, Primarius sancti Ignatij assecla, datúsque ab eo primus in Germania illius societatis Prouincialis: vir certè permaximus, Ecclesiæ per Heluetiam Patriarcha, religionis Catholicæ suo tempore columna; toto orbe Christiano notissimus: fide, prudentia, indefesso scribendi labore, abstinentia perenni, grauitate, animi poritate, flagrantissimo Dei amore, multáque sanctitate clarissimus, vt præfert eius elogium, Friburgi vbi iacet, tumulo ipsius inscriptum. Hic *sectas perditionis* grassantes vbique per Germaniam cum perfusis gemitibus oculis conspiceret: quò infelicem hanc gentem abreptam per seductores in errorum abrupta, ad tectas veritatis & iustitiæ semitas reuocaret: Sanctorum qui *regalem viam* tenuerunt ac triuerunt tecta vestigia deuiis indicanda censuit. *Martyrologium* igitur à *se recognitum & auctum*, *Germanico idiomate* edidit, vt in vulgus dispersum, auitæ religionis exempla & documenta, faciliori cùrsu diffunderet; ex Beatorum Christianæ fidei auctorom ac assertorum, verendo intuitu, *segregationis* percelleret artifices; *filiósque subtractionis* pudore suffusos, piorum Maiorom reuerentiâ reduceret ad veræ matris gremium. Prodiit in lucem præclarum hoc opus excusum Dilingæ anno salutis 1562. Diù antea tamen Vsuardi *Martyrologium Theutonicè* editum, è prælo exierat: nempe anno 1490. quo primùm cum Sanctorum Passionali, Suollæ typis excusum est.

9. FRANCISCVS MAVROLYCVS Abbas Messanensis in Sicilia, cùm ægrè ferret textum Romani Martyrologij (quod *Iustorum liber est*, & Dei amicorum glorificatorum radiosa matricula) multa caligine offuscari: variis enim locis aspergi mendis, expurgare illud instituit. At sic tamen, vt non tam veterem seriem emendauerit, quàm construxerit nouam. Ideóque non absolutè editum à se opus, Martyrologiom Romanum nuncupauit, sed solùm inscripsit *Martyrologium ad Romanæ Curiæ vsum compositum*. Hanc verò collectionem nouam ita ordinauit, vt recentiorum collectaneis præstiterit consimilem.

10. IOANNES MOLANVS natus Insulis in Flandria, quo mater eius prægnans ex Gallia veneτar, Louanij educatus: ibidémque demum Regius Theologus atque ad sanctum Petrum Canonicus, vir fuit cùm in omni historiarum genere, tum in sacra potissimum versatus, idque lustrando venerandæ antiquitatis per Belgiom monimenta, & auitæ fidei historiographos voluendo, vt libri ab eo relicti declarant, non ex proprio cerebro, sed ex antiquissimis & meliotis notæ historicis fere concinnati. Inter quos præcipuo splendore celebritatis eluxit *Martyrologium Vsuardi*, quod ab eo admirabili labore & industria instauratum, auctum, annotationibúsque eruditissimis illustratum est. Huius auctoris scripta, Cardinalis Baronius tanti fecit (præcipuè autem quæ in Martyrologij recognitionem ac Sanctorum memoriæ elucidationem præstitit) vt nec minimam eius schedulam posse perire, sine incredibili dispendio, censuerit. *Tanti* (inquit, Præfationis ad Martyrologium Romanum cap. 9.) *viri de Ecclesia Dei & veritate Catholica optimè meriti, nec breuem schedulam deperire æquanimiter patior: cui (dicam ingenuè) isthæc omnia hæc ex parte accepta fero, quod in densissimam syluam primus ipse ingressus, mihi aliísque aditum patefecit. Quo etiam nomine tum ego, tum eruditi omnes, plurimum nos ei debere lubenter agnoscimus & confitemur.* Hæc de laudatissimo Molano, laudatissimus ipse Baronius. Qui & verè ibidem narrat, quod acceperat ex Henrici Grauij literis. Molanum scilicet post editum à se Vsuardi omni cum suo apparatu Martyrologium, vbi Romanum, primùm è prælo exiisse intellexit, sibi antè incognitum; mox notationes in illud copiosas meditatum. Has enim vir ille doctissimus continuò adornauit, amplissimásque contexuit: quas, cùm sarcinam mortalem exueret, hæredibus suis mandauit, vt cum *Bibliotheca Theologica* à se confecta ad gloriam Dei Sanctorúmque eius (quorum cultor erat

deuotissimus) honorem & Ecclesiæ commodum, In lucem proferrent. Conscripsit pius ac perdoctus ille auctor *librum vnum de Sanctorum picturis & imaginibus. Diariumque de Medicis Sanctis, & Indiculum Sanctorum Belgij*: qui libri ipso viuente, in publicos vsus, ediri prodierunt. At eo defuncto apparuerunt etiam *Natales Sanctorum Belgij*, quos Petrus Louuius, eius ex schedis vulgauit Louanij, anno 1593. Obierat autem ibidem Molanus eodem anno die 18. Septembris.

11. PETRVS GALESINIVS ortu Mediolanensis, dignitate Protonotarius Apostolicus, vir linguarum & historiarum peritiâ, Theologicæque sapientiæ gratiâ perornatus, zelo quoque ardentissimo prouehendæ pietatis, & fidei Catholicæ propugnandæ, ac illustrandæ Sanctorum memoriæ flagrans, innumeros fœtus irradiatæ mentis, ad Reipublicæ Christianæ commodum protulit, copiosioréſque quorum expectationem dabat, citiùs exemptus ab humanis inexcusos reliquit, quin nec penitus absolutos. Verùm arcem celebritatis tenet inter edita in lucem ab eo suæ pietatis & raræ eruditionis monimenta, *Martyrologium Romanum*, quod sub hoc votiuô programmate Gregorio Papæ XIII. dedicauit. *Sanctissimo Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo, ob eius summam veréque Pontificiam Catholicæ Reipublicæ restituendæ curam. Hos beatissimorum Christi Martyrum Fastos, è priscis sacrarum ædium tabulis tam Latinis quàm Græcis restitutos. Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus, perpetuò dicauit.* Quamuis autem magnus ille vir, hoc opus titulo Martyrologij sanctæ Romanæ Ecclesiæ prænotârit: non tamen idem cum Romano est. Tota est enim illius textura eiusdem Galesinij propria, quæ vt pluribus verbis constat quàm Romani contextus series: ita ornatiori stylo pollet, atque aliqua rarissima habet de Martyrum antiquissimis actis, & historiis sacris, magno studio ab auctore volutatis desumpta. Cæterùm nobilis ille cœlitum nomenclator, Martyrologio suo, *vsui*, vt ait, *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in singulos anni dies accommodato*, egregias subiunxit notationes, eodem digestas ordine, mirâmque spirantes eius eruditionem ac diligentiam. Sed feruentissimus supernorum ciuium amicus, horum insuper nonnullorum vitas è Græcis Codd. sublimi quo præstabat eloquio Latinè vertit. Nonnullas collectas ex priscis membranis, stylo proprio concinnauit: in quibus clari opificis nitent industriâ, *vitæ*, quas edidit, *Sanctorum particularium Ecclesiæ Mediolanensis*.

12. CÆSAR BARONIVS Soranus, primò Sacerdos Congregationis Oratorij Romæ. Deinde à Clemente VIII. Pont. Max. in numerum Cardinalium S. R. E. ob egregia piorum laborum merita cooptatus, *Martyrologium & Annales Ecclesiasticos edidit*. Illud hortatu Gregorij XIII. Pont. Max. hos vrgente necessitate Ecclesiæ, ac Deo ipso per B. Philippum Nerium Congregationis Oratorij institutorem, afflatum prophetico spiritu impellente. Quippe delatum aliis negotium de Ecclesiastica historia scribenda, cùm haud successisset, Baronius denique qui in eam scriptionem à puero propensus fuerat, sæpè verò publicè per triginta annos, hac de re in suis sermonibus egerat, tandem feliciter aggressus, magno labore ac syncero & verè Christiano docendi genere, quod ab omni fuco abest, duodecim tomos eiusdem historiæ emisit in lucem. Prodiderat autem (vt ad ipsum scribit Stanislaus Archiepiscopus Gnesnensis) antea emendato Martyrologio singularem pietatem, insignes doctrinæ exquisitissimæ dotes, at præcipuum Dei gloriæ propagandæ studium, & eius ornandæ Ecclesiæ eximium desiderium. Et ita quidem, vt si idem Baronius hoc vnum opus in religionis Christianæ ornamentum atque præsidium, quemadmodum instruxit præstitisset: hoc solo nomine, immortalem nominis sui laudem fuisset iure promeritus. Audenter enim dixerim, post Summam sancti Thomæ Theologicam, nullum editum à posteris Christianis scriptoribus librum, qui Dei Ecclesiæ magis quàm is fuerit, sitque necessarius ac vtilis. Cùm enim post fidei agnitam, quam Angelicus Doctor Angelica hac scriptione complexus est, vniuersam theoriam: præcipuum regno Dei decus & commodum, ex Sanctorum qui factis hanc egregiis excoluerunt, munieruntq. rebus diuinè gestis, accedat. Sanè hoc ad

Ecclesiasticæ rei prouectionis cumulum, Baronius, eo nunquam satis prædicando opere exhibuit, vt cœlitum, præclaris exemplis, & salutaribus documentis domum Dei repleret, hácque face illustratis fidelium mentibus, ab errorum amfractibus, ad rectum diuinæ veritatis tramitem reuocaret, atque à terrenis ad cœlestia eosdem abduceret. Et quidem si de ipso textu Martyrologij, quod tanto labore recensuit, emendauit, elucidauit, auxit, locupletauit, proferenda est existimatio: id sanè fatendum est vnum Baronium, cùm id effecit, quasi offusum nubibus cœlum, clarum & nitidum mortalibus reddidisse: quotquot enim Beatorum supernæ aulæ ciuium obscurata nomina illustrauit, quotquot olim omissa recénsque reperta addidit, quorquor fortia eorum facta, quæ exciderant à memoria hominum, sacris his tabulis debito cum præconio intexuit: tot ne dicam gemmis Dei tabernaculum decorauit, at Ecclesiam viuum Dei sanctuarium, speciosum quasi firmamentum nouis sideribus exornauit. Iam verò de notationibus quid dicam, quibus tabulas sacras Ecclesiæ muniuit à se vindicatas? Certè quod de Chrysostomi homiliis affirmare solebat præsignatus Doctor Angelicus: tanti enim eas faciebat, vt de more diceret, *Se vnius beati Chrysostomi homilias, vrbi Parisiensi diuitiis omnibus refertissimæ, sed vel ipsis Imperiis seriò anteponere*. Idem vsurpare mihi liceat de egregiis illis Baronij obseruationibus in Romanum Martyrologium, eas censeo adeo raras, eruditas & luculentas esse, vt nullo thesauro possint compensari, cùm harum vel minimæ, nullum auri pondus suo in valore æquiparari queat. At vereor ne hæc etiam dicens, impari censeam rem existimatione. Verùm non indiget tam pretiosum opus, neque eius textor commendatione nostra, qui nec laudanda scribimus, nec bene scripta pro dignitate laudamus. Hoc igitur vnum, non ex meo tenui penu, sed alieno eóque locupletissimo scrinio proferam, æquum ac singulare Baronij præconium. *Laudum eius elogium* breuissima epigraphe exprimi posse: *Vno enim verbo dicere sufficit*, BARONIVS EST. Hoc certè prolato nomine prædicatur satis. Cuius immensa in Deum pietas, pia in Sanctos veneratio, assidui pro Ecclesia Christi Catholica labores, copiosa in Christianam religionem merita, præclara doctrinæ consummatissimæ monimenta, memoriam immarcessibili gloriæ consecrarunt: noménque tabulis sacris Martyrologij præfixum, etsi nondum his insertum, cœlo, vbi cum beatis à se impensè dudum in terra dilectis, cultis, celebratis feliciter viuit, micans in perpetuas æternitates inscripserunt.

13. HERIBERTVS ROSVVEYDVS Vltraiectensis Societatis IESV Theologus, sacras in ea literas & Philosophiam Duaci & Antuerpiæ professus est. Hinc animum ad scribendum appulit, & plerasque Belgij Bibliothecas lustrauit & excussit, Ecclesiæ antiquitates indagauit, atque erga beatos religionis Christianæ parentes & prouectores honorandos, intima deuotione propensus, illustrandis eorum sacris memoriis, augendóque (quem noui hagiomachi tam impiè quàm infestè oppugnabant) cultui, sese addixit; eóque studio, anno salutis 1607. *Fastos Sanctorum quorum vitæ MSS. in Belgio sunt*, specimen fusioris quod meditabatur operis, typis Plantinianis euulgauit. *Martyrologium Adonis ad MSS. exemplaria recensuit*. Et, *Martyrologium vetus Romanum* tot sæculis abditum, tanto æstu *à Baronio desideratum*, multóque sudore à se perquisitum, tandem diuino munere repetit, ac repertum primùm in lucem produxit, notatiunculis sua eruditione dignis instructum, quod Paulo V. Pontifici Maximo perleganti epistola dedicauit, *Vt ad Solem* (quemadmodum ait) *radius, ad fontem riuulus, ad stipitem ramus, ad cœlum sidus rediret. Romanam scilicet, vnde nomen & originem duxerat, reductum ad arcem: vbi Apostolica sedis cardo & caput vertitur; vbi veritatis origo, fidei caput, cœlestis magistri doctrina seruatur; vbi pietatis viget schola, vbi Apostolorum fulget Metropolis, vbi clarissima mundi lampades Petrus & Paulus lucent.* Ita præfatur ad Pontificem summum lætus de inuento à se thesauro, redditóque cui competebat Domino, Heribertus certè eximius ipse solis sapientiæ radius, viui fidei fontis riuulus, virentis iustitiæ stipitis ramus, iámque cœli pulchrum ac æternum sidus.

14. Agmen claudat adeo inclytum postremus omnium tempore PHILIPPVS FERRARIVS ALEXANDRINVS, ordinis Seruorum beatissimæ Virginis Mariæ Generalis, antea in Academia Ticinensi publicus Mathematicarum interpres, qui totus in Sanctorum gloriam amplificandam intentus, vt Ecclesiastici Fasti ad cumulum illustrari per orbem procederent, *Nouam in Martyrologium Romanum Topographiam exarauit*. In qua loca omnia in Martyrologio memorata accuratè descripsit, & Sanctos qui in iis floruerunt subiecit. Ac multa loca & Sanctos adiecit, qui in Martyrologio desiderabantur. Verùm cùm hac lucubratione votis planè suis non satisfecisset, in animum induxit, nouam Sanctorum indaginem inire, & *Catalogum horum conscribere quos in Romano Martyrologio deesse comperisset*. Nullum igitur lapidem non mouit, vt ex Gallia, Germania, aliísque occidentalis orbis partibus vel remotissimis, sibi Sanctorum locaium indices transcriberentur: & quamquam non vndique nactus sit, quæ instantissimè requirebat, tot nomina tamen Beatorum antea fermè in Italia incognitorum est assecutus, vt demum ex acceptis tabulis, indicem generalem concinnauerit, quem Sanctissimo Papæ Vrbano VIII. nuncupatum solemni voto, edulgauit sub hoc programmate. *Catalogus generalis Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Ex variis Martyrologiis, Kalendariis, Tabulis, monimentísque Ecclesiarum, necnon vitis eorumdem Sanctorum impressis, seu MSS. & quamplurimis historiis collectus. Ac in duodecim anni menses, instar Martyrologij, distributus, suis quibúsque notis appositis*. At sicut grauiter tulit ipsemet Ferrarius eorum vel desidiam, vel duritiem, qui de Sanctis suis ab ipso rogati, aliquid ei rescribere nusquam dignati sunt. Sic est quod non leuiter doleamus, multa Sanctorum vocabula in eius Catalogo, qui mera fere est nominum congeries desiderati: multa quoque inseri haud bene consentanea. Porro notas quas supposuit esse adeo tenues & strictas, vt nonnisi exile lumen exoptatæ Sanctorum notitiæ lectori afferant, sed solùm sint velut scintillæ, quæ obscura quæque non tam perspicua faciunt, quàm momentaneo ferè produnt conspectu. Sperare volo, Ferrarium, si longiorem vitæ vsuram ei Deus concesserit, nouam hanc Sanctorum nomenclaturam ampliorem in seriem productum. Ex cuius, vt reor, cornucopia, Apollonius Painus Thologus eiusdem Seruitarum ordinis, iamptidem significauerat Antonio Posseuino Societatis IESV Theologo, *quadruplex Martyrologium proditurum, solare, annuum, diurnum, mysticum*: eiusdem quidem argumenti, cuius est Martyrologium Cardinalis Baronij; at quod vbertate & varietate, futurum ab ipso Posseuino vtile atque iucundum sperabatur. Vereor tamen ne iam desperata sit hæc tanti operis molitio, cùm Ferrarius admodum in diebus suis processerit: inque nouo, quem dedit Catalogo, operis huius nullam spem fecerit.

CAPVT XX.

Generalis Martyrologij toties tentatam recognitionem, votis piorum ad cumulum non satisfecisse, qui specialem plenámque Sanctorum cuiusque gentis notitiam desiderabant. Vnde à plerisque pro sua patria hactenus desudatum est, vt suæ nationis Fastos proprios contexerent. At nemo hactenus visus est, qui Galliæ hoc subsidium præstiterit.



VERE & candidè Baronius Annalium Ecclesiasticorum celebris ille conditor, & felicissimus consummator instauratæ tandem sacrarum tabularum structuræ, agnoscit atque fatetur, quòd tametsi *ex omnibus Christiani orbis prouinciis fuerint Martyres Romanum in Martyrologium collecti: non tamen omnes ex omni natione eidem sint*

Cap. 8. Præf. in R.M.

inſcripti. Cauſámque defectus huius reddit idem perſpicuam, nimirum *cùm diuerſarum* (ait) *Eccleſiarum particulares Martyres, quorum annua celebritate aguntur natalitia, Martyrologio Romano coniungerentur non æquè omnes ab omnibus additos Eccleſiis. Nec id exactum à Romana omnium matre, cùm de omnibus omnium Eccleſiarum Martyribus ſimul agere, nimis ipſi prolixum & laborioſum videretur.* Ita ſanè: ſed cùm, vt ait Angelus, *opera Dei reuelare & confiteri ſit honorificum*; nec fas ſit filios parentum obliuiſci. Sanctorum autem nomina quæ *in cælis ſcripta ſunt*, non deceat in terra interire: obſtringántque fideles Eccleſiaſticæ ſanctiones, omnes quidem Sanctos qui cum Chriſto regnant de mundo & dæmone triumphantes in gloria, piè recolere, & deuotè venerari: at potiſſimum eos honorare, qui nobis ſunt ex natalium vel ſepulchri * iure, aut antiqui muneris gratiæ (quo noſtrum dudum in commodum perfuncti ſunt) recordatione deuincti. Certè incongruum ne dicam, ſed propudioſum eſſet nimis cuique fideli populo, Sanctorum propriorum, per quos Deus tot mirabilia in ſalutem patriæ operatus eſt: à quibus ſumus in Euangelio per tot ſudores & agones progeniti: qui in cœlo glorificati collucent in perpetuas æternitates, feliciſſimas memorias obliuiſci. Maximè cùm Apoſtolus diuino afflatus ſpiritu, eoſdem honorificè vt recolamus, ſic nobis ſuadeat, imò diſtrictè præcipiat. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Quo monimento ſubinſinuat, ex Sanctorum eiuſmodi religioſa commemoratione, non ſolùm iis debitam exactæ pro nobis felicitet in negotio ſalutis, operæ, rependi decere gratitudinem: ſed magnam etiam vtilitatem ex hoc pietatis officio in nôſmetipſos redundare. Nempe fidei ſeruandæ, quam nobis fuſo ſanguine conſignârunt, hinc in nobis excitari ſyncerum ſtudium, & virtutum diuinarum, quarum nobis exempla toto vitæ curſu, præſertim verò in extremo pietatis conflictu præbuerunt, generari in mentibus noſtris ſedulæ imitationis affectionem, ex quibus nobis, & Beatorum ipſorum vberior beneuolentia, & fortunatioris, ex eadem palæſtra, exitus occaſio paratur. Hinc Ioannes Molanus in ſua ad Martyrologium Vſuardi perdocta appendice, cùm de vernaculis tractaret Martyrologiis, quale erat illud quod Caniſius non diù antea Germanicè ediderat, & id aliud Theutonicum quod iam anno 1490. Suollæ, prælo mandatum prodierat: optabat impenſiſſimè, vt vulgati idiomate, quemlibet ir. populum vel nationem Martyrologium exſum diuulgaretur: quatenus ſic fidei & iuſtitiæ lumen proſpectibus omnium, ex Sanctorum ſplendoribus (eorum ſcilicet factis & monitis) panderetur. Nec enim dubium quin magna hinc vtilitas vnamquamque in gentem dimanaret. *Sanè* (ait pius ille & ſapientiſſimus ſcriptor) *valde optârim, quòd horum exemplo etiam aliquis noſtratium Belgica, ſeu Germania inferioris, ſiue Flandrico, ſiue Gallico idiomate conaretur populariter Martyrologium conſcribere, ex Vſuardo, & ad eam additionibus, & aliquando paulo fuſiùs ex Martyrum atque Sanctorum probatiſſimis geſtis. Quem laborem, Domino inſpirante, aliquem ſuſcepturum ſpero.* Ita ille. Et reuera id pietatis ſubſidium vt Galliæ impertiretur digna optimi Præſulis cura efficere niſus eſt non ita diù exemptus ab humanis Eminentiſſimus Cardinalis de Sourdis FRANCISCVS ARCHIEPISCOPVS BVRDEGALENSIS, cuius religioſo impulſu, præclariſque auſpiciis, prodiit ante aliquot annos In lucem, Martyrologium Romanum, Vernaculam in linguam noſtram traductum, déque verbo ad verbum Latinam ſeriem Gallicâ phraſi exprimens. Sed tamen dolendum eſt nonnihil, quòd parciùs elaboratum fuerit in hac parte, quàm exigebat publica vtilitas, ſicut præfatus Molanus optauerat. Percupiebat enim vt non ſimplex Martyrologij textura patriam in linguam verteretur, cùm ſic patriorum Sanctorum, qui paſſim in Romano Martyrologio deficiunt, nec geſta, nec nomina populo pateant: ſed conſcriberetur integrum Martyrologium cum iis quas appoſuit ad Vſuardum additionibus: quin & fuſiori narratione, quæ ex Martyrum probatiſſimis geſtis deſumeretur. Id qui præſtiterit apud nos, hactenus nondum apparuit. Imò nec qui eiuſdem pientiſſimi monitoris impleuerit aliud, haud minùs vtile quàm inſigne deſiderium. Peroptabat vir ille magnus, vt ſaltem per Archiepiſcopatus Martyrologia de propriis

Marginal notes:

Tob. 12. 7.

* Concilium Turonenſe ſub Nicolao I. cap. 1. decernit ſecundum SS. Patrum documenta iam ſuprà paſſim laudata: *Sanctorum quorum corpora in Eccleſiis poſſidentur, feſtiuitates agendas eſſe: atque iiſdem venerationis debita obſequia referenda.*

Heb. 13. 7.

Sanctis, eorúmque vitis colligerentur. *Optârim* (aiebat) *per Reuerendissimos Archiepiscopos nostros*, &c. *constitui in cuiusque Archiepiscopatu sacræ historiæ Notarium, qui faceret proprium Martyrologium de omnibus & solis Sanctis, qui in ipsius Archiepiscopatu, atque subditis ei Episcopiis quiescunt, imitando breuitatem Vsuardi, aut Bedæ. Deinde optârim ad imitationem Adonis ex ipsis Sanctorum nostratium gestis, aut ex propria Ecclesiæ Ecclesiastico officio*, * *iustam aliquam lectionem fieri, per quam instigaremur & vrgeremur ad ambulandum arctam fidei & bonorum operum viam, quæ ducit ad vitam. Optârim etiam diligenter & fideliter ab eo colligi, quicquid ad honorem Sanctorum nostrorum dignum iudicabitur annotatione. Si quæ etiam fierent miracula, ab eodem fideliter colligi vellem: certa enim miracula celanda non sunt. Hæc igitur atque alia nonnulla fieri peroptârim, non solùm in Germania nostra inferiori, sed & per omnes Christiani Orbis Archiepiscopatus, per sacra historia Notarios. Quantum autem inde vtilitatis nasceretur, nobis tacentibus, facile perspicuum est*. Ita piè & sagaciter Molanus, ad cuius vota videntur nonnulli ex exteris regnis & regionibus patriæ suæ amatores, pij certè & periti viri intentis studiis accessisse. Nam apud Lusitanos *P. Lupus*, ad cœlitum illius regni tutelarium specialem gloriam, & suæ gentis speciale commodum, proprium quod prænotatur *Lusitanum Martyrologium* contexuit & vulgauit. Ita apud Anglos *Robertus Personius* Societatis IESV Theologus, variis peregrinationibus & concertationibus pro fide Catholica initis insignis, *Martyrologium* concinnauit *Catholicum*, quod aduersus Ioannis Foxij Angli hæretici *pseudo-Martyrologium Latinè & Anglicè conscriptum, pro antidoto instruxit*. De Sanctis Siciliæ scripsit *Maurolycus* **, de Sanctis Italiæ *Ferrarius*. De Sanctis Germaniæ *Cratepolius*. De Sanctis Hispaniæ *Ioannes Marieta, F. Biuarius*, & ante eos *Lucius Marinæus Siculus, aliíque*. Natales Belgij scripsit sæpè laudatus *Molanus*. Hagiologium Flandriæ *Antonius Sanderus*. Hierogazophylacium Belgium, & Auctarium ad Molanum *Arnoldus Raysius*. Fastos Belgicos *Heribertus Rosuueydus*. Belgicos & Burgundicos *Aubertus Miræus*. Gallicos nemo adhuc vsque conscripsit. At aureo *Indiculo, Lugdunensium* solùm *Sanctorum* memoriam feliciter abstersit à puluere, obliuioníque è specu eruit his ferè diebus, *Theophilus Raynaudus* Societatis IESV præstantissimus Theologus: quem eo nitore eloquij & solertis indaginis peritiâ ac consummatæ eruditionis, qua plenus est, copiâ, non illius vnius diœcesis, sed vniuersæ Galliæ Sanctos, optarim illustrasse, elogiísque quibus Lugdunenses suos decorauit, perornasse. Sanè vt multò nos sudore exemisset, sic Tutelarium Galliæ decora longè elegantiori penicillo expressisset, & Galliæ, ipso splendore opificij, longè ampliora reddidisset auitæ gloriæ insignia. Gemmas sanè illas innumerabiles, quas non segni manu collegimus, at rudi opere stanneis vel cupreis veluti laminis indidimus: eleganti sanè quo pollet artificio, aureis vti coronis pulcherrimè inseruisset. At tractatibus Theologicis, insignis ille scriptor sublimem mentem apposuit. Proinde nemine Gallicos fastos aggrediente, huic nos operi (quamuis tanto oneri admodum impares) manum admouere, ipso patriæ amore, (quam tot cœlestium siderum marrem, ægrè ferebamus tanta filiorum gloriâ, nostra desidia priuari, atque nos in hoc pietatis officio ab exteris superari) tandem aliquando compulsi sumus.

* Hanc Molani suadelã reipsa amplexi sumus. Nam in nostro hoc Martyrologio passim, cœlitis cuiusque non nudum nomen, aut exile encomiũ præbuimus, at eam addidimus singulis cõmendationẽ quã eorum propria pariant decora, & breuis historia cuiusque innotescat, sed clymata ac syncera. Cetera verò ab eodẽ Molano desiderata, copiosè in cõmẽtariis suppeditamus.

** Huius operã produxit Martyrologium Siculũ. Sed Paulus Regius scripsit proprio tractatu elogia Sanctorũ Regni Neapolitani. Editum etiam visum est Kalend. Lotharingiæ: item Kalend. Bauariæ, &c.

CAPVT XXI.

Felicitatem Gallicani Imperij ex Sanctorum cultu patriorum, ortam & prouectam. Quo tepescente, imminuta sæpè est liliorum gloria. Itaque vt ea redirent, fauentibus superis, ad pristinum decus, vindicias has auitæ in beatos pietatis, ineundas tandem, ac præstandas fuisse.



RANCORVM amplissimum ac potentissimum regnum, ante annos fermè 1100. armis partum, religione verò non modò auctum, sed stabilitum, atque post tot sæculorum curricula, ipso funditus labente Romanorum Imperio, ad hæc vsque tempora tanta felicitate & gloria propagatum, nemo est eruditorum qui nesciat, vel dubens inficietur. Certè enim auita regni monimenta testantur, exterique Scriptores eadem confitentur quæ domestici asseuerant, Francos qui attritis Romanorum viribus Hunnos & Vvandalos è Galliis pepulère, cum Gothis & Burgundionibus cæterisque barbaris Gallias itidem inuadentibus fortissima manu subinde congressos, superiores euasisse, firmásque in hoc nobilissimo solo, quod sæpè frustra pertentauerant, tandem fixisse regni sui radices, partim armorum potentiâ, at præsertim Dei beneficio, quod consecuti sunt, cùm adhuc essent ethnici, ex Christiani nominis reuerentia, atque immaculatæ Christi fidei cultorum benigna tractatione. Inde cùm Galli (quorum diù antè *inflexa*, vt ait Harigerus, *erat Christi iugo ferocitas*, fidei iampridem obsequebatur imperio) cernerent vndique barbaros in se irruere, Galliásque non tam diripere quàm pessumdare vniuersas: nec spem sibi superesse tot hostes expellendi finibus suis aduerterent: posthabitis Gothis, quòd ij Ariana infecti essent lue, maluerunt se subdere Francis, quos etsi gentiles adhuc, nihilominus in Christi veram fidem propensos, & orthodoxis fauentes, experti erant. Hinc nata Præsulum passim per Gallias exagitatio, quos Gothi solio Episcopali expellebant, eâ ducti suspicione, quòd proni in Francos, iisdem tradere ciuitates suas molirentur, vti in actis Sanctorum * Quintiani Ruthenensis, Apruneuli Lingonensis, Cæsarij Arelatensis, aliorúmque, quos eo prætextu sedibus suis eiecerunt Gothi, legitur memoratum. Et sanè Childericum Francorum Regem Luteriam Parisiorum demum obtinuisse, vbi fixit perpetuam regni sedem, sanctæ Genouefæ Virginis, ipsi Francísque, ob pronum eorum in fidem Catholicam animum, benignúmque in Gallos orthodoxos affectum, fauentis, amica interuentione; ex syncerissimis eiusdem vrbis regiæ Tutelaris actis colligitur: vbi & traditur, illum Regem, ethnicum licèt, ipsam Virginem adeo ob stupenda eius miracula & suspiciendam sanctitatem, singulari veneratione prosecutum, vt aliquando cùm reos quosdam capitis pertinaci animi sententiâ decreuisset occidere, & ne eiusdem Sanctæ precibus flecti posset ad misericordiam, ex vrbe Parisiorum egressus, iussisset portas occludi: tamen reseratis sponte ad Virginis aduentum portis, reis veniam ob eius reuerentiam vltro concesserit. Porro filius Childerici, ac hæres sceptri, propagatórque regni, inclytus Clodouæus, non tantùm illam Virginem ob spectatam eius sanctitatem admodum veneratus est, verùm & eamdem, muneribus quæ pia in opera ipsa impenderet, frequentauit; idémque licèt adhuc gentilis magna honorificentia coluit sanctum Remigium Remensem Episcopum, eique amplissimas possessiones donauit: quas ille mox erogandas curabat in pauperes. Quantâ autem cum Christo se subdidit magnus ille Rex, religione, Sanctos Galliæ iam beatos coluerit, quantáque hinc cœlitus auxilia ad regni fulcimentum & accrementum sit adeptus: ope piæ-

Vide Sigeb. ad ano. 475. & Hariger. in actis Epp. Leodic. cap. 69.

Vbi suprà c. 7.

* Hæc notatur exempla in Sanctorũ illorum Episcoporum elogiis, natali cuiusque designatis die. At in commentariis, non modò ex actis hæc probantur: sed & pleraque alia iis cõsimilia indicantur.

ſertim Sanctorum *Martini & Hilary* nemini incompertum conſeo, qui historiam Francorum vel in limine tantùm delibârit. Verùm ortum ex Christianæ pietatis affectu & Sanctorum veneratione in Galliis Francorum florentiſſimum augustiſſimúmque imperium: iiſdem principiis ſuffultum, longè maiorem in amplitudinem & gloriam exereuit. Quid enim ex quo Christi iugo Franci colla ſubiecerunt, eorum arma, præuiâ cruce, & Sanctorum (quas in exercituum acie Reges ante ſe deferri faciebant ad munimen & victoriam) venerandis reliquiis, non potuerunt? Certè, vt grauiter notat Magnus Eccleſiæ Annaliſta, ingentia iis proficere conceſſum eſt diuinitus, ob inſignem adeo eorum pietatem: qui ſanè ſyncera fulti in Christum fide, & innatâ erga Sanctos reuerentiâ ferè incredibilia patrauerunt. Pio faſtu gloriabatur pro Christiana religione dudum ex eo Tertullianus, quòd *Aquilis Romanis inacceſſa loca, Christo iam eſſent ſubdita*. Id liceat ad Franciæ decus reflectere, quæ tota Christo ſubdita, ſanctis indigenis cum eo regnantibus impensè deuota, non modò quæ *Aquilis Romanis inacceſſa fuerant loca* ſubiecit: ſed Aquilas ipſas Romanas, liliis ſuis alta incuruare capita coëgit. Et verò Baronius nunquam ſatis prædicandus (qui vt ipſe ait, *Francorum egregiis factis Annales ſuos frequentiſſimè nobilitauit*) dum paſſim eorum pangit inſignia, id maximè in laudibus eorum enumerat, *quòd Sanctorum fuerint ſemper obſeruantiſſimi: quorum & venerandas reliquias * cupidiſſimè conquirebant*. Idque memoratu digniſſimum, ex eorum factis atque progreſſibus elicit aſſertum. *Ex Sanctorum cultu firmatum*** eorum imperium & propagatum, tamdiu permanſurum, quamdiu eiuſmodi in cultu Sanctorum iacta fundamenta permanſerint: periturum verò omninò, cum eadem fuerint* (quod abſit) *hæretica prauitate reuulſa*. At quamuis Galliam Francóſque eius triumphatores, nunquam, Deo auſpice vereor perdituros innatum hunc ſibi in beatos tutelares ſuos amorem & obſequium: quo dudum Gallia ipſa munita, dum de more auito *quolibet *** die* ſuorum Sanctorum natalitia eximia pietate celebraret, Regéſque eius nunquam ad Bella inſalutatis Martyribus * regni patronis procederent, nec niſi præuias cœlitum deferrent quocumque pergebant pretioſas reliquias, tot trophæa toto orbe reuexit. Tamen non negare poſſum aliquando in præſtando eo pietatis officio fuiſſe remiſſam & tepidam: hácque ex imminutione deuotionis in beatos ſuos defenſores, eorúmque cultus neglectu, diſpendia antiquæ amplitudinis & felicitatis nonnulla perpeſſam eſſe. Cuius rei infauſtæ ſanè florentiſſimo toto orbe regno, exemplo eſſe poteſt illa Legati Caroli Simplicis ad Henricum Germaniæ Cæſarem conteſtatio, quòd nimirum ex quo reliquiæ ſancti Viti Martyris, quæ petente Pipino Rege olim fuerant Româ Pariſios aduectæ, ad munimen regni, ab Imperatore Ludouico Pio in Saxoniam tranſlatæ fuerant, Gallia à ciuilibus vel externis bellis nunquam quieuerit. Eodémque anno quo facta eſt illa tranſlatio, ** Normanorum prima in Gallias contigerit incurſio. Cùm autem idem Carolus meritò dictus Simplex, ad eumdem Henricum manum ſancti Dionyſij tutelaris Franciæ auro gemmíſque incluſam, præſtanti munere miſiſſet: hinc autumauerunt Maiores, omnes quæ in Christianiſſimum regnum poſtea eruperunt calamitates proceſſiſſe. Experientiâ enim didicerant, cultu Sanctorum ſuorum feruente, Galliam, caput glorioſum ad triumphos erigere: tepeſcente, liligerum diadema quod Beatorum clientela munitur, & veneratione decoratur, marceſſere; *** atque Galliam ipſam excidere ſenſim ab antiqua felicitate & gloria. Quid enim exi-

Contra Iudæos.

*Ita Chifflet. in opuſc. de linteis ſepulchralibus Chriſti Seruatoris, vbi de ſindone Compendioſi, *Gallias reliquiis Sanctorum ditiſſimas* eſſe ait.

Cùm Franci Proceres nihil ex præda Orientis (poſt tot ſudores & ſumptus) præter Sanctorum lipſana, domum referre ambirent ac ſatagerẽt. Exempla côceptionis huius ſacræ ſignata ſunt hinc in Martyrologio plurima præter ea, quæ Baronius quoque annotat in annalib. ſuis, ad an. 542. n. 3. 556. nu. 6. 672 n. 1. 764. n. 1. 820. n. 4. &c.

** Id. Baronius ad an. 484. nu. 12. 514 5. 987. 2. 1029. 1.

*** Concil. II. Turon. can 18. & Matiſconſ. I. can. 1.

* De hoc more, & Auriflammæ è ſepulchro Sanctorum Dionyſij & ſociorum eius per Reges ad bellum procedentes ſolemni ſuſceptione legendus Belforeſtius in Coſmograph. vbi agit de Caroli Magni Regnum Francorum ipſorum Martyrum clientelæ obſtringentis Conſtitut. quam ex parte refert. Qui, Carolus Regnum exiturus pio more habuit, ab eodem Dionyſio facultatem expoſcere, eique Regnum commendare, hac verborum formulâ. *Domine ſancte Dionyſi à vobis nunc abeundi facultatem peto, Franciámque vobis relinquo, vt illius ſecundum Deum curam & tutelam capiatis.* Hunc porro morem religioſiſſimum poſteros Reges per ſeriem exindè ſedulò imitatos teſtantur Rigord. in libro de geſtis Philippi Reg. & Guilel. Brito in libb. Philippiados Iomo. Villaneus lib. 11. hiſtor. præter Robert. Ceoal. de re Gallica, Meyerum libro 13. Annal. Flandr. Stephanum Forcatulum lib. 6 de Gallorum Imperio, Papiſium Maſſon. lib. 3. Annal Franc. & alios recentiores qui de Auriflamma tractant, ex antiquis regni monimentis.

** Vide Vvitichindum de rebus Saxon.

*** Huc pertinet vetus illa Guntramni Regis ad Epiſcopos & Francorum Duces, querela, quam recitat Gregorius Turon. libro 8. cap. 30. *Poſtea verò conuocatis quatuor Epiſcopis, necnon & maioribus natu laicorum, duces diſcutere cœpit dicens. Qualiter*

nos hoc tempore victoriam obtinere possumus, qui ea quæ Patres nostri consecuti sunt, non custodimus. Illi verò Ecclesias ædificantes, in Deum omnem spem ponentes, MARTYRES HONORANTES, *Sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, gentésque aduersus diuino opitulante adiutorio, inermes & parma sæpiùs subdiderunt. Nos verò non solùm Deum non metuimus, verumetiam sacra eius vastamus, ministros interficimus,* IPSA ETIAM SANCTORVM PIGNORA *in ridiculo discerpimus & vastamus. Non potest obtineri victoria, vbi talia perpetrantur: ideo manus nostræ sunt inualidæ, ensis tepescit, nec clypeus nos, vt erat solitus, defendit ac protegit.*

stimassent si prospexissent quæ hodie intuemur, Galliam penè cœlestium tutelarium suorum oblitam, non modò reliquiis eorum, quas *perditionis filij* impiè eius in sinu diripuerunt, ferè totam orbatam: sed & gloriosorum eorumdem factorum itidem monimentis destitutam, iam præ illorum inscitia, nec Sanctos patrios colere, imò nec cognoscere veneranda eorum nomina. Sanè indigenæ cuiusque patriæ Sancti, eiusdem patroni sunt speciales: imò (vt ait sanctus Basilius) *cuiusque cui præsident regionis lumina, fontes, turres & propugnacula.* Iam verò obscuratis luminibus, abditis seu desiccatis fontibus, turribus euersis, & sublatis propugnaculis, quæ regio tuta esse potest? Gallia dum Sanctos suos nescit, & scire negligit, his omnibus ornamentis atq. præsidiis mihi videtur destituta. Hæc igitur tanta decora atque subsidia nisus sum ei huius molimine operis restituere: quò dum sidera benignissima & fontes limpidissimos à quibus in ipsam tot pridem felicitatis fluenta dimanârunt, eidem indigito; sic ipsa eosdem deinceps agnoscat atque suspiciat, vt quæ ex suorum tutelarium neglecta obseruantia, multiplicia dispendia antehac pertulit: ipsorum studiosiùs honoratâ memoriâ & imploratâ ope excutiat; & quas olim ex cœlitum ipsorum sedulâ veneratione consecuta est benedictiones, ex eorum simili cultu & rediuiua in ipsos deuotione, easdem pari affluentia supernæ munificentiæ recipiat: quin & his altis non modò fulta propugnaculis elidat hostium suorum vires, sed suos etiam limites, quos olim adiuta his patrociniis longè latéque totum per orbem Christianum dilatauit, rursum amplificet, antiquíque sui imperij non modò vastitudinem recuperet, sed maiestatem quoque augeat & felicitatem. Verùm ex Sanctorum cultu patriorum non est quòd Gallia sibi temporalis gloriæ tantùm subsidia polliceatur. Maiora inde quidem sibi suísque alumnis conciliabit huius pietatis præmia: diuinæ nimirum gratiæ munera, quâ ad æternam mortales prouehuntur gloriam & beatitatem. Hic enim Leonis Magni memorandos aptè possum iterare zeli religiosi rugitus. *Sicut & nos experti sumus, & nostri probauêre Maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos.* Horum igitur vt promereremur, digna ex veneratione, patrocinia: memoriam eorum ab gentis nostræ obliuione, nomina ab ignorantia, & cultum à negligentia, præsentis collectionis subsidio vindicare contendimus.

Serm. 1. in Natal App. Pet. & Paul.

CAPVT XXII.

De fundo huius operis, vnde tot mystica lilia germinârunt: seu de principiis, ex quibus tot Gallorum Sanctorum myriades, quos isto in Martyrologio censemus (hactenus Romanis Fastis haud adscriptos) collegimus.



TRADIDIT *Dominus mundum hunc* inferiorem *disputationi hominum*,[a] ait Sapiens. sed supernum etiam orbem[b] ab hominum inuestigatione non excepit. Ideo instigabat Angelus Prophetam, non solùm vt inueniret pondus ignis, aut mensuraret flatum venti, aut reuocaret diem qui præteriit, aut diceret quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ sunt abyssi: verùm etiam indagaret *qui sunt exitus paradisi.* Ita verò agebat cum homine diuinus nuncius, non tam vt humanæ mentis capacitatem attolleret, quàm ostenderet captus hominis exilitatem. Vnde ad

a Ecclesiastes cap. 3. ver. 11.
b Psal. 8. 4. 4. Esd. 4.

ad extremum intulit Esdræ. *Tu quæ tua sunt tecum coadolescentia, non potes cognoscere, & quomodo vas tuum poterit capere altissimi viam?* Ibidem. Sanè homo ea prurigine semper laborat, vt altiora se inquirat: & cùm *natura scire* (vt ait Philosophus) *desideret*, non tam ea quæ scitu sibi necessaria sunt quæritat, quàm quæ vana sunt consectatur; quin & suis quæ à commodis non minùs aliena, quàm à captu suo remota sunt, instantius perquirit & scrutatur. Numerat certè Angelus in his quæ mentis humanæ captum superant, *innumerabiles militias Angelorum.* 4.Esd. 6.3. Quos si homo scire & recensere cupiat, vt vano æstuabit sudore, ita & inani ipsomet enixu concidet viribus, Deóque tui militant beati illi spiritus, horum multitudinis agnoscer reseruandam esse notitiam. Porro Sanctorum qui sunt *sicut Angeli Dei in cælis*, nec numerum assequi posse mortalem Marc.12. 25. hominem quantauis mentis acie præditum, discipulus ille dilectus Dei Seruatoris, qui triumphum cœlestis curiæ in illius regno, raptus spiritu dum adhuc carnis nexibus teneretur, meruit speculari, graui testificatione asseuerauit: *turbam magnam stantium ante thronum, amictorum stolis albis, palmas gestantium in manibus se vidisse referens, quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus collectam gentibus, tribubus & populis & linguis.* Apoc.7.9. Hanc enim si ipse Ioannes Christi gloriæ inspector, censete non potuit Sanctorum beatorum multitudinem: quis vnquam mortalium calculis suis poterit computare? Ecclesia sanè Romana, quæ omnium cæterarum mater est, fidelésque omnes filios suos esse nouit, cùm non Romæ tantùm passos Martyres semper censuerit esse suos, sed omnes vbique gentium se cum dolore peperisse gaudens, pietatis Christianæ assertores, eosdem simul materno complexa sinu, quotquot scire potuit coronis triumphalibus auctos, & in cœlesti gloria collocatos, Fastis suis adscribere studuit, vt debito religionis obsequio eosdem veneraretur. At quantalibet institerit curâ pia mater vt athletis Christi quibusque iustam redderet speciali singulorum memoriæ celebritate reuerentiam: non tamen efficere potuit * vt horum omnium ne dicam deprebenderit felices pro fide concertationes, sed nec pura nomina quæ sacris suis censibus intexeret, colligere valuit suum in fasciculum. *Non datur* (ait magnus ** Annalista Ecclesiæ Baronius) *singulatim singulorum nomina recensere: tum quòd* (vt ait sanctus Gregorius ***) *ipsi SS. Martyres Deo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt; quia quot sint à nobis comprehendi non possunt*, &c. *tum etiam quòd ex instituto antiquo ritus Ecclesiæ, breuitati esset consulendum.* Igitur cuiusque erat particularis Ecclesiæ curæ & muneris, eos (vt verbis vtar Angeli loquentis ad Prophetam) * *apud se consignare qui fidem thesaurizauerant*: qua in re vt elaboratum sit à Gallicana, iam superiùs fuit à nobis indicatum. Sed tamen mihi vt non videor vel modicam Sanctorum qui Gallias illustrarunt, hac recensione, partem enumerasse: sic nec quæstioni adhuc grauissimæ obuiasse, quam à nonnullis non temerè auguror mihi subinde proponendam. Dato enim quòd Romana Ecclesia Sanctos omnes iam glorificatos suis censibus non potuerit complecti, & maximè vt Baronius non inficiatur *permultos prætermiserit Gallos*; quos Gallicana Ecclesia vti proprios apprimè obseruauerat & coluerat: non inde tamen cuique, Gallicanum hoc quod exhibemus Martyrologium peruoluenti satisfiet, quem de Sanctorum ipsorum serie à nobis concinnata, dubium agitauerit. Ambigere enim quisque potest. I. An series ipsa syncera sit. II. An, in Sanctorum edenda recensione patriorum, authenticis monimentis suffulti fuerimus. III. An omnes quos Sanctitatis titulo honoramus, eiusdem merito sint præditi. V. An legitimè vindicati & approbari. His æquum est profectò quin necessarium vt dubiis satisfaciamus, nósque semel expediamus obiectione tam ancipiti, vtque videtur plurimùm ardua.

Ad punctum igitur I. dico, eo sensu seriem huius Martyrologij me planè synceram asserere, quo ex synceri historici candore & diligentia pia narratio exigi debet: nempe, vt Deus testis est, seriò & nitidè profiteor, me nihil

NOTA. * In vasto opere de historiis ætatum, ac descriptione vrbium, collecta ab Hartmanno Schedel Doctore Germanico, editóq. Nurembergæ an. Christi 1491. ætate 6. sub Carolo Magno Rege, legitur *Vsuardus* (seu rectiùs Vsuardus) *Monachus natione Gallus* (de quo suprà à nobis ex professo, dictum est) *in omni doctrina eruditissimus, Caroli eiusdem iussu omnes ac̃tus Sanctorum eleganti stylo in vnum codicem, quem Martyrologiũ appellamus, collegisse: reperistique quòd singulis diebus plusquam trecenta Festa concurrebant. Ideo statutum fuisse vt diceretur*, & aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, *&c.*

** Cap. 8. Præfat. in M. R.

*** Homilia 27. in Euangel.

* 4. Esd. 6. 5.

contra exploratam veritatem; nihil absque indicio quin & fulcimento creditæ à me veritatis & insinuatæ historiæ; nihil contra propriam conscientiam; nihil, vt reor, contra fidem & religionem orthodoxam; nihil contra Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Sedisque Apostolicæ auctoritatem, dignitatem & determinationem; nihil aduersus regiæ Maiestatis honorem & potestatem; nihil contra publicam pacem; nihil contra bonos mores; nihil denique odio vel amore cuiuspiam, in huius collectionis texturam, vllo dolo vel malitia inuexisse. Sed *ad Sanctuary pondus* omnia, quantum valui studio & operâ, perpendisse, vt Deo accepta essent, & vtilia hominibus, quæ hîc affero, ad ornatum tabernaculi, structuræ illius adminicula & monilia. Memor tamen humanæ conditionis, etsi nullatenus reus doli mali, vel supinæ vt puto ignorantiæ, aut neglectæ operæ: ingenuè fateor si alicubi impingere me contigit (sicut *pedem à lapsu* vbique me cohibuisse, in tantæ peregrinationis & tam vasti rerum circuitus excursu, de me sentire non præsumo:) & me errati capacem & cupidum emendationis. Igitur hîc Lectorem meum sancti Augustini dicto insigni admonitum velim: *Fieri non posse, vt historiarum scriptores absque diuina ope Spiritus sancti, in omnibus veritatem quam profitentur agnoscant.* Decipi humana infirmitate quantumuis oculati possunt, & oneris pondere grauati aliquando cadunt: *Sat est igitur si caeterâ officio intenti, mentiendi voluntatem non habeant, nec cupiant homines fallere.* Sola Scriptura sacra hoc priuilegium habet, vt sit ab omni falsitate immunis. Sancti Patres lucubrationes suas non affirmant omni esse puras ab errore. Sanctorum historias purgatiores (admixta habere menda nonnulla, præsertim in consignatione temporum, quæ variis casibus in narrationes irrepserunt, res est compertissima.) Attamen leues vt plerumque næui isti sunt: sic nec pietati præiudicant, nec derogant Catholicorum scriptorum integritati. Vetè ideo & grauiter Lanfrancus, *in commentariis contra Berengarium* *, admonuit, *monimenta Ecclesiarum & Sanctorum historias, tametsi eam quam diuina Scriptura auctoritatem non habeant, nihilominus vim multam in fidei auita confirmatione obtinere.* His igitur aliisque haud minus certè firmis præsidiis munitam collectionem hanc nostram & veritate fultam, non temerè credimus: & veritati vicissim (conglobatâ hâc vetustatis testificatione) non parum hanc ipsam existimamus patrocinari.

Leuit. 5. 15.
Num 3. 50. 7. 13. 19.

Epist. 130. ad Memor.

* Extât tom. 6. Bibliothecæ PP. sub titulo, *de veritate corporis Domini in Eucharistia*. Alia edidit opuscula, nimirum obseruat. in Psalmos Dauid, & in epist. S. Pauli.

Ad II. respondeo, quod dicit Philosophus *ab effectu cognosci causam.* Itaque Martyrologium quod in lucem edimus, satis per se quam à puris venis duxerit initium, & suam produxerit seriem, patefacere. Quisque sacræ historiæ peritus, id vt speramus, ex huius operis perlustratione facilè comperiet. At verò commentariorum tomi quatuor, quos Deo propitio in totius contextus fulcimentum continuò daturi sumus, vndequaque propalabant, quantum studium adhibuerimus in scrutandis assequendisque authenticis venerandæ antiquitatis monimentis, quantúmque conati simus efficere vt ex syncetis attestationibus, tota hæc narratio consisteret: in quam nihil duximus admittendum, quod multimoda approbatione non communiretur.

Ad III. dico. *Nouit Deus qui sunt eius.* Ipse est *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Scit ipse *quantùm stella differat à stella in claritate.* Quique *spirituum ponderator est*, merita eorum quos ditauit gratiæ suæ muneribus, quæ quantáque sint, solus ipse cognoscit, qui & dat & remunerat. Lux tamen sese per seipsam prodit. Et Sancti habent singuli splendores suos, quibus quanta gratia ornati fuerint gloriæ, qua demum cœlitùs donati sunt, copioso multiplicique præmio, ipsi indicant. Insuper & cœlum & terra eorumdem merita consona astipulatione testantur. Vnum est quod subiiciam hîc monitum. De industria Sanctorum Galliæ noluisse me nuda nomina per modum indicis prodere: ne immeritis hoc decus à me tributum quispiam malè in cœlites nostros affectus, calumniaretur: sed addidisse syncera quantum potui assequi & promere eorum elogia, quæ merita eorum vt pandunt cuique paginam intuenti: sic & quàm digna sit eorum memoria illo cultu quo eos Maiores prosecuti sunt, eadem ex tam breui quàm vera insinuatione

intelligat. Porro de sanctitatis titulo, articulo sequenti magis commodè disseremus.

Ad IV. respondeo me haud ignorare Alexandri III. & subinde Innocentij III. Constitutiones*, quibus prohibitum est fidelibus, *aliquem pro Sancto colere*, nisi is pro Sancto, à summo Pontifice & Sede Apostolica fuerit approbatus. Sed nec me itidem nescire sanctissimi Patris nostri Vrbani VIII. Catholicæ Christi Ecclesiæ nunc feliciter præsidentis Sanctionem editam anno 1625. qua vetuit, *ne eorum qui Sanctitatis famâ vel opinione celebres è vita migrârint, gesta, miracula vel reuelationes publicentur sine recognitione Ordinary, qui in iis recognoscendis, Theologos aliósque doctos & pios viros in consilium adhibeat, omniáque sic recognita ad Sedem Apostolicam mittat, eiúsque responsum expectet.* Hæc inquam pontificia oracula benè nota & perspecta habeo. At quòd pertinet ad Alexandri & Innocentij constitutiones, duo respondemus. Primum hos Pontifices eiusmodi prohibitionem, in posterum duntaxat vt valeret, intendisse. Nec enim decernere voluerunt, vt omnium Martyrum & Confessorum quos vbique terrarum celebrant ex veteri instituto, & communi approbatione, ac tacito Apostolicæ Sedis assensu, fideles, cultus in dubium reuocaretur: vel sanctitatis primorum illorum fidei siderum explorata hactenus Ecclesiis certitudo, ad lancem referretur nuperæ disquisitionis: sed solùm ne eorum qui deinceps meritis gratiæ enitverent, éxque sæculo recedentes celebre nomen relinquerent pietatis, & non modicam Sanctitatis opinionem, recordatio, ita apud Ecclesiæ filios consecrata esset, vt sola ex meritorum vel miraculorum coruscatione, & populorum existimatione iis decus & gloriam vindicatæ Sanctitatis passim attribueret: sed iudicio Sedis Apostolicæ, tantæ rei in qua nonnisi periculosissimè errari potest, examen ac determinatio de cætero reseruaretur: quò maiori auctoritate, sanctitas horum approbata debitos honores impensiùs reciperet: securiúsque vindicatæ eorumdem memoriæ populi cultum sacrum exoluerent. Imò solùm publicum cultum, qui nomine totius Ecclesiæ defunctis piis defertur, vti Sanctis glorificatis, hac sanctione censet Cardinalis Bellarminus esse interdictum. *Vocamus autem*, ait, *publicum cultum, non enim qui coram aliis exhibetur, qui nimirum Sanctis Canonizatis est proprius. Vt publicus dicatur, non qui palam & in publico fiat, sed qui publicè fit auctoritate & nomine totius Ecclesiæ. Velut dum in honorem alicuius Sancti templum vel altare erigitur, aut Missa vel hora de eo dicuntur, aut ille in Litaniis Ecclesiæ nominatim inuocatur.* Atqui Sanctis Galliæ quos ante tempora & leges Alexandri III. & Innocentij floruisse commemoramus, omnes hos honores quos Sanctis ritè & certè vindicatis proprios Bellarminus facit, redditos huiusmet ex Martyrologij tenore, templisque & oratoriis & sacellis toto Galliæ sinu iamdudum ipsis cœlitibus consecratis, corúmque Fastis & antiquissima inuocatione, prorsus est exploratum. Quin & citra iacturam & iniuriam prædictæ Pontificiæ inhibitionis, posteriorum candidatorum vitæ immortalis (minimè adhuc Sedis Apostolicæ oraculo consecratorum) reliquias posse piè colligi & coli, idem Cardinalis grauiter asseuerat. *Non licet* (inquit) *reliquias non canonizati hominis in templo constituere publicè honorandas, licèt tamen eas habere & venerari etiam aliis videntibus, modò scandalum absit. Id enim habet praxis Ecclesiæ. Mox enim ac Martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias rapiendas. Et similiter quando moriuntur homines clari sanctitate, multi deuotè osculantur manus & pedes, & de vestibus eorum pro reliquiis seruant. Nec id vnquam inhibitum fuit. Præterea si licet honorare viuentes quos credimus Sanctos, cur non mortuos?* Ita ille. Ex quibus habes, qua ratione pios homines, quos Sanctorum albo sublegimus, debeas recolere & venerari. Sed & *Gloss. in praeit. capit. de reliquiis & veneratione Sanctorum* liberam eiusmodi illustrium pietate defunctorum priuatam inuocationem reddit: sic enim ibi legitur ex Patrum communi sententia, Pontificio calculo approbata. *Dicimus enim quod cuilibet liceat in secreto, alicui defuncto quem Sanctum credit, preces porrigere, vt pro ipso ad Deum intercedat: licèt solemnes preces publicè emittere, vel solemne officium publicè dicere nequeat, vt dixerunt Innocentius & Hostiensis.* Ita ibi. Verùm si licet claros

* Habentur cap. 1. & 2. tituli De reliquiis & vener. sanctor. lib. 3.

Lib. 1. cap. 10. de Beatitud. & Canoniz. Sanctor.

defunctos iustitiæ meritis & felicis excessus coruscatione, orare, eorum reliquias venerari, cur non & nomina quæ post mortem eorum radiant suorum meritorum fulgoribus in indicem referre, quo memoria eorum benedicta, sub titulo pietatis donec sanctitatis plenario honore consecrentur, ab obliuione præseruetur? Cæterùm ad Vrbani VIII. Pontificis Maximi nunc in Cathedra Apostolica sedentis constitutionem, patet ex serie eiusdem decreti responsum. Ita enim ibi sacra Congregatio habet, ex mente ipsius Pontificis, &c. *Declaramus quod per supra scripta præiudicare in aliquo non vult* (Vrbanus Pontifex) *neque intendit iis qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorúmque Sanctorũ scripta, vel ex longissimi temporis scientia, ac tolerantia sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur.* Quibus ex regulis apertè liquet, Sanctos quotquot hunc in album adscripsi sub absoluto titulo sanctitatis, iure sic à me inscriptos & censitos: nullus enim est in tanta multitudine, qui his sub rationibus, vel aliqua saltem ex his patentissima, non fuerit pro Sancto hactenus honoratus, dignúsque veneratione eiusmodi plenaria habitus: quod probant sacra Ecclesiarum vetustissimáque diptycha, Patrum vel sanctorum virorum approbatissimorum testimonia, temporum longæuus vsus, sacrorum eisdem Sanctis, à Maioribus, locorum indicant moles, probant publicæ totius gentis nostræ contestationes, quin & Ecclesiarum traditio & consensus; expressa, vel tacita, Sedis Apostolicæ auctoritas; Episcoporum diœcesanorum approbatio, imò & Metropolitarum adstipulatio, aut ad minus tolerantia: syncera denique quæque suppetunt auitæ testificationis monimenta sicut sigillatim in commentariis ad diem cuiusque Sancti natalem liquidò demonstrabimus. Ita verò & de piis à nobis subiunctis pro gradu suo possum secura mente asserere. Quorum in memoriæ venerabilis commendationem, id lubet etiam hîc apponere insigne sancti Antonini, & luculentum documentum ex 3. parte summæ eius historicæ tit. 23. c. 14. *Quemadmodum*, inquit, *soli Deo cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus: ita & ei soli innotescunt gradus meritorum & præmiorum omnium Sanctorum, & quibus voluerit reuelare. Quantum autem nobis (qui tenebris inuoluimur) permittitur iudicare de Sanctis, per coniecturas & præsumptiones ex gestis eorum; arbitror ambigere neminem, plurimos Beatos vtriusque sexus non canonizatos ab Ecclesia, imò nec nominatos, non fuisse minoris meriti & inferioris gloriæ, multis Sanctorum catalogo adscriptis. Non enim canonizatio adiicit ad meritum vel præmium essentiale Beatorum, nec decernit sanctitatis gradum, sed venerationem temporalem & gloriam, vt post ipsam possit solemniter Officium celebrari & festiuari, quod aliàs fieri non debet.* Hæc sanctus Antoninus. Porro de Canonizatione Sanctorum in Apologetico infrà ad calcem operis subnectendo, sub proprio titulo obiter tractauimus. Quo de ritu eiúsque origine & propagatione, déque eiusdem regulis, & cæremoniis, pleniùs qui instrui volet, peruoluat commentarium F. Angeli Roccæ Augustiniani, Apostolici Sacrarij præfecti, *Romæ editum hac sub epigraphe. *De Canonizatione Sanctorum, Commentarius. Hoc est de definitione, auctoritate, & antiquitate: déque causis & ordine iudiciario canonizandi Sanctos. De miraculis item ac de rebus quæ veram declarant sanctitatem. Necnon de honoribus qui Sanctis debentur. Additis cæremoniis, in ea obseruari consuetis ac declaratis,* &c. Extat in opusculi illius extrema ora, Catalogus Sanctorum quorum Canonizationes inueniri potuerunt: (nempe vsque ad annum Christi 1601.) quæ vix ad 56. numerum perueniunt. At auctor recenset eo in Indice (vt demum admonet) canonizationes tantùm solemniter à Romanis Pontificibus celebratas. Ex quo patet Canonizationem Sanctorum solemnem in omnibus Sanctis qui coluntur desiderari non debere, cùm sufficiant (in iis maximè qui tempora Alexandri III. præcesserunt) aliæ eorumdem legitimæ consecrationis rationes, quæ suprà à nobis ex Apostolicæ Sedis responsis, in Martyrologij huius præsidium ac patrocinium nostrum, adductæ sunt.

*At ante hunc auctorem Augustinus Triumphus qui sub Ioanne XXII. claruit splendore doctrinæ ac religionis, in *Summa sua de Ecclesiastica potestate*, Theologico more *de Canonizatione Sanctorum* luculenter disseruit, à quæst. 14. inclusiuè ad 17. exclusiuè.

CAPVT XXIII.

De Martyrologij huius ordine ac methodo.



QVEMADMODVM in humano corpore, non solùm consideratur singulorum dignitas membrorum, sed omnium inter se apta proportio. Et vt in exercitu non tãtùm singulorum robur ac fortitudo, sed etiam omnium ordo & dispositio spectatur. Ita fit in cuiuslibet operis structura, potissimum verò in librorum id attenditur contextu: non enim modò res quæ describũtur, dignæ quæ commemorentur esse debent, sed etiam omnium copula & nexus, singularẽ, necesse est præ se ferant cõcinitatem. Sæpè enim fit vt res humiles ac tenues, perpetuo tamen filo ac solerti colligatæ, mirabiliter splendescant: contra verò res grandes & sublimes nullo catenatæ vinculo, sed in syluam abditæ verborum, sine luce, sine splendore tumultuari videantur. Itaq. cùm has Sanctorum Galliç vindicias aggressi sumus: quò à squalore æui & mortalium obliuione immortalia eorum nomina erueremus, horũmq. clara quæ in tenebris tãdiu ignota iacuerant, redderemus facinora & trophæa: id sedulò cauere studuimus, ne operis indigesta moles natiuo rerum decori caliginem afferret: sed vt ordo aptissimus & methodus perfacilis, rebus ipsis adeo ex se speciosis commune decus conciliaret. Triplex autem cùm occurreret disponendæ huius collectionis ratio, nẽpe vel per modum litterariæ Synopsis, seu vocalis Indicis, vel per modum Annalium, vel per modum Martyrologij: congruentius mihi visum est atq. cõmodius, postrema hâc vti, quàm illâ vel altera digestione. Siquidem Index vocatiuus turbat in Sanctis dubiæ nuncupationis, prorsusq. deficit in anonymis. Annalium series, vbiq. ferè nutat, claudicat, quiq. hoc ordine Sanctorũ res gestas instituisset describere, priùs annorum componendis calculis insudare, quàm gesta Sanctorum exprimere cùm necesse habuisset: semper & vbiq. pugnax, in perpetuæ contentionis huius arena hærens ac æstuans, Sanctorum elogia nonnisi iam fatigata manu & retuso calamo potuisset contexere. At Martyrologij ordo, qui cùm dierum consectatur seriem & mensium cursus, eamdem quam mundo huic inferiori, supernóq. orbi, Deus sapientissimus rerum artifex & conditor indidit harmoniam, in syderum gratiæ, Sanctorum scilicet beatorum enumeratione, ita proximè imitatur, vt non solùm Solares exprimat excursus, sed Lunæ etiam varios * motus ac vicissitudines subsequatur. Itaque vt militantis Ecclesiæ, in qua Sancti ipsi dudum *flantes in custodiis suis*, velut stellæ *militiæ cœlestis* æmulæ claruerunt, speciem præfert: sic & triumphantis (in qua iam glorificati, solaris stabilitatis ac eminentiæ, iam cœli effecti incolæ, & Sion ciuitatis supernæ municipes: imò regni Dei æterni principes, tabernaculique eius gemmæ perpetim coruscantes, & astra aulæ eiusdem Regis gloriæ semper fulgentia, decus consecuti sunt ex præmio iustitiæ:) conspicuam exhibet effigiem. Accedit quòd Martyrologij ipsius textura, Sanctorum consecratis nominibus colendis & recolendis iampridem ab Ecclesia, vt commodior ac aptior vsurpata, omnino careat disputationum aculeis: sed tota nitida & placida serie discurrat, simplici astricta narrationi, & expressioni insigniorum, quæ Sanctos singulos exornant donorum gratiæ, & virtutis cuiusque propriæ elogiorum: explosâ omni disceptatione, quæ moueri posset circa dubias temporum definitiones, & locorum designationes, rerúmque etiam descriptiones, quas veras supponit ex certa & explorata dictorum synceritate. Nam Martyrologij contextus, vt aliis conscriptionibus longè est dignitate sacratior, sic circa res ipsas non modò certior, sed & ab omni mendacio & errore expurgatissimus debet esse. Si verò quædam referat, quæ ad elenchum reuocentur: niti hunc oportet ita firmis munimentis, vt discussione factâ, quæ dubia in eo videbantur, certa comperiantur, quæq. falsitatis vel erroris arguebãtur, eo ex ipso examine se prodant syncera ac intemerata. Cæterùm hæc extra seriem

* Vide Tertull. libro de Pallio, vbi ait, *Lunam modulationibus mẽstruis variare.* Et Theophil. Alexand. ep. in Paschali, vbi cẽset *Lunam prudentissimo Dei artificio conditam, vt formarum varietatem mutaret.* Qua & ratione Cæsar. dialogo 2. interrog. 44 *Lunam appellat eiusdem temnatura nostræ imaginẽ.* Quæ, vt scribit Clemens Alexand. 5. strom. *Indefessum tempus perennis fluenti planũ ostendit, ipsa semper sese pariens.* At rursus attendendus Tertull. qui l. de anima c. 51. de Sãctorum requie docet, sublimi mẽtis acumine: *eorũ dormitionem esse in agnitione circa Lunam.*

Baruch 3. 34.

huius texturæ sunt, quæ seorsim ab eius congerie, subsidiariis debent fulciri notationibus, vel dissertationibus expendi. Hunc igitur ordinem ceu omnium optimum, atque aptissimum proposito nostro amplexi sumus: antiquum Ecclesiæ morem secuti, quæ Sanctorum memorias per dierum natalium eorumdem ordinem celebrare ab enascente religione consueuit, & insigniorum Patrum ac auctorum exempla imitati, vel qui homilias de eorum laudibus in diebus ipsorum natalitiis habuerunt, vel Fastos Ecclesiasticos scribentes, amplificantes, illustrantes, præclaras eorum actiones, & agones gloriosos sub ipso diei singulorum titulo, indelebili stylo veritatis exprimentes, piæ posteritati, æternam ad memoriam & obseruantiam consignârunt.

Verùm, est quod hîc Lectorem admoneamus, nos quamuis in istius Martyrologij concinnatione hoc efficere præcipuo studio conati simus, vt Sancti quotquot commemoramus, diebus propriis natalibus singulorum signarentur; iisque quasi sibi peculiariter sacris, potiora meritorum encomia ipsi reciperent. Tamen in quibusdam regula hæc fermè generalis intercipitur, tum quòd in locis vbi coluntur aliqui beati Tutelares non ipso die passionis, vel migrationis suæ, præcipuam celebritatem habeant, sed aliâ die, aliâ eis ratione addictâ, sacros impensiùs percipiant debitæ venerationis honores: tum quòd specialem accuratámque singulorum notitiam cùm primùm opus hoc ordiebamur nondum eramus adepti, quâ subinde feliciori indagine repertâ, vel amicorum fortunato munere acceptâ, ne cuiquam sideri proprius splendor (etiam tardiusculè accedens) aliquâ meâ culpâ deesset, decora cuiusque in prima & præcipua festiuitate inuitè prætermissa, libenter postquam auspicatò repetta sunt, secundariæ, vel proximè obuiæ eiusdem beati commemorationi addidi: sicque aliquoties (at rarò) inuenies, ipso in cœlitis triumpho breuem eiusdem commemorationem: in alio etsi non ita ex se notabili, præcipuæ eius laudis fusè expressa præconia. Porro vt aduertendum est Sanctorum Galliæ, qui Romano Martyrologio adscripti sunt, non vbique nos natales singulos sequi, quoniam ipsi Sancti in suis locis & Ecclesiis, vbi magis noti sunt, alia die (quæ ipsa vt plerumque est qua obierunt) celebrantur: ita sciendum vnius eiusdémque Sancti plurimas passim agi solemnitates, quæ hoc in Martyrologio, proprio cuique titulo notantur. Siquidem præter *agonis* vel *transitus* diem, qui propriè in Martyribus *Natalis*, in Confessoribus *depositio* nuncupatur. Sunt isti sacrati Sanctorum dies *ordinationis, inuentionis, eleuationis, releuationis, translationis, reductionis, aduentus, susceptionis, repositionis, canonizationis* insuper & *dedicationis Ecclesiæ*, vel in qua quiescunt, vel cuius *proprij vt patroni* honorantur. Sunt tamen in his maximè celebres *mortis* & *translationis* dies. Præcipuus omninò est autem dies obitus, seu natalis aut depositionis: de quo sic nuncupato eleganter Eucherius Lugdunensis: * *Beatorum*, inquit, *Martyrum, Passiones, natales vocamus dies, quando eos Martyrij vita, & gloria fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua iis gaudia breui dolore parturit. Meritò planè dicendi natales dies, per quos illi qui nati fuerant in hanc fragilitatis miseriam, subitò renascuntur in gloriam, vitæ perennis initium de morte sumentes. Etenim si dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis & doloribus nascimur ad dolores, iustiùs illi celebrantur natales, quibus Sancti ex corruptibili luce, in nouam illam futuri sæculi veniunt claritatem, & filij hominum in adoptionem diuinæ paternitatis ascendunt.* Ita Eucherius piè iuxta ac pulchrè. Transitus etiam dies ille supremus Sanctorum appellatur, quòd illo die migrârint Sancti, quos beatos recolimus, (& vt sanctus Chrysologus eleganter suo more scribit:) *de terra in cælum abierint, de dolore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes & stabiles & æternas*: de fletibus ad gaudia, de agone ad coronam, de miseria ad gloriam. *depositionis* etiam hunc diem inscribimus, quòd (vt rectè admonet Origenes) Sancti dum carne soluunt ut exuant corruptionem, deponant sarcinam mortis, excutiant dolorum omnium nexus, & æternam prodeant ad felicitatem. Porro *translationis* dies, post natalem præ cæteris est celebris, sub quo etiam *inuentionis* & *eleuationis* sæpè memoria recolitur. Non enim semper quando cuiuspiam Sancti colenda, signatur iis in Fastis translatio, eo nomine

* Homil. 50. in Genes. quæ perperã cum ceteris Eusebio dicto Emisseno, seu Emeseno à nonnullis tribuitur. Nota verò præter Eusebium Emesenum commemoratum à S. Hieronymo in lib. de sent. Ecclesi. quem solum Bellarm. in lib. eiusdem tituli agnoscit & recensset, alium huius nominis extitisse doctrinâ & pietate clarum, qui Monachus fuit Lerinensis, synchronúsque ferè illius qui apud Græcos in Emesa claruit.

Serm. 129.

Lib. 3. in Iob.

accipitur, quo plerumque apud veteres in vsu est, nempe pro transuectione ossium alicuius Sancti ex longinquis partibus, vti sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis disertè ait, *Lucam Euangelistam quiescere Constantinopoli, ad quam vrbem ossa eius cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sint de Achaia.* Namque in Gallia sæpè Sanctorum inuentio, repositio, eleuatio, sub vulgari magis translationis nomine celebratur: quoniam (præsertim quod spectat ad Sanctos indigetes, vel etiam aduenas in sinu Galliæ demortuos) inuentio, seu repositio, aut eleuatio frequentiùs cum translatione concurrebat, eodémque tempore & vno eodémque actu perficiebatur. Id vt palam fiat vnica obseruatione insinuaueto. Raró signari in Martyrologio Romano, nullas coli in Breuiario, Sanctorum translationes: quæ in Galliæ Ecclesiis ex auito more frequentiùs recolunrur, hócque in Fastorum Galliæ promptuario passim celebres consignantur. Cuius discriminis duplex ratio in causa est. Quod enim Romæ rarò translationes commemorentur, inde factum quod Romani Pontifices primis sæculis difficilè, vel tenues Sanctorum reliquias beatorum, è tumulis detrahi paterentur: Româ verò aliò transferri eorum corpora, nullatenus permitterent, vt liquet ex facto & relatione sancti Gregorij libri 3. epistola 30. Fuséque à nobis probatum est *in nostris commentariis tom. 1. ad 3. Nonas Ianuarij, vbi de sancti Quintini inuentione* agimus. Porro in Gallia mos ille ab antiquo rigidissimè seruabatur, vt intra vrbium mœnia nemo tumularetur, adeovt ne sanctissimi quidem Episcopi ad sepulturam in vrbis sinu admitterentur, quemadmodum ex Martyrologiis Adonis & Notkeri, istóque nostro fit plerisque exemplis perspicuum. Quapropter commendatur ea in re populi Lingonensis suum in Præsulem Desiderium sub Vvandalis martyrio laureatum, singularis pietas & deuotus reuerentiæ affectus: quem (postquam pro grege iugulum præbens tyranno, interemptus fuisset fidus pastor) Ciues ad vrbem reuectum, intra septa ciuitatis præcipui amoris indicio sepelierunt. Vnde in eius actis hoc pietatis obsequium speciali commendatione notatur. Cùm igitur cæteri sancti Antistites vel Martyres, extra vrbium ambitum in cœmeteriis, ex vniuersali Galliæ more tumulati: beatitudinis insigniis, Deo volente qui amicos suos clarificat, coruscarent, germinantiáque in sepulchris eorum ossa, opiferæ suæ virtutis faluberrimos effunderent circumquaque odores: exciti hinc deuotione suos in patronos ciues, veneranda eorum corpora, ceu pignora salutis ad ipsarum suarum vrbium clientelam & præsidium, passim transferre cœperunt intra septa ciuitatum. Sicque crebræ vt factæ sunt Sanctorum corporum translationes, itidem & eleuationes ac repositiones quæ simul fiebant, cœperunt vbique in Gallia actitari. Non tamen id ita generaliter à me dictum, quis putet rogo, vt in omnibus quæ signantur in his Fastis translationibus, axioma istud sit eodem modo accipiendum. Quod vt aduertat quisque præmonemus, Sanctorum quos hoc in Martyrologio commeminimus triplicem esse classem. Indigenæ enim aliqui sunt, alij aduenæ, alij aduectitij. Galliæ *indigenas* appellamus, quos Gallia felici partu enixa, post illorum gloriosos vitæ cursus & mortis agones, ad cœlestis regni coronas & triumphos læta transmisit: & pretiosas exuuias materno complexa gremio, in pignora seruauit mutuæ eorum in se, & suæ erga eos pietatis. *Aduenas* dico, qui vel illustrandæ diuinis facibus Galliæ studio, vel perfugij, aut quietioris secessus causâ, ex quibusque terrarum orbis oris, in hanc regionem Christi præconibus vel cultoribus amicam, auspice ducéque ipso seruatore Domino confluxerunt: congestisque illic meritorum immensis cumulis, beatitudinis præmia adepti, in soli huius sibi chari visceribus, mundos artus pretiosásque felicium spirituum exuuias, vti immortalitatis semina & charitatis suæ pignora, tuto quasi in asylo condites deposuerunt. *Aduectitios* qui exteri quidem ortu & occubitu, post emensum mundis progressibus mortalis huius vitæ tramitem (Deo, Galliam cæterarum etiam gentium sacris spoliis, præ speciali cura & amore, locupletante) ad nos suarum aduectione reliquiarum, nouo iure hospitalitatis transierunt, factíque & ipsi Galliarum, suorum ossium oppigneratione incolæ & patroni, pa-

In Luca.

Nota.

In veteri Cod. Stepha. Diuion.

triorum Beatorum consortio, eo pacto accesserunt. Nec enim quartum eorum reor constituendum esse ordinem, qui nati apud nos, at apud exteras gentes coronari, ibi spolia sua, vbi extremos in victoria fuderunt spiritus, hactenus dignè asseruata reliquerunt: vel eorum qui cùm extra Galliam sint mortui, reuectione tamen pretiosorum cadauerum, ad patriæ sinum redierunt. Hos enim quos sedulò vndique accersitos, nostro in Martyrologio, sicut liligeræ Galliæ natiuos flosculos, conserimus, iure ad primam classem, quæ est alumnorum Galliæ, arbitramur esse referendos. Porro hac distinctione præstituta, peruium est translationum diuersas rationes deprehendere: quæ non modò à locis & personis, sed etiam à temporum sunt vicissitudine mutuandæ. Vt enim perdoctè Onuphrius cap. 7. Opusculi *de ritu sepeliendi* obseruauit, cessauit media fermè Ecclesiæ ætate, corpora sepeliendi intra vrbes, basilicásque prohibitio. Quamobrem & reuectiones à suburbicatiis mausoleis, seu campestribus cœmeteriis ad ciuitatum meditullium, etiam vsu exoleuêre. Sed quæ inde vt plerumque fieri cœperunt Sanctorum translationes, ex occasione vel Danicæ incursionis, vel bellorum quorumuis Galliam concutientium, ortæ sunt: vel certè ex ipsa Sanctorum crebriori in locis vbi conditi quiescebant gloriæ coruscatione: quâ exciti Pontifices, Reges, Proceres, ipsique fideles populi, de humilium ædicularum situ, sacratissimas glebas beatorum illorum leuatas, ad excelsæ nuperæ structuræ sacraria, omni cum honore transferebant. Quorum cùm grata haberet Dominus, quæ *amicis suis* propter se exhibebantur venerationis obsequia; triumphos quos Sanctis in eiusmodi repositionibus parabant, solebat suæ magnificentiæ fulgentibus illustrare indiciis. Accepta verò inde cœlestia beneficia efficiebant, vt dierum ita insignium ab Antistitibus consecratus perpetuæ fidelium memoriæ anniuersatius recursus, Fastis Ecclesiasticis adscriberetur, quò Dei gloriæ magnalia tunc edita posteris æternùm paterent; beatorúmq. patronorum honorificatio, repetitâ memoriæ eorum celebritate, augeretur; simúlque vberior populis eorum conciliaretur opitulatio. Sed de his non semel nostris ad textum commentariis apodicticis, & aptiùs quidem ac profusiùs, erit disserendum: vti etiam de Ecclesiarum encæniis, quæ sparsim hoc in promptuario notata occurrunt, déque aliis consignatis festiuitatibus quibuscumque. Cæterùm quoniam & *Beatos* & *Pios* visum est ad cumulum collectionis sacræ antiquitatis Gallicæ, per modum diariæ appendicis, textui Martyrologij huius subnectere: horum etiam in commentariis, res gestas quæ obiter in proprio cuiusque elogio attinguntur, non prætermittemus appendere, debitasque iis iustæ collaudationis præconia, aut amplioris illustrationis subsidia, impertiri. Quantum autem ad nomen *Beati* attinet, quamquam rigidè non sit à nobis plerisque in locis vsurpatum, vt *beatificati*, quotquot hoc epitheto insignitos videris, Apostolicæ Sedis speciali decreto existimentur: tamen ferè semper & vbique hanc nuncupationem secundum canonicam acceptionem inducimus. Vbi enim in mantissa totundè scribimus, bearum eumdem beatificarum, Ecclesiæ Romanæ iudicio passim intelligimus. In aliis enim attemperamus hunc titulum, vt de recto in obliquum inflectentes, eumdem cum addito applicemus. Inscribimus enim qui sunt eiusmodi, vt hos Deus in vita claros virtutibus reddiderit, & ipsorum merita signis declarauerit; at Ecclesia Beatos haud adhuc pronunciauit, *beata memoria*. *Pia* autem, qui conspicuæ pietatis & iustitiæ dotibus peromati, in pace *filiorum Dei* cum plurima sanctæ conuersationis existimatione decesserunt; licèt horum nonnulli forrè post mortem *signis gloria* patentibus, aut saltem crebris, non refulserint. At in his omnibus nihil pro priuato libitu & arbitrio admisimus, sed vbique dum hoc discrimine vtimur, secuti sumus præuia piorum ac eruditorum auctorum vestigia, vt ex Commentario liquidò apparebit.

CAPVT XXIV.

De textura & stylo huius operis, & cur eius series alicubi strictior, alibi verò prolixior exhibeatur.



VDVM cùm vir magnificus Leo Eorici Regis Gothorum consiliarius, Sidonium Apollinatem eloquentiæ palma toto orbe conspicuum, per literas crebras & amicorum suffragia sollicitaret, imò vrgeret instantiùs, vt epistolarum curam iam terminaris earum libris, conuerteret ad stylum historiæ: renuit omnino hanc subire prouinciam Sidonius, eo obtentu quòd clericum non deceat texturæ eiusmodi incumbere. *Scriptio*, inquit, *historica videtur ordine à nostro plurimum abhorrere, cuius inchoatio inuidia, continuatio labor, finis est odium.* Ita sapientissimus ille vir ab hoc onere se exemit, Leonem ipsum seriò hortatus, vt molem thematis missi ipse capesseret, cui præter eloquentiam singularem, scientiæ quoq. singularis magna opportunitas supperebat. Vtinam verò pari ego felicitate, qua ille pridem facilitate, onus quod obeundum ab aliquot annis suscepi, amicorum hortatu, (struendæ scilicet ex Sanctorum rebus gestis sacræ gentis nostræ historiæ pondus) in eorum cuiuspiam firmiores humeros deuoluissem. Sanè in præsentiarum mihi haud opus esset causam dicere apud eos, qui editum in lucem partum meum non modò indignum luce declamabunt: sed meipsum temeritatis ob præsumptum officium arguent, inanitérque præstitæ operæ suggillabunt, ac ex stylo, ex structura totius huius opificij, traducent in vituperium. Hîc sanè vocem vsurpare gestio Sophronij prisci Hierosolymorum archimystæ, *Quis putas me*, aiebat, *constituet in mense dierum anteriorum, cùm vindemiabam racemos silentij.* Optabat vir sagacissimus cultor esse silentij, nec linguam eloquio, nec calamum texendo stylo epistolæ dogmaticæ, admouisse. Cur non igitur ego magis exoptem *sedisse solitarium*, ptesisque *digitis super os meum* colendo silentio, ex quo mihi pax & quies manassent, omne studium intendisse? Et lirasse quidem magis iuuasset ad aram *silentariorum* deorum, cuius Tertullianus meminit in Apologetico cap. 6. quàm Sanctorum à vero Deo glorificatorum, præcelsa merita inconcini ore pangere, rudisque calami tot diuinas mentes pingere penicillo? Ita reuera est: nam & ad hotum condignum præconium opus erat, *non lingua hominum, sed Angelorum*: nec peccatoris (qualis ego sum maximus) hoc erat officium, sed tam diuinum opus eius cœlestis actuarij requirebat manum, ad quem superno iussu Angelus quondam dicebat: *Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur:* decebat enim *Sanctum* (vt fertur dixisse * Angelicus Thomas) *pro Sanctis scribere*, & non me miserum ** peccatorem *Dei enarrare iustitias*, enumerare astra matutina, filios Dei nominare, Sanctuarij scrutari secreta, gratiæ Christi dona commendare, prædicare gloriæ eius mirabilia, testamenti eius fideiussores indicare. Sed & cuttus triumphalis eius gloriæ per orbem indigitare vectores, imò victorum qui pro eius lege & nomine contra mundum & infernum strenuè ad mortis vsque sudorem pugnauerunt, egregias canere virtutes, agones laudare, palmas celebrare, commendare merita, præmia nunciare, magnificare nomina, signare vestigia, promere documenta, exempla ostendere, præconia exequi, memorias clarificare, Fastos exarare, miracula scribere, attollere suffragia, opem inuocare, patrocinia polliceri, ad consortiúmque beatorum felicissimum fideles prouocare. Etenim, vt benè censebat Philippus bonæ-spei Abbas, insignis scriptor ordinis Præmonstratensis, qui sancto Bernardo coæuus fuit. *Qui Beatorum prædicare mores, explanare vitam, retexere gesta disponit, sic expedit viuat vt loquitur, & factis ornet quod oratione commendat, ne vocis propriæ testimonio redarguatur, imitatione non approbet, quod assertione persequitur.* Si quis eo nomine me insimulet indignitatis, non mouebo labia, vt me vlla excusatione

Apud Sidon. l.b.4 ep.22.

In Synodica ad Patres sextæ Synodi quæ lecta fuit actione 11.

Thren. 3. 28.

Iob 21.5.

1.Cor.13.1.

Apoc.14. 13.

* Ita ex actis legitur in Rom. Breu. die 14. Iulij lect. 5.

** Psal. 49. 16.

In epist. ad Hugonem Abbatem Elnonensf. sup. vitam S. Amandi.

defendam. Sed confusione cooperrus, conscius quòd sim culpæ, præsumptionem meam ipso silentio condemnabo. Verumtamen est quòd quemcumque censorem meum commonefaciam, vt aduertat hoc in ipso de quo me increpauerit adorandum Dei consilium, qui sæpè peccatorum vtitur operâ, vt gratiæ suæ dona commendet: solétque semper infirmis & ineptis (vt videtur) instrumentis, mirabilia sua operari; adhibere parua vt magna perficiat: vtque è tenebris lumen educit, sic plurimum ex peccatorum manibus, elicit specula gloriæ suæ. Aiebat verè sanctus Gregorius. *Pingit vt plurimum pulchrum hominem pictor fœdus.* Pender certè Sanctorum gloria, à Dei gratiâ, à sua sanctitate propria, non ab encomiastæ virtute. Qui Sanctorum res diuinas scripserunt, non ideo Sancti singuli extitêre. Non minùs tamen habent merita Sanctorum commendationis, quos Dei gratia ornat, non dignitas vel industria panegyristarum. At non est quod ita admodum verear, vt proprer peccata mea, librum meum respuant homines. Fecit iam sæculi corruptio, vt magis diserta verba, sint in pretio, quàm virrutes. Lecturi sunt librum hunc aliqui studio pietatis: hi affatim quo instruantur ad omne opus bonum, ex Sanctorum gestis quæ narro hac in collectione, comperient. Nec asperitas styli, nec Scriptoris indignitas eos à lectione ipsa remorabitur; nilque prorsus inde copiosi profectus, spiritualisq. solatij & subsidij quod ibi quærent iis excidet, propter defectus auctoris. At alij (qui & longè plures) voluent, non dubito hunc codicem, alio penitus exciti affectu. Nouitatis studio scilicet aliqui: aliqui autem incensi prurigine, non tam capiendi quæ à me scribuntur, quàm carpendi. Prioribus absit vt probrum illud inferam, quo Themistius dudum nouitatis amatores & sectatores notauit orat. 4. *Nouitatis studiosus, conuicium est (ait) primum in Socratem coniectum, inde in Platonem, deinceps in Aristotelem, ac Theophrastum.* Hos enim id telum petit, qui vanas noxiásque nouitates * inducunt, vel exquirunt. Non qui pio fine, noua quæ vtilia sunt formandis moribus & alendæ virtuti ac religioni, affectant & sectantur. Hi enim perinde faciunt, ac si nouos vrgentioresque stimulos sibi ad honesta capessenda quærerent & incuterent, recentibúsque edulijs ac epulis prouocarent ad boni æmulationem animi appetitum. Fortunatum igitur me existimauero, si iis meo labore fuerim aliquatenus obsecutus. Beatum enim pronunciat Constantinopolitana Synodus act. 1. *qui prædicat verbum inauditum*, id est nouum: in rebus enim cùm fidei & morum ædificatione sitis, laus est non exigua, Maiorum augere hæreditatem, & posterorum vtilitati seruire. Verùm est aliud omnino studium nouitatis, quod vanum est & detrimentosum. Illud scilicet quo acti plerique, soláque curiositate ducti nouos quosque libros appetunt, in hisque non si quid est vtile quærunt, sed tantùm quod rarum est & delectabile venantur. Eiusmodi librorum heluones irridet festiuè Seneca, dum ait eos quidem ** *non sequi ducem, sed fremitum & clangorem dissonum.* Hi, vt mihi videtur, non aurum in puluere, sed puluerem in auro quærunt. Quos igitur rogo, his dimissis Fastis, ad ludicra sua abire. Nec enim si nouitatem tantùm, sola curiositate quærunt, hanc ibi inuenient: sed venerandam cum religiosa nouitate vetustatem. Nihil enim hoc opere noui molitus sum, quod non ab antiquitate suffragium habeat, & in maiorem Christi & Sanctorum gloriam destinetur. Noua hæc videbitur præclarè ab iis actorum congeries. Sed ipsa acta non sunt noua. Accidit mihi vti aurifabro, qui ex veteri & probato auro, gemmísque pridem repertis & expolitis, nouum vas adornar. Sic enim hoc Martyrologium ex antiquis purisque historiæ Sanctorum monimentis conflatum, horúmque meritis iam à Deo coronatis, insignitum est: vt ipsa quæ patent noua, nihil aliud sint quàm vetera Gallicanæ Ecclesiæ decora, aliquot sæculis quidem abdita, ac nunc auspice spiritu gratiæ, à quo iampridem infusa Sanctorum cordibus ror dona prodierunt, eruta è specu obliuionis, at-

1. Cor. 1. 27.
2. Cor. 4. 6.
In Moralib.

Fuit Nazianzeno contẽporaneus, qui & ad eum scribit.

* De quibus maxime hoc à Patribus dictum Apostoli intelligitur, ad Timoth. ep. 1. c. 6. ver. 20. *O Timothee depositum custodi* (vtræ scilicet doctrinæ & fidei talentum quod à me accepisti) *deuitans profanas vocum nouitates.* Id est (vt explicat Vincent. Lerin. tractatu aureo de hoc titulo.) *Voces & dogmata quæ nihil habent sacri, religiosi-súntque à sacra fide, à religione, ab Ecclesia aliena. Quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contraria.* In Græco pro. *nouitates.* legimus, *κενοφωνίας*, vanitates, seu inanitates vocum. At sicut ab eiusmodi matæologiis docet Apostolus fideles abhorrere. Ita ex opposito hortetur pios quosque, scribens ad Philippenses cap. 4. sedulo ambire, quærere, & consectari *omnia quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta. Æmulari denique omnia quæcumque sunt bona fama. Si qua sit virtus, si qua sit laus disciplinæ, hæc cogitare.* Porro hæc omnia conglobatum hoc in opere exhibentur, quòd nihil aliud quàm studio pietatis, exempla iustitiæ, fructus gratiæ, dona Spiritus, fidei opera, & charitatis officia ac præmia, quæ Sancti vitâ purissimâ Deóque gratissima conuersatione, adepti sunt, complectitur.

** Lib. de vit. beat.

quæ ad lucem agnitionis patriæque nostræ ornamentum & commodum perenne reuocata. Sed cùm ea in re, illius officio sim quantum valui perfunctus, qui vt ait Dominus, *noua & vetera suo ex thesauro* ad familiæ totius vtilitatem profert: non est equidem quod nouitatis amatores reformidem, at potiùs vt moneam, quatenus sic quæ noua eis placent inspiciant, vt vetera quæ hoc in codice conserta sunt, eo quo digna sunt pretio accipiant; & non tam artificis rude attendant opificium, quàm ditissimæ materiæ (ex qua ipsi locupletari possint) valorem perpendant, porro excellentiam eorum quæ vident non tam suspiciant, quàm ambiant & æmulentur. At re cum his actâ, non tamen è stadio adhuc egredior. Alij enim me in arena tenent, quos mecum longè durius conflictutos, opertiot, dicebat suprà laudatus Sidonius, cùm scribendæ historiæ thema refugeret. *Ista prouentuni Clericis si aliquid dictetur auctoribus, qui colubrinis oblatratorum molaribus fixi, si quid simpliciter edamus, insani, si quid exactè, præsumptuosi vocamur. Nec facile est præterire, seu supercurrere ceruices eiusmodi vituperonum.* Sed nolo in quoslibet censores meos etiam rigidissimos, imò & iniquos vllam vituperij notam regerere. Tantùm satagam quæ præcipuè obiecturi sunt anteuertere, vt iis si non satisfaciam prorsus, saltem placatos mihi eos, ipso hoc humili occursu, efficiam. Primùm igitur scio, ad plures hæc nostra volumina deferenda, qui mentem habent excelsam, & multarum rerum cogitationibus exaggeratam, quibus propterea, aliqua quæ hoc in promptuario Sanctorum nostratium, narramus, humilia videantur: fortéque etiam & minus digna quæ literis consignarentur. Hos oratos velim, vt in actis Sanctorum Dei prouidentiam adorent, qui vt omnes ad se traheret homines, Sanctos ipsos magna non solùm patrare voluit, sed etiam minima ac humilia facere, quibus pusillos instruerent, *& omnibus omnia facti* (sicut ait Apostolus) *sapientibus & insipientibus,* iter panderent, proportionatis quibusque documentis & exemplis, ad diuini sui beneplaciti obseruantiam & veræ felicitatis assecutionem. *Ideo gregem suum pusillum*, ait Beda, *Dominus nominauit, quia eum vsque ad finem mundi humilitate vult crescere.* Quapropter & magnos quosuis hortatur vt minimos se reputent, interminatúrque exclusionem à regno suo, nisi ad humilitatem conuertantur, ceúque paruuli efficiantur, *qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt.* Id Sancti, assequi & præstare sedulò institêre. Vnde & in eorum actis humilia quæque occurrunt ab iis dicta & facta, quæ superbis auribus tantum ingrata sunt, quantum Deo accepta & veris fidelibus vtilia. Hæc prætermittere, piaculum duximus. Tamen est quod sublimes mentes ipso suo ex rerum contextu hoc opus demulceat: in quo non humilitatis tantùm opera narrantur, sed excelsæ virtutis & diuinæ prorsus sapientiæ ac gloriæ insignia proferuntur. At verò alios pertimesco censores, doctos scilicet atq. sacræ historiæ peritos, qui oculatissimi librorum lustratores, Martyrologium istud omni ex parte euoluent, versabunt & vndequaque scrutabuntur: cúmque suæ libræ ponderibus res quæ hic promuntur, non adæquari reperient, mox censurâ notabunt auctorem, vel litura dictorum seriem obducent: quòd scilicet tempora narrationi repugnent, loci non congruant, à personis gesta aliena sint, perperam nonnulla admissa sint vel omissa, benè alibi scriptâ, hic malè retexentur. Ab his supplex inducias peto, quibus vt quiritandi ansam amputem, *tomos quatuor apodicticorum commentariorum* fulciendo Martyrologio meo subiunxi. Itaque si quæ reprehensuri sunt hoc in codice, in his benè purgatum & stabilitum voluminibus repererint (vt magna ex parte futurum mihi polliceor) me à culpa iure est quod pronuncient immunem. Sin autem pro suo candore & in literatos amore, enixè precor, vt lapsus minimè spontaneos mihi indulgeant, iisque corrigendis erratis, mihi facem eruditionis suæ præbeant, & manum porrigant opitulando benignam. Hos certè si semel propitios consecutus fuero, cæterorum qui me sugillabunt aliis argumentis, facilè me nexibus extricabo, leuémque eorum argutiarum sarcinam, non arduè excutiam. Iam enim non de re, sed de modo rei concertatio cum aliis superfuerit, qui materiæ libri cùm nequeant deprimere dignitatem, ex hac mihi negotium facessere nitentur. Quo enim nomine commendabat olim præceptorem suum sanctum Ambrosium beatus Augustinus, quòd scilicet

Matt. 13. 52.

Loco citato in limine huius cap.

1. Cor. 9. 22. Rom. 1. 14.

Lib. 4 cap. 54. Comment. in Lucam ad cap. 12.

Matth. 18. 3. Rom. 12. 16.

Lib. 4. de Ciuit. Dei. orator disertissimus & sagacissimus consueuisset *de humilibus rebus submissè, de mediocribus temperatè, de magnis sublimiter agere*: in me ideo acutum ceu iaculum intorquebunt: quoniam res magnas enarrare aggressus, non sublimi vt decebat dicendi genere, sed stylo nimis humili & minimè ornato, eadem sum amplexus. Iis in primis dico me Ambrosium non esse, qui ditatus cœlesti potiùs quàm Diuinar. Lection. c. 10. humana facundia, meritò *Spiritus sancti organum* à Patribus vocitatus est. *Lactei sermonis emanator* (à Cassiodoro nuncupatur,) *cum grauitate acutus, perulenta persuasione dulcissimus, cui fuit aequalis doctrina cum vita*. Et cuius meritis *diuinitatis gratia non paruis miraculis arrisit*. Vtinam Ambrosiano calamo Sanctorum Galliæ trophæa haberemus exarata, nequaquam ita temerarius essem vt apicem tam pretioso codici vel vnicum adderem. At critici tamen, si apud nos viueret Ambrosius, tam rigidi sunt hodie, vt nec quæ ille Sanctis præstaret encomia, laudaturi forent ad cumulum. Habuerunt Patres quique præstantissimi singulare in dictando decus. Vnde illud celebre apud Sidonium illorum per- Lib. 4. ep. 4. sonuit elogium. *Instruit Hieronymus, destruit Lactantius, astruit Augustinus, Hilarius attollitur, summittitur Ioannes, Basilius corripit, Gregorius consolatur, Orosius affluit, Ruffinus stringitur, Eusebius narrat, Eucherius sollicitat, Paulinus prouocat, Ambrosius perseuerat.* Hunc igitur vna hac dote clarere, cæteris carere clamarent morosi isti Lectores. Quin & si quis esset in quem hæc omnia decora confluxissent, adhuc tamen eiusmodi censores quicquam desiderarent, quo dictator omnibus numeris absolutus ab ipsis pronunciaretur. Et fateor quidem ingenuè me commemoratis facundiæ ornamentis vndequaque destitui. Nec tamen ideo cassum meum laborem à candidis puto quibusque viris censitum iri, qui a In cap. 12. Ecclesiastæ. vt monet beatus Hieronymus[a], ex dictis Sapientis, sensum vtilem etsi sonoris vocibus non prolatum, non despiciunt, sed lubenter amplectuntur. *Nuda est* b Hom. de S. Mamante. *veritas, absque patrocinio seipsam declarans*, (aiebat Basilius Magnus[b].) Et noster c Lib. 3. c. 15. Irenæus[c], *Sine fuco est veritas, & propter hoc pueris est credita*. Simplicitate enim gaudet, cui sedulò hac in lucubratione, & proprio ex genio, & ex rei quam tractabam consideratione, studendum censui. Nam quantum ad me spectat annuo, meapte natura exculti sermonis pompam non ambire, nec opulentæ Epist. 115. facundiæ leporibus vnquam tentasse meos ornare fœtus. *Quæsiui quid scriberem* (vt monebat Seneca) *non quemadmodum*. *Materiáque curans* circa verba & compositionem dictionis, nolui aciem mentis, ipsis rebus intentæ, implicare. Porro res ipsæ quas scribere aggressus sum, styli comptioris panoplia non egebant. Lux se suo prodit fulgore. Gemmæ proprio decore micant, auróque insitæ plus ei decoris addunt, quàm gratiæ, ab ipso mutuantur. Ita enim Sanctorum diuinæ virtutes, propriis nitent splendoribus, dúmque celebrantur verbis vel literis, os quod eorum præconia canit, venustant; calamum qui merita ipsorum delineat inaurant, chartásque ipsas quibus narrantur, exornant suæ gloriæ natiuo decore. Attamen non inficior, res pretiosas congruis debere thecis includi. Gemmas auro insertas, quàm cupro, magis splendescere. Sanctorum præclaras actiones, si elimato sermone narrentur, nonnihil hinc percipere gratiæ & energiæ, quàm cum stylo aspero, inculto & prorsus indecoro commemorantur. Pulchrè atque prudenter id insinuabat Paschasius, qui cùm ægrè ferret historiam passionis Sanctorum Martyrum Rufini & Valerij, per imperitiam scriptionis, vetustatem codicis, & seriei corruptionem deprauatam: *hanc ad emendatioris styli formam transferre* curauit, factique sui quod in exemplum deriuandum ad posteros censuit, hanc illius procemio affixit rationem. *Nónne videtur indignum, cùm Sanctorum pulueres thecis aureis vestiantur, pretioso lapide adornentur, si sordidè ipsorum gesta & negligenter habeantur? Quod fit, quando ad memoriam posteritatis non statuuntur, vel sententiarum atque verborum sensibus violata ad dignitatis habitum non reformantur. Non quod virtutum insignia & gesta Sanctorum stupenda, fucos verborum atque ornamenta requirant orationis, sed quoniam simplex eorum atque naturalis prolatio, distincta tamen & honesta debet specie enitere, ne sermo confusus & horridus, non instruat sed offendat auditorem. Porro quemadmodum vita Sanctorum diligenter atque aptè descripta, laudes eorum dilatat. Ita quoque negligentiùs habita, gloriam eorum diminuit, Ecclesiæ famam obnubilat, Christi victoriam abscondit.*

abscondit. Ita Paschasius, cuius grauissimum monimentum præcordiis nostris iampridem altè infixum, hoc opere conati sumus vndequaque exequi, Sanctorum Galliæ actis à vetustatis puluere expurgatis, à rusticiori stylo (quo pleraque conscripta erant) quin & ab errorum commentorúmque quæ in natiuam eorum seriem irrepserant sedulò vindicatis, & texturâ sermonis nitidioris adornatis: vti prudens & peritus Lector, qui hos Fastos cum antiquis Lectionariis Sanctorum contulerit, facilè ipsa ex compositione perspiciet. Absunt certè ab hoc contextu aniles fabulæ, absunt inania commenta, & leuiores quæque recula, imò maculæ, quibus Sanctorum historiæ passim aspersæ erant: ex quibusque nonnihil perdiderant auctoritatis & gratiæ. Deest quidem hîc facundiæ opulenta suppellex, disertique eloquij affectatus ornatus: at hanc compensat eloquentiæ inopiam, dictorum perspicuitas: simplicitatémque sermonis, puritas narrationis & historiæ fides intemerata, comitantur.

CAPVT XXV.

De mole huius Martyrologij, cuius forma, amplior fortè videbitur, quàm sacrarum tabularum ferebat consignatio.



ITA sanè reprehensoribus meis videor ferè ad cumulum satisfecisse. At vnum restat non leuis momenti soluendum, quod nonnullorum fore coniicio, aduersus hanc Martyrologij structuram obiectum. Dicent hoc opus, titulo quem præ se fert non conuenire. Martyrologium enim breui serie texi debet: at illud quod exhibemus ita prolixum est, vt plus historiam referat, quàm sacrum eiusmodi Indicem. At verò hunc obicem facilè mihi est amoliri. Etenim vt fateamur, cùm acta Martyrum distincta à diptychis incorrupta habebantur, Sanctorúmque in Natalibus publicè in Ecclesia legebantur, superfluum tunc fuisse sacras tabulas, quæ in tremendis sacrificiis recitabantur, relationibus onerare profusis. At cùm deperierunt potiora diuinorum illorum athletarum historiæ monimenta, sicut c.14. huius apparatus fuit liquidò demonstratum: tum Martyrologia ex auctorum sacrorum aucta reliquiis, necesse fuit edere productiora, vt saltem intexta vitæ mortísque Sancti cuiusuis, tàm succincta quàm aperta descriptione, specialis cuiusque notitia animis fidelium ingereretur: sicque & cum Sancti memoria, eiusdem reuerentia & imitatio commendaretur. Hinc iamdudum Vsuardus Bedæ Martyrologium auxit. Vtriusque autem & aliorum sacratos indices iam ampliatos, fusiori contextu Ado Viennensis produxit. Cuius hæc sunt verba in prologo, quem suo præfixit Martyrologio: *Latiùs & paulo apertius passiones Sanctorum descripsi, infirmioribus fratribus & minùs legere valentibus seruiens, vt ad laudem omnipotentis Dei in memoriis Martyrum haberent compendiosam lectionem, atque in paruo codicillo, quod multo labore alij per plures codices requirunt.* Ita ille. Cuius ratione ducti, exemplum itidem æmulati sumus. Etenim si ad veteris Romani à Rosuueydo reperti demum & publicati Martyrologij instar, nihil aliud in signato cuiusque Martyris natali quàm nomina eiusdem & ciuitatis ac præsidis, martyriique genus obiter expressissemus: quæro iam quisnam de nostro labore fructum optatum collegisset? Sanctorum Galliæ vix aliquot centena in Fastis Romanæ Ecclesiæ censentur, plurima prætermittuntur millia, quorum nomina, ortus, dignitas, munus, ætas, facta denique omnia & ipsi agones passim ignorantur. Si horum igitur nuda præbuissemus nomina per indicis modum, vt in veteri Romano Martyrologio cernitur, nónne acta lectores desiderassent, & de nobis conquesti fuissent quod ea tacuissemus quæ scitu magis digna erant, & relatu potissimum necessaria? Maximè cùm magnum discrimen inter vtriusque Martyrologij

institutum & finem intercederet. Nam Romanum vetus, vt sanctus Gregorius testis est, *collecta in vno codice* (seu libello) *nomina habebat: non tamen indicabat quis qualiter esset passus, sed tantummodo locum & diem passionis ponebat*: quia *in alio volumine* (vt innuit) hæc descripta tradebantur. Ita cursim natales & nomina Martyrum signabat ille index, quorum gesta explorata erant, & in chartas ampliores vberiùs congesta. At sic nec licebat Gallicanum Martyrologium contexere, quoniam Sanctorum (quos recolit venerandos) obliuione sepulta omnia ferè erant nomina, obliterata acta, excisus temporum calamitate cultus: qui vt reuiuisceret omnino opus erat, vt ignotorum nominum patriorum Sanctorum insignia propria consignarentur, decora è puluere eruerentur; atque vt exciperentur eo quo conueniebat affectu & honore beati ipsi Galliæ Tutelares, reduces à tam diuturno occasu; tam vera quàm nitida eorum elogia exprimerentur. Sanè si vnum aliquod extasset volumen, seu plures codices extitissent, in quibus Sanctorum nostrorum diuinæ actiones & triumphales concertationes fuissent ordine suo digestæ, multùm abfuissem ab hoc opere, vt acta eorum præcipua, natalibus eorum intexuissem. Sola signâssem meo in Martyrologio agonistarum vocabula & natalitia: cæterùm quæ ad virtutes & certamina singulorum spectassent, spontaneo suppressissem silentio; quoniam notum fuisset hæc alibi seriatim descripta esse. Verùm, non modò historiæ Sanctorum Galliæ monimenta (vt præinsinuauimus) ferè omnia dispercrant: interierat ipsa eorum maiori ex parte memoria. Quæque aliquot pauculæ & exiles supererant actorum reliquiæ, ita dispersæ & direptæ erant, tantáque fuligine & squalore offuscatæ, tanta caducitate attritæ; vt grauissimo labore intensissimóque studio mihi enitendum fuerit tantillas (quantulæ supererant) disquirere, colligere, resarcire, emaculare: ex hisque quicquid seligi poterat sanum & commodum elicere, vt lumina patriæ (Sancti nimirum Galliæ innumerabiles) tandiù *abscondita sub modio* inscitiæ & obliuionis, *super candelabrum tabernaculi* * collocarentur, quatenus & decus proprium reciperent, & renouatis splendoribus mentes populorum, quorum patres quidem fulgore suæ gratiæ illuminarunt, vndequaque irradiarent. Hanc arbitror vnicam rationem rigidioribus censoribus ferulam eripere, méque eximere penitus à vitij quo me impetituri forent tædiosæ prolixitatis piaculo.

Lib. 7. epist. 29.

* Matth. 5. 15. Exod. 25. 37.

Verùm alij ex opposito insurgent, méque nonnullis in locis huius libri nimiæ breuitatis insimulabunt. Sic enim, vt Galenus lib. 2. de crisibus prudenter notauit, cum auctoribus infeliciter agitur à lectoribus plerisque, vt nonnulli plurima audire non sustineant, sed reprehendant: nonnulli vice aduersa breuitatem vituperent, vt quæ obscurè doceat, & multa quæ enucleare debuisset prætermittat. Est quidem aliquid quod vtrisque demus, hanc Hugonis de S. Victore veram agnoscentes sententiam lib. 5. erudit. Didasc. c. 7. *Lectio duobus modis animum fatigare solet, & affligere spiritum, qualitate si obscurior fuerit, & quantitate si prolixior extiterit.* At neutro nos peccasse modò (saltem insigniter) existimamus. Si quidem quantum ad prolixitatem pertinet, superiori à nobis est articulo, critico morosiori satisfactum; cui vt ad cumulum respondeam, id ynum lubet adiicere. Ipsum qui de prolixitate nostra conqueritur, experimento percepturum nos stylum studiosè constrixisse, etiam vbi videmur illum texuisse fusiorem. Baronius certè nobis hîc opportunè sua testificatione suffragatur, qui Eusebij Martyrologium ex rebus in eo narratis dimetiens, vno volumine minimè potuisse censet contineri. ** *Erroris*, ait, *redarguuntur qui putârunt non aliud fuisse quàm breue Martyrologium*. Quonam enim pacto *quæso vnus liber, volumen vnum, tot Martyrum acta continere potuisset, ad quorum tantum nomina recensenda vix sufficere potuisset?* Et iterum: *** *Quid de scriptis aliis dicendum? quæ alicuius Ecclesiæ videntur esse peculiaria, quæ nec vno nec paruo codice continebantur, sed permultis iisdémque pergrandibus, vt par est credere, acta enim vnius tantùm Martyris multas implesse chartas, si accuratè scripta fuissent, certissimum*

Ad quæ loca respexisse videtur Cassiodor. lib. de diuinis lect. c. 15. vbi dicta & facta Sanctorum suadet *magno studio relegi: quatenus in Ecclesia Dei, quasi quibusdam lampadibus competenter accensis, totum nitidū, totum splendidum Domino præstante relluceat*. Sic Paulinus noster, beatum Augustinum vt lampadem ardentem & flammantem dum intuetur exclamat epist. 1. quam ad ipsū scripsit. O *lucerna digne* (inquit) *super candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis vrbibus de septiformi lychno pastum, oleo lætitiæ lumen effundens densas licèt hæreticorum caligines discussit*. Eadem fermè habet S. Basilius loquens de S. Gregorio Neocæsariensi dicto Thaumaturgo, lib. de Spiritu sancto c. 29.

** Cap. 4. Apparat. ad M. R. *** Ibidem cap. 3. versus oram.

est. Itaque si numerus attendatur beatorum Galliæ heroum quos hoc codice recensemus, gestarum ab iis rerum magnitudo, & actorum quæ edidêre præcelsorum, ac multiplicium amplitudo & prolixitas: nemo est qui profusioris texturæ nos iure insimulet, cùm ita pressè ea ipsa Sanctorum quæ longiora videntur encomia complexi simus, vt non abs re breuia dici possint, quæque fusiora damus elogia, si cum rebus ipsis quas tot Sancti gesserunt, & codicum mole quibus dudum consignata sunt, ad memoriam conferantur. Nec dubium, quin ipsi qui exuberantem dictorum copiam in hac collectione primo aspectu culpaturi sunt: attentiori postea intuitu compressam iudicabunt seriem, quin & aduersam in aciem reprehensorum transeuntes, nos strictiùs quàm par esset res ingentes tractasse, studio nimio breuitatis sæpiùs conquerentur.

His igitur qui ingratæ sibi breuitatis prætextu nos aggressuri sunt, operæpretium est etiam, vt triburum, (pacifici transitus gratiâ) iusta excusatione persoluamus. Et primùm fatemur ingenuè nos in hoc studium admodum perpendisse, vt Martyrologij huius compendiosam præberemus texturam. Quamobrem & annualis eius excursus primos menses constare liquet contractiori serie, & strictioribus styli compactos esse nexibus quàm sequentes. At cùm opificium quod moliebamur, viri prudentissimi eruditissimíque, quorum iudicium efflagitauimus, ex prolato ad eorum examen specimine, perspexissent: laudârunt quidem cum operis instituto, tenoris natalium densitatem, & pressam elogiorum texturam, eo quòd vt plurimùm amica doctis sit breuitas: scriptionisque huius speciei arctam ex se dictorum seriem etiam exigeret. Verùm subinde perpendentes, quanto cum damno Gallia, non nomina modò suorum tantorum cœlitum, sed & ipsorum merita ac exempla ignoraret: admonuerunt me laxiores habenas calamo indulgere. Fore enim, vt si pauca darem, plurima desiderarentur: si multa, nunquam tanta tamen me præstiturum, quorum pios Lectores, Sanctorum nostrorum cognitionis cupidos & venerationis studiosos tæderet, quæque suprà vires & vota eos onerarent. Nimiâ sanè me numquam daturum, quæ didicisse quempiam probum pœniteret. Patriæ igitur charissimæ potiùs commodis consulerem, quàm meo nomini: tametsi si quis me eriminaretur ex vitio prolixitatis, longè plures meam laudaturi essent fusiorem scriptionem, ex vtilitate, quæ ex plena notificatione Sanctorum admodum expetenda, in Galliam vniuersam redundaret. Horum ego sapientum monita secutus, Ianuarium mensem primùm ad officinam reuocaui, nouáque serie contextui, eo quòd totus breuitate constaret. Februarium, Martium, Aprilémque, quamquam ex toto retexere præ impedimentis Ecclesiastici muneris quo obstringor non licuit: tamen plerisque in locis produxi In fetlem laxiorem. Ceteros menses ita ordiri & contexere libuit, vt cognoscerent monitores prædicti me ipsorum consiliis obsecutum, simúlque ipsâ copiosiori donorum quibus præstant Sancti singuli expressione, & horum ampliori illustrationi, & vberiori gentis nostræ instructioni, ac Galliæ decoramento insigniori suffragatum. Et id quidem cùm Sanctorum ipsorum magis celebrium res gestas laxiori calamo exaraui. Nec enim abs re id feci. Sed quòd plerumque eorum historia mendis aspersa, expurgatione indigeret, aut quamquam prolixior, nonnulla grauis momenti prætermitteret, quæ suo ordine, nostro in contextu sunt inserta. At vrgebunt his ex dictis breuitatis argutores: Cur non igitur hanc regulam in omnibus Sanctorum natalibus tenuisti, ex quo scriptionem tuam potiùs dilatandam censuisti, quàm stringendam? Certè enim in mensibus fusiori calamo exaratis, videre est, Sanctorum aliquot prolixas laudationes: aliquot autem ex aduerso ita arcta elogia, vt quædam paucula eorum facta commemorent: quædam solà eorum ferè nomina consignent, exili sanè ornatu commendationis instructa. Verùm id esse non abnuo, sed multiplicem affero causam huius discriminis. Primam ex eo quòd si omnium Sanctorum quos hîc recenseo elogia, effusiorem in stylum protraxissem: non volumen hoc vnum, sed codices multi horum collectioni aptari debuissent. Secundam, ex eo quòd ipsorum Sanctorum cùm imparia sint merita:

Ioan. 14. 2. (vnde & in cœlorum regno, vt nos docet Dominus, *mansiones multæ sunt:*) ita
1. Cor. 15. 41. & præconia minimè æqualia possunt esse. *Stella*, ait Apostolus, *differt à stella in claritate: & alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia stellarum.* Ex quo patet diuersos esse inter Sanctos gradus meritorum atque præmiorum: proinde non mirum si in eorum commendatione quam hic exequimur, dispariras apparet. Tertiam inde natam, quòd Sanctorum nonnullorum acta sint adhuc incomperta. Quartam, quòd aliquorum non adhuc res gestas consecuti eramus, quando natalitia eorum hoc indice complexi sumus. Vnde est quod sæpè in natali ipso de iis nihil fermè scribamus: at in translatione, seu alio iteratæ commemorationis occursu, quæ ex suppetiis accepimus, postea proferimus in complementum. Quintam denique hinc exortam, quòd diuersa nacti sumus, imò in nonnullis pugnantia vitæ Sanctorum monimenta, quæ cùm vnum in textum conflare esset periculosum, indagine adhuc non accuratè præhabita: satiùs securiúsque duximus protelare fusiorem actorum narrationem, vsque ad commentarij supplementum; vbi summa rei, *ad summos iuris*, vt aiunt, *apices examinata*, cumulatè à nobis discussa & digesta exhibebitur.

CAPVT XXVI.

De adminiculis huius collectionis, & præcipuis subsidiariis qui auctori suppetias præbuerunt.

In proœmio Euangelij ad Theophil.



LVCAS EVANGELISTA sanctissimus, cùm codicem illum sacrarissimum Euangelij, cœlesti penicillo exarare aggrederetur; tametsi esset aspiratione superna plenissimè afflatus, quò tamen apud homines, qui diuinum consilium nesciebant, narrandarum à se Christi mirabilium actionum sibi auctoritatem conciliaret, quas non oculis inspexerat suis: fideli eorum relatione se easdem percepisse profitetur, qui testes fuerant & comites diuinæ ipsius Domini conuersationis. Ita & *Marcum*, tradit Hieronymus, *rogatum à fratribus Romæ, breue Euangelium scripsisse, iuxta quod Petrum referentem audierat.* At præ fa-

In Catal. num. 18.

Idem ibidem num 17.

rus Lucas, testatur non tantùm ab Apostolo Paulo Euangelium quod se scripsit didicisse, *qui cum Domino in carne non fuerat*, sed à cæteris Apostolis, *qui à principio Dominum viderant, & ministri fuerant* eius salutiferæ prædicationis. Attonitum me fateor hoc Spiritus sancti consilio, qui cùm œconomiæ Christi scriptores suo afflatu repleuerit; vt tamen moneret humilitatis quoscunque rerum sacrarum Scriptores, Euangelistas ipsos, non modò per ora Apostolorum voluit arcana sua percipere: sed insuper indicare & profiteri, per quos narrationum suarum testimonia acceperant. Eodem sanè inspiratore quo Euangelistæ, irradiatus erat li-

2. Machab. 2. 24.

brorum qui à Machabæis prænotantur contextor. Qui eadem modestia vsus est: à styli enim non modò se tenuitate excusat: sed quæ literis consignauit, ex libris Iasonis Cyrenæi fidelis referendarij sacræ historiæ, se professus est decerpsisse. Et vt obiter ad pia inferioris classis monimenta digrediamur, certè Martyrologium Romanum vetus, quod ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Protonotariorum synceris relationibus (qui acta Martyrum studiosissimè colligebant) ab Apostolicis Præsulibus recognitis & probatis, conflatum est: exteros etiam testes, ad augmentum fidei auctoritatisque aduocat & indicat. Sic 3. Nonas Octobris, vbi de Dionysio Areopagita sermo est, *Aristidem* in dictorum testimonium citat, eo in opere quod *de Christiana religione* composuit; subnectitque hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum teneri. Ita etiam 6. Idus Nouembris *acta quatuor Coronatorum* sancto viro refert accepta, cui, postquam diu delituerant, diuino munere patefacta sunt. Porro Eusebius Cæsariensis, qui primus in Oriente Martyrum agones proprio volumine complexus est, non vno

loco testatur se eorum passiones, seu ex actis Proconsularibus, seu ex testium oculatorum fidis relationibus, nobiliúmque orbis Ecclesiarum literis, aliísque probatissimis Christianæ monimentis quæ retexit, affirmat accepisse. Quin & Gelasius, celebris nomine & merito Apostolicæ Sedis Pontifex, in Romano Concilio sedula cautione prospexit, vt quicquid de Sanctis Martyribus in Ecclesia legeretur, probatorum auctorum niteretur testificatione. Multásque passionum eorumdem repudiauit farragines, cùm ob scriptorum imperitiam, aut malitiam: tum maximè quòd eorum qui eas relationes conscripserant, nomina ignorarentur. Hinc Hadrianus Papa scribens ad Carolum Magnum, *Vita*, inquit, *Patrum sine probabilibus auctoribus minimè in Ecclesia leguntur, nam ab orthodoxis titulata suscipiuntur.* Sub quo Pontifice coacta ex cunctis Episcopis regni Francorum, &c. Francofordiensis Synodus, eadem ex antiqua disciplina decreuit, vt Sancti tantummodo legitimè vindicati, seu vt habet can. 42. *ex vita merito & passionum auctoritate electi colerentur*, &c. Si astrixit igitur Ecclesiæ sacrosancta auctoritas Sanctorum venerationi, actorum eorumdem approbatam lectionem: quanto magis eos obstrinxit, qui de Sanctis ipsis scribunt, edendæ illorum actorum & elogiorum quæ consignant literis authenticæ probationi? Inde est quod qui Martyrologium illustrauerunt, auxerunt, aut contexuerunt, semper in proœmio natiuos fontes indicarunt, ex quibus delibauerant, quæ tradebant literis ad posterorum notitiam, Sanctorum facta memoranda. Ita S. Hieronymus, qui, vt Beda testis est, Eusebij Martyrologium recensuit, vertit, atque sic nouo ordinauit tenore, vt Martyrum plusquam nongentorum nominib. ampliârit: auctorem suum laudat non solùm Eusebium, sed diuersarum vrbium & prouinciarum conquisita testimonia à se, subindicat. Bedæ ipsius & Vsuardi ac Adonis, qui Martyrologia exinde própria procuderunt, seu, vt volunt alij, præcedentia amplificauerunt: patentes sunt ipsorum in limine singulares præfationes, quibus vnde fulgentia quæ inseruerunt suis Fastis nomina Christi athletarum collegerint, liquidò ostendunt & profitentur. Molanus certè, qui primus post tot annorum interstitia, Martyrologio vindicando seriò manum admouit, cùm plerosque sanctos Vsuardo & Adoni incognitos, quin & diù post eorum funera natos & coronatos, Martyrologio antiquo addiderit, additionibus suis annotationes subiunxit, quibus indigitauit lectori, ex qua auctoritate, ratione, relatione, traditione, tabulis sacris adiunxerit, tot quos nouos adscribit cœlites. Molanum Galesinius, Galesinium Baronius, eodem studio fermè ac methodo insecutus, quin & splendore opificij antegressus, recognitum à se mandato summi Pontificis Romani Martyrologij, auctúmque aureis notationibus, hísque non exilibus, illustrauit ac communiuit. Ita & Arnoldus Vvion Martyrologium suum Monasticum instruxit: quòd P. Hugo Menardus, cui multa debemus accepta, raris additionibus auxit, & præclaris obseruationibus duos in libros distributis locupletauit. Sic Chrysostomus Henriquez suum cudit ac adornauit Menologium Cisterciense. Aliique quotquot postremis his temporibus de Sanctis scripsêre, magna diligentia quæcumque de iis prodidêre confirmârunt, cautè indicatis ex quibus monimentis, quibusque freti testibus & nixi auctoribus, Fastorum in tabulis quas exarauêre, tam sacris characteribus consignârunt.

Retract. in acta cap. 1.

Iisdem æquum est ego vt obsequar legibus, & tantò quidem impensiùs, quantò his sum inclytis viris nomine, dignitate, pietate doctrináque inferior: quantóque opus quod molior, est ipsa mole sua profusiùs, futurúmque reor minus acceptum ex texturæ suæ ipsâ nouitate. Duo igitur potissimum hac in præfatione à me videntur exigenda. Primum vt quarum ex Ecclesiarum monimentis hanc expresserim collectionem ostendam: alterum quos auctores secutus, quorum fretus testimoniis, rationibus & subsidiis has concinnaui tabulas Indigitem. Et poteram quidem vtriusque pensi debito, me, ipsa commentariorum vberrimorum quos è vestigio (Christo meis fauente votis) daturus sum quatuor tomis constructos, pollicitatione, quoad præsens momentum spectat, eximere. Quandoquidem ad cumulum, quæ à me circa prædictas insinuationes, illis in voluminibus (nec sine fœnore expectationis) persoluuntur. Verùm quia meæ

vitæ est incerta duratio, sæpéque patentes ipso in sobolis instanti partu extinguuntur: nonnulli certè nimis duri, inducias mihi etiam breues denegabunt: ideo editionem commentariorum qui prælum expectant anteuertens, exactoribus meis, pignora volui fidei meæ aliqua anticipatione contradere. Vnde cap. 16. & 18. Apparatus (præter antiquorum MSS. congeriem, quam in manibus ex Ecclesiarum illustrium sacris acceptam scriniis habere me declaraui) plerosque auctores designaui insignis meriti & nominis, quorum lucubrationibus probatissimis innixus, magnam huius collectionis partem conserui: at insuper ipso cap. 18. ex professo disserui de *fundo huius operis*. Verumtamen ne quis mimus à me præstitum queratur, ampliorem indicem non adminiculorum modò, promo, quibus vsus sum in Martyrologij huius constructione: sed auctorum quoque præcipuorum, atque insigniorum adiutorum, quorum laboribus ac beneficiis, tam vastam sacrarij Galliæ confecisse nisus sum fabricam, apertam profero nomenclaturam, quatenus & ipsis gratiæ debitæ, spontanea hac mea professione rependantur, & mihi quantas suppetias tulit eorum pia munificentia, quibusque innotescat.

Quoad publicam pertinet acceptam opitulationem, Lector operæpretium scire debet: cùm tanto operi me accinxi, ad *lapides adiu orij* primùm meoculos conuertisse: imploratáque * æterni numinis gratia, literas ad Cathedrales Ecclesias totius Christianissimi huius regni me direxisse encyclicas: quibus instituti operis significatâ meditatione, eiusdémque necessitate insinuatâ supplex orabam Sanctissimos Ecclesiarum Antistites, atque Ecclesiastici cuiusque Senatus Reuerendos proceres, vt decora Gallicanæ Ecclesiæ, imò singularium sedium eiusdem lumina vindicare satagenti, subsidia, quæ Deus ipsorum in manibus collocasset, pro sua in Deum ipsum eximia pietate, in Sanctos Imperij huius tutelares singulari deuotione, suóque in communem matrem, Galliam nimirum, amore, impertiri dignarentur. Acceptæ quidem ferè vbique fuerunt nostræ literæ cum fauore. Datáque ** vndique fermè responsa, cœpta vt persequerer intento animo, hortabantur. Votis Præsules Proceréfque Cathedratici affatim aspirabant. Opem omnes pollicebantur. Nonnulli vberem & promptam. Alij qui combusta superiori sæculo sactaria Ecclesiastica deplorabant, nihilominus quas ex cineribus possent eruere reliquias, sacræ antiquitatis indices, se collecturos atque ocyus transmissuros promittebant. Interim commonefaciebant vt viriliter agerem. Verbis potiores steterunt, suptáque spem nonnulli etiam plura quàm expectabam præstitêre. Pauci fuerunt admodum, qui promissam opem pro vitibus non impenderint. At qui non transmiserunt suppetias, excusatoris plerique literis causas (vt plurimum petitas ex archiuorum direptione) prodidere. Hîc recensere Ecclesias omnes à quibus postulata subsidia accepimus, capituli vnius angustia non sustinet, libello proprio esset opus vt quæ nobis fuêre præsidio, & quæ auxilia contulerint, accuratè enumerarentur. Paucis igitur multa vt complectar, seriò asseuero: permultæ Sedes Pontificiæ & Matrices Ecclesiæ, quæ ab Augusta prætoria antiquo Gallici sceptri dominio; ab ipsa sede Archiepiscopali Tarentasia in Alpibus Graiis; à Seduno Vallesiæ regionis capite, erecto ad Rhodanum intra Alpes Graias & Lepontias; ad Britannici & Gallici Oceani extrema littora, ad Armoricæ prouinciæ vltimos terminos. Item ab Augusta Treuitorum ad Augustam vsque Ausciorum, à Rotomago ad Tolosam, ab Ambiano ad Arelatem, sitæ sunt; non segni manu nobis sua symbola contulêre. Et aliquæ quidem tantâ nobis copiâ adfuerunt, vt non solùm Episcopalis suæ cuiusque originis & successionis series, Sanctorúmque localium indices, & reliquiarum sa-

1. Reg. 4. 1.

* Poëtis & oratoribus solemne fuisse semper implorare Numan ostendit Médoça, viridarij lib. 5. de floribus diuersis Problem. 51. at alienum asseritibidē morē hunc fuisse ab historicis. Fateor ego ethnicis & profanis fuisse insuetum. At meritò vsurpari à sacris, qui omnia cùm incipiēda nosint à Deo: hinc ordiri ab eius nomine narrationes suas consueuêre. Sic fermè Euangelistæ à Seruatoris nomine, in ipso limine scriptionis suæ commemorato codices suos auspicantur. Certè non sine ratita inuoratione. At expressâ vtitur S. Augustinus, qui Libros suos de ciuitate Dei historicos, à diuini auxilij imploratione orditur. Sic enim habet lib. 1. cap. 1. *Magnum opus & arduum, sed Deus adiutor noster est.* à quo & Greg. Turon. lib. 1. c. 1. histor. Francor. veniam & opem supplex deprecatur: hoc Christum modo suum facit initium, ac finem etiam obtestatur.

** Apud me sunt eiusmodi litterarum autographa. Sed quæ hic non libuit inserere, tum quòd ipsæ litteræ responsoriæ prolixiores sint: tum quòd pleræque patria lingua quæ stylo huius operis non consonat, conscriptæ. Tam denique quoniam promissis aliqua sacra sodalitia non steterunt: aliqua etiam ita fuere inofficiosa, vt nec responsum dederint tantillum. Horum nomina hic satius duximus silentio supprimere, ne dedecus publicæ vtilitatis neglectæ, ut ipsa ex speciali designatione inuerant. Maximè cùm numero sint pauciora, atque etiam dignitate haud præcipua. Et qualiacumque sint, æquabilius censuimus generali commendatione præstiti nobis auxilij omnia capitula honorare, quàm paucula notare vllâ desidiâ.

crarum moniliúmque mysticorum annotamenta, ac diplomatum insigniorum apographa, sedulò conserta dederint: sed integras quoque suas historias MSS. quasdam recèns, quasdam dudum exaratas, nobis exuberanti munificentiâ & nunquam satis laudanda à me gratificatione, vltro transmiserint. Monasteria Galliæ insignia pleraque etiam nobis pignora pietatis, & venerandæ antiquitatis (quæ post tam lugubria sacrorum locorum excidia singulari Dei beneficio intacta remanserunt,) egregia monimenta contribuêre. Quin & ordines religiosi præcipui quibus Gallia perornata vt stellis firmamentum mirè rutilat, nobis etiam beneuoli ac benefici extiterunt: in quibus reperti sunt perceruditi ascetæ sui quique ordinis cultores studiosi, fautorésque huius operis insignes, qui Sanctorum suæ militiæ signiferorum, piorúmque ordinis sui alumnorum, nomenclaturas ex schedis authenticis expressas, ad textum huius Martyrologij augendum & fulciendum, decúsque Gallicanæ Ecclesiæ communis Francorum matris, ea accessione cœlitum prouehendum, multa pij zeli & diligentiæ significatione consignârunt. Insuper ne ipsemet quicquam prætermitterem, vndique per summissos indagatores, sacra quæque monumenta perscrutatus, localium Sanctorum plerasque historias, & nonnullarum Ecclesiarum etiam minimarum crepundia, titulos, fastos, patrocinia, schedas, codicillos, & sanè non inania documenta, Deo iuuante reperi, obtinui, compilaui. Liturgicos seu Missales codices, Breuiaria insuper non tam noua quàm vetera sollicitè perquisiui, collegi, quorum nonnulla ante annos quingentos nonnulla ante sexcentos parent ex Kalendariorum consignatione, & characterismis eam antiquitatem planè spirantibus, quin & testantibus indiciis perspicuis, in membranis, cum figuris mirè deuotis exarata. Et ne quid me fugeret Ecclesiarum etiam quæ suppresso proprio ritu, Romanum breuiarium amplexæ sunt specialia supplementa: seu Sanctorum, vt prænotantur, cuiusque diœcesis propria officia conquisiui. Insuper & municipales libros, ciuiles sacrósque ciuitatum fastos, prouinciarum singularum speciales historias, annales quosque Galliæ generales, Chronica communia, singularia, censuales vrbium Codices, & publica quæuis monimenta, sed & particulares libellos Sanctorum, Ecclesiarum, Cœnobiorum MSS, editos, quin & exterarum gentium historias sacras & profanas, quas potui inuestigando nancisci, comparaui; ordiendóque, texendo, fulciendo, decorando huic Martyrologio adaptaui, vt cum veritate prodiret, cum auctoritate incederet, cum gratia & fructu exciperetur. Optaui enim post Dei intentam in omnibus gloriam, vt quod Sidonius cuidam amico historiam molienti adprecabatur; hæc Sanctorum à me peccatore licèt grauissimo concinnata collectio, tam faustis auspiciis in lucem egrederetur, vt non tam *à venenato morsu* insidiatorum serpentium (auitæ pietatis scilicet hostium, qui cùm Sanctos beatos damnent, horum me præconem proculdubio execrabuntur, dentéque colubrino dilacerabunt) ego eius auctor seruarer immunis: quam vt hæc debita patriæ ornamento & commodis, sarta tecta consisteret. Id enim totis præcordiis concupiui, omni contentione enisus sum, hanc vt sacrorum Galliæ liliorum synopsim in posterum consulere, foret *cuique vtilitas, audire voluptas, auctoritas legere.* Lib. 4. epist. 22. Idem ibidem sub finem.

Iam verò vereor ingratæ mentis argui, si post publicos indicatos fontes, ex quibus fluenta quæ hic propino refusæ in patriæ communem lucem & commodum beatæ Sanctorum memoriæ: etiam duces & auxiliatores meos non tantùm qui ad fontes, etiam abditos intra intimos canæ antiquitatis recessus, mihi prælatâ face, viáque inter dumeta à se apertâ felici præambulatione perduxerunt: sed etiam congestis in sinum meum munerum insignium copiis, meam non modò subleuârunt inopiam, at profusis in manus meas diuitiis quibus affluebant literariis, hanc collectionem mirum in modum ditando, collustrauêre. Horum qui præcipui sunt, ne Lectorem nimium remorer singulari omnium recensione, hic omni cum honorificatione nomina æternitate digna, tantis obstrictus gratitudinis nexibus, quibus me sibi penitus deuinxerunt commemorabo. Inclyto huic agmini æquum est vt præeat R. P. IACOBVS SIRMONDVS, singulare decus Societatis IESV, & antiquitatis sacræ peritorum

hac ætate nobilis coryphæus: cuius præclaris laboribus, at maximè *Conciliorum Galliæ* tam illustri quàm accurata collectione & digestione subuectus, Sanctorum Præsulum syncerè signata in actis Galliæ Synodicis nomina deprehendi, horúmq. decreta & insignia aliquot gesta & documenta, summorúmque ad eos Pontificum epistolas dogmaticas, paræneticas, decretales, tractatorias; & vicissim illorum ad ipsos Pontifices Maximos, aliósque quosuis Symmystas sacros, Regésque Christianissimos literas deprecatorias, hortatorias, didascalicáque ad quosuis monita, obseruaui, notaui, elogiísque passim Beatorum nostrorum Antistitum intexui. Proximus qui huic considet Clariss. vir D. CLAVD. ROBERTVS suprà iam à nobis non sine laude nominatus (at nominandus nunquam satis cum honore) hoc loco reponendus est, cuius insignis *Gallia Christiana* liber, tot ferè solaria mihi opportuna attulit, quot Ecclesiarum Galliæ non dicam nomina expressa habet, sed numina lumináque profert non sine decore tam raræ commendationis, quàm claræ designationis indicata. Tertius accedit vir quoque egregius & eruditissimus D. NICOLAVS CAMVZAT meritiss. Canonicus Trecensis, *antiquitatum Tricassinæ diæcesis* copiosus & perdoctus scriptor, *Chronici Autissiodorensis* editor clarissimus, idémq. indagator & vindex strenuus multiplicis Ecclesiasticæ antiquitatis Gallicanæ. Præcipuus hic fuit meus opitulator, cuius paternæ ferè beneuolentiæ, tot in me signa collineârunt: vt vix par sim singula numerare, quæ ab eius continuo affectu & studio me iuuandi, emanârunt meum in præsidium officiosa munera. Habeo certè eius ex beneficio insigniora monimenta, ex quibus expressus non modò textus hic Martyrologij coaluit, sed & commentarij qui muniunt eius vndequaque seriem, constructi sunt: sicut ex notatis propriis in locis codicibus MSS. liquidò apparebit. Vnde ferè vbique consignanda hoc in opere digna immortalitate eius memoria, occurret: quàm tamen, vir modestissimus, vt omninò supprimerem, sæpesæpiùs prorsúsque seriò admonuerat. At malui eius iussis ac optatis ea in parte reniti, quàm in iustitiam peccare, hominisque tot nominibus de patria, déque me ipso benemeriti, nomen aureis apicibus dignum, silentij caligine inuoluere, imò vt volebat sepelire in *campo obliuionis*. Quartus hoc catalogo censitus procedet promeritâ commemoratione Reuerendus Pater ANDREAS RAISIN ordinis Cælestinorum Suessionensis asceterij Protomonachus, qui corrogata ex totius fermè prouinciæ Remensis, quin & quartæ Lugdunensis, Episcopiis, cœnobiis, Sanctorum digna cedro insignia, duobus codicellis complexus (vbique signatis originis natiuæ cuiusque narrationis, seu relationis indiciis) mihi in gratiam huius editionis Fastorum Galliæ resignauit: tantóque magis sibi deuinxit operosa actorum genuinorum tot Sanctorum Galliæ Heroum inuestigatione (quàm diù antequam huic insudarem conscriptioni, inierat:) quantominus, sibi, hæc ipsa quæ mihi præstitit auxilia, exegit vel sperauit gratitudinis vel gloriæ paritura. Post hunc meritotum non inferiori gradu, sed ordinis rerum actarum serie, est mihi recolendus Reuerendus Pater HVGO MENARDVS Religiosus Benedictinus Congregationis sancti Mauri in Gallia, Galliæ non minimum lumen, qui pietatis & sapientiæ Christianæ dotibus nitens, æquè intemeratæ religionis incrementa, Sancta æmulatione monasticæ disciplinæ prouehit, ac Ecclesiasticæ antiquitatis notitiam adauget, perpetua memoriæ Sanctorum Patrum sui ordinis superioribus obscuratæ sæculis indagatione ac illustratione. Hic *Martyrologium Monasticum* à se recognitum auctúmque plurimis Sanctorum monachorum natalibus, atque obseruationum eximiarum duobus libellis cumulatum, Parisiis, typis ante sexennium edidit: ex quo labore nobis non modicum attulit sudorum leuamen: enimuero pleraque Sanctorum ascetarum Galliæ prodidit ante incognita nomina: horúmque si non elogia texuit, saltem texendorum materiam suggessit notarum tabulis subiunctarum operâ, non inanem. Quin antequam me facie nouisset, in benedictionibus dulcedinis me præueniens, raras dono misit à se congestas vitæ & mortis plurimorum non Monachorum modò, sed Antistitum Franciæ beatorum collectiones. Deinde & operis mei cognito vel exili specimine, nactus occasionem transitus sui è Pratensi cœnobio ad Dionysianum, amicè me inuisit, ac quicquid supererat suis in ma-

nibus

nibus eiusmodi sacrarum chartarum supellectilis, in ius meum transcripsit. imò sancto gaudio exiliens super pio cui gestiebat molimine, quasi omnia simul cum his sacris pignoribus, charitatis suæ viscera apud me effudit. Ferè autem iam egrediebar è prælo, imò progrediebar (editum iam fermè typis efferendo opus) ad prælium. Cùm nouus mihi auxiliator, de cœlo quasi illapsus est, tanto quidem fortunatiùs occurrens, quanto minùs vel mihi cognitus, vel à meipso polito penè in extremis chalcographiæ sudoribus expectatus erat. R. scilicet P. ODO MOTHEVS Benedictinus ascera monasterij sanctæ Mariæ deauratæ Tolosatis. Qui cùm ante quinquennium Martyrologium & ipse Gallicanum meditatus fuisset, eiúsque in congeriem multa vndequaque coaceruasset tantæ structuræ accommoda, audito nuper à docto & nobili viro D. *de Simeon* Archidiacono & Canonico Carcassonensi, cui diù antè (vt reor) ex encyclicis literis meis eò directis, inceptum à me solidum hoc opus perspectum erat: idem vt par erat credere, à me iam ad colophonem perductum esse; illo suggerente ad me scripsit 12. Kalendas Septembris anni millesimi sexcentesimi trigesimi quinti proxime elapsi, amicè postulans vt sibi renunciarem, si cœpta essem seriò persecutus, & quid stylo reipsà complexus, prælo iam, vt ab eodem insigni viro audierat, commisissem. Rescripsi è vestigio, *Martyrologium Gallicanum in folio* à me serie tota descriptum, propediem è typographia me eductum in lucem. Appendicem tamen ex superuenientibus in dies vndique auxiliariis copiis me porro concinnare: cui si symbolum addere suum colubesceret, id sanè si quid transmitteret, mihi antea incompertum syllabo auctuarij, quod meditabar Martyrologio subnectere, me gratanter insertùrum. Non neglexit occasionem publicæ vtilitatis promouendæ vir pius: cuius desiderio non vllâ spe tantillæ laudis humanæ emerendæ, tabulas ad me transmisit, breues quidem at operosas & insignes, singulos per menses anni digestas, in quibus Sanctorum, quorum nonnullos sedulæ labore indaginis mihi incognitos compererat, constrictas laudes, at signata passim insigniorum rerum quæ ad cultum eorum spectabant notamenta, calamo exprimebat; seiunctímque orabat, vt quæ expungenda censerem, operæprecium eraderem: quæ verò digna scitu existimarem, meis innecterem Fastis, seu sanè Fastorum incrementis. Copias tam vberes multa cum lætitia excepi, omníque veneratione auctorem prosecutus, quæque dedit pretiosa monilia, vbi decenter fieri potuit, huic sacrario adaptaui: non intus quidem (cùm perfecta esset iam eius fabrica) sed extrà, tametsi haud in atrio, sed in ipso fastigio posita structuræ; vbi, quasi ad ornatum quæsita & indita, singularem afferunt operis summæ coronidi, micantis sui decoris gratiâ, splendorem. At effluit iam nimium hoc capitulum, adiuuarum meorum recensionis. Sat sit igitur præcipuos nuncupatim commemorasse. Cæteros qui peculiaria tulêre subsidia, erogatis amica manu, meum in gazophylacium plerisque raræ antiquitatis munusculis, hic supersedeo nominare, quod in commentariis vbi occurrerit occasio inducendi quæ eorum ope accepimus Sanctorum insignia, ad auctoritatem inductis monimentis asserendam, necessariò designabuntur. Interim quæ vota olim Apostolus emisit, pro auxiliatoribus suis, ego quoque pro iis omnibus qui quouis modo mihi suffragati sunt, intimis ex præcordiis effundere non desinam: scilicet *vt nomina eorum scribantur in libro vitæ*, & eorum remuneratio in eo plena inueniatur, qui Sanctorum omnium merces est & corona. *Philipp. 4. 3.*

CAPUT XXVII.

De commentariis apodicticis, huic Martyrologio ad eius illustrationem subiunctis. Ex quibus quatuor in tomos distributis, coalescit plenaria Gallicanæ Ecclesiæ historia.



QVORSVM (inquiet quispiam) post volumen tantæ molis, quatuor adhuc polliceris non tenuioris capacitatis codices. Nonne Baronius Romanum Martyrologium quod est vniuersale, vnico tomo eóque mediocris amplitudinis, cum notis satis extensis complexus est? Ita sanè. Sed Baronius in Notationibus postremò recognitis, passim ad Annales suos quos duod... Tomis comprehendit ablegat, studiosos Sanctorum amplioris notitiæ perqu... totes. Et tamen vt in Martyrologio (quod nonnihil auxit) Sanctos n... numeros potissimum Galliæ, quos hic proferimus, sibi incognitos prætermisi... : ... & circa eos quorum meminit, nec omnia quæ scitu necessaria ... exp... nit ... dilucidat: cùmque à notis ad Annales Lectorem remittit, non ibi tam... n plenè votis omnium satisfacit, sed frequenter vbi de nostris rebus sermo est plerasque difficultates penitus non attingit: plerasque obiter tant... modo ... at; nonnullas etiam nexibus adhuc variis implic... tas, ... iquit. Ne ... n v... le magnus Gallicanæ, sed vniuersalis Ecclesiæ historiam per ... texere intendebat. Cùmque orbem circino suo aureo d... puncto & circulo præsertim intentus, lineas collimantes ad ... m, ... io ad amussim rectitudinis coaptabat. Non specialem c... de... t ... expromere, omnium Galliæ Sanctorum, sed nec Gallicarum rerum, n... titiam. Quique censebat nominibus duntaxat Martyrum co... ibendis va... tum ... ix v... num volumen sufficere (cap. 6. præf. suprà Martyr.) actis vero referendis, non permultos sat esse codices pergrandes (cap. 3.) *Cum enim*, vt ait, *Martyrum gesta multas chartas, si accuratè essent descripta, impletura essent.* Certè is incomparabilis Annalista & Martyrologus, si ex professo sac... Gal... æ Sancto... historiam scribere fuisset aggressus, tantum opus vno volumine cumulatè al... solui posse haud censuisset: sed vt aptè & fructuosè potuisset con... id proculdubio in plures nec modicos codices produxisset. Et verò si Ga... icana Ec... a, Annales suos in Romanæ Ecclesiæ commentariis (cuius primo... a est habuisset digestos, eo tenore quo Baronius suos illos generales e... didit: aut quauis aliâ formatos competenti serie; lubenter notas nostras ... intexturam contraxissem, nec subiunxissem huic Martyrologio tot vberes commentarios. Verùm Gallia hactenus nullam rerum sacrarum (n... ciuilium dixerim) suarum habebat absolutam congeriem: quin nec historiam, imò nec Chronologiam accuratè ab initio susceptæ religionis ex omnium Ecclesiarum regni actis ac monimentis, *seu fastis & censibus sacris* (vt Tertulliani verbis vtar) ad hæc vsque nostra tempora deductam. Cùm careret igitur præcipuo ornamento, quin & promptuario tam necessariæ notitiæ, operæpretium censui, vnico opere, archiuum eiusmodi locupletissimum construere. Cuius ideo molem exiguam esse non potuisse, quisque prudens rerum æstimator fatebitur, qui quæ damus & pollicemur, æqua lance iusti iudicij perpenderit. Nec enim quod critici præcipitantiores, ad laboris nostri leuandum pondus & existimationem minuendam, primo impetu linguæ effutient, verum est (pace eorum dixerim nos vitas SS. quas legendas ex contemptu vocant, hoc codice tantùm conscribere atq. expromere. Quantum enim abfit Martyrologij nostri contextus, ab illo scriptionis quæ superioribus sæculis vsu inualuit genere, ipsos qui legerint præsentes Fastos Galliæ etiam præoccupati hac opinione, iudices facio: minimè eorum ex candore

[illegible]bitans, quin ducti eo experimento con[illegible]luri sint, n[illegible]s prorsus à legendario[illegible] co[illegible]sare [illegible]torum mo[illegible]e & genio, [illegible] operis textura & met[illegible]odo, adeò[illegible] [illegible] dir[illegible]ep[illegible] A[illegible] v[illegible]o qu[illegible] ad c[illegible]mmentarios spectat, [illegible] [illegible] um studium sequimur: non [illegible] quæ contracte e[illegible]p[illegible]ssimus [illegible]lo Mar[illegible]ogio Sanctorum gesta atque [illegible]a, t[illegible] s[illegible]d i[illegible]n, vt quæ [illegible] sint effi[illegible]iam[illegible]s prolixa, sicut [illegible] *ea[illegible] longum*, vt aiunt, del[illegible]. At [illegible] obscura r[illegible]damus lucida, [illegible]rra, q[illegible] videntur ol[illegible]da[illegible] certa, pugnantia consona; resque in[illegible] [illegible] significa[illegible], quæ [illegible] pl[illegible] acte[illegible] magna ex parte [illegible] , co[illegible] s[illegible] applicitas, explicatas, ex intimo penu sa[illegible]æ antiquitatis Gallicanæ, Lectori qui vt speramus laborem nostrum [illegible]pe[illegible] probabit, hacque [illegible]x cultura nostra haud ingratos fructus colliget, p[illegible]mus. Non enim [illegible] st[illegible] [illegible]que & superfluo in commenta[illegible] [illegible]s, qui[illegible]ate sua & t[illegible] tædium Lectori ingerat. Sed ne magna & [illegible] hospitus [illegible] sparsa videretur quot[illegible]is, tot dissertatiunculis, [illegible] cuique [illegible] [illegible]tam [illegible]s. Ipsæ [illegible] obseruationes ita eti[illegible] p[illegible] d[illegible]ctas, vel [illegible]ate sua [illegible] [illegible]ccent: notati[illegible] autem [illegible] necessaria & conuenienti doctrina, simul in[illegible] [illegible]sa p[illegible]tium dispositione atq. apta congerie, dum vnâ in molem c[illegible], [illegible] sacræ historiæ [illegible], & sub Sanctorum Galliæ singul[illegible] titu[illegible] an[illegible]tem Ecclesiasticam e[illegible]pendunt ac expandunt vni[illegible] vt [illegible]cut in Musica, numeroso inter se, non v[illegible]rum quidem & sonorum, [illegible] rer[illegible] co[illegible]centu, absolutam Ecclesiasticæ nostræ gentis Hierar[illegible]æ [illegible] nostri [illegible].

Speci[illegible]en v[illegible] tractationis hic appareat, e[illegible]ernodum p[illegible]mimus breui epigraphe, quam passim seruamus & sequimur. Primo, *Nat[illegible]lem* cuiusq. beati (cu[illegible] d[illegible]ertatiunculæ nomen & titulum, si [illegible]arum ex Martyrolo[illegible]rum & certum ex [illegible]is Ecclesiarum, seu testim[illegible] [illegible]orum probatæ fidei facimus. Secundo, *Locum* vbi potissimum claruisse memoratur, ex situ, ex [illegible] & [illegible]itate describimus. Tertiò, *Nomen* ipsum cœlitis cuius diuersa [illegible] pro[illegible]a[illegible]o, [illegible]da expressione signamus: & si ex ipsius nominis identitate, cum alio a qu[illegible]usdam confundatur, vnum ab altero discernimus, expressis propriis chara[illegible] quibus hic ab alio diuersus prorsus enitear. Quartò, *Tempus* quo [illegible] & si quæ sint pugnæ in eiu[illegible] Chronolo[illegible]ia dirimimus. P[illegible]secutio[illegible] inter quas floruit, hæreses quas profli[illegible] vel in[illegible]ruen[illegible] c[illegible] palam[illegible]s. Apostolicos Præsules, Re[illegible] [illegible]issimos sub q[illegible], [illegible] aut mortuus est: quibusque charus fuit [illegible] carne viueret, aut ve[illegible]abil[illegible] po[illegible] ad superos a[illegible], Pont[illegible]s, Principesque indigitamus. Quinto [illegible] præemi[illegible]uit, seu professionem quam colu[illegible] att[illegible]ndimus, [illegible]a sit, [illegible]mus. Sexto, si Episcopus aut Abbas fuerit, *quâ serie* sederit [illegible] præfu[illegible], ex syncera præsulatus matricula ostendimus. Septimò, Si *Ecc[illegible] prærogatiua* emin[illegible]t illa sedes, vel priuilegiis sacra præfectura, ea numera[illegible]us [illegible] lites mouerint, [illegible]de eas discutimus. Octauo, *insigniora San[illegible]* quæ digna sunt ad exemplum commendatione; vel ad iustificationem de[illegible]one seu excusatione, incutimus aut [illegible]uemur, aut temperamus. Nonò, *[illegible] mata* eiusdem illustria, seu ad corrip[illegible]endos deprauatos mores fidelium, seu [illegible] se[illegible] [illegible]das hæres[illegible] sè inculcamus. Decimò, *Scripta* si quæ reli[illegible] [illegible]; breuia & non edita hactenus, quæ repeterimus, exhibemus: si prol[illegible]iora, ex iis quæ ad fidei auitæ ostensionem & munimen, vel sa[illegible]um rituum originem & theoriam ac praxim, vel morum censuram faciunt, selecta proferimus. Vndecimò, Si *durinsculè* quædam ab eo *scripta*, emolimus, a[illegible] ad sanam intelligentiam reuocamus. Duodecimo, *signa & prodigia* si quæ [illegible] miraculis in cæteris insignia, quæ dogmata Catholica vel ritus sacros firme[illegible] annotamus & contra hæreticos Orthodoxæ fidei impugnatores, tela [illegible] cula cœlitus vibrata, intorquemus. Decimotertiò, *Synodis* si Præsul [illegible]terfuit, dextera quibus subscripsit cum collegis, ad pias disciplinæ seu doctrinæ vindicias applicamus. Sique decreta ipsa cum aliis statutis Ecclesiasticis

pugnare videantur, vtraque ad concentum vera [illegible] & [illegible] tedo [illegible], Decimoquarto, Si *Martyr* fuit qui colitur, agon[illegible] eius [illegible] [illegible] cipem, P[illegible] ri[illegible]em, Iudicet, que fub [illegible] [illegible] est causau [illegible] [illegible] ramus. Et si quæ pœnarum [illegible] [illegible] quæ qualiaque fuerint exponimus [illegible] [illegible], f[illegible] quæ in [illegible] tione, interpretamur. Decimo quinto, Si *Confessor* [illegible] occurrunt, expendimus. Decimosexto, cuiuſque ord[illegible] præconio celebramus: *ritu* in iis [illegible] atos fig[illegible]. De[illegible] *tia* gloriæ diuinæ *lumina* ... *defunct*[illegible] *tumu*[illegible], ex quo[illegible] lata fuerit, tum cultus & inuocatio excitata & clientibus patr[illegible] ex[illegible], quantum conuenit com[illegible]moramus. Decimooctauo, Qui *Re*[illegible] & *Pr*[illegible] *cere∫que & populi* in [illegible] propen[illegible] fuerin[illegible], suffragia eius [illegible] quæ fierint, coluerint, exaltarint: qui *scriptores* eorum d[illegible]cora cel[illegible] rum gestis & laudibus rel querint, [illegible] monimenta, rec[illegible] mus elogia perscribimus. Decimonono, [illegible] specialem venerationem [illegible] bus, Principibus, ac quibusuis sacrati, aut laici personi, demonstran[illegible]. V[illegible] sîmò denique vo[illegible] aut eiu[illegible] veneranda spolia. Si [illegible] sepulta [illegible] transuecta, vel aduecta si vno in lo[illegible] integra [illegible] per [illegible] stracta; si ab hæreticis direpta; vel ali[illegible] casu deperdita [illegible] ablata, [illegible] neant illibata, & diuinæ virtuti[illegible] coruscationibus etiam[illegible] gnoque debiti c[illegible] [illegible] qui fas fuit) enarramus. Expre[illegible] à [illegible] e[illegible] tis nostri vestibul[illegible], ipsaque vt aiunt fronte corporis hui[illegible] fa[illegible] riorum nostrorum compendiosa ac gen[illegible] na effigie: iam en[illegible] (quisquis rigidior esse possit) censorem *a Le[illegible] (vt vult[illegible]) ctorũ hic inconditam proferimus.* An non potiùs *plenam, [illegible] ratamq[illegible]* Christianissimi huius regni collectionem? Nolim ego quæ sit [illegible] Ecclesiæ [illegible] ditio, hic adumbrare: [illegible] hanc potiùs exprimam [illegible] ca[illegible] úissimi scriptoris, qui[illegible] hist[illegible]rum re[illegible] [illegible] iisdem cum celebritate nominis ex professo tra[illegible]. Is est R. P. Ia[illegible] donus Societati IESV Theologus, iàmque Reg[illegible] Christianissimi con-scientiæ meritissimus speculator, qui cap. [illegible] [illegible] nologiam §. 12. sub programmate *de Ecclesiastica historia*, sic eam propriis characteribus describit. *Ea est* (ait) *Ecclesiastica historia, quæ ex professo res Ecclesiæ proprias complectitur, quibus [illegible] initiis [illegible] coaluerit, quam gubernationem habeat, quam Pa[illegible] ce[illegible] tionem & doctrinam, vbi ea singul[illegible] ten[illegible] fu[illegible] sit persecutiones quæ pro[illegible] certamina contra hæreses, & quibus denique de[illegible] doct[illegible] ribus illustrata sit.* Ita ille. Quo audito Lector [illegible] dicet, quid ista in colle-ctione nostra deficiat, vt historiam Ecclesiasticam [illegible] ex ipsis commentariis plenam non habeat: an sit quicquam ex re[illegible] ad [illegible] dicto[illegible] innationem, quod iure in ista [illegible] facr[illegible]

CAPVT XXVIII.

Auctoris peroratio.

Ferè enim ex signatis in præfixa expressione definitionibus, nihil prorsus superest, quod hîc cumulatè præstitum non sit [illegible]. Habet siquidem ista generalis fastorum [illegible] Gallicanæ Ecclesiæ conscriptio, id medullitus inditum, quod ex instituto *res ipsius Ecclesiæ proprias* tractet; *primordia* quibus orta est & floruit [illegible] nuat: *Regiminis eius œconomiam*, Hierarchiæ scilicet formam & ordinem pe[illegible] cuum faciat; *Pastorum successionem* perpetua serie decurrentem ostendat; *R*[illegible]

[illegible] *dui*, origine, ac immotas sede [illegible] *temporum* conti- [illegible] statuit, [illegible] *erecunt nos* qui [illegible] pugnando [illegible] meret [illegible] *um* qua pro hac ipsa Catholica, A- p[illegible] strenuè certando [illegible], in [illegible] insignia; *Hæresum* [illegible] ex[illegible] *let*[illegible] qui eam ad [illegible] p[illegible] [illegible] celebret triumphos [illegible] eam [illegible] aureas. Illa sa- [illegible] æ [illegible] de [illegible] præd[illegible]menta, n[illegible] etiam [illegible] ra suppe- dita, [illegible] *orum* [illegible] per Gallias excursus [illegible] *moremque* [illegible] *am* [illegible] ad [illegible] salutis nuntios [illegible], labores ac [illegible] riosos refe- re[illegible]. [illegible] *urat* [illegible] *tesiam* [illegible] orum Martyrum, quorum stup[illegible] a fuit in Gallia [illegible] annos. E[illegible] *Doctorum* [illegible] *starumque* [illegible] *um* [illegible] *orum* [illegible] *genum* [illegible] *plos*; [illegible] *sertorum nostra-* [illegible] *arum* [illegible] ari[illegible], [illegible] numer[illegible] superant, [illegible] *terris* [illegible]. Sed [illegible] quarumcumque p[illegible] *lumina* [illegible] *frequentiam*, [illegible] sanct[illegible]es, [illegible] tandem [illegible] tatem. [illegible] *sacrorum* attingit circu[illegible] arcana explicat [illegible] *dere*[illegible] leges; *Regum* [illegible] *imorum* [illegible] um in Christi [illegible] prædicat *Zelum*: co- [illegible] Imperii [illegible] reuerentiam: at- q[illegible] illorum ven[illegible] memoriæ pietatem [illegible] *leri* qui d[illegible] ac p[illegible] is semper [illegible] exuberauit, [illegible] pr[illegible] o vigilantiam, [illegible] in tuenda fide [illegible] *p*[illegible] *sionem*. Pe[illegible] *totius regni cum sede A-* [illegible] capite & [illegible] Coni[illegible] *æ* re[illegible] *declarata* [illegible] *sionem*. Sic auitæ pie- ta[illegible] *uptam* prodit ad nos vsque *tra*[illegible] vt [illegible] *noua per-* [illegible] traditam tramitem Patrum infeliciter deseruerunt, eum- [illegible] *fa*[illegible]*tem*. De[illegible] quæque magnalia Deus pro sua gloria & no- stra salute, h[illegible] amplissimo Galliarum theatro [illegible] ediderit: quæ per San- ct[illegible] [illegible] quæ quanta[illegible] beneficia in gentis nostræ com- m[illegible] effuderit, quæ indicia specialis in nos gratiæ & amoris pro- [illegible] conseruationis exhibuerit [illegible] per Christianissimo huic re- [illegible] præsidia; qui [illegible] extinxerit, quæ cand[illegible] tem Galliæ liliorum fœ- [illegible] horrenda monstra [illegible] ad fulcrum & [illegible] m Ec[illegible] æ, [illegible] patriæ, ad re[illegible] augment[illegible] m, ad commu- [illegible] populi saluat[illegible] gratiæ [illegible] lumina, glo- [illegible], p[illegible] æ [illegible], co[illegible] hæc [illegible] perscri- p[illegible] [illegible] ea constat tara [illegible] æ re[illegible] mis [illegible] menta, & clara Christianissimæ huius regionis insignia, ex[illegible] materiæ, sane quæ locupletissima & pretiosissima est, aspernentur. Sic pla- ne [illegible] hanc contemnant [illegible] accipien[illegible] nuperæ fidei sequaces; seu [illegible] tius [illegible] fidæ & e[illegible] doctrinæ & p[illegible] itæ, [a] *filiorum sub*[illegible] *ctioni* sectæ mystago- [illegible] &[illegible]es. Qui[illegible] p[illegible] [illegible] gnifer Petrus Molinæus, in propudioso [illegible] ad [illegible] in lyt[illegible] C[illegible] Perr[illegible] nora [illegible] culus scilicet [b] &[illegible] tator [illegible] vid[illegible] vir[illegible], Sanctorum res diuinè [illegible] ad p[illegible] tatis [illegible] apus [illegible] auctoribus consigna- t[illegible] alato [illegible] abhorrente [illegible] ab omni fu[illegible]co pietatis sapiant, explodit, [c] imò p[illegible] & [illegible] conatur, co[illegible] quædam [illegible] admixti habeant. Quasi [illegible] pulvere aspersum pretium perderet [d] [illegible] & [illegible] æ super [illegible] *fide* [illegible] *um* [illegible] *ntum* [illegible] Sancti pre- tiosa [illegible] *m* [illegible] et, *urum* [illegible] *mar*[illegible] *dam* q[illegible]æ ad- m[illegible] & [illegible] s, natiuam am[illegible] rent d[illegible] & valor[illegible]. Fa[illegible] qu[illegible] [illegible] Ma[illegible] ab E[illegible] Chri[illegible] a- ha & c[illegible] torum, quo[illegible] q[illegible] [illegible] orum al[illegible] classis Sanctorum gestis, occurrunt aliqua d[illegible] pta, quæ

a *Heb.10.39.*

b Lib. 6. Nouitatis suæ cap. 14. & lib. 7 c. 5.

c *1. Cor. 2. 14. Animalis homo non percepit quæ sunt Spiritus Dei.*

d ibid 3.12.

redolent totum humilitatem, & charam Deo simplicitatem. Cum hoc [illegible] eiusmodique nugatoribus, imò impudentioribus [illegible] Dei [illegible] nullum mihi esse volo negotium, qui [illegible] us [illegible] rilitate excipiant, quæ sibi non [illegible] erent, pro [illegible] mis computabo. Veruntamen id [illegible] te vidui, ne tam [illegible] rem Sanctorum quæ reiciologellis, [illegible] carpere iure possint, imo necessitatem [illegible] leuitatis vel sin [illegible] relationis, & [illegible] narrationis occasione [illegible] scilicet præcepti Apostoli, quo discipulum suum admonebat, vt quæ deceat [illegible]

Tit. 2. 7. *in integritate, in grauitate, verbumque proferret sanum & irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens quod iure*, [illegible] doctori vel scriptori [illegible] tare posset. Et vero sicut quantum ad fidei Catholicæ syncentatem & dogmatum veritatem pertinet, hoc meum [illegible] us extra aleam positum esse non dubito: quod totum fide incorrupta Patrum [illegible] tum est; sic ad compram [illegible] eloquij supellectilem [illegible] magnifico, ideoque [illegible] noxium [illegible] libet diserti, qui textum [illegible] nauerit ad summos iuris apices, frequentiores censuræ. At iam styli inconditam leporibus facundiæ confessus sum [illegible] nonnullaque [illegible] sum, quæ [illegible] nihil à seueriori circa hæc [illegible] eximant. Id [illegible] non [illegible], me præ muneris Ecclesiastici [illegible] tibus passim [illegible] us non potuisse meum [illegible] bere fœtum; [illegible] vix editum; at nullatenus licuit expolire. Accessit bina dum hic ederetur liber [illegible] Ambianensem & Nouiomensem [illegible] profectio, quam ob [illegible] unctum a S[illegible] tibus pietatis atque iustitiæ negotium, obire me oportuit. [illegible] excurrentibus typis, quamobrem alienis manibus & oculis [illegible] in exemplarium correctione: quæ ideo cum à prælo, authoris nomine [illegible] nus & inspectio abesset, non potuit [illegible] vti decuerat, à [illegible] At [illegible] te mihi, Lectoris pij ac candidi [illegible] veniam facile polliceor [illegible] innocentia fretus, hócque canonico nixus axiomate quod [illegible] *Nemo [illegible] ad æquum iudicem, culpæ non suæ pœnas luere*. Verum [illegible] me [illegible], eo quòd extra vires meas [illegible], nec satis [illegible] tam grande opus ausus sum adoriri: cumque pauca [illegible] maxima in posterum (vt ex hoc ipso capitulo constat) non [illegible]. Certè [illegible] criminis sic peto condonationem, vt tamen [illegible] reum [illegible] esse concedam. Fateor enim tenues meas esse vires, [illegible] non his [illegible] tantum [illegible] orem auspicatus sum, at Dei confid[illegible], qui [illegible] auctor est, & prouector bonorum operum, tantæ [illegible] ad ipsius gloriam & Sanctorum eius, qui patriam hanc Euangelio consecrarunt, [illegible] trepidus sum

1. Cor. 3. 25. & seqq. aggressus. Id sciens quod docet Apostolus, Dominum [illegible] ministrum [illegible] ad magna quæque confi[illegible] instrumentaque passim infirma, quin & inepta ad maiorem virtutis suæ ostensionem suis consilijs & molitionibus adhibere [illegible] que consuetum non modò [illegible] hoare, sed etiam consummare quicquid lubet. Hoc

Philipp. 2. 13. igitur nitor præsertim [illegible] fiducià, quòd *qui dedit incipere, dabit & perficere* [illegible] meis quidem meritis, sed Sanctorum [illegible] & intercessione, quorum [illegible] sicut præconia en[illegible] gestit, sic spero, quæ expeto supplex felicia [illegible] ac oportuna patrocinia astatim experiri.

INVOCATIO HYMNODICA
SANCTORVM ORDINIS
CVIVSQVE BEATORVM.

I.
Ad Beatissimam Virginem Deiparam
Sanctorum Reginam.

REGINA *salue præpotens,*
Nostrisque rebus consule.
FRANCOS *ab alto mitius*
Mundi sequestra respice.
Cu[illegible] una celsior,
D[illegible] proxima.
[illegible] Cherubim formosior,
[illegible] Seraphim illustrior.
Tu [illegible] Solem proferens
In[illegible] voluptas cælitum,
Tu diua Virgo, virginum
Princeps, Dei puerpera.
Tu prima suaue canticum
Modularis inter Virgines.
Agnique per vestigia
Tu dux es incedentium.
Verum videte Bethsaben,
Dextra assidentem filio!
Mater rogat quidquid lubet
Præstat rogata filius.
Quæ sit potestas credita
Et muneris quantum datum
Probant clientum gaudia
Qui[illegible] rogatis annuis.
Ceu præsto semper adsies,
Tuósque alumnos GALLICOS
Lactense complectens sinu,
Materno amore protegas.

II.
Ad Sanctos Angelos.

Auete mentes lucidæ
Nostræ salutis vindices
Cœlestis ora nuntij
Regis superni milites.
Intra Tonantis regiam
Choros agentes psallite
Lyris, monaulis, organis
Tribunal ante Iudicis.
Vos in dracones Tartari
Bellum cietis perpetim,
Et nos ab orci faucibus
Manu potenti tollitis.
Adeste cætus inclyti
Adeste tot periculis,
Et nos volatu perpeti
Inferte cæli sedibus.

III.
Ad Sanctos Apostolos.

Auete cæli Principes,
Auete mundi lumina,
Christi sequela nobilis,
Mundi trementis arbitri.
Omnes in oras gentium
Cæli tulistis dogmata,
Pulsis malis erroribus
Vita dedistis semina.
Vos effugastis dæmonum
Tot spectra, tot ludibria;
Vos inferorum luridis
Nos eruistis faucibus.
Iuuate nunc ô Cælites!
Quos procreastis filios,
Vestris manum nepotibus
Ne corruant obtendite.

IV.
Ad Sanctos Martyres.

Aue cohors fortissima,
Testes auete strenui,
Quos mortis horror imminens
Non flexit à sententia.
Vos pertulistis fortiter
Acerbiora funera,
Quàm parricidis debita
Parata vel latronibus.
Non palluistis forcipes,
Ferrum, faces, nouaculam;
Tormenta mille, lugubri
Quæ prodiêre Tartaro.
Nunc bella post acerrima
Cælo triumphum ducitis,
Latique tot victoriis
Palma decori viuitis.
Ne nos cadentes, viribus
Nec debiles relinquite,
Ne forte nos vis impia
Sternat nigrante turbine.

V.

Ad Sanctos Doctores, Pontifices & Sacerdotes.

Auete sacri Præsules,
Antistites iustissimi;
Iter salutis inuium,
Qui reddidistis peruium.
Virtutis alma semitam,
Qui tradidistis gentibus;
Qui veritatis candida
Pugnâstis ob sententiam.
Tot impiorum dogmata,
Tot inquinatas hæreses,
Sermone, signis, moribus,
Nostro fugâstis climate.
Tristi migrâstis seculo,
Estis tamen superstites,
Vestris notata literis
Imago viuit nobilis.
Quis posse det vestigiis
Hærere nobis talibus?
Præcepta quis salubria
Transfigat in præcordia?

VI.

Ad Sanctos Confessores, Monachos & Eremitas.

Auete solitudinis
Claustríque mites incola,
Qui pertulistis impios
Cœtus furentis Tartari.
Gemmas & auri pondera,
Et dignitatum culmina
Calcâstis, & fœdissima
Quæ mundus offert gaudia.
Vobis alui cibaria
Fuêre, vel legumina;
Potúmque lympha præbuit,
Humúsque dura lectulum.
Vixistis inter aspides,
Sauísque cum draconibus;
Portenta nec teterrima
Vos terruêre dæmonum.
Rebus procul mortalibus,
Mens auolabat feruida;
Diuúmque inncta cœtui
Hærebat inter sidera.

VII.

Ad Sanctas Virgines.

Auete Sancta Virgines,
Pares beatis mentibus,
Quæ puritate sidera
Solísque flammas vincitis.
Vos nil superbus terruit
Vultu tyrannus horrido,
Nec pertulêre barbaro
Traiecta ferro viscera.
Non blanda mundi gaudia
Flexêre vos ô Virgines!
Sed depulistis fortiter
Carnis ferocis impetum.
Agnum proinde proxime
Quocunque pergit, cingitis:
Per vos cohors cœlestium
Nouo resultat cantico.
Mentis perusta sordida
Lauate rore mystico,
Vt corde puro lampades
Christo feramus obuiam.

VIII.

Ad SS. Viduas.

Auete sancta Vidua,
Assueta piis fletibus,
Quas Christi mater optima
Veris solatur gaudiis.
Vos semper fide stabiles
Mansistis instar turturis
Pudici nouos thalamos
Abhorruistis iugiter.
Non vana vobis gaudia
Sed cælitum delitiæ
Precésque ad Deum impigræ
Sunt cordi, vt esca spiritus.

IX.

Ad cæteros Cœlites.

Adeste sancti Cælites
Ciues supernæ curiæ
Vestra leuantes nos ope
Deo propinquos iungite.
Vos Christi virtus ætheris
Euexit ad fastigium
Floretis illic maxima
Iam consecuti præmia.
Vos inuocamus supplices,
HANC PATRIAM *defendite*
Sint bella longè, sit lues
Adsíntque cuncta prospera.
Vt mox leuati vinculis
Grauíque mole corporis
Migremus ad vos illico
Vestros adoptati in choros.
Possimus hæc vt assequi
Vobis rogandus maximus
Ter vnus ille, qui bona
Potens opum dat omnia.
Summo Parenti Cælitum
Magnaque proli Virginis
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus & gloria.
Amen.



NOTITIA ANTIQVA
GALLIÆ REGIONVM ET CIVITATVM, SEV NOMINA PROVINCIARVM ET CIVITATVM GALLIÆ DESCRIPTA.

Ex Cod vetustißimo Canonum Gallicanæ Ecclesiæ,

Tempore Ioannis PP. XII. Agapiti II. successoris in membrana exarato.

GALLIARVM PROVINCIÆ numero XVII.



IENNENSIS.
Narbonensis prima.
Narbonensis secunda.
Aquitania prima.
Aquitania secunda.
Nouempopulana.
Alpes maritimæ.
Belgica prima, in qua est Treuiris.
Belgica secunda, in qua est transitus ad Britanniam.
Germania prima, super Rhenum.
Germania secunda, vt suprà.
Lugdunensis prima, super Rodanum.
Lugdunensis secunda, ad Oceanum.
Lugdunensis tertia, super Ligerim.
Senonia.
Maxima Sequanorum.
Alpes*. * Graiæ.

HÆC SVNT NOMINA CIVITATVM HARVM REGIONVM.

LVGDVNENSIS PROVINCIA PRIMA habet ciuitates numero V.

Metropolis ciuitas Lugdunensium.
Ciuitas Eduorum.
Ciuitas Lingonum.
Castrum Cabillonense.
Castrum Matisconense.

PROVINCIA LVGDVNENSIS SECVNDA habet ciuitates VII.

Metropolis ciuitas Rotomagensium.
Ciuitas Baioceassium.
Ciuitas Abrincantium.
Ciuitas Ebroicorum.
Ciuitas Salarum, id est, * Saiforum. * Saiorum.
Ciuitas Luxouiorum.
Ciuitas Constantia.

PROVINCIA LVGDVNENSIS TERTIA
habet ciuitates numero IX.

Metropolis ciuitas Turonorum.
Ciuitas Cenomanorum.
Ciuitas Redonum.
Ciuitas Andegauorum.
Ciuitas Nannetum.
Ciuitas Cotisopitum.
Ciuitas Venetum.
Ciuitas Ocismorum.
Ciuitas Diablintum, quæ alio nomine *Alrud*, vel *Adala* vocatur.

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVARTA
habet ciuitates numero VIII.

Metropolis ciuitas Senonum.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Autissiodorum.
Ciuitas Trecassium.
Ciuitas Aurelianorum.
Ciuitas Parisiorum.
Ciuitas Meldorum.
Ciuitas Niuernensium.

PROVINCIA BELGICA PRIMA
habet ciuitates IV.

Metropolis ciuitas Treuerorum.
Ciuitas Mediomatricorũ, id est *Metthis.*
Ciuitas Leucorum, id est *Tullo.*
Ciuitas Verdunensium.

PROVINCIA BELGICA SECVNDA
habet ciuitates XII.

Metropolis ciuitas Remorum.
Ciuitas Suessionum.
Ciuitas Catalaunorum.
Ciuitas Veromandorum.
Ciuitas Attabatium.
Ciuitas Cameracensium.
Ciuitas Turnacensium.
Ciuitas Siluanectum.
Ciuitas Bellouagorum.
Ciuitas * Atibanensium. *Ambianensium.
Ciuitas Morinorum, id est *Ponticum.*
Ciuitas Bononiensium.

PROVINCIA GERMANIA PRIMA
habet ciuitates IV.

Metropolis ciuitas Mogontia.
Ciuitas Argentoratensium, id est *Strasburg.*
Ciuitas Nemetum, id est *Spira.*
Ciuitas Vangionum, id est *Varmatia.*

PROVINCIA GERMANIA SECVNDA
habet ciuitates II.

Metropolis ciuitas Agripinensium, id est *Colonia.*
Ciuitas Tungrorum, id est *Tungrũ.*

PROVINCIA MAXIMA SEQVANORVM
habet ciuitates X.

Metropolis ciuitas Vesoncienstum.
Ciuitas Equestrium.
Ciuitas Eluiciorum, id est *Auendicum.*
Ciuitas Niuidunum.
Ciuitas Basilea.
Castrum Rautacense.
Portus* à Bucinа. * Portus Bucini.
Castrum Vindonisense.
Castrum Ebrodunense.
Castrum * Argentariense. * Argentariense.

PROVINCIA ALPIVM GRAIARVM
& Peninarum, habet ciuitates II.

Ciuitas Centronium, id est *Tarentasia.*
Ciuitas Vallensium, id est *Octodurus.*

PROVINCIA VIENNENSIS
habet ciuitates XIV.

Metropolis ciuitas Viennensium.
Ciuitas Gennauensium.
Ciuitas Gratianopolitana.
Ciuitas Albensium, nunc Viuarium.
Ciuitas Deiensium.
Ciuitas Valentianorum.
Ciuitas * Tricasterinorum. *Tricastinorum.
Ciuitas Vasionensium.
Ciuitas Autasicorum.
Ciuitas Cabellicorum.
Ciuitas Auennicorum.
Ciuitas Arelatensium.
Ciuitas Carpētoratensiū: nūc *Vinclausca.*
Ciuitas Massiliensium.

PROVINCIA AQVITANICA PRIMA
habet ciuitates VIII.

Metropolis ciuitas Biturigum.
Ciuitas Aruernorum.
Ciuitas Rotenorum.
Ciuitas Albigensium.
Ciuitas Caduceorum.
Ciuitas Lemouicum.
Ciuitas Gabalum.
Ciuitas Vallanaurum.

PROVINCIA AQVITANICA SECVNDA
habet ciuitates sex.

Metropolis ciuitas Burdegalensium.
Ciuitas Agennensium.
Ciuitas Engolismensium.
Ciuitas Sanctonum.
Ciuitas Pictauorum.
Ciuitas Petracoricorum.

PROVINCIA NOVEMPOPVLANA
habet ciuitates XII.

Metropolis ciuitas Auscorum.
Ciuitas Aquensium.
Ciuitas Lactoracium.
Ciuitas Conuenarum.
Ciuitas Consuranorum.
Ciuitas Boacensium, id est *Boii.*
Ciuitas Benarna.
Ciuitas Aturensium.
Ciuitas Vasatica.
Ciuitas * Tulla, vbi Castrum Bigorrd. *Tulla.
Ciuitas Ellorensium.
Ciuitas Elosaticum.

PROVINCIA NARBONENSIVM PRIMA
habet ciuitates VIII.

Metropolis ciuitas Narbonensium.
Ciuitas Tolosaeinm.
Ciuitas * Beternensium. *Biterrensium.
Ciuitas Agalensium.
Ciuitas * Naumasensium. *Nemausensium.
Ciuitas Magalonensium.
Ciuitas Lutenensium.
Castrum * Vtiense. *Vticense.

PROVINCIA NARBONENSIS SECVNDA
habet ciuitates VII.

Metropolis ciuitas Aquensium.
Ciuitas * Abtensium. *Aptensium.
Ciuitas Regensium.
Ciuitas Foroiuliensis.


Ciuitas Vapænſentium.
Ciuitas Segeſteriorum.
Ciuitas Antipolitana.

PROVINCIA ALPIVM MARITIMARVM habet ciuitates VIII.

Metropolis ciuitas Ebreduñẽſiũ, *Embrũ*.
Ciuitas Dinienſium, id eſt *Dia*.
Ciuiras Glamnatena.
Ciuitas * Telemenſium.
Ciuitas Venſicienſium, id eſt *Ventio*.
Ciuiras Rigomagenſium.
Ciuitas ** Sollinenſium.
Ciuitas Saencienſium, id eſt *Saneſio*.

* *Calemenſiũ*, vel *Cemelenenſium*.

** *Saillans* vicus nunc eſt Delphinatus. Vel *Solses*, pagus Prouinciæ.



NOTITIA NOVA
GALLIÆ PROVINCIARVM ET CIVITATVM, QVÆ SVB CHRISTIANISSIMI FRANCORVM REGIS IMPERIO CONTINENTVR,

Eò diſtincta ordine, quo ſub Metropolitanarum ſedium ſacra terminatione, iam numerantur & conſiſtunt.

PROVINCIA LVGDVNENSIS PRIMA.

Metropolis Lugdunenſis, LION, cuius titulus eſt numiſmatis, PRIMA SEDES GALLIARVM: habet ſub ſe quatuor ſuffraganeas ſedes, harúmque ciuitates & diœceſes, ſcilicet

Eduenſem, quæ dicitur etiam Auguſtodunenſis,	*Autun.*
Mariſconenſem,	*Maſcon.*
Lingonenſem,	*Langres.*
Cabilonenſem,	*Chalon ſur la Saone.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS SECVNDA.

Metropolis Roromagenſis: ROVEN (cui iam hæret NEVSTRIÆ PRIMATVS) habet ſub ſe ſex Pontificias ſedes, nempe

Baioeenſem,	*Bayeux.*
Abrineenſem,	*Auranches.*
Ebroicenſem,	*Eureux.*
Sagienſem,	*Seez.*
Lexouienſem,	*Liſieux.*
Conſtantienſem,	*Coutance.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS TERTIA.

Metropolis Turonenſis, TOVRS, habet ſub ſe ſedes vndecim.

Cenomanenſem,	*Le Mans.*
Andegauenſem,	*Angers.*
Redonenſem,	*Rennes.*
Nannetenſem,	*Nantes.*
Venetenſem,	*Vennes.*
Briocenſem,	*S. Brieu.*
Coriſopitenſem,	*Kimper-Corentin.*

Leonensem,	*S. Paul de Leon.*
Maclouiensem,	*S. Malo.*
Trecorensem,	*Treguier*, ou *Lantriguier.*
Dolensem,	*Dol.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVARTA: cuius Præsul FRANCIÆ *dudum* ARCHIEPISCOPVS *dicebatur, etiamnúmque vocitatur* PRIMAS GALLIARVM ET GERMANIÆ.

Metropolis Senonensis, SENS, quæ septem habebat quondam subiectas sedes Episcopales: ex quibus nunc tres tantum retinet, nimirum,

Trecensem,	*Troies.*
Autissiodorensem,	*Auxerre.*
Niuernensem,	*Neuers.*

PROVINCIA LVGDVNENSIS QVINTA: quæ, subtractæ Maximæ Sequanorum, locum supplet: amputatáque ex stirpe antiquæ Metropolis Senonensis (cùm antè iam esset ciuilis vniuersi Francorum Regni Metropolis;) Archiepiscopali iure ac honore aucta est à sede Apostolica: hócque titulo, interiori Galliæ, seu Franciæ strictè sumptæ, præsides.

Metropolis Lutetia Parisiorum, PARIS: hæc tres Episcopales Cathedras insignes sub se habet, nimirum,

Carnutensem,	*Chartres.*
Aurelianensem,	*Orleans.*
Meldensem,	*Meaux.*

Aduertendum, quòd auulsâ à trunco natiuæ originis Maximâ Sequanorum Metropoli, quæ est Vesuntio, seu Bisuntium Besançon: *sub qua tres sedes censentur, scilicet Basiliensis*, Basle; *Lausanensis, seu Losanensis*, Losans, *seu* Lausane; *Bellicensis*, Bellay: *hæc vltima sedes, vindicato in ius Gallici Imperij Bressiæ principatu, Liliis sam adhæret, seu in corpus regni rediit, núncque ideo censetur natiuum membrum Gallicanæ Ecclesiæ.*

PROVINCIA BELGICA PRIMA: quæ dudum dicebatur TRIPARTITÆ GALLIÆ PRIMA METROPOLIS, *scilicet* TREVERIS: *nunc auulsa à regno Francorum, Imperio paret Germanico, cuius inter Principes Electores, Archiepiscopus ipsius Metropolicæ sedis numeratur, dicitúrque nomine tenus,* SACRI IMPERII ROM. PER GALLIAS ET REGNVM ARELATENSE ARCHICANCELLARIVS.

Metropolis Treuirensis, *Trier*, ou *Treues*, tres sub se habet suffraganeas sedes perinsignes: Germanici imperij iuri nihil addictas, sed Christianissimo regno obsequentes.

Metensem,	*Mets.*
Tullensem,	*Toul.*
Verodunensem,	*Verdun.*

PROVINCIA BELGICA SECVNDA, quæ olim sacro principatu amplissima, longè plures quàm nunc possidet, habebat sibi subiectas sedes: At auulsis ab imperio Gallico tribus antiquis Episcopatibus, Attrebatensi, Cameracensi, Tornacensi: *Euersâ prisca ciuitate*

Morinorum, erectisque in proprio istius antiquæ Metropolis fundo, duobus nouis Archiepiscopatibus, nempe Cameracensi, *&* Machliniensi, *cum nuperis sedibus suffraganeis: quarum Cameracensis quatuor sibi vendicat;* Atrebatensem, Tornacensem, Audomarensem, Namurcensem: *Machliniensis sex,* Antuerpiensem, Brugensem, Gandensem, Iprensem, Ruremundensem, Siluiducensem. *Natiua tamen ipsa Belgicæ secundæ Metropolis, sola iu in partibus, titulo antiquissimi Primatus adhuc præeminet, Legationéque perpetua Apostolicæ sedis, quâ ab Hormisda Papa in sancto Remigio honorata fuit, etiamnum iure gloriatur. Cuius Archiepiscopus est etiam* primus Franciæ Patricius, Dux Remorum, & sacer Christianissimi Francorum Regis Inaugurator.

Metropolis Remensis, *Reims*, Sedes has octo sibi, metropolico ac Primatiali iure subiectas, nunc vsque retinet.

Suessionensem,	*Soissons.*
Cathalaunensem,	*Chaalons en Champagne.*
Laudunensem,	*Laon.*
Siluanectensem,	*Senlis.*
Bellouacensem,	*Beauuais.*
Nouiomensem,	*Noion.*
Ambianensem,	*Amiens.*
Bononiensem,	*Bologne sur la mer.*

PROVINCIA AQVITANIÆ PRIMA.

Metropolis Bituricensis, *Bourges*, quæ absolutè dicta est apud veteres, caput Aquitaniæ. Cuius matrix Ecclesia, PATRIARCHALIS in fronte signatur: Antistes verò nuncupatus VTRIVSQVE AQVITANIÆ PRIMAS ET PATRIARCHA; sub se principantes has vndecim Ecclesias numerat.

Claromontanam, seu Aruernensem,	*Clairmont en Auuergne.*
Ruthenensem,	*Rodez.*
Caturcensem, seu Cadurcensem,	*Cahors.*
Albiensem, seu Albigensem,	*Alby.*
Lemouicensem,	*Limoges.*
Mimatensem, seu Gabalitanam,	*Mende en Giuodan.*
* Aniciensem, vel Auiciensem, seu etiam Podiensem,	*Le Puy en Vellay.*
Castrensem,	*Castre.*
Vabrincensem, seu Vabrensem,	*Vabres.*
Tutelensem,	*Tulles.*
Sanflorianam, seu sancti Flori,	*S. Fleur.*

* Hic exemptus est, & gaudet priuilegio pallij.

PROVINCIA AQVITANIÆ SECVNDA:
cuius Antistes, Aquitaniæ etiam, se Primatem *inscribit.*

Metropolis Burdegalensis, *Bourdeaux.* AQVITANIÆ ETIAM HABITVS PRIMAS, nouem tenet sibi parentes diœceses.

Pictauiensem,	*Poictiers.*
Aginnensem,	*Agen.*
Santonensem,	*Saintes.*
Engolismensem, seu Eccolismensem,	*Engoulesme.*
Petracoricensem,	*Perigueux.*
Condomensem,	*Condom.*
Maleacensem,	*Maillezais.*

Lucionensem,	*Luçon.*
Sarlatensem,	*Sarlat.*

PROVINCIA AQVITANICA TERTIA, *quæ & Auxitana & Nouempopulana, seu Vasconia: dicta etiam Viennensis octaua.*

Metropolis Ausciorum, AVSCHE, nata ex Elusæ antiquæ clade & occasu, VASCONIÆ CAPVT, decem sibi mancipat sacro imperio ciuitates.

Aquensem,	*Aqs.*
Adurensem, seu Atturensem,	*Aire.*
Lectorensem,	*Letoure.*
Conuenensem,	*Cominges.*
Consuranensem,	*Conserans*, seu *S.Licar*, aliàs *S.Lezé.*
Vasarensem,	*Basas.*
Tarbiensem,	*Tarbres.*
Bajonensem,	*Bayonne.*
Oleronensem,	*Oleron.*
Lascuriensem, seu Lescarensem,	*Lescar.*

PROVINCIA NARBONENSIS PRIMA.

Metropolis Narbonensis: cuius Præsul GASCONIÆ ARCHIEPISCOPVS ET GOTHIÆ PRIMAS appellabatur, sedes nouem habet suffraganeas.

Biterensem,	*Bezsers.*
Agathensem,	*Agde.*
Mons-pessulanum, dudum Magalonensem,	*Montpellier.*
Nemausensem,	*Nismes.*
Carcassonensem,	*Carcassone.*
Lodeuensem, seu Luteuensem,	*Lodéue.*
Alectensem,	*Alect.*
Vceticensem,	*Vzez.*
S.Pontij Tomeriarum,	*S. Pons de Tomieres.*

Elnensis, quæ nunc Perpiniani constat sub Hispanorum ditione; Et Tolosana, quæ Archiepiscopalis effecta, seu reddita, propriis diœcesibus præsidet: olim Narbonensi Ecclesiæ paruerunt.

PROVINCIA SECVNDA, NARBONENSIS PRIMÆ.

Metropolis Tolosana,	*Tolose*, septem complectitur diœceses.
Apamiensem,	*Pamiez.*
Mirapicensem,	*Mirepoix.*
Montalbanensem,	*Montauban.*
Vaurensem,	*La Vaur.*
Riuensem,	*Rieux.*
Lomberiensem,	*Lombez.*
S.Papuli,	*S. Papoul.*

PROVINCIA NARBONENSIS SECVNDA, *quæ & Viennensis tertia.*

Metropolis Aquensis, siue Aquarum Sextiarum, *Aix* quinque sedes continet.

Aptensem,	*Apt.*
Foroiuliensem,	*Freius.*
Reiensem, seu Regiensem,	*Riez.*
Vapincensem,	*Gap.*
Sistaricensem,	*Sisteron.*

PROVINCIA VIENNENSIS PRIMA.

Metropolis Viennensis: cuius numismatis inscriptio est, MAXIMA SEDES GALLIARVM. Vnde eius Præsul gaudet titulo, sed nudo ac simplici, PRIMATIS PRIMATVM. Fuit autem dudum reipsa Burgundiæ Regni Cancellarius, sub cuius sede Metropolica, sex suffraganeas numeramus.

Valentinensem,	*Valence.*
Diensem,	*Die.*
Viuariensem,	*Viuiers, ou Viuarez.*
Gratianopolitanam,	*Grenoble.*
Geneuensem,	*Geneue.*
Maurianensem,	*S. Iean de Morienne.*

At hæc sub Sabaudo Regulo manet: Diensis cum Valentinensi coniuncta est.

PROVINCIA VIENNENSIS SECVNDA.

Metropolis Arelatensis, GALLIARVM ANTIQVISSIMA, ET OLIM MAXIMA, cùm eius Archiepiscopus esset ORDINARIVS APOSTOLICÆ SEDIS VICARIVS. Hæc subinde facta Burgundiæ regni caput, sacrum amplius longè quàm nunc tenet, porrexit dudum imperium. At nihilominus Archiepiscopale retinet conspicuum decus, quatuórque suffraganeas sedes etiamnum habet, nimirum.

Massiliensem,	*Marseille.*
Arausiensem,	*Orange.*
Tricastinensem,	*S. Paul en Tricastin.*
Tolonensem.	*Tolon en Prouence.*

PROVINCIA VIENNENSIS TERTIA.

Metropolis Auenionensis, AVIGNON: olim Arelatensi sedi iure Metropolico obnoxia: intra fines Galliæ regni sita, sub ditione tamen Romani Pontificis. Ex quo obtinuit Archiepiscopalem prærogatiuam, tres suffraganeas sedes adepta est.

Carpentoractensem.	*Carpentras.*
Cauelicensem, seu Cabellicensem.	*Cauaillon.*
Vasionensem.	*Vaison.*

PROVINCIA VIENNENSIS QVARTA.

Metropolis Eberodudensis, vel Ebredunensis: quæ etiam ciuitas est Ambronum, EMBRVM, sex connectit sedes.

Diniensem,	*Digne.*
Grassensem, olim Antipolitanam,	*Grasse.*
Venciensem,	*Vence.*
Glandeuensem*,	*Glandesue.*
Senetensem,	*Senez.*
Niciensem,	*Nice.*

*seu Glandatensem.

Hæc à Comitibus Prouinciæ, ad Sabaudiæ Duces transiit ciuili iure. Nam sacro regimine, deuincta Metropoli suæ semper adhæret.

Ceterùm Galliam his terminis non coarctauimus in Martyrologio nostro: sed eâ amplitudine dimensi sumus, quâ patebat sub antiquis Regibus primæ & secundæ stirpis: sub quibus potior Sanctorum, quos enumeramus ac celebramus his in diptychis pars effloruit. Rebus gestis enim circunstantia propria quadrare debent: non minùs à loco, quàm à tempore & personis; vt consona sit vndequaque, cum natiuis rerum principiis, earumdem descriptio. Nec enim consentaneum fuisset, hoc ex albo Sanctorum Galliæ expungere eos cælites, quorum hodie vel patrium solum, vel sepulchrum, situm extra Gallici imperij fines

per humanarum rerum vicissitudinem conspicitur. Sat enim est, quòd tempore suo inter Franciæ lilia floruerunt, Francorúmque nomen sibi ipso ab ortu insitum, vel per suum accessum in Galliam acquisitum; proprium sibi reddiderunt: meritísque immensis, quibus sublimia capitum fastigia cælo extulêre, perenniter illustrârunt: quin & postquam ad superna sunt euecti, patrociniis apud Deum conseruârunt perpetuis. Nefas certè erat, vt de susceptis eorum ope tot diuinis beneficiis, Francia ipsa esset ingrata. Fuisset autem ingratissima, si tot beatorum suorum opitulatorum memoriam, dignam omni veneratione, ob ditionum nuperam mutationem, hac in recensione generali suppressisset. Quinimo omne hoc piaculum in me imprudenter deuoluissem, si meâ negligentiâ, tantorum Galliæ siderum radiata nomina, his ex tabulis excidissent, quæ cælo iam infixa manent, solúmque hoc (in quo dudum, vt gemmæ nitentes gratiæ multiplici decore, emicuerunt,) benignis aspectibus perpetua amicitia contuentur, ac iuuant communis præsidij opitulatione. Etenim vt encomia illorum nihil frequentiùs quàm Franciam resonant, sic merita eorumdem, Franciam præcipuè attollunt & tuentur. Qua & ratione nec illos præterire innominatos licuit, qui è Gallia, ad extremas orbis terræ oras excurrentes, faces diuini luminis (cuius igne ardebant,) ad mentes exterorum populorum felici incendio inflammandum, vbique circumtulerunt. At eos è vestigio secutus, in patrium solum reductare studui: trophæáque ipsa quæ quocumque loco sibi pepererunt, imò Christo, Ecclesiæ, & patriæ vbicumque erexerunt, sollicitè perquisita & collecta, hoc in Gazophylacium (hoc est in ipsum Galliæ sinum) reuexi, quatenus debita ipsis hinc redderetur gloria, & elapsum nostræ genti decus horum discessu, felici hoc quamquam tardiori eorumdem regressu, Galliæ nostræ, cuius natiua sunt germina, magno illius decoramento, ac commodo nostro, restitueretur. Vnde non est, quòd Lector signata hoc in Gallicanæ Ecclesiæ Martyrologio, exterorum locorum indicia demiretur. Nec enim hac in conscriptione, Sanctos dumtaxat qui Galliam natalibus suis clarificârunt commemorare sum aggressus: at sicuti eos qui aliunde, in eam, geruli superni luminis aduenerunt, studiosè complexus sum: sic, qui hinc quocumque terrarum prosiluerunt, ad diuinæ glorificationi seruiendum, & mortalium sempiternam felicitatem procurandum, diligenter inuestigatos, huic catalogo triumphantium beatorum Galliæ athletarum, congruo cuique die & loco adscripsi. Et hoc quidem non ideo vt Gallia, spirituales suas opes, hoc tam in copioso thesauro miraretur: déque tam ingenti numero beatorum suorum alumnorum (per quos cæteris gentibus tot subsidiis dudum profuit, tótque titulis etiamnum iisdem præcellit) superbiret. At potiùs vt hinc haberet, quo, dierum antiquorum recordata, quibus Sanctorum myriades sibi, orbi terrarum, cælóque ipsi pariebat: iam vicem suam doleat, & præ defectu antiquæ pietatis, quam amor sæculi ferè extinxit, de sua sterilitate erubescat, salutaríque suffusa pudore, spiritum salutis rursus concipiat, ex tot speculorum cælestium contemplatione: quorum accensa felicissimis irradiationibus, species rediuiuas ex sancta imitatione omnium virtutum hauriat; maximè verò fidei puræ, spei sanctæ & perfectæ charitatis, Deo, Angelis, & hominibus (in quorum oculis olim velut Paradisus speciosior in liliis suis quàm Salomon in omni gloria sua effloruit,) gratia superna irrorata influxu, viua germina parturiat.

TOPOGRAPHIA
SANCTORVM GALLIÆ.

IN QVA,

Relatis primùm prouinciis, vrbibus, oppidis, ac locis de quibus in hoc Martyrologio fit mentio: ſingulis deinde, Sanctorum nomina, quibus inclaruerunt, ſubnectuntur.

A



BRINCÆ,
Ægyptus,
Ærenſis Inſula,
Affligemium cœnobium,
Africa,
Agatha,
Agaunum Monaſterium,
Agenuum Nitiobrigum,
Albanum,
Albeceum Reiorum,
Albenacum,
Albia,
Albuconum,
Aldemburgum,
Aletnum,
Aletha,
Alexandria Armenia,
Alna Monaſt.
Aloſtum,
Alſatia,
Alta-cumba Monaſt.
Altemontanum cœnob.
Altum villare Monaſt.
Ambaſia caſtrum,
Ambianum,
Amblaua,
Anagnia,
Andaunum Monaſt.
Andana, vel Andoenna,
Andegauum,
Andelahenſe Monaſt.
Andeliacum,
Andoenna, vel Andana,
Anderlacum,
Angeliacum, ſeu Angeriacum Monaſt.
Aniana aſceterium in Septiman.
Aniana Monaſt. in Occitania,
Anglia.
Aninſula Monaſt.
Anitium Vellaunorum, ſeu Podium.
Antiochia,
Antrum cœnobium,
Antuerpia,
Apamia,
Aprilıacus vicus,
Apta Iulia,
Aqua Auguſta, ſeu Tarbella.
Aquila,
Aquilina ſylua,
Aquiniacum,
Aquiria Monaſt.
Aqua prope Traiectum,
Aqua in Aquitania,
Aquæ Sextiæ,
Aquiſcinctium,
Aquiſgranum,
Aquitania,
Arauſio,
Arceya,
Archiacum,
Area,
Arelatum,
Aretium in Tuſcia,
Argentonium Caſtrum,
Argētoratum, ſeu Strasburg. in Alſatia,
Argentoratum in Aquitania,
Artacus vicus,
Armorica, ſeu Britannia Minor.
Arteſia,
Aruernia,
Aſſur in Syria,
Athenæ in Græcia,
Attrebatum,
Atura, ſeu Adura,
Auaricum Biturigum,
Audomari Fanum,
Auenio,
Auenionetum,
Auga cœnob.
Auguſta Taurinorum.
Auguſta Tricaſtinorum,
Auguſta Prætoria,
Auguſta Viromanduorum,
Auguſtodunum Æduorum,
Aurea Vallis cœnob.
Aurelia,
Auriniacum Monaſt.
Auſcium, ſeu Auguſta Auſciorum.
Autiſſiodorum,
Azotum in Syria.

B

BAIOCÆ,
Baiona,
Balmenſe Monaſt.
Baſilea ad Rhenum,
Bauaria,
Beccum cœnobium,
Betfortia in Anglia,
Begorra Caſtrum,
Belgium,
Beliſia in Hasbania,
Belliſcum,
Bellouacus,
Belna in Æduis,
Belna in Vaſtino,
Bercetum.

Berga.
Bertinianum asceterium.
Bethania.
Beueria.
Bezua.
Bigorritanus tractus.
Binchium.
Bisuntium, seu Vesuntio.
Biterra.
Biturica, siue Auaricum Biturigum.
Blanderatum.
Blangiacum.
Blania.
Blesa.
Bobium.
Bolonia.
Bona-Vallis cœnob. apud Carnut.
Bona-Vallis Monast. apud Viennam.
Bortum oppidum.
Boxtella.
Bracara.
Brana.
Bratuspansium Bellouacorum.
Breda.
Briga, seu Phara Monaster.
Brincola.
Brioci-fanum.
Brinata.
Bronium.
Bruga.
Bruxella.
Bryla.
Burdigala.
Burgidolense Monast.
Burgundia.

C

CABELLIO Cauarum.
Cabilo in Æduis.
Cadomum.
Cæsarodunum, seu Turonis.
Cainonium oppidum.
Calcaria in Clyuta.
Caluimontium.
Camberiacum.
Camberonna.
Cameracum.
Campania.
Canigonum.
Cantumerula.
Carcassio.
Carnutum, seu Autricum Carnutum.
Carobrya apud Bituriges.
Carpentoractum.
Casa-Dei.
Cassinum Archimonast.
Castellio.
Castrilocus.
Castromontium.
Castrum Saracenum.
Castrum Theodorici.
Cantazarum.
Cathalaunum.
Catuna Chinensium.
Caturcum.
Caua Monasterium.
Cella S. Gisleni.
Cenomani.
Centula.
Centum-cella.
Charitas Monast.
Chalcedone.
Cheseriacum cœnobium.
Chimacum.
Cicestria.
Cisonium.
Cistercium.
Claraualls.
Claromontium Aruernorum.
Cluniacus.
Colonia.
Compendium.
Comynium.
Condomium.
Confluentia apud Treuirens.
Consteranum.
Constantia ad Rhenum.
Constantia in Normania.
Corbolium Castrum ad Sequanam.
Corbeia Francica.
Corbiniacum Monast.
Corduba.
Corisopitum.
Cotyaum in Phrygia.
Crispiniense Monast.
Cussiacum cœnobium.

D

DANIA.
Danaiacum.
Dauentria.
Delphis.
Desiza ad Ligerim.
Dia, seu Augusta Colonia.
Diensium Vocontiorum.
Dinia Santiorum.
Dionanum.
Dionysiopolis.
Disibodi mons.
Diuio.
Dolense Manast. seu Burgidolense.
Dolum Diablintum.
Dononium.
Dordracum.
Dronerium.
Duacum.
Dunense Castrum.
Duna in Flandria.
Durenum.
Durocortum Remorum.
Dystanum cœnobium.

E

EBREDVNVM.
Ebroica.
Egmunda.
Eikense Monast.
Einsedelia.
Elnense Monast.
Elnonense cœnob.
Elozatium ciuitas.
Elsta.
Engolisma.

F

FAVERNACVM.
Ferrariarum Monast.
Ferentinum in Hernicis.
Firmitas-Monast.
Firmitas Milonis.
Fiscanum asceterium.
Fisciacum.
Flauiniacum.
Floriacense Monast.
Florinense cœnob.
Floriopolis.
Fontanella Monast.
Fontanetum Monast.
Fons-Ebrardi Monast.
Forum-Iulij.
Fossa.
Fribarum in Sabinis.
Friburgum.
Frigidus mons.
Frisia.
Frisinga.

N

NAMVRCVM.
Nannetum, vel Nanuetis.
Nantonium Castrum.
Narbo, seu Narbona.
Nauarra.
Nemansum.
Nicia.
Nigella.
Niuella.
Niuernis, seu Noniodunum.
Niuidunum, quod est ipsa Niuernis.
Nobiliacum Monast.
Nogennium apud Senones.
Nordouicus.
Normania.
Noniomum, etiam Noniodunum.
Nouiodunum, quod est Niuern. & Noutomum.
Nouocomium.

O

OIRSCHOTIVM.
Oliuetanum Monast.
Ouhania apud Namurcum.
Orpium.
Osca in Hispania.
Osnaburgum.
Ostium.
Ostracha.
Oxonium.

P

PARISII, seu Lutetia Parisiorum.
Partiniacum.
Paula in Calabria.
Pequigny pagus.
Perona.
Perpinianum.
Perusium.
Petracorij, seu Vesunna Petracoriorum.
Phrygia.
Pictauia.
Pinciacus pagus.
Pisa in Tuscia.
Pistorium in Etruria.
Pithiueris oppid. Aurelian. d.
Poblerum in Catalaunia.
Põpeiopolis, seu Pampilonia.
Põtasia, corrupte Pont-Isara.
Ponty fanum, seu Cimellum Temeriarum.
Pontiuus ager.
Pontiniacum Monast.
Porta Angelica Monast.
Posnania in Polonia.
Pramonstratum.
Praga.
Primuliacum.
Prumia cœnob.
Pruuinum Castrum.
Pulteria ad Sequanam.
Pyrenai montes.

Q

QVINTINOPOLIS, seu Augusta Viromand.

R

RACEBVRGVM.
Radoliense Monast.
Rameya.
Ratensis Insula.
Ratispona, seu Reginoburgũ.
Rauenna.
Reate.
Redones.
Remi, seu Durocortum Remorum.
Reomeuse cœnobium.
Ressa in Clivia.
Rheneuse oppid.
Richarij fanum, seu Monast. Centulla.
Ricomagus in Aruernis.
Riuoli.
Riui vel Riuena.
Roda.
Rodulphi Castrum.
Roma.
Romandissa.
Romanum Monast. & oppid.
Romaricus mons.
Rothornacum.
Rotomagus.
Rua.
Ruremunda.
Rutena.

S

SAGIVM in Normania.
Salernum.
Salina in d. Vesontion.
Salmarium.
Salutia.
Samos.
Sancti-Galli-fanum.
Sanctis in Hannonia.
Santonum, seu Mediolanum Xantonum.
Sarlatum.
Sauigniacum Monast.
Scotia.
Seduuum ad Rodanum.
Sempigamia cœnobium.
Senona, seu Senonis, seu etiã Agendicum Senonum.
Septimania.
Seriacus pagus.
Sezanna.
Siluanectum.
Siluiniacum.
Sistaricum, vel Sigistericum.
Solemniacum Monast.
Soliacum ad Ligerim.
Solodorum.
Sonegia.
Spoletum.
Stabuletum Monast.
Stampa.
Suessio.
Surrentum Picentinorum.
Sylua Cotia.
Sylua Maior.

T

TARASCVM.
Tarbia.
Tarentasia.
Tarruana, seu Teroana in Morinis.
Telo Martius, seu Telonium.
Tempseca.
Thena.
Thoraltum.
Ticinum, seu Papia.
Toletum.
Toleia apud Treuiros.
Tolosa.
Tornacum Neruiorum.
Tornodorum.
Traiectum ad Mosam.
Treca, seu Augusta Trecarum.
Trecora in Armorica.
Tremonia.
Treuiris, seu Augusta Treuirorum.

Tricastria, seu fanum sancti Pauli Tricastinorum.
Trudonopolis.
Truncinium.
Tullum Leucorum.
Tomba Mons.
Tunetum.
Tungri.
Turonis, aliàs Cæsarodunum Turonum.
Tyrus in Tuscia.

V

V*ALCELLENSE cœnobium.*
Valciodorum Monast.
Valencena.
S. Valerici cœnob.
Vallis Rosarum.
Vallis Florida.
Vallis Cella Monast.
Vandopera cœnob.
Vapingum.
Varena.
Vasatum.
Vascenta.
Vasio Vocontiorum.
Vastinium d. Senon.
Vaurum in Gall. Narbon.
Vcetica.
Vencia, seu Vintium Nerusiorum.
Venetum in Armorica, seu Minori Britannia.
Vercella.
Vernonum, seu Vernonium.
Vesuntio, aliàs Bisuntium.
Vezeliacum Monast.
Vicentia.
Vicum in Lotharingia.
Vicus Iria.
Vicus Iulij.
Vienna Allobrogum.
Vigantum inter Montes Cemennicos.
Villarium Monast.
Vindocinum.
Vintonia.
Virdunum, aut Viredunum.
Viridis Vallis.
Viromandui.
Vitis schola cœnob.
Viuarium.
Vltraiectum, seu Traiectum ad Rhenum.
Vogesus Mons.
Volua.
apud Vrbem veterem.
Vrsetum.
Vrsicampus.
Vticense Monast.
Vtinum in Carnis.
Vuelsa.
Verda.
Vvintheronia.
Vulcassinum.
Vvormatia.
Vvormholtanum Monast.

X

X*ANTIS in Cliuia.*

Z

Z*AMBECA in Hannonia.*
Zamora in Hispania.



TOPOGRAPHIA
SANCTORVM GALLIÆ.

A



BRINCIS & in agro:

Vitalis Abbas. 7. *Ianuarii.*

Seuerus Episcopus Confessor. 1. *Februarij.* 7. *Iulii,* & 18. *Septembris.*

Paternus Ep. Conf. 16. *Aprilis.* Scubilio inclosus. 16. *Aprilis.*

Andreæ Apostoli Patroni translatio. 9. *Maij* natalis 30. *Nouembris.*

Tanchridus Lucernæ præpos. 6. *Iunii.*

Autbertus Episc. Conf. 18. *Iunii.*

S. Michaëlis Archangeli in suo Monasterio de monte Tumba in periculo maris, apparitio percelebris. 29. *Septembris.* 16. *Octobris.*

Pientia V.M. 11. *Octobris.*

In ÆGYPTO.

Iustus Lugdun. Episcopus Confessor. 2. *Septembris.*

Petrus cognomine Thomas Ep. M. *in Supplem.* 6. *Ianuarij.*

AERE Insula.

Philibertus Abbas. 1249

AFFLIGEMIENSI cœnobio d. Cameracens.

Radulphus Monachus. 30. *Aprilis.*

In AFRICA.

Thyrsius M. *in Supplem.* 30. *Ianuarii.*

AGATHÆ in Gallia Narbonensi.

Andreæ Apostoli antiqui Patroni translatio. 9. *Maii.*

Florentia Matrona M. 20. *Iunii.* 10. *Nouembris.*

Tiberius M. 20. *Iunij.* 10. *Nouembris.*

Modestus M. 20. *Iunij.* 10. *Nouembris.*

Andreæ Apostoli Patroni antiqui Ecclesiæ Agathensis Natalis. 30. *Nouembris.*

Seuerus Abbas. *in Supplem.* 25. *Augusti.*

Stephani Protomart. nouique Patroni Ecclesiæ Agathensis festiuitas. *in Supplemen.* 26. *Decembris.*

Tiberius, Modestus & Florentia MM. 1250

In AGAVNENSI Monasterio in Sedunorum finibus.

Vilicantus Episc. Conf. 14. *Aprilis.*

Ambrosius Abbas Conf. 2. *Nouembris.*

Innocentij M. translatio. *in Supplem.* 17. *Iunij.*

Mauritius, Exuperius, Candidus, Innocentius MM. & socij 6666. milites Thebæi. 22. *Septembris.*

Victor M. 22. *Septembris.*

AGEÆ.

Cosmas & Damianus MM. 27. *Septembris.*

AGENNI NITRIOBRIGVM.

Vincentius M. 2. *Iunij*

Primus M. 2. *Iunij.*

Felicianus M. 2. *Iunii.*

Vincentius II. Episc. M. 9. *Iunii,* & *in Suppl.* 9. *Iunii.*

Fides V.M. 6. *Octobris.*

Caprasius Episcopus Mart. 6. & 20. *Octobris.*

Primus M. 6. *Octobris.*

Felicianus. 6. *Octobris.*

Martyres quingenti. 6. *Octobris.*

Dulcissimus Episcop. Confess. 17. *Octobris.*

Aduinus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 4. *Februarij.*

Heruæus Maluais Presb. Societatis IESV. *in Suppl.* 21. *Februarij.*

Phœbadius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 25. *Aprilis.*

Fedebertus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 27. *Iulii.*

Dulcedius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 6. *Octobris.*

Maurinus M. *in Supplem.* 25. *Nouembris.*

Eutichius M. *in Suppl.* 26. *Nouembris.*

Colonus Conf. *in Supplem.* 1. *Decembris*

Vincentius Leuita, postea Episc. M. 1248

ALBANI Galliæ Narbon. oppido.

Senator Confessor. *in Supplem.* 26. *Septembris.*

ALBECI REIORVM.

Prosper dictus Aquitanicus Episc. Confessor. 25. *Iunii,* & *in Suppl.* 24. *Nouembris.*

Faustus Episc. 28. *Septembris,* & *in Supplem.* 16. *Ianuarii.*

Thecla V.M, Patrona. 23. *Septembris.*

Maximus Episc. Conf. 27. *Nouembris,* & *in Supplem.* 29. *Septembris.*

ALBENACI in solo Viuariensi.

Iacobus Salisius Societatis IESV Presbyt. M. *in Suppl.* 7. *Februarii.*

Guilielmus Salthamochius Societatis IESV M. *in Supplem.* 7. *Februarii.*

ALBIÆ in Aquitania.

Theodefridus Ep. Conf. 26. *Ianuarii.*

Eugenius Episcopus M. 13. *Iulij,* & *in Supplem.* 6. *Septembris*: ac 1. *Ianuarij in Append.*

Saluius Ep. Conf. 10. *Septembris.*

Vincentij Leuitæ & M. inuentio. 27. *Octobris.*

Ioannes Michaël Episcopus. *in Append. pag.* 1226
Flotus Dynasta. *in Catal. pag.* 1237
Albioi Episc. translatio. 1248

In ANDELAHENSI Monasterio.

Richardis Augusta, Francorum Regina Virgo. *in Supplem.* 18. *Septembris.*

ANDELIACI ad Sequanam d. Rotomag.

Clotildis Regina. 3. *Iunii.*
Spatius Martyr. *in Supplemento* 10. *Nouembris.*

ANDOENNÆ.

Begga Vidua. 7. *Iulii.* 17. *Decembris.*

ANDERLACI prope Bruxellam.

Guido Conf. 12. *Septembris.*
Vvonedulphus Sacerdos Diaconus. *in Catalog. pag.* 1243

ANGELIACI Monast. in Aquitania d. Santonensis.

Ioannes Bapt. 24. *Februarii.* 24. *Iunii.* & 29. *Augusti.*
Reuerentianus Monachus Conf. *in Suppl.* 12. *Septembris.*

ANIANÆ in Septimania.

Benedictus Abbas Conf. 12. *Februarii.*
Vvidemanus Eremita. *in Catalogo pag.* 1243

ANIANÆ Monasterio in Occitania.

Susceptio reliquiarum Sanctorum Innocentium. *in Suppl.* 29. *Decembris.*

In ANGLIA.

Felix Ep. Conf. 8. *Martii.*
Hildutus Conf. *in Append. pag.* 1225

ANISVLÆ in agro Cenom.

Carilefus P. Eremita. 1. *Iulii.*
Sigirannus Archimandrita Aninsulæ Confessor. 4. *Decembris.*
Suuardus Abbas. *in Catal. pag.* 1242

ANITII VELLAVNORVM, seu apud vetus Podium Vellaunicum.

Saluatoris circumcisi præputium adoratur. 1. *Ianuarii.*
Agripanus Ep. M. 1. *Februarii.*
Paulianus Ep. Conf. 14. *Februarii.*
Marcellinus Ep. Conf. 7. *Iunii.*
Margareta V. 20. *Iulii.*
Georgius Ep. Conf. 9. *Nouembris.*
Antonij Paduani commemoratio. *in Suppl.* 13. *Iunii.*
Notarius M. *in Suppl.* 13. *Iunii.*
Domoinus puer Mar. cum 30. sociis. *in Suppl.* 16. *Iulii.*
Tertullini Presbyteri & Martyr. reliquiarum susceptio & veneratio. *in Supplement.* 4. *Augusti.*
Laurentij M. susceptio & veneratio brachij. *in Suppl.* 10. *Augusti.*
Marcellus Episcopus Mart. *in Supplement.* 11. *Septembris.*
Bernardus Abbas Monsaluiensis Conf. *in Suppl.* 9. *Octobris.*
Festum sacrarum reliquiarum sanctæ Ecclesiæ Anitiensis, seu Podiensis. *in Supplem.* 8. *Nouembris.*

Euodius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 12. *Nouembris.*
Scrutarius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 12. *Nouembris.*
Hermentarius Episcopus Confessor. *in Suppl.* 12. *Nouembris.*
Aurelius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 12. *Nouembris.*
Benignus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 12. *Nouembris.*
Suaerius Episcopus Confessor. *in Supplement.* 12. *Nouembris.*
Sauinus Confess. *in Append. pag.* 1231.
Vila mulier deuota. *in Catal. pag.* 1243

ANTIOCHIÆ.

Lucianus Presb. M. 7. *Ianuarii.*
Ignatius Episc. M. 1. *Februarii.*
Antiochena Petri Cathedra. 22. *Februarii.*
Margareta V. M. 20. *Iulii.*
Gelduinus miles. *in Catal. pag.* 1237

ANTRO Monasterio in ostio Ligeris.

Hermelandus I. Abbas Conf. 25. *Martii.*
Guichardus Episc. M. 24. *Iunii.*
Martyres innumerabiles. 24. *Iunii.*

ANTVERPIÆ.

Harebrandus Abbas Conf. 7. *Ianuarii.*
Vvlmarus Abbas. 15. *Aprilis.*
Vvalburgis V. 1. *Maii.*
Odelbertus M. 21. *Octobris.*
Gosuuinus Abbas. 27. *Decembris.*

APAMIÆ in Aquitania.

Antoninus P. M. 2. *Septembris.*
Aotooinus, Anicetus, & Formus. 1249

Prope APAMIAM in Gall. Narbonens.

Volusianus Episcopus Mart. 18. *Ianuarii in Supplem.*

APRILIACO VICO In Aquitania.

Domninus puer M. cum 30. sociis. *in Supplem.* 16. *Iulii.*

APTÆ IVLIÆ.

Anna Christi auia. 26. *Iulii.*
Castor Episc. Conf. 21. *Septemb.* & *in Suppl. præcipuè ead. die.*
Augia M. *in Suppl.* 14. *Maii.*
Auspicius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 2. *Augusti.*
Martianus Abbas. *in Suppl.* 25. *Augusti.*
Amanruesius Conf. *in Suppl.* 6. *Octobris.*
Theodoritus M. *in Suppl.* 23. *Octobris.*

AQVÆ AVGVSTÆ, seu Tarbellæ.

Vincentius Aquensium Apost. M. *in Supplem.* 19. *Aprilis.*

AQVILÆ in Italia.

Ioannes Bassandus Burgundus, Cœlestinus ascetа Parisiensis. *in Supplemen.* 25. *Augusti.*

In AQVILINA SYLVA d. Carnoten.

Arnulphus Turon. Ep. M. 18. *Iulii.*

AQVINIACI in d. Ebroicensi.

Maximus Episc. M. 25. *Maii.*
Venerandus Diacon. M. 25. *Maii.*

INDEX SANCTORVM GALLIÆ

Salomon Dux M. 23. *Iunii.*
Albigeon M. 23. *Iunii.*
Elbinus Diaconus Conf. 29. *Octobris.*
Mandetus Abbas Conf. 20. *Nouembris.*
Iudicael ex regulo Monachus. 16. *Decembris.*
Conuoio Abbas Conf. 28. *Decembris.*
Candelohecus P. Mon. 28. *Decembris.*
Lohemellus Mon. 28. *Decembris.*
Vincatonus Mon. 28. *Decembris.*
Gildas Abbas Conf. *in Suppl.* 29. *Ianuarii.*
Ydultus Conf. *in Suppl.* 12. *Martii.*
Meuenius, aliàs Mainus Abbas Confessor. *in Supplem.* 15. *Iunii.*
Similianus Abbas Tauracensis Conf. *in Suppl.* 17. *Iunii.*
Ansolus Mon. Conf. *in Suppl.* 22. *Iunii.*
Clandelohecus Conf. *in Append. pag.* 1235
Leonorius Episcopus Confessor. *in Suppl.* 1. *Iulii.*
Columbinus Sotrensis Abbas Conf. *in Suppl.* 13. *Septembris.*
Isacius Conf. *in Append. pag.* 1226
Lohemellus Eremita. *in Catal. pag.* 1239
Modocus ex principe Monachus. *in Catalog. pag.* 1240
Vincatonus Eremita. *in Catal. pag.* 1243
Vulfredus Eremita. *in Catal. pag.* 1243
Helibertus Anachoreta. *in Catal. pag.* 1237
Ingenocus Conf. *in Catal. pag.* 1238
Kadonocus. *in Catal. ibid.*

In ARTESIA.

Ioannes Moochiacenus. 24. *Iunii.*

ARVERNIS, *Vide sub titulo*, Claromonte Aruernorum.

In ASSVR Syriæ ciuitate.

Iacobus de Aucona miles Machabæus Christianus. 7. *Septembris.*

ATHENIS.

Dionysius Areopag. Episcopus Martyr. 3. *Octobris.*
Gislenus Episc. Conf. 9. *Octobris.*

ATTREBATI & in diœcesi.

Popo Abbas Conf. 25. *Ianuarii.*
Liefardus Cantuar. Episc. M. 4. *Februarii.*
Vedastus Episcopus Confessor. 6. *Februarii.* 15. *Iulii*, & 30. *Septembris.*
Vindicianus Episcopus Conf. 11. *Martii.*
Hidulphus Episc. Confess. 19. *Maii.* 20. *Maii.* & 31. *Augusti.*
Ragnulphus M. 27. *Maii.* 9. *Nouembris.*
Saturnina V. M. 4. *Iunii.*
Ioannes Monach. 24. *Iunii.*
Maximianus Conf. 27. *Iunii.*
B. Mariæ miraculum perenne. 30. *Iunii.*
Bertha Abbatissa. 4. *Iulii.*
Sigalo Abbas Clarismaresci. 4. *Iulii.*
Pacificus Abbas Landiensis. 10. *Iulii.*
Iacobi Apostoli maioris dicti veneratio brachij. 25. *Iulii.*
Godescalcus Episc. 7. *Augusti.*
Berthilia Virgo. 14. *Septembris.* 8. *Octobris.*
Leodegarius Episcopus Augustodun. Mart. 2. *Octobris.*

Vulganius Conf. 2. *Nouembris.*
Ragnulfus M. 9. *Nouembris.*
Chillenus Episc. Conf. 13. *Nouembris.*
Petrus Episcopus. 18. *Decembris.*
Hildemarus Abbas. 25. *Ianuarii in Suppl.*
Theodoricus Rex Francorum. *in Supplem. pag.* 1242

ATVRÆ, seu ADVRÆ in Vasconia.

Quiteria Virg. Mar. *in Supplementum* 22. *Maii.*

AVARICI BITVRIGVM.

Vide Bituricis.

AVDOMAROPOLI in Flandria.

Simeon Bertinianus Abbas. 4. *Februarii.*
Folquinus Episc. Conf. 7. *Iunii.*
Audomarus Episc. Patron. 8. *Iunii.* 9. *Septembris.*
Fredigandus Conf. 17. *Iulii.*

AVENIONE.

Pontius Abbas Conf. 26. *Martii.*
Petrus de Luxemburgo Confess. 9. *Aprilis.* 5. *Iulii.* 5. *Iulii.*
Ludouicus Episcopus Tolos. Conf. Canonizatus. 11. *Aprilis.*
Benedictus XII. Papa. 25. *Aprilis.*
Agricolus Episc. Conf. 2. *Septembris.*
Dominæ N. de Donis honorificatio. 8. *Octobris.*
Cæsaria V. 8. *Decembris.*
Vrbanus V. Papa. 19. *Decembris.*
Benedictus Episc. Conf. *in Suppl.* 14. *Aprilis.*
Cæsar Busius Sacerdos. *in Supplemento* 15. *Aprilis.*
Veredemus Episcopus Confess. *in Supplement.* 17. *Iunii.*
Ioannes Colious Cœlestinorum Prior in Auenion. Monast. *in Append. pag.* 1226
Veredemus Episc. Conf. *in Append. pag.* 1232
Magnus Episc. Conf. *in Catal. pag.* 1239

AVENIONETI prope Tolosam.

Vide, Tolosæ.

AVENNÆ Cœnobio d. Catalaun.

Bertha Abbatissa M. 1. *Maii.*
Gunthertus M. 1. *Maii.*

AVGÆ Cœnobio in Normania.

Laurentius Dublinens. Episcopus Confessor. 14. *Nouembris.*

AVGVSTÆ Taurinorum.

Mauritius M. & socij. 22. *Septembris.*
Aduentor M. 20. *Ianuarii in Supplem.*
Solutor M. 20. *Ianuarii in Supplem.*
Octauius M. 20. *Ianuarii in Supplem.*

AVGVSTÆ Tricastinorum.

Torquatus Episc. Conf. *in Suppl.* 5. *Februarii.*
Goselinus Abbas. *in Suppl.* 10. *Februarii.*
Iuliana Matrona. *in Suppl.* 10. *Februarii.*
Besulius M. *in Supplem.* 8. *Decembris.*
Iulianus M. *in Suppl.* 8. *Decembris.*
Martinianus & socij. *in Suppl.* 9. *Decembris.*
Sindonis Dominicæ funeralis adoratio. *in Suppl.* 4. *Maii.*
Vrcius Episc. Conf. 1247.

AVGVSTÆ PRÆTORIÆ.

Bernardus Archidiaconus. *in Supplement.* 15. & 16. *Maii.*
Eustachius Episc. Conf. 16. *Ianuarii in Suppl.*
Dedicatio maioris Ecclesiæ. *in Suppl.* 24. *Augusti.*

Argentatius Monach. Conf. *in Append. p.* 1118
Heloysia Dynasta, *in Catal. p.* 1237
Leodebodus Abbas, *in Catal. p.* 1238

AVRINIACI Monast. ad Æsiam amnem.

Benedicta Virgo Martyr, 6. & 8. *Octob.*

AVSCIIS, seu Augustæ Ausciorum.

Macarius Conf. 2. *Ianuarij.*
Orientius Ep. Conf. 1. *Maij.*
Paternus, Seruandus, Optatus, & Pompodianus, 1. *Maij.*
Patern. Episc. 1. *Maij.*
Seruand. Episc. 1. *Maij.*
Optatus Episc. 1. *Maij.*
Pompodianus Ep. 1. *Maij.*
Ceracius Ep. Conf. *in Suppl.* 24. *Aprilis.*
Frisius Martyr, *in Suppl.* 24. *Iunij.*
Mera Virgo M. *in Suppl.* 20. *Iuly.*
Thaurinus I. Elusæ Episcopus Conf. *in Suppl.* 5. *Septemb.*
Natiuitas beatiss. Virginis Mariæ Ausciis & Carnuti proprio titulo colitur, *in Suppl.* 8. *Septemb.*
Austindus Ep. Conf. *in Suppl.* 25. *Septemb.*
Deuota electa, *in Suppl.* 26. *Septemb.*
Doda Virgo, *in Suppl.* 28. *Septemb.*
Leothadius Ep. Conf. *in Suppl.* 23. *Octob.*
Cyrillus, Quideus, Leuo, Afrodisius Martyres, & Benedictus Conf. 1248

AVTISSIODORI.

Germanus Ep. Conf. 6. *Ianuarij.*
Raynerius Abb. 28. *Februarij.*
Optatus Ep. Conf. 2. *Martij.*
Vigilius Ep. M. 11. *Martij.*
Milo Abbas, 25. *Martij.*
Tetricus Ep. M. 16. *Martij.*
Palladius Ep. Conf. 10. *Aprilis.*
Mammertinus P. 20. *Aprilis.*
Martianus P. 20. *Aprilis.*
Herbaldus Ep. Conf. 25. *Aprilis.*
Amator Ep. Conf. 1. *Maij.*
Carcodemus Diac. M. 4. *Maij.*
Antonius M. 4. *Maij.*
Cœlestinus M. 4. *Maij.*
Iouianus Lector. 5. *Maij.*
Felix M. 6. *Maii.*
Valerius M. 6. *Maii.*
Eladius Ep. Conf. 8. *Maii.*
Vigilius Ep. M. 11. *Martii.*
Marcellianus Ep. Conf. 13. *Maii.*
Peregrinus I. Ep. M. 16. *Maii.*
Vallus P. Conf. 21. *Maii.*
Romanus Abb. Conf. 22. *Maii.*
Priscus M. cum sociis plurimis. 26. *Maii.*
Censurius Ep. Conf. 10. *Iunii.*
Simplicius Ep. Conf. 24. *Iunii.*
Heirus Conf. 24. *Iunii.*
Angelelmus Ep. Conf. 7. *Iulii.*
Theodosius Ep. Conf. 17. *Iulii.*
Ætherius Ep. Conf. 27. *Iulii.*
Vrsus Ep. Conf. 30. *Iulii.*
Germanus Ep. Conf. Taumaturgus. 31. *Iulii.*
Maurinus Ep. Conf. 4. *Augusti.*
Hugo Ep. Conf. 10. *Augusti.*
Eleutherius Ep. Conf. 16. & 26. *Augusti.*
Angarius Ep. Conf. 25. *Septemb.*
Allodius Ep. Conf. 28. *Septemb.*
Fraternus Ep. M. 29. *Sept. & in Suppl.* 30. *Octob.*
Germani Ep. Conf. Thaumaturgi translatio. 1. *Octob.*
Firmatus Diaconus. 5. *Octob.*
Flauiana V. 5. *Octob.*
Romanus Ep. Conf. 6. *Octob.*
Hugo Ep. 10. *Octob.*
Alanus ex Ep. Monachus. 14. *Octob.*
Galtherus Ep. M. 15. *Octob.*
Desiderius Ep. Conf. 27. *Octob.*
Droctoaldus Ep. Conf. 8. *Nouemb.*
VVlferius Mon. Conf. 11. *Decemb.*
Gregorius Ep. Conf. 19. *Decemb.*
Iulianus M. *in Suppl.* 3. *Febr.*
Mamertinus Abb. Conf. *in Suppl.* 30. *Martii.*
Heribaldus Ep. Conf. *in Suppl.* 25. *Aprilis.*
Valens Prætor M. & eius socius anonymus. *in Suppl.* 21. *Maii.*
Vigilij Ep. & M. corporis susceptio. *in Suppl.* 26. *Iunii.* & translatio. 26. *Iulii.*
Laurentij M. susceptio reliquiarum. *in Suppl.* 20. *Augusti.*
Dionysius M. *in Suppl.* 8. *Octobris.*
Faustinus M. *in Suppl.* 8. *Octobr.*
Saturnus P. Conf. *in App. p.* 1231
VValdaricus Abb. *in App. p.* 1233
Acharius Abb. *in App. p.* 1234
Aunarius Ep. Conf. *in App. p.* 1234
Marcus P. 1250
Marcus Ep. Conf. 1248
Gregorius Ep. Conf. 1252
Marsus P. Conf. *in Catal. p.* 1240
Matthæus pater S. Iustini. *in Catal. p.* 1240

apud AZOTVM in Syria.

Philippus ord. Minorum Sacerdos M. *in Suppl.* 13. *Iuny.*

B

BAIOCIS, & in agro.

Contestius Ep. Conf. 19. *Ianuarij.*
Renobertus Ep. Conf. 16. *Maij, & in Suppl.* 2. *Septemb.*
Manueus Ep. Conf. 28. *Maij.*
Exuperius I. Ep. Conf. 1. *Augusti.*
Reuerentius P. Conf. 12. *Septemb.*
Lupus Ep. Conf. 25. *Octob.*
Vigor Ep. Conf. 1. *Nouemb.*
Spasius M. 9. *Nouemb.*
Gerebaldus Ep. Conf. 7. *Decemb.*
Zeno Conf. *in Suppl.* 2. *Septemb.*
Gerboldus Ep. Conf. *in Suppl.* 7. *Decemb.*
Geretianus Ep. Conf. *in Suppl.* 7. *Decemb.*
Euro Abbas. *in Suppl.* 29. *Decemb.*
Patricius Ep. Conf. *in Catal. p.* 1240
Rufinianus Ep. Conf. *in Catal. p.* 1241
Stephanus P. *in Catal. p.* 1242

BAIONÆ, seu apud Castrum Lampurdensium.

Leo Ep. M. 3. *Martii.*
Philippus M. 3. *Martij.*
Geruasius M. 3. *Martij.*

in BALMENSI Monasterio d. Vesuntionensis.

Euticius Abbas. 13. *Ianuarij.*

BASILEÆ ad Rhenum.

Raebo Augustod. Ep. Conf. 5. *Decemb.*

In BIGORITANO tractu.
Sabinus Conf. *9. Octobris.*
Iulianus Diaconus Conf. *9. Octobris.*
Siluanus Diaconus Conf. *9. Octobris.*

BINCHII iuxta montes Hanoniæ.
Amoluinus Episc. *7. Februarij.*
Vrsmarus & cæteri SS. Abbates Laubienses transl. lati. *2. July. & in Suppl. 20. Iunij.*
Amalberga Vidua. *10. Iuly. & in Supplem. 10. Juny.*
Vrsmari Conf. & aliorum Sanctorum translatio. *in Supplem. 2. Octobris.*

BINGÆ in Belgio.
Robertus Confess. *15. May.*

BISVNTII, *vide*, sub titulo Vesuntione.

BITERRIS.
Aphrodisius Episcopus Mart. *22. Martij. & in Supplem. 28. Aprilis.*
Cyrippus M. *in Supplem. 30. Aprilis.*
Agapius M. *in Supplem. 30. Aprilis.*
Eusebius M. *in Supplem. 30. Aprilis.*
Setena V. *in Supplem. 14. Septembris.*
Dedicatio Ecclesiæ Aphrodisij M. *in Supplem. 23. Septembris.*
Mariani Episc. Confess. translatio. *in Supplem. 25. Septembris.*
Guirandus Episcopus Confess. *in Supplem. 5. Nouembris.*

BITVRICIS: siue Auarici Biturigum, & in territorio.
Guilielmus Episcopus Confess. *10. Ianuarij. & 7. May.*
Stephanus Episc. *13. Ianuarij.*
Sulpitius Pius Episc. Conf. *15. Ianuarij, 17. & 27. Augusti.*
Genulphus Caturc. Ep. Conf. *17. Ianuarij.*
Sulpitius Seuerus Ep. Conf. *29. Ianuarii.*
Ioanna Franca Valesia. *4. Februarij.*
Austregisillus Episcopus Confess. *25. February. 20. Maij.*
Vulfandus Episc. Conf. *31. Martij.*
Augulphus Episc. Mart. *16. Aprilis. 22. May. 20. Iunii.*
Goarinus Episc. *16. Aprilis.*
Desiderius Ep. Conf. *8. Maij.*
Palladius Ep. Conf. *10. May.*
Palladius alter Episc. Conf. *10. Maii.*
Eustadia V. *10. Maii.*
B. Mariæ Dolensis miraculorum celebritas. *31 Maii.*
Anastasius M. *11. Iunii.*
Marcellus M. *11. Iunii.*
Abraham Pratea Abbas. *16. Iunii.*
Rodulphus Ep. Conf. *21. Iunij.*
Itherius Ep. Conf. *25. Iunij.*
Laurianus Episc. M. *4. Iuly. & in Supplem. eadem die.*
Gerontius Archiepiscopus. *7. Iulii.*
Menulphus Ep. Conf. *12. Iulii.*
Arcadius Episc. Conf. *1. Augusti.*
Patroclus Abbas Conf. *1. Augusti.*
Mariani duo Eremitæ. *19. Augusti.*
Henricus Archiep. Card. *13. Septembris.*
Siluinus Conf. *23. Septembris.*
Augustus P. Conf. *7. Octobris.*
Opio P. Conf. *12. Octobris.*
Ambrosius Episc. Conf. *16. Octobris.*
Desiderius P. Conf. *19. Octobris.*
Dulcardus Abbas Conf. *25. Octobris.*
Genitus Conf. *29. Octobris.*
Lusor puer. *4. Nouembris.*
Vrsinus Episcopus Confessor. *9. Nouembris. 29. Decembris.*
Phaletrus P. Conf. *13. Nouembris.*
Eusichius Eremita. *17. Nouembris.*
Robertus Abbas domus Dei. *19. Nouembris.*
Segirannus Abbas Conf. *4. Decembris.*
Benoara electa. *4. Decembris.*
Luciæ V. M. susceptio capitis. *13. Decembris.*
Philippus cognomento Berruier Episcopus. *9. Ianuarii in Suppl.*
Satyrus M. *in Supplem. 5. Martii.*
Vrsini Episc. translatio. *in Suppl. 14. Iunii.*
Syluanus Petri discipulus (is idem fortè cuius ille meminit in calce 1. epist.) *in Supplem. 22. Septembris.*
Faustæ Virginis translatio. *in Supplement. 11. Octobris.*
Iustus M. *in Suppl. 3. Nouembris.*
Nathanaelis Christi discipuli natalis. *in Suppl. 9. Nouembris.*
Eusichius Conf. *in Suppl. 25. Nouembris.*
Euphrasia Virg. sacra & regia. *in Append. pag. 1223*
Paterna electa. *in App. pag. 1228*
Satyrus Conf. *in Append. pag. 1231*
Augustus Abbas. *in Append. pag. 1234.*
Deodatus Mon. M. *in App. pag. 1235*
Leucadius Senator. *in Catal. pag. 1239*
Patroclus Abbas Conf. *in Catal. pag. 1240*
Probatianus Episc. *in Catal. pag. 1241*
Seuitianus II. Episcopus Confessor. *in Catal. pag. 1242*
Treiecius Abbas. *in Catal. pag. 1243*
Eucus Episc. Conf. *1248*
Lusor puer. *1250*

BLANDERATI in agro Nouariensi.
Serenus Episcopus Massil. Conf. *in Supplem. 1. Augusti.*

BLANGIACI in Arthesia.
Bertha Abbatissa. *4. Iulii.*

BLAVIÆ in Aquitania.
Romanus Presb. Conf. *24. Nouembris.*
Presbyteri duo sancti at anonymi. *in Append. pag. 1229*

BLESIS in d. Carnutensi.
Launomarus Abbas Conf. *19. Ianuarii.*
Deodatus Leuita Abbas. *24. Aprilis.*
Soleonis Episc. Conf. *24. Septembris.*

BOBII in Liguria.
Columbanus Abbas Conf. *21. Nouembris.*

BOLONIÆ in Morinis.
Ida Comitissa. *13. Aprilis.*
Godoleua M. *6. Iulij.*
Vulmarus Abbas Conf. *20. Iuly.*
Petrus Abbas Conf. *30. Decembris.*
Imaginis miraculosæ SS. V. Mariæ susceptio. *in Append. pag. 1227*

In BONÆVALLIS Cœnobio d. Carnutens.
Simplicius Monachus. *1. Martii.*
Petrus Abbas. *7. Martii.*

Spurus Abbas Conf. *16. Jan. in Supplem.*

CABILONE in Æduis.

Lupus Ep. Conf. *27. Ianuarii. 29. Augusti.*
Agricola Episc. Conf. *17. Martii.*
Goutramnus Rex. *28. Martii.*
Siluester Ep. Conf. *30. Aprilis.*
Tranquillus Ep. Conf. *30. Aprilis, etiam in Suppl.*
Marcellus P.M. *4. Septembris.*
Valerianus M. *15. Septembris.*
Enemundus cognomine Dalfinus Episc. M. *28. Septembris.*
Agricola Episc. Conf. *20. Nouembris.*
Desideratus Pr. Conf. *20. Nouembris.*
Ioannes Episc. Conf. *in Supplem. 30. Aprilis.*
Flauius Ep. Conf. *in Supplem. 30. Aprilis.*
Gilbodus Episc. Conf. *in Suppl. 12. Iunii.*
Geruasius Diaconus Mart. *in Supplement. 5. Iulii.*
Lupi Ep. Conf. festiuitas. *in Suppl. 27. Augusti.*
Gratus Episc. Confess. *in Supplem. 8. Octobris.*
Florentius Episc. Conf. *in Supplem. 17. Octobris.*
Veranus Episc. Conf. *in Supplem. 20. Octobris.*
Latronus laicus. *in Catal. pag. 1238*

CADOMI in Normania.

Lanfrancus Cantuar. Archiepisc. *in Supplem. 3. Iulii.*

CÆSARODVNI Turonum.

Vide, Turonis.

CAINONE oppido sub Metropoli Turonensis.

Maximus P. Conf. *20. Augusti.*
Ioannes Presb. Conf. *23. Februarii.*

CALCARIÆ in Cliuia.

Henricus Presb. Carthusianus. *in Supplem. 20. Ianuarii.*

Apud CALVVM Montem.

Honoratus ordinis Capucinorum Asceta. *26. Septembris.*

CAMBERIACI in Sabaudia.

Bonifacius Episcopus Bellic. Confessor. *in Supplem. 14. Iulii.*

CAMBERONNÆ in Hannonia.

Daniel Abbas. *20. Ianuarii.*

CAMERACI.

Adelbertus Episc. Conf. *15. Ianuarii.*
Autbertus Episcopus Confessor. *24. Ianuarii. 21. Martii.*
Vindicianus Episc. Conf. *11. Martii.*
Henricus Decanus. *29. Martii.*
Aibertus Inclusus. *7. Aprilis, & 2. Maii.*
Visinarus Episc. Confess. *18. Aprilis.*
Radulphus Mon. Affligem. *30. Aprilis.*
Gandulphus M. *11. Maii.*
Thomas Cantapritensis. *13. Maii.*
Quinibertus Monachus. *18. Maii.*
Radulphus Abbas Conf. *30. Maii.*
Nicolaus Abbas Conf. *30. Maii.*
Gislenus Episc. Conf. *1. Iunii.*
Sulpirius Episcop. Conf. *1. Iunii.*
Leocadia V.M. *1. Iunii.*
Drogo Conf. *21. Iunii.*
Landelinus Abbas. *15. Iunii.*
Domitianus Conf. *22. Iunii.*
Lietbertus Episc. *23. Iunii.*
Vindicianus Ep. Conf. *25. Iunii.*
Gaugericus Episcopus Confessor. *11. Augusti. 24. Septemb.*
Maurus P.M. *22. Augusti.*
Hiltrudis V. *17. Septembris.*
Valeria V. *8. Octobris.*
Polena V. *8. Octobris.*
Olla V. *9. Octobris.*
Odo Episcopus. *9. Octobris.*
Dodo Conf. *27. Octobris.*
Ermelindis V. *29. Octobris.*
Maxellendis V.M. *13. Nouembris.*
Autbertus Episc. Conf. *13. Decembris.*
Vvalunbertus Abbas Conf. *30. Decembris.*
Garembertus Abbas sanctæ Mariæ Bocuensis. *31. Decembris.*
Liebertus Episcopus. *in Suppl. 22. Iunii.*
Ioannes Episc. Conf. *in Suppl. 5. Augusti.*
Rolandus Ep. Conf. *in Suppl. 13. Octobris.*
Sarius P. Conf. *in Supplem. 13. Nouembris.*
Odo Binæ spei Abbas. *in Append. pag. 1228*
Gaugerici Episc. depositio. 1249

In CAMPANIA.

Medardus Mon Moiensis. *8. Iunii.*
Amphisius Confessor. *in Supplem. 21. Aprilis.*
Helena V.M. *in Supplem. 1. Augusti.*

CANIGONI in Parpinianensi Comitatu.

Galdricus Tolosan. Confessor. *in Supplemento 16. Octobris.*

CANTVMERVLÆ in d. Trecensi.

Serenus Confessor. *in Supplem. 2. Octobris, & in Corollario eadem die.*

CARCASSIONE.

Guido Episc. *10. Augusti.*
Guimerras Episcopus Confessor. *in Supplem. 13. Februarii.*
Hilarius Episc. Conf. *in Suppl. 3. Iunii, & in Coroll. eadem die.*
Valerius Episc. Conf. *in Suppl. 3. Iunii.*
Lupinus Conf. *in Coroll. 4. Maii.*

CARNVTI, aliàs Autruci Carnutum, & in diœcesi:

Malardus Ep. Conf. *15. Ianuarii.*
Launomarus Abbas Conf. *19. Ianuarii.*
Gaufridus Episcopus. *25. Ianuarii.*
Gilduinus Episcopus. *27. Ianuarii. 18. Martii.*
Adiutus Abbas Conf. *27. Ianuarii.*
Ignatius Episc. Mart. *1. Februarii.*
Arnoldus Abbas. *6. Februarii.*
Solina V. *13. Martii.*
Peregrinus M. *16. Maii.*
Emanus Mart. *16. Maii.*
Desiderius Episc. M. *19. Maii.*
Quiteria V.M. *22. Maii.*
Caraunus M. *28. Maii.*
Auitus Abbas Conf. *17. Iunii.*
Arnulphus Episc. M. *18. Iulii.*
Christianus Monachus. *27. Iulii.*
Betharius Ep. Conf. *2. Augusti.*
Leobinus Ep. Conf. *15. Septembris.*
Matthæi Apostoli & Euang. veneratio verticis. *21. Septembris.*
Solennis Episc. Conf. *24. Septembris.*
Sergij & Bacchi MM. susceptio reliquiarum. *7. Octobris.*
Solina V.M. *17. Octobris.*
Caletricus Episc. Conf. *7. & 8. Octobris.*
Aduentinus Episc. M. *31. Decembris.*
Martyres, Carnuti innumerabiles. *31. Decembris.*

Tenestina

Teneſtina V. 26. *Auguſti.*
Victurius Epiſc. Conf. 1. *Septembris.*
Berteuuinus M. 8. *Septembris.*
Almirus Abbas Confeſſor. 11. *Septembris.*
Principius Epiſc. Conf. 16. *Septembris.*
Berarios Epiſc. Conf. 17. *Octobris.*
Boamirus P. Conf. 3. *Nouembris.*
Conſtantius P. Conf. 1. *Decembris.*
Philippus de Luxemb. Cardin. Epiſc. *in Suppl.* 22. *Iunii.*
Bertrandus Epiſcopus Confeſſor. *in Supplem.* 30. *Iunii.*
Bertigrannus Epiſc. *in Append. pag.* 1235
B. Gaufredus de Loduno Epiſcopus; Carthuſiauorum Monaſterij de Parco non tam inſtaurator quàm fundator, apud quos ſepultus ſe viuere poſt mortem miraculis crebris oſtendit: quibus & ſanctitatis anteactæ vitæ, prodit merita, & confluentibus ægris medetur. Omiſſus eſt, qui ſignari debebat. 3. *Auguſti.*
Innocentius Epiſc. Conf. *in Catal. pag.* 1238

CENTVLÆ in Ambianis.

Angilbertus Abbas Confeſſor. 18. *Februarii,* & *in Suppl. ipſo die.*
Getuinus Abbas Conf. 1. *Martii.*
Richardus I. Abbas Conf. 26. *Aprilis.*
Madegeſilus Mon. Conf. 30. *Maij.*
Richarius Abbas Confeſſor. 26. *Aprilis,* & 9. *Octobris.*
Germinus Abbas Conf. *in Supplem.* 24. *Martii,* & 17. *Aprilis.*
Cadocus P. Conf. *in Append. pag.* 1210

CENTVMCELLIS in Tuſcia.

Secundianus, Verianus & Marcellianus MM. 9. *Auguſti.*

In CHARITATIS Monach. ad Ligerim.

Gerardus Confeſſ. 6. *Decembris.*

CHALCEDONE in Bithynia.

Euphemia V. M. 16. *Septembris.*

CHESERIACI Cœnobio.

Lambertus Abbas. 22. *Auguſti.*

CHIMACI in Hannonia.

Priſca V. M. 18. *Ianuarii.*

CICESTRIÆ in Anglia.

Richardus Epiſc. Conf. *in Supplem.* 3. *Aprilis.*

CISONII in Tornac. territorio.

Arnulphus M. 28. *Ianuarii.*
Euerardus Dux Foroiul. Conf. 22. *Decembris.*

CISTERCII.

Bernardus Abbas. 1. *Ianuarii.*
Hoſtradus Monachus. 3. *Ianuarii.*
Galtetus Abbas. 20. *Ianuarii.*
Albericus Abbas. 26. *Ianuarii.*
Alanus Monachus Conuerſus. 30. *Ianuarii.*
Chriſtianus Monachus. 5. *Februarii.*
Robertus Prior. 27. *Februarij.*
Henricus Dux. 9. *Martii.*
Chriſtianus Epiſc. 18. *Martii.*
Ioannes Abbas. 25. *Martii.*
Euſtachius Mon. 27. *Martii.*
Petrus Abbas. 27. *Martii.*
Robertus I. Abbas Conf. 28. *Martii.*
Stephanus Abbas Conf. 17. *Aprilis.*
Bernardus Monachus. 17. *Aprilis.*
Iacobus Abbas. 18. *Aprilis.*
Martyres pluſquam centum. 6. *Maii.*
Raynaldus Abbas. 15. *Maii.*
Guilielmus Abbas. 19. *Maii.*
Guido Cardinalis. 20. *Maii.*
Petrus Monachus. 1. *Iunii.*
Felix Mon. 23. *Iunii.*
Albericus Abbas Conf. 10. *Iulii.*
Ioannes Abbas. 12. *Iulii.*
Henricus Abbas. 19. *Iulii.*
Alexander Abbas. 29. *Iulii.*
Ioannes Mon. 18. *Auguſti.*
Humbelina V. ſoror S. Bern. 21. *Auguſti.*
Bonifacius Abbas. 21. *Septemb.*
Arnaldus Abbas. 24. *Septembris.*
Conradus ex Abbate Cardinalis. 30. *Septembris.*
Odo Mon. 6. *Octobris.*
Dedicatio Eccleſiarum vniuerſi ordinis in honorem ſemper Virginis glorioſæ Deiparæ Mariæ. 17. *Octobris.*
Guilelmus Abbas. 28. *Nouembris.*
Rufinus Abbas. 30. *Nouembris.*
Hugo ex Duce aſceta. *in Catal. pag.* 1238

CLARÆVALLIS in diœceſi Lingonenſi.

Godefridus Prior. 15. *Ianuarij.*
Henricus contractus. 19. *Ianuarij.*
Bonifacius Conuerſus. 2. *Februarii.*
Galdricus Monachus. 17. *Februarii.*
Odo Monachus. 17. *Februarij.*
Silnanus Monachus. 18. *Februarij.*
Deſiderius Conuerſus. 24. *Februarii.*
Andreas Monach. 26. *Februarij.*
Hugo Monach. 1. *Martij.*
Gerardus Pater S. Bernard. 5. *Martij.*
Radulphus electus Epiſcop. Lugd. 5. *Martij.*
Iulianus Monach. 11. *Martij.*
Conſtantius Conuerſus. 16. *Martij.*
Conradus Conuerſus. 17. *Martij.*
Emebertus Monachus. 19. *Martij.*
Raynaldus Monachus. 30. *Martii.*
Gerardus Monachus. 2. *Aprilis.*
Andreas Monachus. 5. *Aprilis.*
Guilielmus Abbas M. 8. *Aprilis.*
Eſchillus primas Daniæ. 10. *Aprilis.*
Gauduinus Monach. 15. *Aprilis.*
Aletha S. Bern. mater. 19. *Aprilis.*
Galtherus Conuerſus. 8. *Maij.*
Petrus Conuerſus. 10. *Maii.*
Petrus Monach. 18. *Maii.*
Clemens Monachus. 21. *Maii.*
Tezelinus Monach. 23. *Maii.*
Guilielmus Monach. 23. *Maii.*
Goduninus ex medico Monach. 24. *Maii.*
Vatherius ex milite Monach. 8. *Iunii.*
Guido Monach. 12. *Iunij.*
Gerardus Monach. 13. *Iunii.*
Valtherus Monach. 15. *Iunii.*
Conſtantinus Mon. Pœnitens. 21. *Iunii.*
Robertus Conuerſus. 7. *Iulii.*
Henricus Cardinalis. 14. *Iulii.*
Balduinus Abbas Reatinus. 15. *Iulii.*
Arnoldus Monach. 16. *Iulii.*
Marcellinus Monach. 20. *Iulii.*
Benedictus Monach. 21. *Iulii.*
Bartholomæus Prior. 3. *Auguſti.*
Anſulfus Monach. 7. *Auguſti.*
Laurentius Conuerſus. 10. *Auguſti.*
Monachorū beatorū 500. cōmemoratio. 12. *Aug.*

CLAROMONTE ARVERNORVM.

Iuuenalis M. susceptio reliquiarum. *in Suppl. 23. Februarii.*
Maximinus Episcopus Confess. *in Supplem. 23. Februarij.*
Alexander Conf. *in Suppl. 31. Maii.*
Marius Eremita. *in Suppl. 8. Iunii.*
Sauinus & Cyprianus fratres Mon. honorantur repositi in Monast. Casæ Dei. *in Suppl. 12. Iulii.*
Præiecti M. translatio. *in Supplem. 12. Iulii.*
Frambaldus Eremita. *in Suppl. 16. Augusti.*
Auitus senior Episcopus Confess. *in Supplem. 20. Septembris.*
Amabilis Abbas. *in Supplem. 19. Octobris.*
Vitalis & Agricolæ MM. susceptio reliquiarum ex Bononia. *in Supplem. 4. Nouembris.*
Namatius Episcop. *in Supplem. 4. Nouembris.*
Anonyma vxor sancti Namatij. *in Supplem. 4. Nouembris.*
Pardulphus Abbas. *in Append. pag.* 1228
Portianus Abbas Conf. *in Append. pag.* 1229
Pentasius reclusus. *in Append. pag.* 1229
Sacra titulis sanctitatis insignis. *in Append. pag.* 1231
Segolena sanctitatis honoribus conspicua. *in Append. pag.* 1231
Sancti Martyres nescitur an Confessores Claromonte sepulti in Ecclesia sancti Veneraudi, numero 62nn. memorantur. *in Append. pag.* 1231
Adaltrudis Vidua. *in Append. pag.* 1233
Adiutor Maxentius. *in Append. pag.* 1233
Apollinaris Episc. *in Append. p.* 1234
Antonius Conf. *in Append. p.* 1234
Benignus Episc. *in Append. p.* 1234
Durandus Episc. *in Append. p.* 1235
Eparchius Episc. *in Append. p.* 1236
Frigio P. *in Catal. p.* 1237
Genesius Senator. *in Catal. pag.* 1237.
Legontius, seu Leogontius Episcop. Confessor. *in Catal. pag.* 1238
Leubella Matrona. *in Catal. p.* 1239
Mametus discip. sancti Austremonij. *in Catal. p.* 1239
Papianilla filia auiti Impar. *in Catal. pag.* 1240
Pegontius Conf. *in Catal. p.* 1240
Raco Episc. Conf. *in Catal. p.* 1241
Sirenatus Confess. *in Catal. p.* 1241
Vrbicus Sacerdos. *in Catal. p.* 1243
Marius Abbas. *p.* 1247
Geraldus Conf. 1250

CLVNIACI in agro Matisconensi.

Berno Abbas. *13. Ianuarii.*
Gelasius II. PP. *29. Ianuarii.*
Valtherus Mon. Conf. *7. Aprilis.*
Theogerus Episc. Conf. *22. Aprilis.*
Hugo Magnus Abbas Confess. *29. Aprilis, & 13. Maii.*
Maiolus Abbas. *11. Maii.*
Morandus Mon. *3. Iunij.*
Petrus de Bono Mon. *4. Iunii.*
Clementis PP. Mart. veneratio capitis. *27. Iulij.*
Vrbanus II. PP. *29. Iulii.*
Guillermus P.M. *20. Septembris.*
Teutonius Abbas Confess. *13. Septembris.*
Aymardus Abbas. *5. Octobris.*
Gerardus Conf. *13. Octobris.*
Petri & Pauli App. veneratio. *25. Octobris.*
Commemoratio omnium fidelium defunctorum Cluniaci primùm à S. Odilone instituta, hincque vniuersam per Ecclesiam propagata. *2. Nouembris.*
Consortia Virg. *13. Martii. 22. Iunii, & 16. Nouembris.*
Clementis I. PP. Mart. veneratio capitis. *13. Nouembris.*
Toussanus Prior. *25. Nouembris.*
Bernardus Mon. *19. Decembris.*
Petrus Venerabilis. *25. Decembris, & in Suppl. 26. Decembris.*
Gregorius Mon. *25. Decembris.*
Geraldus Mon. *25. Decembris.*
Benedictus Mon. *25. Decembris.*
Gaufredus Mon. *25. Decembris.*
Radulphus Mon. *25. Decembris.*
Marcelli PP. & Mart. veneratio reliquiarum. *16. Ianuarij in Supplem.*
Lanzo Monach. Conf. *in Supplem. 1. Aprilis.*
Vvaltherius Monachus Confess. *in Supplem. 7. Aprilis.*
Hermannus ex Marchione Monachus. *in Suppl. 25. Aprilis.*
Reliquiarum Sanctarum susceptarum apud Cluniacum commemoratio. *in Suppl. 18. Septemb.*
Hieronymi P. Doctoris Ecclesiæ susceptio capitis. *in Supplem. 30. Septembris.*
Pontius Abbas. *in Supplem. 30. Decembris.*
Geraldus Prior Cluniacensis. *in Append. pag.* 1223
Gotbefredus Monach. *in Append. pag.* 1224
Gregorius Monach. *in Append. p.* 1224
Hezelo Monach. *in Append. p.* 1225
Michaël Monachus. *in Append. p.* 1227
Tezelinus Monachus. *in Append. p.* 1231
Benedictus Monachus. *in Append. p.* 1234
Gaufredus Monach. *in Catal. p.* 1237
Frotmundus Monach. *in Catal. p.* 1237
Gerardus Monach. *in Catal. p.* 1237
Gregorius Monach. *in Catal. p.* 1237
Radulphus Monachus. *in Catal. p.* 1241
Raynaldus Monach. *in Catal. p.* 1241

COLONIÆ & in Diœcesi.

Aldricus Monachus. *9. Februarii.*
Agilolphus Episcop. M. *31. Martii.*
Hermannus dictus Iosepb. *9. Aprilis.*
Christina V. *15. Aprilis.*
Agilophus Episcopus M. *9. Iulii.*
Eunaldi duo PP. MM. *3. Octobris.*
Vrsula cum sodalibus VV. M. *21. Octobris.*
Cordula V.M. *22. Octobris.*
Seuerinus Episc. Conf. *23. Octobris.*
Euergislus Episc. M. *24. Octobris.*
Noitburgis V. *31. Octobris.*
Albertus Magnus. *15. Nouembris.*
Tres Reges qui Christum in cunabulis adorauerunt. *in Supplem. 6. Ianuarii.*
Gasparis Regis singulare festum. *11. Ianuarii in Supplem.*
Antonina V.M. *18 Ianuarii in Suppl.*
Valerius M. *in Supplem. 14. Februarij.*
Anno, Episc. Conf. *in Supplem. 3. Martii.*
Ebregesili, seu Euergisli Episc. & M. susceptio. *in Suppl. 28. Martii.*

D

In DANIA.
Canutus Rex M. *in Catal. p. 1235*

DAVAIACI in Aruernis.
Flamina V. M. 2. *Maii.* 3. *Augusti.*

DAVENTRIÆ.
Ioannes Presb. 26. *Martii.*
Ioannes Grondius P. 7. *Iuny.*
Lebuinus P. Conf. 25. *Iunii.* 12. *Nouembris.*
Radbodus Episcopus Confessor. 25. *Iunij.* 29. *Nouembris.*
Mildreda Virg. 13. *Iulii*, & *in Supplem.* 19. *Februarii.*
Florentius Presb. *in Catal. pag 1237*

DELPHIS in Brabantia.
Gertrudis V. Ostensis. 6. *Ianuarii.*

DESIZÆ ad Ligerim in agro Niuernensi.
Arigius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 16. *Augusti.*

DIÆ, seu Augustæ Coloniæ Diensium Vocontiorum.
Marcellus Ep. Conf. 5. *Aprilis.*
Stephanus Episc. Conf. 7. *Septembris.*
Bernardus Episc. Conf. 19. *Decembris.*

DINIÆ SANTIORVM.
Antonius Episc. 23. *Septembris.*

DIONANI in d. Leod.
Perpetuus Episc. Conf. 7. *Aprilis.*

DIONYSIOPOLI.
Sugerius Abbas. 12. *Ianuarii.*
Dagobertus Rex. 19. *Ianuarii.*
Pentaleo M. 18. *Februariy.*
Osmanna Virg. 1. *Aprilis.* 9. *Septembris*, & 22. *Nouembris.*
Dionysius Corinthior. Episc. 8. *Aprilis.*
Georgius Mart. 23. *Aprilis.*
Vitus M. 13. *Iunii.*
Isaias Propheta M. 6. *Iuly.*
Robertus Rex. 20. *Iulii.*
Cucuphas M. Barcinonensis. 25. *Iulii.*
Petri & Pauli App. apparitio. 28. *Iulii.*
Dionysij & sociorum MM. apparitio. 28 *Iulii*
Laurentij M. pignorum veneratio. 10. *Augusti.*
Hippolytus Martyr. 13. *Augusti*, & *in Supplem. eodem die.*
Alexander PP. M. 3. *Maij*, & 13. *Augusti.*
Ludouicus Rex. 25. *Augusti.*
Eustachij Mart. reliquiarum susceptio. 19. *Septembris.*
Peregrini Episcopi & Mart. susceptio. 21. *Septembris.*
Simeon Sacerdos & Propheta. 8. *Octobris.*
Ponefredis V. M. 22. *Octobris.*
Secunda V. M. 22. *Octobris.*
Semibaria V. M. 22. *Octobris.*
Eustachius M. 2. *Nouembris.*
Romanus Blauiensis Pr. Conf. 24. *Nouembris.*
Thomæ Apostoli veneratio manus, qua tetigit latus Domini. 21. *Decembris.*
Osmannæ Virg. translatio. *in Supplem.* 22. *Nouembris.*

In monte sancti DISIBODI.
Iutta Virgo. *in Supplem.* 22. *Decembris.*

DIVIONE.
Paschasia V. M. 9. *Ianuarii.*
Tranquillus Abbas Conf. 15. *Martii.*
Aletha S. Bernardus. 4. *Aprilis.*
Vernerius Episc. Conf. 19 *Iulii.*
Medardi Episcopi Confess. reliquiar. susceptio. 9. *Septembris.*
Benignus Presb. Burgundiæ Apostoli Mart. 19. *Octobris.* 1. *Nouembris.*
Gregorius Episcopus Confessor. 4 *Ia*[illegible]*rii*, & 6. *Nouembris.*
Hilarius Senator Conf. 28. *Nouembris.*
Quieta vxor sancti Hilarij Senatoris. 28. *Nouembris.*
Eustadius Abbas Confessor. *in Supplem.* 3. *Ianuarii.*
Leontilla Matrona M. 9. *Ianuarii in Suppl.*
Iunilla Matrona M. 9 *Ianuarii in Supplem.*
Neon exceptor M. 9. *Ianuarii. in Supplem.*
Turbo M. 9. *Ianuarii in Supplem.*
Irento Abbas. *in Supplem.* 10. *Februarij.*
Tetricus Episc. Conf. *in Suppl.* 18. *Martii.*
Hilarij & Quietum coniugium Sanctorum repositio. *in Supplem.* 22. *Martii.*
Bertillo Abbas & M. *in Suppl.* 26. *Martii.*
Mauritius Abbas. *in Supplem.* 23. *Maii.*
Guillelmus Abbas. *in Supplem.* 7. *Iunii.*
Annæ Christi auiæ solennitas. *in Supplem.* 26. *Iulii.*
Florida V. *in Append. pag.* 1223
Saxo, seu Saro Abbas. *in Append. p.* 1231
Benigni Pr. & M. natalis. 1250

In DOLENSI, seu Burgidolensi Monast. d. Bituric.
Miraculorum beatæ Virg. Mariæ celebritas. 31. *Maii.*
Insbertus Mon. 29. *Nouembris.*
Romadus Conf. *in Supplem.* 25. *Augusti.*
Syluanus Confessor. *in Suppl.* 22. *Septembris.*

Apud DOLVM DIABLINTVM in Armorica, seu Britannia minore.
Samson Episc. Confessor. 28. *Iunii.*
Maglorius Episc. Conf. 24. *Octobris.*
Saturninus Episc. Conf. *in Supplemen.* 21. *Iulii.*
Geneuæus Ep. Conf. *in Suppl.* 29. *Iuly.*
Gorlinus Ep. Conf. *in Suppl.* 7. *Septembris.*

DONONII in Belgio.
Aldebertus Confessor. 22. *Aprilis.*
Aua Virgo. 29. *Aprilis*, & *in Append. pag.* 1234
Ragenfridis V. 11. *Iunii.* 8. *Octobris.*
Regina Monialis. 1. *Iunij.*

DORDRACI in Hollandia.
Sura V. aliàs Sorera. 10. *Februarii*

DRONERII apud Salutias.
Constantius & socij MM. *in Supplem.* 18. *Septembris.*
Victor Martyr cum sociis. *in Supplem.* 18. *Septembris.*

DVACI.
Gosslinus Abbas Confess. 19. *Ianuary*
Terentianus M. & socij. 20. *Aprilis.*
Amatus Episcopus Confessor. 28. *Aprilis.* 13. *Septembris.*
Onesimus Episcop. Conf. 13. *Maii.*
Gurdinelus Conf. 13. *Maii.*
Hostiæ tremendæ magnificentia. 16. *Iunii.*
Clotsendis V. 30. *Iunii.*

Leodebsudus Conf. *in Append. pag.1226*
Maurus M. *in Append.p.1227*
Mnnachi Msrtyres facti. *in Append. p.1127*

In FLORINENSI Mnnasterin d. Namurcens.

Msurus Presb.M. 3. *Nouembris.*

FLORIOPOLI in Aruernis.

Florus Episc. Cnnfessnr. 4.*Nouembris.*
Gsusbertus Cnnfess. *in Supplem.* 27. *Maii.*
Bernardus Abbas Cnnfessor. *in Supplem.* 27.*Maii.*

FONTANELLÆ Monasterio in d. Rntomag.

Vvlfrannus Episc. Conf. 20.*Martii.*
Erembertus Episcopus Conf. 30.*Aprilis.*
Petrus ex Gantore Paris. Mnn. 19. *Maii.*
Maximus Episc.M. 1.*Iunii.*
Venerandus Diaconus M. 1.*Iunii.*
Vvlfrannus Episcnp. iterùm. 1.*Iunii.*
Erembertus Episcopus. 1.*Iunii.*
Bainus Episc. Conf. 20.*Iunii.*
Vvandregesilus Abbas Conf. 22.*Iunii.*
Condedus Mon. 21.*Octobris.*
Cynnmarlus Moo. 21.*Octobris.*
Zacchæus Mon. 21.*Octobris.*
Ioannes Mon. 21.*Octobris*
Herblandus Mon. Cnnf. 23.*Nouembris.*
Ansbertus Abbas Cnnfess. *in Append. p.1218*
Ansigisus Abbas Conf. *in Append. p.1218*
Austrulfus Abbas Cnnfessnr. *in Append. pag.1218*
Baynus Abbas. *in Append.pag.1219*
Benignus Abbas Confessor. *in Append. p.1219*
Fulco Abbas Conf. *in Append.p 1223*
Galtherus Abbas Cnnfessor. *in Append. pag.1223*
Gardulphus Abbas Cnnfessor. *in Append. pag.1223*
Girsrdns Abbas Cnnfessnr. *in Append.pag.1224*
Hemardus Abbas. *in Append. pag.1225*
Hilebertns Abbas. *in Append. p.1225*
Hugo Abbas. *in Append. pag.1225*
Laudo Abbas. *in Append. pag.1226*
Trasarus Abbas. *in Append. pag.1232*
Vaudn Abbas. *in Append. pag.1232*

FONTANETI Mnnasterio d. Lemouic.

Maurinus Monachus. *in Supplem.* 11.*Octobris.*

In FONTIS EBRARDI Monasterio.

Rnbertus de Abruscellis. *in Correll. ad finem sub die* 30. *Augusti. pag.* 1216.
Febronia V.M. *in Suppl.* 24.*Iunii.*
Crucis Dnmini clarificatio mirabilis. *in Suppl.* 8.*Aprilis.*

FORO-IVLII in Gallia Narbnnens.

Humbertus Episcopus Confessnr. *in Supplem.* 6.*Septembris.*
Leontius Episcopus M. 1. *Decembris.*
Maxima Virgo. 1248
Lenntius Episcnpus. 1250

FOSSIS in agrn Namurcensi.

Fnillanus Episcopus M. 16.*Ianuarii.* 30.& 31. *Octobris.*
Gnbertus Cnnf. 26.*Ianuarii.*
Foillaous Episcnpus M. 3.*Septembris.*
Msrtyres tres S.Foillani socij. 30.*Octobris.*

FRIBARI in Sabinis.

Thomas I.Abb.Farfensis. *in Suppl.*30.*Septemb.*

FRIBVRGI in Heluetia.

Candida V.M. *in Suppl.*22.*Octobris.*
Flnra V.M. *in Suppl.*22. *Octobris.*

In FRIGIDI MONTIS Monasterio d. Bellnuacensis.

Thnmas indiuiduus comes S. Thomæ Cantuar. 31.*Decembris.*

In FRISIA.

Elocus Abbas M. 22. *Martii.*
Ludgerus Episcopus Conf. 26.*Martii.*
Vvillebrordus Ep. Conf. Frisnnum Apostolus. 7.*Nouembris.*
Adhelarius Erphnrdiensis Episc.M. *in Supplem.* 20.*Aprilis,* & cum sncius iterùm nntatur, 5. *Iunii.*
Vvigbertus P.M. *in Supplem.* 13.*Augusti.*
Suuibertus Frisionum & Batauorũ Apost. Conf. *in Catal pag.*1242

FRISINGÆ in Bauaria.

Corbinianus Episcopus Confessor. 8 *Septembris,* & *in Supplem.* 21. *Nouembris,*
Otto Episc. 7.*Septembris.*

FVLGINII in Vmbria.

Felicianus Episcopus M. 24.*Ianuarii.*

FVRNIS in Flandris.

Vvillebaldns Episcopus. 1 *Maii.*
Vvinebaldus Abbas. 1.*Maii.*
Vvalburga Abbatissa. 1.*Maii.* 4.*Augusti.*

FVSNIACI d.Laud.

Raynaldus Abbas. 26.*Aprilis.*
Alexander Scotiæ Princeps. 4. *Maii.*

G

GABALIS. *Vide*, Mimate Gabalorum.

In GALLIA locn, vt plurimùm, incerto.

Beandsnus Abbas Cnnf. 11. *Ianuarii.*
Paulus Apostolus, vbique celebris. 25.*Ianuarii.*
Polycarpus M. 26.*Ianuarii.*
Quadraginta MM. 9. *Martii.*
Gabriel Archangelus. 18 *Martii.*
Ambrnsius Ep. Ecclesiæ Dnctor. 4.*Aprilis.*
Raynoldus Monacbus Guillel. nrdin. 15. *Aprilis.*
Oildis V. 30.*Aprilis.*
Ioannis Euangelistæ triumphus. 6.*Maii.*
Maria Monialis ordinis Cisterc. 10. *Iunii.*
Azelins V. 10.*Iunii.*
Albsous M. Britannicus. 22. *Iunii.*
Ioannes Baptistæ celebris vbique: at maximè in locis vbi colitur tutelaris, vel vbi pignnra eius seruantur. Quæ loca nntantur in die eius natiuitatis. 24. *Iunii.*
Apostnlorum 12. diuisin. 15.*Iulii.*
Eliæ raptus commemnratur. 20.*Iulii.*
Vrsus Cnnf. 28.*Iulii.*
Leobatius S. Vrsi sncius Cnnf. 28.*Iulii.*
Stephani Protnmartiris memoria in vniuersa Gallia est percelebris. 3. *Augusti,* & 26. *Decembris.*
Transfiguratio Dnmini celebris vbique in Gallia ab antiqun. 6.*Augusti.*
Petrus de Nolasco Confessor. 10.*Augusti,* & 31.*Decembris.*

INDEX SANCTORVM GALLIÆ

HVGARDIÆ.
Oduuinus P.M. 25.*Iunii.*
In HVNONIS Curia d. Camer.
Valeria & Polena VV. 8.*Octobris.*
HIEROSOLYMIS.
Raymundus de Podio. *in Append.p.*1130
Godefridus Bullionius I. Rex recuperatæ Hierosolymæ. *in Append.p.*1130
Apud HVYVM ad Mosam d. Leod.
Iucta Vidua. 13.*Ianuarii.*
Maurus Eremita. 15.*Ianuarii.*
Petrus Eremita. 8.*Iulii.*
Oda Vidua. 23.*Octobris.*
Othilia, aliàs Odilia V. *in Supplem.* 29.*Ianuarii.*

I

IARGOLII in d. Aurelian.
Verannus Confessor. 7.*Iulii*, & *in Suppl.* 19.*Octobris.*
Honoratus Conf. 7.*Iulii.*
ICCIODORI in Aruernis.
Euonius Episc. Conf. 19.*Maii.*
IGNIACI cœnobio d. Remensis.
Nicolaus Monach. 9.*Februarii.*
Guericus Abbas. 19.*Augusti.*
Humbertus Abbas. 7.*Septembris.*
INSVLIS in Flandria.
Eubertus Episc. Conf. 1.*Februarii.*
Vitalis M. susceptio capitis. 27.*Aprilis.*
IOTRO Monasterio d. Meldansis.
Iulia V.M. 29.*Ianuarii*, & 21.*Iulii.*
Claudius Dux M. 10.*Aprilis*, & 21.*Iulii.*
Sabina V. 30.*Aprilis.*
Secundianus M. 9.*Augusti.*
Verianus M. 9.*Augusti.*
Marcellinus M. 9.*Augusti.*
Aquilberta Virg. Abbatissa. 12. *Augusti*, & 14.*Octobris.*
Ebregesillus Ep. Conf. 31.*Augusti.*
Pelagia Pœnitens. 8.*Octobris.*
Telechildis V. Abbatissa. 10. & 14.*Octobris.*
Agilbertus Episc. Parif. Conf. 11.*Octobris.*
Præiectus & Hilarius MM. 16.*Octobris.*
Balda V. Abb. 9. *Decembris.*
Pauli I. Eremitæ veneratio corporis. 10.*Ianuar. in Supplem.*
Prisci & Hilarii MM. susceptio corporum. *in Suppl.* 16.*Octobris.*
IPRIS in Flandria.
Margarita V. 20.*Iulii.*

In Monaster. sancti IVDOCI in Nemore.
Adam Abbas. *in Append.p.*1117
In IVLLIACENSI territorio.
Arnoldus Confess. 18.*Iulii.*
IVRENSI Monasterio olim S. Eugendi, nunc sancti Claudij appellato in d. Vesuntionensi.

Eugendus Abbas Confessor. 1.*Ianuarii.*
Claudus Ep. Conf. 6.*Iunii.*
Vrsicinus Monachus Confessor. *in Supplem.* 19.*Decembris.*
Ribarius Monachus Confessor. *in Supplem.* 19.*Decembris.*
Romanus Abbas Conf. 28.*Februarii.*

K

KALÆ Monasterio d. Paris.
Bathildis Regina vidua. 26. *Ianuarii.* 17. & 28.*Martii*, & 31. *Decembris.*
Hersuuida ex Regina Monialis. 23.*Septembris.*
Genesius Episc. Lugd. Confessor. 1. *Nouembris.*
Bertilia Virg. Abb. 5.*Nouembris.*
Philippus Presb. Conf. *in Suppl.* 3. *Maii.*
Hilda V. Abbatissa. *in Supplem.* 17.*Nouembris.*

L

In LÆTIENSI Monasterio in Hannonia.
Agapitus M. 18. *Augusti.*
Hiltrudis Virg. 27. *Septembris*, & *in Suppl.* 17.*Septembris.*
Goduinus Abbas. *in Append.pag.*1124
LANDERIACI in Ardnenna.
Simitrius M. *in Supplem.* 9.*Maii.*
LASCARÆ in Bearno.
Galactorius Episc. M. *in Suppl.* 27.*Iulii.*
Iulianus Episc. Confessor. *in Supplem.* 27.*Iulii.*
LATINIACI cœnobio d. Paris. ad Matronam fl.
Æmilianus Abbas Confess. 10. *Martii.*
Deodatus Ep. Conf. 2.*Iunii.*
Maldegarius Mon. 2.*Iunii.*
Fulbertus Mon. 2.*Iunii.*
Amsilio Mon. 2.*Iunii.*
Laubertus Mon. 2.*Iunii.*
Eloquius Abbas Conf. 3.*Decembris.*
Fursæus Conf. Abbas. *in Suppl.* 28.*Septembris.*
Mombolus Abbas Confessor *in Supplem.* 17.*Nouembris.*
Apud LAVALLIVM oppidum d. Cenomanensis.
Berteuuinus M. *in Suppl.* 8.*Septembris.*
Tugdualus Trecorensis Episcopus Confessor. 25.*Iunii*, & 30.*Nouembris.*
LAVBIIS, seu Lobiis.
Vlgisus Episc. Confessor. 4 *Februarii.*
Vrsmarus Episcopus Confessor. 26. *Martii*, & 2.*Aprilis.*
Hermious Episc. Confess. 2. & 25. *Aprilis*, & 1.*Iulii.*
Amalberga Vidua. 10. *Iunii*, & 2.*Iulii.*
Hidulphus Confess. 23. *Iunii.*
Amalberga V. 10.*Iulii.*
Abel Archiepisc. Rem. 5. *Augusti.*
Burchardus Episc. Vvormat. 20.*Augusti.*
Vlgisi Amoluini, Thaodulphi, Abelis & Hidulphi Antistitum & Abbatum translatio. *in Supplem.* 4.*Aprilis.*
LAVDI POMPEIÆ in Insubria.
Nabor & Felix MM. 12.*Iulii.*
In LAVDIS sanctæ Mariæ cœnobio prope Insulas in Flandria.
Ioannes I. Abbas. 20.*Iunii.*
LAVDVNO CLAVATO.
Quintinus Mart. & Cassianus Episc. Confess. 1. *Ianuarii.*
Lucas Abbas Cussi &c. 6.*Ianuarii.*
Norbertus Pat. ord. Præmonstrati 25.*Ianuarii.* 6.*Iunii.*

LAVSANÆ.

LECTORÆ & in agro ſubiscenti.

LEMOVICIS & in agro.

LENSII in Arteſia.

LEODII, ſeu Legiæ Eburonum, & in territorio.

Norgerus

Notgerus Episcopus Confessor. 10. *Aprilis.*
Zeno Episc. M. 11. *Aprilis.*
Olympias & Maximus MM. 15. *Aprilis.*
Vvolboda Episc. Conf. 20. *Aprilis.*
Floribertus Episc. Conf. 25. *Aprilis.*
Turpis M. 26. *Aprilis.*
Lambertus Episc. M. 18. *Aprilis*, 17. *Augusti*, 28. *Octobris*, & 19. *Decembris.*
Euersmarus M. 1. *Maii.*
Rolendis V. 13. *Maii.*
Dioscorus Lector. 18. *Maii.*
Lambertus Episc. M. 14. *Maii*, 17. *Septemb.* 13. *Octobris*, & *in Suppl.* 28. *Iunii.*
Similrius Pr. M. 26. *Maii.*
Hubertus Episc. Taumaturgus Conf. 30. *Maii*, 6. *Septembris*, & 3. *Nouembris.*
Laurentij M. reliquiæ susceptæ. 10. *Iunii.*
Domitianus Episcopus Confessor. 15. *Iunii.*
Mongoldus Dux M. 15. *Iunii.*
Maria Oigniscensis. 23. *Iunii.*
Eua reclusa. 26. *Iunii.*
Landrada V. 8. *Iulii.*
Perrus Eremita. 8. *Iulii.*
Margaritæ Virg. Mart. susceptio reliquiarum. 13. *Iulii.*
Olbertus Abbas Confessor. 13. *Iulii.*
Claudius asceta Minimus. 7. *Augusti.*
Laurentij M. apparitio. 14. *Augusti.*
Elmerus Episcopus Confessor. 25. *Augusti.*
Remaclus Episcop. Confessor. 3. *Septembris.*
Theodardus Episcop. M. 10. *Septemb.*
Petrus M. 17. *Septembris.*
Andoletus M. 17. *Septembris.*
Monon Eremita M. 18. *Octobris.*
Elizabeth V. 19. *Octobris.*
Ioannes Abbas Alnensis cum socio M. 26. *Octob.*
Laurentij M. dedicatio Ecclesiæ & Monasterij. 3. *Nouembris.*
Simon Alnensis Abbas. 6. *Nouembris.*
Ozilia reclusa. 11. *Nouembris.*
Eugenij Episcopi Mart. susceptio reliquiarum. 15. *Nouembris.*
Albertus Episc. Leod. Card. M. 21. *Nouembris.*
Valtherus Prior Alnensis. 26. *Nouembris.*
Reginardus Episcopus. 5. *Decembris.*
Odilia Vidua reclusa. 14. *Decembris.*
Lamberti Episc. & Mart. translatio. *in Suppl.* 28. *Aprilis.*
Lambertus P. Confess. *in Suppl.* 25. *Iunii.*
Odæ Viduæ translatio. *in Supplem.* 9. *Iulii.*
Petrus M. *in Suppl.* 17. *Septembris.*
Adoletus M. *in Suppl.* 17. *Septembris.*
Nauitus Episc. Conf. *in Suppl.* 20. *Septembris.*
Marcellus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 25. *Septemb.*
Hadelini Confess. translatio. *in Supplem.* 11. *Octobris.*
Lamberti Episc. & Mart. translatio. *in Supplem.* 23. *Decembris.*

LEONII in Armorica.

Paulus Episc. Conf. 12. *Martij*, & 10. *Octobris.*
Heruæus Abbas Conf. 17. *Iunij.*
Goluoinus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 12. *Martij*, & 1. *Iulii.*
Mabbo Episc. Conf. *in Supplem.* 12. *Martij.*
Germanus Episcopus Confessor. *in Append. pag.* 1224

LERINI, seu apud Monasterium Lerinense.

Marinus Abbas Conf. 1. *Ianuarii.*
Bernarius Monachus. 2. *Ianuarii.*
Eligius Monach Conf. 15. *Ianuarii.*
Vincentius Presb. dictus Lerinensis Confess. 24. *Maii.*
Cono Abbas Confess. 29. *Maii.*
Caprasius Monachus Confessor. 1. *Iunii.*
Porcharius Abbas M. cum sociis. 12. *Augusti*, & *in Suppl.* 19. *Augusti.*
Monachi 500. Martyres. 12. *Augusti.*
Columbus Mon. 12. *Augusti.*
Aygulphus & socij MM. 3. *Septembris.*
Florentius Abbas Conf. 22. *Septemb.*
Eudo Mon. Conf. 20 *Nouembris.*
Antoninus cognom. Syrus Monachus Confess. 28. *Decembris.*
Iacobus Gastolius Mon. *in Supplem* 13. *Iulii.*
Apollinaris Monach. *in Append. pag.* 1218
Ardemius Abbas. *in Append. p.* 1218
Ebibodius Abbas Conf. *in Append. pag.* 1282
Euodius Abbas Confessor. *in Append. pag.* 1222
Ferriolus Monachus Confessor. *in Append. p.* 1223
Polemius Abbas. *in Append. pag.* 1219
Theodorius Mon. M. *in Append. pag.* 1232
Albaous Monachus cum filio. *in Append. pag.* 1233

LEXOVII in Normania.

Theodericus Abbas S. Ebrulphi. 1. *Augusti.*
Ebrulphus Abbas Vticensis. 29. *Decembris.*
Ansbertus Conf. *in Append. p.* 1217

In LEZATENSI Monasterio d. Riuorum.

Calixtus M. *in Supplem.* 27. *Augusti.*
Cyprianus M. *in Supplem.* 27. *Augusti.*
Albinus Episc. Conf. *in Supplem.* 27. *Augusti.*
Crispini & Crispiniani susceptio reliquiarum. *in Suppl.* 27. *Augusti.*

Apud LIGENOS d. Burdegal.

Macarius Episc. Confess. *in Suppl.* 1. *Maii.*
Cassianus Conf. *in Supplem.* 1. *Maii.*
Castor Conf. *in Suppl.* 1. *Maii.*

LINCOLNIÆ in Anglia.

Hugo Episcopus Confess. *in Supplem.* 17. *Nouembris.*

LINGONIS & in territorio.

Gregorius Episc. Conf. 4. *Ianuarii*, & 10. *Maii.*
Speusippus, Eleusippus, & Meleusippus MM. 17. *Ianuarii.*
Ionilla M. 17. *Ianuarii.*
Leonilla M. 17. *Ianuarii.*
Neon M. 17. *Ianuarii.*
Turbo M. 17 *Ianuarii.*
Desiderius Episc. M. 19. *Ianuarii*, & *in Suppl.* 23. *Iunii.*
Vrbanus Episcopus Confessor. 23. *Ianuarii*, & 2. *Aprilis.*
Aozrbolius Episcop. Conf. 30. *Ianuarii.*
Siluester Conf. 19. *Aprilis.*
Benigni P. & M. translatio. 26. *Aprilis.*
Robertus Abbas Molism. 29. *Aprilis.*
Gendulphus M. 13. *Maii.*
Desiderius Episc. M. 23. *Maii.*
Martyres multi. 23 *Maii.*

Rogata M. 2. *Iunii.*
Æmilia M. 2. *Iunii.*
Potamia M. 2. *Iunii.*
Pompeia M. 2. *Iunii.*
Rodana M. 2. *Iunii.*
Biblis M. 2. *Iunii.*
Quarta M. 2. *Iunii.*
Materna M. 2. *Iunii.*
Helpia quæ & Amna M. 2. *Iunii.*
Blandina M. 2. *Iunii.*
Iulia M. 2. *Iunii.*
Ausonia M. 2. *Iunii.*
Æmilia M. 2. *Iunii.*
Iamnica M. 2. *Iunii.*
Pompeia M. 2. *Iunii.*
Domna M. 2. *Iunii.*
Iusta M. 2. *Iunii.*
Trophima M. 2. *Iunii.*
Antonia M. 2. *Iunii.*
Abogardus Episcopus, 8. *Iunii.*
Aurelianus Episc. Conf. 16. *Iunii.*
Gebuinus Episcop. Confess. 18. *Iunii.*
Ioannes asceta Minim. 22. *Iunii.*
Irenæus Episc. M. 28. *Iunii.*
Martyres innumerabiles. 28. *Iunii.*
Zacharias Episc. Conf. 28. *Iunii.*
Domitianus Abbas. 1. *Iulii.*
Viuentiolus Episc. Conf. 12. *Iulii.*
Ioannes Gersonius. 12. *Iulii.*
Speratus M. 17. *Iulii.*
Iustus Episcopus Confessor. 14. *Iulii*, 13. & 14. *Octobris.*
Amicus Episc. Conf. 19. *Iulii.*
Rusticus Presb. 19. *Iulii.*
Pentaleonis capitis veneratio. 27. *Iulii.*
Peregrinus P. 28. *Iulii.*
Guicvardus Episcopus. 28. *Iulii.*
Iusti Episc. reuectio. 4. *Augusti.*
Iusti Episc. Eccles. Dedic. 5. *Augusti.*
Arigius Episc. Confess. 10. *Augusti.*
Mineruius M. 23. *Augusti.*
Eleazarus cum 8. filiis MM. 23. *Augusti.*
Vnde viginti mille Martyres. 23. *Augusti.*
Gratianus Imp. piissimus. 25. *Augusti.*
Iustus Episcop. Confessor. 2. *Septemb.*
Helpidius Episc. Conf. 2. *Septembris.*
Antiochus Episcop. Confessor. 2. *Septembris*, & 15. *Octobris.*
Ioannes ex Archiepiscopo Monachus. 6. *Septembris.*
Patiens Episcop. Confessor. 11. *Septembris.*
Bodo Episcopus Confess. 11. *Septembris.*
Albinus Episc. Conf. 15. *Septembris.*
Florentius P. Confess. 22. *Septembris.*
Lupus Episcopus Conf. 25. *Septembris.*
Enemundus Dalphinus Episcopus Mart. 28. *Septembris.*
Viator Confessor. 21. *Octobris.*
Florentius M. 27. *Octobris.*
Remigius Episcopus Confessor. 28. *Octobris.*
Genesius Episcopus Confessor. 1. *Nouembris.*
Veranus Episcopus Confessor. 11. *Nouembris.*
Eucherius senior Episcopus Confessor. 16. *Nouembris.*
Salonius & Veranus Episcopi Confessores, 16. *Nouembris.*
Eucherius Iunior Episcopus Confessor. 16. *Nouembris.*
Galla electa. 16. *Nouembris.*
Tullia V. 16. *Nouembris.*
Consortia Virg. 15. *Martii.* 22. *Iunii*, & 16. *Nouembris.*
Conceptio sanctissimæ Virginis Mariæ Lugduni in Gallia primùm celebrari cœpit. 8. *Decembris.*
Remigius Episc. Conf. 16. *Decembris.*
Raynaldus Archiepiscopus. 25. *Decembris.*
Franciscus Gen. Ep. 28. *Decembris.*
Cornelius Museus P. M. 29. *Decembris.*
Beatrix Monialis. *in Supplem.* 13. *Februarii.*
Gabini Presb. & Mart. susceptio corporis. *in Suppl.* 19. *Februarii.*
Irenæi Episcopi & Mart. releuatio. *in Supplem.* 6. *Aprilis.*
Genesius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 14. *Aprilis.*
Margarita Priorissa ordinis Cartusiani. *in Suppl.* 30. *Aprilis.*
Aurelianus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 16. *Iunii.*
Rustici Episcopi Confess. ordinatio. *in Suppl.* 19. *Iulii.*
Alinardus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 29. *Iulii.*
Dedicatio Maioris Ecclesiæ Lugdun. *in Suppl.* 15. *Septembris.*
Speratus M. *in Suppl.* 9. *Nouembris.*
Ragnebertus M. *in Corollario* 13. *Iulii.*
Africanus Episc. Conf. *in Append. pag.* 1217
Bartholomæus Texerius Prædicat. ordin. 6. General. *in Append. pag.* 1218. 1219
Etherius Lugdun. Episcopus Conf. *in Append.* p. 1222
Iacobus Gualete Minorita Sacerdos & Mart. *in Append. pag.* 1225
Miles Catholicus ab hæreticis occisus. *in Append.* p. 1225
Martinus Episc. Conf. *in Append.* p. 1227
Sanctes Pagninus ord. Prædicat. Theologus. *in Append.* p. 1231
Vmbertus V. Magnus Gener. ordin. Prædicat. *in Append.* p. 1232
Barbarinus Episc. *in Append.* p. 1234
Desiderius Episc. *in Append. pag.* 1235
Regnabertus Martyr. *in Append. pag.* 1248
Annuendus Episcopus. *in Append.* p. 1250
Iusti Episc. transitus. *Ibid.*
Viator lector. *Ibid.*
Victor Episc. p. 1251

LVSARCHIARVM CASTRO d. Paris.

Cosmæ & Damiani MM. ac Patronorum susceptio. 27. *Septembris*

LVTETIÆ PARISIORVM. *Vide*, Parisiis.

LVTOSÆ in Hannonia.

Badilo Abbas Conf. 8. *Octobris.*

In LVTRA Cœnobio d. Vesunt.

Deicola I. Abbas Conf. 18. *Ianuarii.*

LVTZEMBVRGI in Belgio.

Tertullinus Presb. & M. 4. *Augusti.*

Maurus Abbas Conf. 12. *Iunii.*
Iacobus ord. Minim. 19. *Iunii.*
Ioannis & Pauli MM. susceptio reliquiarum. 26. *Iunii.*
Victor M. 21. *Iulii.*
Alexander M. 21. *Iulii.*
Felicianus M. 21. *Iulii.*
Longinus M. 21. *Iulii.*
Deutherius M. 21. *Iulii.*
Maria Magdalena. 22. *Iulii.*
Defendens & socii MM. 2. *Ianuarii*, & 14. *Septembris.*
Isarnus Abbas Conf. 24. *Septembris.*
Ludouici Episcop. Tolos. translatio. 8. *Nouembris.*
Illidius Episc. *in Suppl.* 3. *Iunii.*
Saluianus Episc. Conf. *in Suppl.* 22. *Iulii.*
Claudius Marius Victorinus Sacer scriptor. *in Suppl.* 22. *Iulii.*
Ioannes Cassianus P. Abbas Confess. *in Suppl.* 23. *Iulii*, & *pag.* 1149
Serenis Epis. Conf. *in Suppl.* 1. *Augusti.*
Musæus P. Conf. *in Suppl.* 4. *Septembris.*
Siffredus Abbas Confessor. *in Supplem.* 12. *Septembris.*
Defendentis Matr. Inuentio. *in Supplem.* 14. *Septembris.*
Canalus Episcop. Conf. *in Suppl.* 3. *Octobris.*
Maurontus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 21. *Octobris.*
Hugo Conf. *in Suppl.* 8. *Nouembris.*
S. Andreæ Apost. veneratio crucis. 30. *Nouembr.* & barbæ. *in Suppl. eadem die.*

MATISCONE. *Vide sub titulo* Cluniaci; quia Cluniscus est in hac diœcesi.

Saluinus Episc. Confess. 10. *Septembris.*
Geraldus Episcopus Conf. *in Supplem.* 29. *Maii.*
Ricaldus Abbas Conf. *in Append. p.* 1230
Nicetus, Caledonius, Iustus, Eusebius, Decius, Momulus, Florentinus, Decius alter sanctitatis meritis, quàm rerum gestarum titulis clari, Matiscone inter Sanctos Episcopos numerantur & coluntur. Quos quia natalibus carent compertis, & historiis actorum, non potuimus in album huius Martyrologij adscribere. Hic tamen notati eluceant proxima editione aptiùs reponendi. Potuissent tamen in Appendice, nomine tenus censeri, sub proprij nominis primaria cuiusque littera aut syllaba.

MEDIOLANI.

Ambrosij Episc. Med. baptismus. 30. *Nouembris.* ordinatio. 7. *Decembris.* migratio. 4. *Aprilis.*

MEDIOMATRICVM. *Vide*, Metis.

MEDVNTÆ.

Marculphus Abbas Conf. 1. *Maii.*
Domard. Confess. 1. *Maii*, & *in Append. pag.* 1220. & 1235
Carulphus Confess. discipulus S. Marculphi. 1. *Maij*, & *in Append. pag* 1220
Helibertus discip. S. Marculphi. *in Append. pag.* 1225

MELDIS & in agro.

Iulia V.M. 19. *Ianuarii.*
Gislebertus Episc. Conf. 13. *Februarii.*
Phara V. 3. *Aprilis.*
Landricus Episcopus Conf. 17. *Aprilis.*
Vualbertus Episc. Conf. 2. *Maii.*
Hildeuertus Ep. Conf. 26. *Maii.*
Rogomerus Episcopus Confessor. 28. *Maii.*
Fiacrius Eremita Conf. 30. *Augusti.*
Agylus Resbac. Abbas Confessor. 30. *Augusti.*
Ebregesillus Episc. Confessor. 31. *Augusti.*
Sanctinus Ep. M. 22. *Septembris*, & 11. *Octobris.*
Antonius Ep. M. 21. *Octobris.*
Agilbertus Ep. Conf. 11. *Octobris.*
Celinia V. 21. *Octobris.*
Pharo Episc. Conf. 28. *Octobris.*
Phara V. Abbatissa. 7. *Decembris.*
Sethrids V. 10. *Ianuarii, in Suppl.*
Blandinus Conf. *in Suppl.* 1. *Aprilis.*
Edilburga V. Abb. *in Suppl.* 7. *Iulii.*
Earcongotha Regina, hinc Monialis & Abbatissa Brigensis, seu Eboriacensis, aliàs Pharæ Monasterij eiusdem d. Meldensis. *in Suppl.* 22. *Iulii*, & *in Append. pag.* 1236
Antonius Episc. Conf. *in Suppl.* 22. *Septembris.*
Edimia Virgo. *in Suppl.* 21. *Octobris.*
Syra V. *in Suppl.* 23. *Octobris.*
Bithildis Monialis. *in Append. pag.* 1219
Ioannes Baiardus cœnobita Cœlestinus. *in Append. pag.* 1226
Pathasius Episcopus Conf. *in Append. p.* 1228
Abobinus & Pientia sancti coniuges. *in Append. pag.* 1233
Edelberga Virgo sacra & Regia. *in Append. pag.* 1236
Maiolus Abbas. *in Catal. p.* 1239

MELDRICIS in Brabantia.

Ermelendis V. *in Suppl.* 21. *Aprilis.*

MELODVNI ad Sequanam d. Senonensi.

Aspasius Elosan. Episc. Conf. 2. *Ianuarij.*
Blasius Episc. M. 3. *Februarii.*
Valentinus Presb. M. 14. *Februarij.*
Corbinianus Frisingæ Episc. Conf. 8. *Septemb.*
Gregorij PP. Aspasij & Blasij Epp. M. Magdalenæ & Agnetis Virg. M. Inuentio reliquiarum. 22. *Septembris.*

MERBECÆ in Brabantia.

Berlendis V. 3. *Februarii.* 2. *Maii*, & 9. *Septemb.*
Nona V. 3. *February*, & 9. *Septembris.*
Celsa V. 3 *Februarii*, & 9. *Septembris.*

MESSENIS in Flandria.

Sidronius M. 3. *Iulii.*

METHONE in Achaia.

Venantius Monach. 30. *Maii.*

METIS.

Patiens Episc. 8. *Ianuarij.*
Leontius Episc. M. 15. *Ianuarii.*
Lucia V.M. 18. *Ianuarii.*
Felicianus Ep. M. 24. *Ianuarii.*
Felix Ep. 25. *Ianuarii*, & 20 *Februarii.*
Serena V.M. 30. *Ianuarii.*
Sibebertus Rex. 2. *Februarij.*
Simeon Ep. Conf. 16. & 26. *Februarij.*
Legontius Episc. Confessor. 18. *February.*
Ioannes Gorsiæ Abbas. 27. *Februarii.*
Godegrandus Episc. Confessor. 6. *Martij.*
Vrbicus Episc. Conf. 20. *Martij.*
Romanus Episc. Conf. 13. *Aprilis.*
Annas Scarsius Card. Episc. 19. *Aprilis.*

Apud MONTEM PESSVLANVM.

Rochus Conf. *16. Augusti.*
Blasij Episc. & M. susceprio capiris. *in Suppl. 3. Februarii.*

Apud MONTEM VERDVNVM in Foresio.

Porchatius Lerinensis Abbas M. cum sociis. *in Supplem. 19. Augusti.*

Apud MONTEM VESVLVM d. Taurinens.

Theophredus M. *in Suppl. 7. Septembris.*

MONTIBVS in Hannonia.

Marcellus PP. M. *16. Ianuarii.*
Aia Comitissa. *18. Aprilis.*
Vvaldetrudis Patrona translata. *18. Augusti, & 2. Nouembris.*
Ida V. *21. Nouembris.*

MORIMVNDI Cœnnbio d. Lingon.

Otto Frising. Episc. Mon. *7. & 23. Septembris.*
Petrus Abbas. *14. Septembris.*

MOLHANIÆ in finibus d. Leodiens.

Elmerus Episc. Conf. Patronus. *25. Augusti.*

MVSSIPONTI in Lotharingia.

Richardus Abbas. *30. Augusti.*

N

NAMVRCI.

Ozilia V. *3. Ianuarii.*
Foillanus Episc. M. *16. Ianuarii.*
Ioannes Abbas Grandisprati. *9. Iunii.*
Albanus M. *22. Iunii.*
Adilia V. *30. Iunii.*
Vda inclusa. *8. Septembris.*
Guibert. Conf. *23. Septembris.*
Nuntius Confessor. *10. Octobris.*
Maurus P. M. *3. Nouembris.*
Ida Monialis. *in Supplem. 29. Nouembris.*

NANNETIS in Armorica.

Bernardus Episc. *22. Martii.*
Donatianus M. *24. Maii.*
Rogatianus M. *24. Maii.*
Similianus Episc. Confess. *16. Iunii.*
Valerius P. M. *23. Iunii.*
Gnichardus Episc. Mart. cum sociis innumeris. *24. Iunii.*
Benedictus Eremita Conf. *1. Octobris.*
Francisca Ambasia. *4. Octobris.*
Felix Episc. Conf. *in Supplem. 7. Iulii.*
Paschatius Episc. Confessor. *in Supplem. 10. Iulii.*
Secundellua reclusus. *in Suppl. 1. Augusti.*
Friardus solitarius. *in Suppl. 1. Augusti.*
Victor Episcop. hinc reclusus. *in Supplem. 31. Augusti.*
Odelardus Episcopus Confessor. *in Supplem. 14. Septembris.*
Clarus Episcop. Petri discipulus. *in Supplem. 10. Octobris.*
Ennius Episc. Confess. *in Append. p. 1223*
Pascharius Episc. Conf. *in Catal. p. 1340*

NANTONIENSI CASTRO in d. Senonens.

Seuerinus Abbas Conf. *11. Februarii.*

NARBONÆ, seu Narbone, & in territorio.

Sebastianus M. *20. Ianuarii.*
Bonus Abbas M. *2. Martii.*
Petrus Mon. M. *5. Martii.*
Petrus de Castronouo. *14. Martii.*
Paulus I. Episcopus M. *21. Martii, & 12. Decembris.*
Stephanus Abbas M. *11. Aprilis.*
Ildebrandus Mon. M. *11. Aprilis.*
Theodardus Episc. Confess. *1. Maii.*
Arnaldus Archiepisc. *10. Iulii.*
Ioannes Marionius Mon. *25. Augusti.*
Rusticus Episc. Confess. *26. Octobris.*
Polycarpi Episc. & Mart. venerario. *in Suppl. 26. Ianuarii.*
Torpetis M. reliquiarum susceptio. *in Supplem. 17. Maii.*
Alexander M. *in Suppl. 6. Iunii. & 6. Iulii.*
Lucius M. *in Suppl. 6. Iunii. & 6. Iulii.*
Amandus M. *in Suppl. 6. Iunii. & 6. Iulii.*
Audaldus M. *in Suppl. 6. Iunii, & 6. Iulii.*
Felix Episcop. *in Append. p. 1236*

In NAVARRA.

Franciscus Xauier Societatis IESV P. Indiæ Apost. *2. Decembris.*
Arthemius Episcopus Pict. M. *3. Decembris.*
Raymundus Abbas fundator militiæ Calatrauæ. *in Suppl. 15. Martii.*

NEMAVSI.

Baudelius Diacon. M. *20. Maii.*
Ægidius Abbas Confess. *1. Septembris.*
Catholicorum strages, demersorum, post lethales ictus, in puteum, qui deinde puteus Sanctorum Martyrum dictus est, *in Supplem. 20. Maii.*
Sisinius Capadox Monachus sancti Ægidij discipulus. *in Append. p. 1231*
Veredemus Anachoreta. *in Catal. pag. 1243*

NICIÆ in Prouincia.

Hospitius Inclusus. *21. Maii, & 15. Octobris.*
Deiuota V. M. *27. Ianuarii in Suppl.*
Simplicia V. *in Suppl. 12. Aprilis.*
Siscrius Episc. Conf. *in Suppl. 23. Maii.*
Bassus Episcop. M. *in Suppl. 5. Decembris.*
Pontius Conf. *in Catal. p. 1241*

NIGELLÆ Monast. d. Trecensis.

Blanchardus Conf. *in Append. pag. 1219*

NIVELLÆ in Brabantia.

Gertrudis Virg. *10. Februarii. 17. Martii, & 2. Decembris.*
Pipinus Dux. *21. Februarii.*
Itta, seu Iduberga Matrona. *8. Maii.*
Foillanus Episc. M. *16. Ianuarii.*

NIVERNIS, aliâs Niuioduni.

Agricola Ep. Conf. *26. Februarii.*
Vincentius P. Conf. *13. Martii.*
Heraclius M. *17. Maii.*
Aquilinus M. *17. Maii.*
Paulus cum aliis M. *17. Maii.*
Guilielmus à S. Lazaro Ep. *21. Maii.*
Zoricus M. *4. Iunii.*
Attala M. *4. Iunii.*
Eurichius & alij MM. *4. Iunii.*
Alexander M. *6. Iunii.*
Amantius M. *6. Iunii.*
Lucius M. *6. Iunii.*
Andreas M. *6. Iunii.*
Peregrinus M. *6. Iunii.*
Cyricus & Iulitta. *16. Iunii.*

Deodatus Episcopus Confessor. 18. *Iunii.*
Patricius Eremita Conf. 24. *Augusti.*
Valerianus & socij M. 18. *Septemb.*
Macrinus M. 18. *Septembris.*
Gordianus M. 18. *Septembris.*
Eoladius Episcop. Confess. *in Supplem.* 26. *Februarij.*
Guillelmus Episc. Conf. *in Suppl.* 5. *Martij.*
Geruasij & Protasij MM. Cenomanensis & Niuernensis Ecclesiarum priscorum Tutelarium celebritas. *in Suppl.* 19. *Iunii.*
Itherius Episcopus Confess. *in Suppl.* 8. *Iulii.*
Patricius Episcopus Conf. *in Suppl.* 8. *Iulii.*
Eulalius Episcopus Conf. *in Supplem.* 8. *Iulii,* & 26. *Augusti.*
Eoladius Episc. Conf. *in Supplem.* 8. *Iulii.*
Hieronymus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 5. *Augusti.*
Arigius Episc. Conf. *in Supplem.* 16. *Augusti.*
Patricius M. *in Supplem.* 1. *Nouembris.*
Maurus Diaconus. *in Supplem.* 9. *Nouembris.*
Patricius Episc. Conf. *in Catal. pag.* 1240
Pomponia Matrona. *in Catal. p.* 1241
Sodales sancti Deodati Episc. & Eremitæ. *in Catal. p.* 1242

NOBILIACI Monasterio in Pictauia.
Iunianus Eremita Confessor. 15. *Nouembris.*
Domninus puer Mart. cum 30. sociis. *in Supplem.* 16. *Iulii.*

NIVIDVNO.
Saturninus, Zoticus & Euticus MM. 1248
Amantius, Lucius, Alexander. 1248

NOGENNII apud Senones.
Itherius Episcop. Niuern. Confess. *in Suppl.* 8. *Iulii.*

NORDOVICI in Hollandia.
Iero P.M. 17. *Augusti.*

In NORMANIA.
Clarus Monachus M. 18. *Iulij,* & 4. *Nouembris in Suppl.*
Eustachius Abbas. 12. *Octobris.*
Michaëlis Archangeli apparitio in monte Tumba. 16. *Octobris.*
Margarita Ducissa de Alençonio: hinc Monialis in pago d'Argentan sub regula Clarissarum. 2. *Nouembris.*
Iudoci Pr. Conf. susceptio corporis in Ecclesia de Parnis, subiacenti Vticensi Monasterio. 13. *Decembris.*
Anselmus Beccensis Abbas, deinde Archiepisc. Cantuariensis. *in Suppl.* 21. *Aprilis.*
Odobertus Abbas. *in Catal. p.* 1340
Osbertus Abbas. *in Catal. p.* 1340

NOVIOMI.
Godoberta V. 11. *Aprilis,* & *die* 26.
Medardus Ep. Conf. 8. *Iunii.*
Eligius Episcopus Confess. 25. *Iunii,* & 1. *Decembris.*
Enuchius Episc. Confess. 10. *Septemb.*
Odo Abbas Card. 9. *Septemb.*
Vvalstanus Vrsicampi I. Abbas. 12. *Septembris.*
Gerardus Episc. 22. *Septembris.*
Mommolenus Ep. Conf. 16. *Octobris.*
Aicharius Ep. Confessor. 27. *Nouembris.*
Ermo Ep. M. *in Supplem.* 28. *Aprilis.*
Mombolus Abbas Confessor. *in Supplem.* 18. *Nouembris.*

NOVIODVNI.
Victor M. *in Suppl.* 17. *Maii.*
Primus M. *in Suppl.* 17. *Maii.*
Heraclius M. *in Suppl.* 17. *Maii.*
Paulus M. *in Suppl.* 17. *Maij.*
Aquilinus M. *in Suppl.* 17. *Maij.*
Liberius M. *in Supplem.* 17. *Maij.*
Peregrinus M. *in Suppl.* 17. *Maii.*

NOVOCOMII.
Edmund. Aug. Societatis IESV. 19. *Iunii.*

O

OIRSCHOTIO oppido Brabantiæ.
Odulphus P. Conf. 12. *Iunii.*

OLIVETANO in cœnobio Hannoniæ.
Guillelmus Abbas Conf. 14. *Februarii.*

ONHAVIÆ apud Namurcum.
Vulbetus P.M. *in Suppl.* 23. *Iunii.*

Prope ORPIVM in Namurc. d.
Adilia V. 30. *Iunii.*

In ORPIO PAGO d. Namurc.
Adilia V. Abb. 6. *Decembris.*

OSCÆ in Hispania.
Oriantius & Patientia, sancti coniuges, parentes S. Laurentij. *in Supplem.* 4. *Maii.*
Raymundus Balbastrensis Episcop. Confessor. *in Supplem.* 21. *Iunii.*

OSNABVRGI in d. Coloniensi.
Carolus Magnus. 28. *Ianuarii.*

OSONII prope Insulas in Flandria.
Apollinaris Episc. M. 23. *Iulii.*

OSTRACHÆ in Frisia.
Bonifacius Episc. M. 5. *Iunii.*
Eobanus Episc. M. cum 20. sociis. 5. *Iunii.*

OXOMII in Hispania.
Petrus Episc. Conf. *in Supplem.* 2. *Augusti.*

P

PARISIIS, seu Lutetiæ Parisiorum, & in diœcesi.
Genouefa Virgo. 3. *Ianuarii.* 28. *Octobris.* & 10. *Nouembris.*
Agnes V.M. 21. *Ianuarii.* 18. & 20. *Aprilis.*
Vincentius Leuita Mart. 22. *Ianuarii,* & 23. *Decembris.*
Medericus Abbas Conf. 22. *Ianuarii.*
Polycarpus M. 26. *Ianuarii.*
Bathildis Regina Monialis. 26. *Ianuarii,* 17. & 28. *Martii.*
Marcus Euang. 31. *Ianuarii,* & 25. *Aprilis.*
Maurus Abbas Confess. 5. *Februarij.*
Honestus Presb. M. 16. *Februarij.*
Anna à IESV V. 4. *Martij.*
Droctoueus Abbas Confess. 10. *Martij.*
Ætoilisnus Abbas Conf. 10. *Martii.*
Dionysij & sociorum MM. I. Inuentio. 23. *Martii.*
Richardus puer M. 25. *Martij.*
Mariæ Ægyptiæ memoria. 1. *Aprilis.*
Guilielmus Abbas Conf. 6. *Aprilis.*
Euphemiæ Virg. & M. reliquiarum susceptio. 13. *Aprilis.*
Bernardus Abbas Tyron. Confess. 14. *Aprilis.*
Reginaldus ord. Præd. 18. *Aprilis.*

Fastradius Abbas Cisterc. 21. *Aprilis.*
Dionysij, Rustici & Eleutherij MM. reuelatio. 22. *Aprilis.* Inuentio. 22. *Maii.*
Ludouicus Rex. 6. *Maii*, & 25. *Augusti.*
Petrus Episc. Confess. 8. *Maii.*
Cosmas & Damianus MM. 10. *Maii*, & 27. *Septembris.*
Hippolytus M. 12. *Maii.*
Petrus Cantor Paris. 19 *Maii.*
Nicolaus Cœlestinus asceta. 23. *Maii.*
Germanus Episc. Conf. 28. *Maii*, & 22. *Iulii.*
Petrus Prouincialis Minimorum. 1. *Iunii.*
Deodatus Episc. Confess. 2. *Iunii.*
Maldegarius Conf. 2. *Iunii.*
Fulbertus Mon. 2. *Iunii.*
Amsilio Mon. 2. *Iunii.*
Laubertus Mon. 2. *Iunii.*
Thomas de Argentolio. 2. *Iunii.*
Clothildis Regina. 3. *Iunii.*
Dionysij & sociorum detectio. 9. *Iunii.*
Landericus Episc. Confess. 10. *Iunii.*
Franciscus à S. Vedasto. 11. *Iunii.*
Leufredus Abbas Conf. 21. *Iunii.*
Agoardus Aglibertus MM. & socij. 24. *Iunii.*
Martyres innumeri. 24. *Iunii.*
Babolenus Fossat. Abb. 26. *Iunii.*
Hostiæ adorandæ diuinus triumphus. 1. *Iulii.*
Guilelmus ex Duce Aquit. pœnitens. 3. *Iulii.*
Theobaldus Abbas Conf. 8. *Iulii.*
Marinæ V. reliquiarum susceptio. 17. *Iulii.*
Margarita V.M. 20. *Iulii.*
Marcellus Episcopus Confessor. 26. *Iulii*, & 1. *Nouembris.*
Ignatius P. Patriarcha Soc. IESV. 31. *Iulii.*
Iustinus puer M. 1. *Augusti.*
Ludouicus Rex nomine sextus. 1. *Augusti.*
Ionius P. Mart. 5. *Augusti*, & *in Supplem. eadem die.*
Dornicoi Coronæ spineæ adoratio. 11. *Augusti.*
Mariæ Virginis beatissimæ assumptæ in cælum & coronatæ triumphum colit pro titulo honoris Ecclesia Parisiensis. 15. *Augusti.*
Bartholomæi Apostoli veneratio brachij. 24. *Augusti.*
Audoënus Ep. Conf. 24. *Augusti.*
Ludouicus Rex Conf. 25. *Augusti.*
Georgius Diaconus Mart. 27. *Augusti*, & 20. *Octobris.*
Aurelius & Natalia MM. 27. *Augusti*, & 20. *Octobris.*
Alexander PP. III. *die* 27. *Augusti.*
Medericus Abbas Confess. 29. *Augusti*, & 2. *Septembris.*
Elizabeth Virg. soror sancti Ludouic. Regis. 31. *Augusti*, & 11. *Decembris.*
Clodoaldus P. Conf. 7. *Septembris.*
Maria du Drac Vidua. 11. *Septembris.*
Sacerdos Episc. Lugdun. Conf. 12. *Septembris.*
Exaltatio Crucis Domini Parisiis. 14. *Septemb.*
Pignora sacrosancta Christianæ redemptionis Parisiis collocata adoranda. 14. & 30. *Septembris.*
Paschasius Broëtus Soc. IESV P. 14. *Septembris.*
Euphemiæ V. & Mart. susceptio reliquiarum. 16. *Septembris.*
Eustachij Mart. susceptio reliquiarum. 19. *Septembris.*

Paxentius M. 23. *Septemb.*
Albina V.M. 23. *Septemb.*
Hersuuida ex Regina Monialis. 23. *Septemb.*
Cosmæ & Damiani MM. corporum veneratio. 10. *Maii*, & 27. *Septemb.*
Cerannius Episc. Confessor. 27 *Septemb.*
Elzearus Comes Conf. 27. *Septemb.*
Delfina Comitissa vxor Virg. 27. *Septemb.* & 26. *Nouembris.*
Ioannes Monach. Longi-Pontis. 29. *Septemb.*
Gurinus frater sancti Leodegarij M. 2. *Octobris.*
Angeli custodis festiuitas instituta Parisiis. 2. *Octobris.*
Lisbius Protomartyr Parisiensis. 4. *Octobris.*
Aurea V. Abbatissa. 4. *Octobris.*
Virgines centum & sexaginta. 4. *Octobris.*
Quintianus Abbas. 6. *Octobris.*
Eloquius Latiniaci Abbas Conf. 8. *Octobris.*
Dionysius Areopagita Episcopus, Rusticus Pr. Eleutherius Diaconus Parisiis triumphantes inclyto martyrio. 9. *Octobris.*
Martyrum Parisiensium strages immanis. 9. *Octobris.*
Larcia Matrona nobilis M. 9 *Octobris.*
Visbius Conf. 9. *Octobris.*
Agilbertus Episcop. Conf. 11 *Octobris.*
Vrsulæ Virg. & Mart. sodaliúmque veneratio. 21. & 22. *Octobris.*
Celinia V. 21. *Octobris*, & *in Supplem. die* 1.
Cordulæ Virg. & Matr. veneratio capitis. 22 *Octobris.*
Maglorius Episc. Conf. 24. *Octobris.*
Lucanus M. 30. *Octobris.*
Marcellus Ep. Conf. 1. *Nouemb.* at colitur *die* 3.
Genesius Ep. Lugdun. Conf. 1. *Nouembris.*
Eustachij M. susceptio reliquiarum. 2. *Nouemb.*
Clarus P. Mon. M. 4. *Nouembris.*
Genulphi, aliàs Gendulphi Episc. Conf. susceptio corporis. 13. *Nouembris.*
Mauri Abbas Con. susceptio. 15. *Nouembris.*
Eugenius Ep. Tolet. M. 15. *Nouembris.*
Panefredis V.M. 15. *Nouembris.*
Secunda V.M. 15. *Nouembris.*
Semibaria V.M. 15. *Nouemb.*
Guilelmus II. Paris. Ep. 23. *Nouemb.*
Seuerinus reclusus Conf. 24. *Nouemb.*
Miraculi ardentium suffragiis S. Genouefæ sanatorum commemoratio. 26. *Nouemb.*
Eloquius Latiniac. Abbas Conf. 3. *Decembris.*
Susceptio reliquiarum apud Lutetiam Parisiorum. 4. *Decembris.*
Guilelmus asceta Cœlestinus. 21. *Decembris.*
Bodaldus Diaconus I. Parisiorum Doctor M. 31. *Decembris.*
Martyres Christolienses. 31. *Decembris.*
Maria d'Estouteuille V. Abbatissa Hederensis. 10. *Ianuaris. in Suppl.*
Ioannes Syluius asceta ordinis Minimorum. 11. *Ianuaris in Suppl.*
B. Virginis Mariæ dispensationis celebritas. 22. *Ianuaris in Suppl.*
Ioannis Chrysostomi susceptio capitis. *in Suppl.* 27. *Ianuaris.*
Dionysij & sociorum MM. repositio. *in Suppl.* 17. *Februarii.*
Dedicatio diuinitus facta basilicæ sancti Dionysij, M. *in Suppl.* 11. *Februarii.*

Radegundis Regina Sanctimonialis & Abbatissa. 13. *Augusti.*
Iunianus Abbas Conf. 13. *Augusti.*
Triasia V. reclusa. 16. *Augusti.*
Philibertus Abbas Conf. 20. *Augusti.*
Petri Apostoli susceptio reliq. 27. *Augusti.*
Benedictus Conf. 23. *Octobris.*
Victorinus Episc. M. 2. *Nouembris.*
Iunianus Eremita. 25. *Nouembris.*
Anthemius Episc. M. 3. *Decembris.*
Apra Virgo filia S. Hilarij. 13. *Decembris.*
Mater sanctæ Apræ anonyma, sed beata. 13. *Decembris.*
Venantius Fortunatus Episcopus Confessor. 15. *Decembris.*
Columba V.M. *in Suppl.* 24. *Iunij.*
Materna V.M. *in Suppl.* 24. *Iunij.*
Sauinus M. *in Suppl.* 11. *Iulij.*
Cyprianus M. *in Suppl* 11. *Iulij.*
Albinus Conf. *in Suppl.* 11. *Iulij.*
Lysias Confessor. *in Suppl.* 11. *Iulij.*
Auremundus, aliàs Annemundus Abbas Nobiliacensis. *in Suppl.* 13. *Augusti.*
Gundrada Virgo sacra. *in Append.* p. 1224
Pientius Episc. Confess. *in Append.* p. 1229
Generosus Abbas. *in Catal.* p. 1251
Benedictus Episc. Conf. *in Catal.* p. 1251
Florentia Virgo. *in Catal.* p. 1251
Imperia electa. *in Catal.* p. 1251
Genardus Conf. *in Catal.* p. 1251
Annemundus Abbas Conf. *in Catal.* p. 1251
Fercinta Virgo M. *in Catal.* p. 1251
Virgana Virgo. *in Catal.* p. 1251
Annarius Episc. Confess. *in Catal.* p. 1252
Pecina Virgo. *in Catal.* p. 1252
Fermerius Confessor. *in Catal.* p. 1252
Neomadia Virgo. *in Catal.* p. 1252
Citronius Conf. *in Catal.* p. 1252
Feziolus Conf. *in Catal.* p. 1252
Pientius Episc. Confessor. *in Catal.* p. 1252
Lupus Conf. *in Catal.* p. 1252
Fortunatus Episcop. Conf. *in Catal.* p. 1252
Marinus Conf. *in Catal.* p. 1252
Reuerentius Conf. *in Catal.* p. 1252
Flauia & Serena. *in Catal.* p. 1252

PINCIACENSI pago in d. Leodiensi.

Nomius M. quem alij Monium nuncupant. *in Suppl.* 8. *Iulij.*

PISIS in Thuscia.

Balduinus Archiepiscopus Card. 6. *Octobris.*
Matthæus Abbas Card. 26. *Decembris.*

PITHIVERIS in d. Aurelianensi.

Gregorius Episcopus Nicop. Conf. 26. *Martij.*
Alfridus Archipresbyter. *in Append.* p. 1234

POBLETI in Catalaunia.

Columbina V.M. *in Suppl.* 21. *Octobris.*

POMPEIOPOLI, seu Pampilloniæ, Nauarræ Regni Metropoli.

Firmus Senator. *in Append.* p. 1236
Eugenia Matrona. *in Append.* p. 1236

PONT-ÆSIÆ: corruptè Pontisaræ.

Honorina V.M. 27. *Februarij.*
Maria de Incarnatione. 18. *Aprilis.*
Gualterus Abbas Conf. 30. *Maij.*
Guillelmus Pr. Conf. *in Suppl.* 10. *Maij.*

Meloni Episc. Confess. translatio. *in Supplem.* 29. *Iunij.*
Blancha Regina. *in Append.* p. 1219

In ciuitate sancti PONTII Tomeriariorum: quæ dudum Cimellum oppid. dicebatur.

Pontius Episc. M. 14. *Maij.*
Albinus M. *in Suppl.* 2. *Nouemb.*

In PONTIVO agro.

Iudocus Confessor. 13. *Decembris*, & *in Suppl.* 11. *Iunij.*

PONTINIACI Cœnobio.

Edmundus Monachus. 12. *Martij.*
Guido frater S. Bern. 11. *Maij.*
Guiciardus Archiepiscopus. 28. *Iulij.*
Edmundus Cantuar. Episc. Conf. Taumaturgus. 16. & 14. *Nouemb.*

PORTÆ ANGELICÆ Cœnobio ad Mosam.

Beatrix Virgo. 12. *Martij.*

POSNANIÆ in Polonia.

Casimirus Rex Monachus. 28. *Nouemb.*

PRÆMONSTRATI in d. Laudunens.

Norbertus Patriarcha ordinis. 25. *Ianuarij*, 6. *Iunij*, 11. & 15. *Iulij*, & 3. *Decembris.*
Hugo Monachus. 10. *Februarij.*
Gilbertus Abbas. 6. *Iunij.*
Ioannes Abbas. 28. *Augusti.*
Valtherus Abbas S. Mart. Laud. 5. *Octobris.*
Gereonis M. & aliorum cælitum susceptio reliquiarum. 24. *Nouembris.*
Gerardus discip. sancti Norberti. *in Append.* pag. 1223
Richmera Sanctimonialis. *in Append.* p. 1230
Ino Monachus. *in Append.* p. 1233

PRAGÆ in Bohemia.

Norberti Episc. Confess. Præmonst. ord. Inst. susceptio. 2. *Maij.*

PRIMVLIACI in Aquitania.

Seuerus Sulpitius Presb. Conf. 29. *Ianuarij.*

PRVMIÆ in Sylua Ardnenna d. Treuirensis.

Eusebij M. susceptio corporis. 25. *Augusti.*
Lotharius ex Imp. Monach. 5. *Octobris.*

PRVVINO CASTRO d. Sen.

Theobaldus Eremita. 1. *Iulij.*

PVLTERIÆ ad Sequanam in d. Lingon.

Saro Abbas. *in Supplem.* 23. *Februarij.*

PYRENÆIS in Montibus.

Rolandus & socij milites Martyres. 31. *Maij.*
Elzearus Monachus Cœnobij S. Sabini in Lenitania. *in Suppl.* 5. *Iunij.*
Sabini Conf. translatio. *in Supplem.* 5. *Augusti.*

Q

QVINTINTINOPOLI, seu Augustæ Viromanduorum.

Quintinus M. 3. *Ianuarij*, & 8. *Iulij.*
Valeria V. 4. *Februarij.*
Polena V. 4. *Februarij.*
Quintini M. Veromanduorum Apostoli triumphus. 31. *Octobris.*

REOMENSI cœnobio d. Liogon.
Ioannes Presb. Abbas. 28. *Ianuarij.*
Syluester Monachus. *in Suppl.* 15. *Aprilis.*
RESSÆ in Cluuia.
Dentilinus Conf. *in Suppl.* 14. *Iulii.*
RHENENSI oppido d. Vltraiect.
Cunera V.M. 12. *Iunii*, & *in Suppl.* 28. *Octobris.*
In sancti RICHARII Monast. Centullensi.
Caidocus Presb. Conf. *in Append. p.* 1120
RICOMAGI in Aruernis.
Amabilis Pr. Conf. 18. *Octobris.*
RIVOLI.
Angelus à Ioyosa Capucinorum Prouincialis. 21. *Septembris.*
In d. RIVORVM.
Vidianus Mart. *In vico* Martyrum *dicto*, *Riuensis d. in Supplem. die* 27. *Augusti*, & 9. *Septembr.*
RODÆ in agro Siluiducensi.
Gezelinus Mon. 6. *Augusti.*
Oda V. 27. *Nouembris.*
Apud RODVLPHI CASTRVM d. Bituri.
Aygulphus Episc. M. 16. *Aprilis*, & 22. *Maij.*
ROMÆ.
S. Petri Cathedra 18. *Ianuarii.*
Prisca V.M. 18. *Ianuarii.*
Marius M. 19. *Ianuarii.*
Sebastianus M. 20. *Ianuarii.*
Agnes V.M. 21. *Ianuarii.*
Petri de Luxemb. Canonizatio. 9. *Aprilis.*
Leo IX. PP. 19. *Aprilis.*
Ioannes Abbas Fuliensis. 28. *Aprilis.*
Bernardus Card. Diaconus. 1. *Maii.*
Helena Aug. 22. *Maii.*
Vrbanus PP.M. 25. *Maii.*
Tiburtius M. 25. *Maij.*
Nabor, Nazarius, &c. 12. *Iunii.*
Ioannes & Paulus. 26. *Iunii.*
Petrus & Paulus App. 27. *Iunii.*
Hermes M. 6. *Iulii.*
Eugenius PP. III. 8. *Iulii.*
Vrbanus II. PP. 29. *Iulii.*
Alinardus Lugd. Archiep. 29. *Iulii.*
Abdon & Senen MM. 30. *Iulii.*
Ignatius Patriarcha Soc. Iesv. 31. *Iulii.*
Hormisda PP. 6. *Augusti.*
Stephani & Laurentij concursus. 9. *Augusti.*
Hippolytus M. 13. *Augusti.*
Alexander PP.M. 3. *Maii*, & 13. *Augusti.*
Ioannes Berchmannus Soc. Iesv. 13. *Augusti.*
Helena Augusta. 18. *Augusti.*
Eusebius M. 25. *Augusti.*
Alexander PP. III. 27. *Augusti.*
Cornelius PP.M. 14. *Septembris.*
Eustachius M. cum vxore & filiis. 19. *Septembris.*
Martinus P. Cardinalis. 21. *Septembris.*
Linus PP.M. 23. *Septembris.*
Franciscus Titelmanus. 4. *Octobris.*
Calixtus PP.M. 14. *Octobris.*
Chrysantus & Darie MM. 25. *Octobris.*
Maturinus Presb. Conf. 1. *Nouembris.*
Nicostratus, Claudius & eorum socij MM. 8. *Nouembris.*
Gregorius III. PP. 28. *Nouembris.*
Ioannes Maldonatus Presb. Societatis Iesv.

in Supplem. 5. *Ianuarii.*
Alinardus Archiepisc. Lugd. *in Suppl.* 29. *Iulii.*
Calixtus PP. II. ex Archiepiscopo Viennensi. *in Supplem.* 19. *Decembris.*
Ioannes de Matta institutor ordinis de Redempt. Capt. *in Supplem.* 21. *Decembris.*
Lucioa Matrona. *in Catal. p.* 1239
Perpetua S. Nazarij Mater. *in Catal. p.* 1248
ROMANDISSÆ in d. Treuirensi.
Gaugerici Episc. Confess. migratio. *in Supplem.* 26. *Iulii.*
ROMANO Monast. & oppido ad Isaram d. Viennensis.
Apostolorum 12. commemoratio. 2. *Octobris.*
Seuerinus, Exuperius, & Felicianus MM. 2. *Octobris.*
Bernardus Episcopus. 2. *Octobris.*
ROMARICI Montis Monasterio d. Tullensis.
Mactefledis Virg. Abbatissa cum 100. Sanctis Sodalibus VV. 13. *Martii*, & 18. *Decemb.*
Amatus Conf. 13 *Septemb.*
Romaricus Abbas Conf. 8. *Decembris.*
Perpetua Virg. Abbatissa. *in Supplem.* 12. *Septembris.*
Afaldidis V. *in Append. pag.* 1218
Clara V. *in Append. p.* 1218
Cæcilia V. *in Append. p.* 1218
ROTHORNACI in Flandria, seu Rotnaci.
Cyprianus M. 1. *Iunii.*
Hermes M. 6. *Iulii*, 28. *Augusti*, & 16. *Septembris.*
Cœlestinus M. 17. *Maii.*
ROTOMAGI & in diœcesi.
Guillelmus Abbas Conf. 1. *Ianuarij.*
Vvaningus Abbas Conf. 9. *Ianuarii.*
Ansbertus Episc. Conf. 9. *Februarij.*
Prætextatus Episcopus M. 24. *Februarii.*
Audoënus Episcopus Confess. 20. & 31. *Martij*, 16. & 24. *Augusti.*
Ansbertus Ep. Conf. 31. *Martii*, & 14. *Septemb.*
Hugo Episc. Confess. 9. *Aprilis.*
Marcellini PP. Mart. veneratio reliquiarum. 26. *Aprilis.*
Gildardus Episc. Conf. 8. *Iunii.*
Ioanna puella Aurel. 27. *Iunii.*
Vvandregesilus Abbas Confess. 22. *Iulii.*
Victricius Episc. Conf. 7. *Augusti.*
Maurilius Episcopus Confess. 9. *Augusti*, & 13. *Septembris.*
Herluinus I Abbas Beccensis. 26. *Augusti.*
Euodius Episc. Conf. 8 *Octobris.*
Nicasius Episc. M. Quirinus & Scubilius Diac. Mart. 11. *Octobris.*
Iuliana V. Pauliaci Abbatissa. 18 *Octobris.*
Erbinus Diaconus Conf. 19. *Octobris.*
Austreberta V. Abb. Pauliaci. 19. *Octobris.*
Cynomarlus, Zaccheus, & Ioannes Monachi Conf. 21 *Octobris.*
Mello, siue Mellonus Episc. Conf. 22. *Octobris.*
Romanus Episc. Conf. 23. *Octobris.*
Spasius M. 9. *Nouembr.*
Sidonius Abbas Conf. 14. *Nouembris.*
Guilelmus de Flaueri-Curia Archiep. *in Suppl.* 1. *Aprilis.*

SEMOVICIS.

Helias Præcentor. *in Catal.p.1237*

SEMPIGAMIÆ cœnobio.

Gilbertus Abbas Coof. 4.*Februarii.*

SENONIS & in subiacenti solo.

Honobertus & Honulphus Episcopi Confess. 5.*Ianuarii.*
Inuentio SS.reliquiarum. 7.*Ianuarii.*
Ebbo Episc.Conf. 15.*Februarii.*
Gregorius Magnus. 12.*Martii.*
Longinus M. 15.*Martii.*
Vvlfranus Episcopus Conf. 20. & 31.*Martii.*
Leo Episc. Conf. 22.*Aprilis.*
Artemius Episc.Conf. 23. & 28.*Aprilis.*
Lupus Episc.Conf. 23.*Aprilis*, & 1.*Septembris.*
Amatus Ep.Conf. 28.*Aprilis.*
Martinus dictus Viator. 8.*Maii.*
Maturinus P. Confessor. 10.*Maii.*
Romanus Abbas Conf. 22.*Maii.*
Cantius, Cantianus & Cantianilla MM. 31.*Maii.*
Teudechildis V. 3.*Iunii.*
Aldricus Episc.Conf. 6.*Iunii.*
Godoaldus Conf. 7.*Iunii.*
Heraclius Episc.Conf. 8.*Iunii.*
Agricius Episc.Conf. 13.*Iunii.*
Stephanus Protom. 19.*Iunii.*
Floreotia V. 20.*Iunii.*
Theobaldus Anachoreta. 2.*Iulii.*
Paulus Episcopus Confessor. 5.*Iulii.*
Eraclius Episc.Conf. 9 *Iulii.*
Septem fratrum MM.susceptio reliquiarum. 10.*Iulii.*
Sidronius & socij MM. 11. *Iulii.*
Vlricus Coof. 11.*Iulii.*
Columba V.M. 22.*Iulii*, 17. & 31.*Decembris.*
Vrsinus Episc.Conf. 24.*Iulii.*
Sauinianus, Potentianus & socij traoslati 23. *Augusti*, 19.*Octobris*, & 31.*Decembris.*
Ebbo Episc.Conf. 27.*Augusti.*
Lupus Ep.Conf.Thaumaturgus. 2. *Septembris.*
Ambrosius Episc.Conf. 3.*Septembris.*
Sanctianus M. 6.*Septembris.*
Augustinus M. 6.*Septembris.*
Felix M. 6.*Septemb.*
Aubertus M. 6.*Septembris.*
Beata M. 6. *Septembris.*
Amatus Ep.Conf. 13.*Septembris*, & 19.*Octobris.*
Porcaria V. 8.*Octobris.*
Aldricus Episcop.Conf. 10.*Octobris.*
Mathurinus Presb.Conf. 1.*Nouembris.*
Polycarpus Episc.M. 1. *Nouembris.*
Paternus M. 12. & 13.*Nouembris.*
Leo, aliàs Leonius. 12.*Nouembris.*
Mariæ Magdalenæ susceptio pignoris. 14.*Nouembris.*
Flauitus Presb.Conf. 18.*Decembris.*
Festum virginalis connubij B. Mariæ & S. Ioseph. 22.*Decembris.*
Martyres 366. in Ferrariarum pago. 26.*Decembris.*
Sauinianus & Potentianus Epp.MM. 31.*Decemb.*
Altinus M. 31.*Decembris.*
Serotinus M. 31.*Decembris.*
Eodaldus M. 31.*Decembris.*
Victorinus M. 31.*Decembris.*
Martyres numero infiniti Senonis. 31.*Decembris.*
Columba V.M. 31.*Decembris.*
Eulosia Virgo. *in Append.p.1246*
Anastasius Episc.Conf. 7.*Ianuarii in Supplem.*
Gerrici & Eblonis Epp.Conf.comm. *in Suppl.* 20.*Martij.*
Fortunatus Episc.Conf. *in Supplem.* 18.*Iunii.*
Paulus Episc.Conf. *in Supplem.* 9.*Iulii.*
Ambrosius Episcopus Confessor. *in Supplem.* 3.*Decembris.*
Theodorus & Sindinus Episcopi. *in Catal.* *p.1242*
Ygoara & Letheria. *in Catal.p.1243*

In SEPTIMANIA.

Martyres duo anonymi. 29.*Iunii.*

SERIACI in Autissiod.territorio.

Margarita d'Arbouze Abbatissa Vallis-Gratiæ. *in Coroll.16.Augusti.*

SEZANNÆ in territorio Trecensi.

Gudo Conf. 26.*Maii.*

SILVANECTI & in agro.

Gatinus Episc. 6.*Ianuarii.*
Almaricus Episcop. 1.*Martii.*
Regulus primus Episcopus. 30.*Martii.*
Milo Abbas Caroli loci. 16.*Septemb.*
Guido Abbas Caroli-loci. 23.*Septemb.*
Andreas I.Abbas Caroli-loci. 10.*Nouembris.*
Godefridus Episcop. 5.*Decembris.*
Robertus Episc. 22.*Decembris.*

SILVINIACI in Aruernensi territorio.

Odilo Abbas Coof. 1.*Ianuarii*, 21.*Iunij*, & 13. *Nouembris.*
Leodegarij & Principini MM. susceptio. 11.*Aprilis.*
Principinus M. 11.*Aprilis.*
Maiolus Abbas Cluniac. Confess. 11.*Maii*, & 13. *Nouembris.*

SISTARICI, vel Sigisterici.

Marius Abbas. 27.*Ianuarii.*
Donatus Pr.Conf. 19.*Augusti.*

SOLEMNIACI in agro Lemouic.

Tillo Paulus Abbas Conf. 7.*Ianuarii.*

SOLIACI ad Ligerim.

Ithetius Episc.Confess. *in Suppl.8.Iulii.*

SOLODORI in Geneuensi d.

Victor M. 30.*Septembris.*
Vrsus M. 30.*Septemb.*

SONEGIIS.

Landricus Episcopus Confessor. 17.*Aprilis.*
Vincentius Comes Confess. 20.*Septembris*, & *in Supplem.14.Iulii.*

SPOLETI.

Pontianus M. 19.*Ianuarii.*

STABVLETI Mon. d.Attrebat.

Popo Abbas. 25.*Ianuarij.*
Simitrius P.M. 16.*Maii.*
Remaclus Episc. 26.*Iunii.*
Remaclus Episc.Confessor. 3.*Septembris.*
Goduinus Abbas. *in Append. p.1224*
Sigilinus Abbas Confessor. *in Append.pag.1231*

STAMPIS d.Senon.

Cantius, Cantianus, & Cantianilla MM. 31.*Maii.*
Cantij, Cantiani, & Cantianillæ MM. susceptio corporum. *in Suppl.14.Iunii.*

SVESSIONE, seu Augustæ Suessionum, & in diœcesi.

Marius M. 19.*Ianuarii.*

TICINII, seu Papiæ.

Epiphanius Episc. Conf. *in Suppl.* 21. *Ianuarii.*

TOLETI.

Eugenius Episc. M. 21. *Aprilis.*
Leocadia V. M. 9. *Decembris.*
Bernardus Episcopus Confessor. 19. *Decembris,* & *in Suppl.* 2. *Aprilis.*

TOLEIÆ apud Treuiros.

Conradus M. *in Supplem.* 1. *Iunii.*

TOLOSÆ.

Simon & Iudas Apost. 25. *Ianuarii.*
Susanna Matrona. 26 *Ianuarii.*
Thomas Aquinas. 28. *Ianuarii,* & 7. *Martii.*
Gilbertus Abbas Conf. 4. *Februarii.*
Honestus Presb. M. 16. *February,* & 12. *Iulii.*
Augustinus Episc. Conf. 28. *Februarii.*
Stephanus Abbas M. 13. *Martii.*
Imaginum Apostolorum miraculum. 14. *Martii.*
Ioannes Episcop. M. cum 5. sociis. 14. *Martii.*
Iacobus & Philippus Apostolorum. 24. *Martii,* 1. *Maii.*
Iacobi duo Apostoli. 25. *Martij.*
Papuli, Syluij, Hilarij, Honorati & Gilberti Epp. eleuatio. 26. *Martij.*
Guilielmus Mon. Grandis-Syluæ. 9. *Aprilis*
Georgius M. 23. *Aprilis.*
Erembertus Episc. Conf. 30. *Aprilis.*
Odilonis Abb. Cluniac. translatio. 3. *Maii.*
Nicolaus Dominican. M. 15. *Maij.*
Ioannes Dominic. cum 5. sociis. 18. *Maii.*
Hilarius Episc. Conf. 24. *Martij,* 20. *Maii,* & 1. *Iunij.*
Barnabas Apost. 27. *Maii,* & 11. *Iunii.*
Siluius Episc. Conf. 31. *Maii.*
Cyricus & Iulitta. 16. *Iunii.*
Saturninus Episc. M. 25. *Iunii,* & 29. *Nouembris.*
Henricus Cardinalis. 14. *Iulii.*
Raymundus M. 21. *Iulii.*
Saturninus Episcopus Mart. 6. *Septembris,* & 29. *Nouembris.*
Exuperius Episc. Conf. 28. *Septemb.* & *in Suppl.* 14. *Iunii.*
Papulus Episc. M. 7. *Octobris,* & 3. *Nouembris.*
Honoratus Episc. Confess. 7. *Octobris.*
Hilarius Senior Ep. Conf. 7. *Octobris.*
Siluius Ep. Conf. 7. *Octobris.*
Leonardus Pr. ord. Prædic. M. 11. *Octobris.*
Simonis & Iudæ Apostolorum veneratio corporum. 28. *Octobris.*
Claudius M. 8. *Nouembris.*
Nicostratus M. 8. *Nouembris.*
Symphorianus M. 8. *Nouembris.*
Castorius M. 8. *Nouembris.*
Simplicius. 8. *Nouembris.*
Ludouicus Episcopus Confessor. 19. *Augusti,* & 8. *Nouembris.*
Ioannes ord. Minimorum asceta. 24. *Augusti.*
Acisclus & Victoria MM. 17. *Nouembris.*
Edmundus Rex M. 20. *Nouembris.*
Saturninus I. Tolosæ Episc. M. 29. *Nouembris.*
Christianus Episcopus 20. *Decembris.*
Honoratus Episcop. Confessor. 22. *Decembris.*
Fulco Episcop. 25. *Decembris.*
Sebastiani M. reliquiarum veneratio. *in Supplem.* 20. *Ianuarii.*
Thomæ Aquinatis Doct. Angel. susceptio corporis. *in Suppl.* 28. *Ianuarii.*
Siluius Episc. Conf. *in Supplem.* 17. *Februarii.*
Raymundus Fiterensis Abb. *in Suppl.* 15. *Martii.*
Tituli Dominicæ crucis adoratio. *in Supplem.* 3. *Maii.*
Commemoratio beneficij Tolosæ diuinitus ab hæreticis liberatæ. *in Supplem.* 17. *Maii.*
Guielmus de Natalosa Confessor. *in Suppl.* 18. *Maii.*
Berengarius Monachus. *in Suppl.* 26. *Maii.*
Guillermus, Arnaldus, Stephanus, Raymundi duo, Bernardus, Garcias MM. cæsi ab hæreticis apud Auenionetum. *in Supplem.* 30. *Maii.*
Meuennus, aliàs Mainus Abbas Conf. *in Suppl.* 15. *Iunii.*
Raymundus Conf. *in Supplem.* 3. *Iulii.*
Hippolyti Mart. veneratio capitis. *in Supplem.* 13. *Augusti.*
Cassiani Mart. veneratio capitis. *in Supplem.* 13. *Augusti.*
Cypriani & Iustinæ veneratio ossium. *in Suppl.* 26. *Septembris.*
Iacobi Zebedei Apostol. translatio. *in Supplem.* 15. *Octobris.*
Puellæ Martyres. *in Suppl.* 17. *Octobris.*
Euticius & socij. *in Suppl.* 20. *Octobris.*
Lucius & socij. *in Supplem.* 20. *Octobris.*
Marcellianus & socij. *in Supplem.* 20. *Octobris.*
Leontius Episc. Conf. *in Suppl.* 22. *Octobris.*
Seuerus, Dorotheus & Victor. *in Supplem.* 23. *Octobris.*
Silissa V. *in Suppl.* 25. *Octobris.*
Odonis Abb. Cluniac. reliquiarum veneratio. *in Supplem.* 17. *Nouembris.*
Edmundus Rex M. *in Suppl.* 21. *Nouembris.*
Elanus, seu Alanus Episcopus Confess. *in Suppl.* 25. *Nouembris.*
Sosthenis Apostolici viri susceptio capitis & brachij. *in Suppl.* 28. *Nouembris.*
Suffecius Episcopus. *in Suppl.* 8. *Decembris.*
Vzanus Pr. *in Suppl.* 8. *Decembris.*
Eusebius Confess. *in Suppl.* 8. *Decembris.*
Iacobi Apostoli susceptio reliquiarum ex Compostella. *in Suppl.* 30. *Decembris.*
Geremarus Conf. 1548
Pardulfus Episcopus Confessor. 1250
Saturnini Episc. M transl. 1250

TORNACI Neruiorum & in d.

Eleutherius Episc. M. 20 *Februarii.*
Virgines tres MM. anonymæ. 17. *Maii.*
Amandus Episcopus Confessor. 20. *Septembris.*
Gerardus Episc. 22 *Septemb.*
Piato Episc. M. 1. *Octobris.*
Martyres innumerabiles. 1. *Octobris.*
Andreas cœnobiarcha Elnonensis. *in Append.* p. 1217
Deppa M. *in Append. pag.* 1222
Socius M. *in Append.* p. 1222

TORNACI Neruiorum.

Henricus Canonicus. *in Catal.* p. 1258

TORNODORI d. Lingoo.

Theodoricus Episcopus Confess. 27. *Ianuarii.*
Ioannes Abbas. 28. *Ianuarii.*

TORNODORI d. Ling.

Ioannes Abbas Conf. 22. *Septemb.*

TRAIECTI ad Mosam.

Pontianus M. 14. *Ianuarii.*
Agnes V. M. 20. *Ianuarii,* & 2. *Septembris.*

Remaclus Epiſc. Conf. 3. Februarii.
Amindus Epiſc. Conf. 6. Februarii, & 26. Octobr.
Patres SS. qui Eccleſiam Traiectenſem gubernarunt. 6. Februarii.
Monulfus Epiſc. Conf. 4. Martii.
Gondulfus Epiſc. Conf. 4. Martii.
Adrianus M. 5. Martii.
Fridericus Abbas. 7. Martii.
Domitianus Epiſc. Conf. 7. Maii.
Candidus Epiſc. Conf. 7. Iunii.
Valentinus Epiſc. Conf. 7. Iunii.
Laodrada V. 8. Iulii.
Monulfus Confeſſ. 16. Iulii.
Gondulfus Conf. 16. Iulii.
Ioannes cogn. Agnus Epiſcop. 25. Iulii.
Pontianus M. 20. Ianuarii, & 2. Septembris.
Benignus M. 20. Ianuarii, & 2. Septembris.
Perpetuus Epiſc. Conf. 4. Nouembris.
Siardus Abbas Horti S. Mariæ. 13. Nouembris.
Adrianus Eſtius Inſulæ B. M. Monach. 2. Decembris.
Quirilus Epiſc. Conf. in Supplem. 29. Aprilis.
Benignus Epiſc. M. in Supplem. 28. Iunii.
Viſicious Epiſc. Conf. in Suppl. 1. Octobris.
Metropolus Epiſcopus Confeſſor. in Supplem. 8. Octobris.

TRECIS, ſeu Auguſtæ Trecarum, vel Auguſtobonæ.

Frodobertus Abbas Confeſſor. 8. Ianuarii, & 31. Decembris.
Patroclus M. 21. Ianuarii.
Sauinianus M. 24. Ianuarii, & 8. Iunii.
Milites 15. MM. 24. Ianuarii.
Fabianus M. 24. Ianuarii.
Paulus Epiſc. Conf. 1. Februarii.
Auentinus Conſ. 4. Februarii.
Victor Preſb. Confeſſ. 26. Februarii.
Camelianus Epiſc. Conf. 22. Martii.
Hoyldis V. 31. Martii.
Manehildis V. 31. Martii.
Theodoſia V. M. 2. Aprilis.
Prudentius Epiſcop. Confeſſ. 6. Aprilis.
Vvinebaudus Abbas Conf. 6. Aprilis.
Lupus Epiſc. Conf. 6. Aprilis, & 29. Iulii.
Memorius Leuita M. & ſex eius ſocij. 15. Aprilis, & 7. Septembris.
Lebaudus. 15. Aprilis.
Bodinus Epiſc. Confeſſ. 22. Aprilis.
Exuperantia V. 26. Aprilis.
Helena V. 4. Maii.
Reliquiarum inſignium veneratio. 5. Maii.
Maſtidia V. M. 7. & 20. Maii.
Fidolus Abbas Conf. 16. Maii.
Maurellus P. Mon. 21. Maii.
Leo Abbas Conf. 23. Maii.
Godo Conf. 26. Maii, & 16. Septembris.
Syra V. 8. Iunii, & in Suppl. 7. Iulii.
Iulia V. M. 21. Iulii.
Claudius M. 21. Iulii.
Martyres viginti. 21. Iulii.
Ternus M. 21. Iulii.
Antonius M. 21. Iulii.
Hereoius M. 21. Iulii.
Theodorus M. 21. Iulii.
Dionyſius M. 21. Iulii.
Apollonius M. 21. Iulii.
Pionicus M. 21. Iulii.
Custio M. 21. Iulii.
Papira M. 21. Iulii.
Saturius M. 21. Iulii.
Iuſta M. 21. Iulii.
Iucunda M. 21. Iulii.
Apama M. 21. Iulii.
Arbogaſtus M. 21. Iulii.
Iacobi Zebedæi Apoſtoli veneratio brachij. 25. Iulii.
Balſemius M. 14. & 16. Auguſti.
Aſcelina V. 23. Auguſti.
Maura V. 21. Septembris.
Viſio Confeſſ. 29. Septembris.
Ioannes Gandauenſis, Eremita S. Claudij nuncupatus. 29. Septembris, & 13. Nouembris.
Vrbanus IV. PP. 4. Octobris.
Danielis Prophetæ & Mart. ſuſceptio pignoris. 4. Octobris.
Tancha V. M. 10. Octobris.
Aderaldus Diaconus Confeſſ. 20. Octobris.
Venerandus M. 14. Nouembris.
Puteotianus I. Epiſcopus Trecenſ. Mart. 31. Decembris.
Frodobertus Abbas Conf. 31. Decembris.
Libaudi M. tranſlatio. in Suppl. 8. Aprilis.
Melanius Epiſc. Conf. in Suppl. 22. Aprilis.
Bobinus Epiſcopus Conf. in Suppl. 22. Aprilis.
Hoyldis V. tranſlatio. in Supplem. 30. Aprilis.
Dedicatio maioris Eccleſiæ Trecenſis. in Suppl. 7. Iulii.
Eraclius Epiſc. Conf. in Supplem. 9. Iulii.
Vrſus Ep. Conf. in Supplem. 26. Iulii.
Camelianus Epiſcop. Confeſſ. in Suppl. 28. Iulii.
Leobaldus, alias Leobaudus Mart. in Supplem. 8. Auguſti.
Euodius Rotomag. Epiſcop. Conf. in Supplem. 10. Octobris.
Serenus Confeſſ. in Coroll. 2. Octobris.
Euſebius Archipreſb. in Append. p. 1236
Liberius Diaconus. in Append. p. 1236
Eutropius frater S. Mauræ. in Append. p. 1236
Flauitus Preſb. in Catal. p. 1237
Helynus Conf. in Catal. p. 1238
Sedula Matrona. in Catal. p. 1242
Vulbianus Epiſc. Confeſſ. in Catal. p. 1243
Flauitus P. in Catal. p. 1237
Helynus Conſ. in Catal. p. 1238

TRECORÆ in Armorica.

Iuo Preſb. Confeſſ. 19. Maii, & 27. Octobris.
Tugdualus Epiſcopus Confeſſor. 25. Iunii, & 30. Nouembris.
Gulielmus Epiſcopus Confeſſor. in Supplem. 11. Februarii.
Iuonis Pr. tranſlatio. in Suppl. 27. Octobris.

TREMONIÆ apud Tungros.

Euergiſli Epiſc. & M. euectio. in Suppl. 2. Aprilis.

TREVIRIS, ſeu Auguſtæ Treuirorum.

Agritius Epiſcopus Conf. 13. Ianuarii.
Marcus Epiſcopus Conf. 26. Ianuarii.
Valerius Epiſcop. Conf. 29. Ianuarii.
Bonoſus Epiſcop. Conf. 17. Februarii.
Leguotius Epiſc. Conf. 19. Februarii.
Celſus Epiſcop. Conf. 23. Februarii.
Matthias Apoſt. 24. Februarii, & 1. Septembris.
Modeſtus Epiſc. Conf. 24. Februarii.
Baſinus Epiſc. Conf. 4. Martii

Liuuinus Episcop. Confess. 4. *Martii*, & 29. *Septembris.*
Clementia Comitissa. 21. *Martii.*
Genonefa Palatina. 2. *Aprilis.*
Modoaldus Episcopus Conf. 18. *Maii.*
Cyrillus Episc. Conf. 19. *Maii.*
Maximinos Episcopus Confess. 29. *Maii*, & 12. *Septembris.*
Simeon Monach. 1. *Iunii.*
Clotildis Regina. 3. *Iunii.*
Maximinus Episcop. M. 20. *Iunii.*
Numerianus Episc. Conf. 5. *Iulii.*
Goar Pr. Confessor. 6. *Iulii.*
Nauacus Episcopus M. 6. *Iulii.*
Auspicius Episc. Conf. 8. *Iulii.*
Hidulphus Episc. Conf. 11. *Iulii.*
Spinulus Monachus. 11. *Iulii.*
Ioannes Monach. 11. *Iulii.*
Benignus Monach. 11. *Iulii.*
Valentinus Episc. M. 16. *Iulii.*
Martinus Episc. M. 19. *Iulii.*
Seuera Virg. 20. *Iulii.*
Magnericus Episc. Conf. 25. *Iulii.*
Binto Conf. 31. *Iulii.*
Auctor Episc. Conf. 20. *Augusti.*
Sandradus Abbas Conf. 24. *Augusti.*
Paulinus Ep. Conf. imò M. 31. *Augusti.*
Palmatius M. 31. *Augusti.*
Tyrsus M. 31. *Augusti.*
Maxentius M. 31. *Augusti.*
Constantius. 31. *Augusti.*
Crescentius M. 31. *Augusti.*
Iustinus M. 31. *Augusti.*
Leander M. 31. *Augusti.*
Alexander M. 31. *Augusti.*
Sother M. 31. *Augusti.*
Hormisda M. 31. *Augusti.*
Geresina Regina. *in Suppl.* 12. *Februarii.*
Papirius M. 31. *Augusti.*
Constans M. 31. *Augusti.*
Iouianus M. 31. *Augusti.*
Optatus Episc. Conf. 31. *Augusti.*
Marcellus Episc. M. 4. *Septembris.*
Anastasia V. Abbas. 9. *Septembris.*
Maternus Episcopus Confessor. 14. *Septembris*, & *in Suppl.* 23. *Octobris.*
Meletius Episc. Confess. 19. *Septembris.*
Nicetius Episc. Conf. 1. *Octobris.*
Tyrsus Mart. & socij penè innumeri.
Palmatius M. 5. *Octobris.*
Maxentius M. 5. *Octobris.*
Constantius M. 5. *Octobris.*
Crescens M. 5. *Octobris.*
Iustinus M. 5. *Octobris.*
Leander M. 5. *Octobris.*
Alexander M. 5. *Octobris.*
Sother M. 5. *Octobris.*
Hormisda M. 5. *Octobris.*
Papyrius M. 5. *Octobris.*
Constans M. 5. *Octobris.*
Iouinianus M. 5. *Octobris.*
Martyres Treuirenses innumerabiles. 6. *Octobris.*
Modesta V. Abbatissa. 6. *Octobris.*
Metropolius Episc. Conf. 8. *Octobris.*
Lupentius Pr. Conf. 13. *Octobris.*
Rusticus Iunior Episc. Confessor pœnitens. 14. *Octobris.*
Seuerus Episc. Conf. 15. *Octobris.*
Florentinus Episc. Conf. 16. *Octobris.*
Fibitius Episc. Conf. 5. *Nouembris.*
Ludouicus ex Comite Monach. 24. *Nouemb.*
Sebaudus Episc. Conf. 26. *Nouemb.*
Nicetius Episc. Conf. 5. *Decembris.*
Basilissa V. Abbas. 5. *Decembris.*
Bucharios Episc. Conf. 8. *Decembris.*
Anastasia V. Abbatissa. 9. *Decembris.*
Maxentius & Iustinus MM. 12. *Decembris.*
Constantius & Crescens MM. 12. *Decembris.*
Seuerinus Episcopus Conf. 21. *Decembris.*
Irmina V. Abb. 24. *Decembris.*
Adela V. 24. *Decembris.*
Apruncoli Episcop. repositio. *in Supplem.* 12. *Februarii.*
Theodulphi Abbatis Conf. inuentio. *in Suppl.* 28. *Februarii.*
Exbertus Abbas Conf. *in Suppl.* 18. *Martii.*
Genouefæ V. transitus. *in Suppl.* 2. *Aprilis.*
Vandelinus Abbas Conf. *in Suppl.* 24. *Aprilis.*
Petri Apostoli Basilicæ dedicatio. *in Supplem.* 1. *Maii.*
Britto Episc. Conf. *in Suppl.* 5. *Maii.*
Spinutus Confessor. *in Suppl.* 11. *Maii.*
Auspicius Episc. Conf. *in Suppl.* 6. *Iunii.*
Spinulus Conf. *in Suppl.* 11 *Iunii.*
Ela Abbatissa. *in Suppl.* 20. *Iunii.*
Albertus Monach. *in Suppl.* 25. *Iunii.*
Maximini Episc. inuentio. *in Suppl.* 29. *Iunii.*
Materni Episc. translatio. *in Supplem.* 18. *Iulii.*
Agapa V.M. *in Suppl.* 8. *Augusti.*
Florentius Episc. M. *in Suppl.* 17. *Octobris.*
Vandelinus Abbas Conf. *in Suppl.* 20. *Octobris.*
Dauid Monach. *in Suppl.* 11. *Decembris.*
Iulia Abbatissa. *in Append p.* 1226
Lucia Abbatissa. *in Append. p.* 1227
Rotbildis Abbatissa. *in Append. p.* 1230
Seuera Abbatissa. *in Append. pag.* 1231
Spinulus Abbas. *in Append. p.* 1532
Deodatus Eremita. *in Append. p.* 1235
Luituuinus Episc. *in Catal. p.* 1239
Lupentius Presb. *in Catal. p.* 1239
Modoaldus Episc. Conf. *in Catal. p.* 1240
Rodoaldus Episc. Confess. *in Catal. p.* 1248
Valerius Episc. Confess. *in Catal. p.* 1247

TRICASTRIÆ, seu in ciuitate, & diœcesi S. Pauli Tricastinensis.

Paulus Episc. Confessor. 1. *Februarii.*
Restitutus Episcopus Confessor. *in Supplem.* 7. *Nouembris.*
Paulus Episc. Conf. *in Suppl.* 7. *Nouembris.*

Apud TRICASTINAM ciuitatem.

Restitutus Episc. 1250

TRVDONOPOLI in Hasbaoia.

Eucherius Episc. Conf. 20. *Februarii.*
Christina Virg. 23. *Iunii.*
Trudo Pr. Conf. 23. *Nouembris.*
Adela Vidua. 23. *Nouembris.*

TRVNCINII.

Gerulphus M. 25. *Iunii*, & 20. *Septembris.*

TRVNCINII in d. Gandauensi.

Basinus M. 14. *Iulii.*
Gerulphus M. 8. *Octobris.*

VALCIODORI Monast.
Forannanus Episc. 30. *Aprilis.*
Eloquius Abbas Confessor. 8. *Octobris.*
VALENCENIS d. Camerac.
Drogo Confess. 16. *Aprilis.*
Saluius Episcopus M. 26. *Iunii.* 7. *Septembris*, & 15. *Octobris.*
Superius Abbas. 26. *Iunii*, & 7. *Septembris.*
VALENTIÆ in Hispania Tarracon.
Vincentius Leuita M. 22. *Ianuarii.*
VALENTIÆ Segalaunorum.
Felix Pr. cum sociis MM. 23. *Aprilis.*
Achilleus Diaconus M. 23. *Aprilis.*
Fortunatus Diaconus M. 23. *Aprilis.*
Ioannes Episc. 26. *Aprilis.*
Apollinaris Episc. Conf. 5. *Octobris.*
Ioannes Episc. 5. *Octobris.*
Dedicatio maioris Ecclesiæ Valentiæ, sub titulo S. Stephan. Protom. *in Suppl.* 5. *Augusti.*
In S. VALERICI Monasterio d. Ambianensis.
Blitmundus Abbas Conf. 3. *Ianuarii.*
In V. ALLE Rosarum.
Elizabeth Virg. 4. *Ianuarii.*
Ida V. 13. *Aprilis.*
Margarita V. 25. *Maii.*
In VALLE FLORIDA Brabantiæ.
Genta Abbatissa. 22. *Martii*, & 20. *Iulii.*
In VALLIS DVCIS Monast. in Brabantia.
Margarita V. Abbas. 4. *Iunii.*
In VALLIS CELLÆ Monasterio d. Camerac.
Nicolaus Abbas. 6. *Decembris.*
Radulphus I. Abbas Valcellensis. 31. *Decembris.*
VANDOPERÆ Monasterio.
Leonardus Abbas Confessor. 26. *Nouemb.*
VAPINGI.
Tygridis Episc. Conf. 1. *Februarii.*
Remedius Episc. Conf. 3. *Februarii.*
Constantius Episc. Conf. 12. *Aprilis.*
Arnulphus Episcopus opitulator perpetuus sui gregis. 19. *Septembris.*
VARENIS in d. Camerac.
Gandulphus M. 11. *Maii.*
VASATI.
Quiteria V. M. 22. *Maii.*
Gerardus Abbas. 21. *Iunii.*
Ioannis Bapt. sanguinis translatio. 11. *Iulii.*
Fremerius M. 1. *Octobris*, & *in Append. p.* 1223
In VASCONIA.
Rolandus & socij milites MM. 31. *Maii.*
Abbo Floriac. Abbas M. 13. *Nouembris.*
Martyres plerique sub Asclepiade præside. *in Suppl.* 3. *Maii.*
Quiteria V. M. *in Supplem.* 21. *Maii.*
Ezelinus Episcop. *in Suppl.* 16. *Augusti.*
Iulianus Episcopus. *in Suppl.* 21. *Augusti.*
Scuerus M. cum sociis. *in Suppl.* 1. *Nouemb.*
VASIONE VOCONTIORVM.
Quinidius Episc. Conf. 23. *Februarii.*
Theodosius Episc. Conf. *in Suppl.* 14. *Februarii.*
In VASTINIO d. Senon.
Pipio Leuita. 4. *Iunii.*
Martyres 366. 26. *Decembris.*
Maturinus Pr. Confess. 1. *Nouembris.*

Apud VAVRVM in Gallia Narbon.
Alanus Episcop. Conf. *in Suppl.* 25. *Nouembris*, *in Append. p.* 1217
VCETICÆ in Gallia Narbon.
Firminus Episc. Conf. 11. *Octobris.*
Illius depositio. *pag.* 1250
Veredemus Conf. *in Supplem.* 2. *Augusti.*
Theodoretus Presb. Antiochenus M. *in Suppl.* 23. *Octobris.*
Roricus Episc. Confessor. *in Catal. p.* 1241
VENCIÆ in Prouincia, seu Vintij Nerusiorum.
Lambertus Episcop. Confessor. 26. *Maii*, & *in Suppl.* 26. *Iunii.*
Veranus Episcop. Confess. 10. *Septembris*, & 11. *Octobris.*
VENETI in Armorica.
Gildas Abbas. 29. *Ianuarii.*
Eoharnus Eremita M. 11. *Februarii.*
VENETI in Minori Britannia.
Rothaldus Episcopus. 23. *Martii.*
Vincentius Ferrerius Conf. 5. *Aprilis.*
Mercadocus Episc. Confess. 7. *Iunii.*
Gingurianus Conuers. Conf. 27. *Septembris.*
Rodaldus Episc. 22. *Octobris.*
Billius Episcopus Confessor. *in Append. pag.* 1219
Caduodus Eremita. *in Append. p.* 1220
Chcomeanus Episcopus Conf. *in Append. p.* 1221
Gobrianus Episc. Confessor. *in Append. p.* 1224
Gobricius Confessor. *in Append. p.* 1224
Ganucrius Eremita. *in Append. p.* 1224
Guenaclus Abbas (qui idem videtur apud Corbolium translatus, & celebris. 3. *Nouembris.*) *in Append. p.* 1224
Gueninus Episc. Confessor. *in Append. p.* 1224
Guinerius M. *in Append. p.* 1224
Ignorocus Episc. Confess. *in Append. p.* 1226
Iustus Episc. Conf. *in Append. p.* 1226
Meddeocus Episc. *in Append. p.* 1227
Meriadocus Episc. *in Append. p.* 1227
Noyola V. M. *in Append p.* 1228
VERCELLIS.
Coronæ Spineæ Domini illuc euectæ & adoratæ festiuitas. *in Supplem.* 23. *Februarii.*
VERNONI ad Sequanam d. Ebroic.
Adiutor Eremita. 30. *Aprilis.*
Maximus Episcop. Reg. Conf. 13. *Septembris.*
Rosemunda Matrona. *in Catal. p.* 1241
VESVNTIONE, & in territorio.
Eutlcius Abbas. 13. *Ianuarii.*
Ioannes Calibyta Conf. 15. *Ianuarii.*
Deicola Abbas Conf. 18. *Ianuarii.*
Maimboldus Mater. 23. *Ianuarii.*
Paulus Apost. 24. *Ianuarii.*
Antidius Episc. M. 24. *Ianuarii*, & 17. *Iunii.*
Anatholius Episc. Conf. 3. *Februarii.*
Nicetius Episc. Conf. 8. *Februarii.*
Protadius Epis. Conf. 9. & 10. *Februarii.*
Hugo Episc. 9. *Aprilis.*
Petrus Tarentas. Episc. Conf. 8. *Maii.*
Siluester Episc. Conf. 10. *Maii.*
Frominius Episc. 10. *Maii.*
Maximinus Episc. Confess. 29. *Maii.*
Anianus Episc. Confess. 5. *Iunii*, & 5. *Septembris.*
Claudius Episc. Conf. Thaumaturgus. 6. *Iunii.*

Antidlus Epifc.M. 17.*Iunii.*
Hilarius Epifc.Conf. 22.*Iulii.*
Pancharius Epifc.Conf. 22.*Iulii.*
Iuftus Epifc.Conf. 22.*Iulii.*
Defideratus Ep. Conf. 27.*Iulii.*
Defiderius Epifc.M. 18.*Septembris.*
Rainfridus Archidiac. 18.*Septembris.*
Linus I.Epifc.Vefunt.poftea PP.M.Petri difcip. & fuccaff. 23.*Septembris.*
Ermenfredus Abbas Conf. 25.*Septembris.*
Germanus Epifcop.M. 11.*Octobris.*
Valerius Archidiac.M. 22.*Octobris.*
Ferreoli & Ferrutij MM. tranflatio. *in Suppl.* 30.*Martii.*
Vitalis M. *in Suppl.*26.*Aprilis.*
Epipharius Mart. *in Suppl.* 4.*Augufti*, & 6. *Nouembris.*
Ifidorus Mart. *in Supplem.* 4.*Augufti*, & 6. *Nouembr.*
Vitalis Epifc. *in Supplem.* 4.*Augufti.*
Donatus Epifc.Conf. *in Suppl.*7.*Augufti.*
Megetius Epifc.Conf. *in Supplem.*7.*Augufti.*
Ternatius Epifcop. *in Supplem.*8.*Augufti.*
Geruafius Epifc. *in Supplem.*8.*Augufti.*
Gedeon Epifc. *in Suppl.*8.*Augufti.*
Lazarus & Prifcus MM. *in Suppl.*1.*Septembris.*
Hilarius Epifc.Conf. *in Supplem.*21.*Septembris.*
Dedicatio Maioris Ecclefiæ Vefuntionenfis in honorem S.Stephani Protom. *in Supplem.* 3.*Octobris.*
Stephani Protom. reliquiarum fufceptio. *in Supplem.*3.*Octobris.*
Atchandus Abbas Confeff. *in Append.p.*1218
Irenæus Conf. *in Catal.p.*1238
Fortunatus & Achaicus Conf. 1248

VEZELIACO Monafterio in Æduis.

M.Magdalena. 19.*Martii.*

VICENTIÆ Venetiarum.

Theobaldus Eremita Conf. 1.*Julii.*

VICI in Lotharingia.

Bernardus Conf. *in Supplem.*15.*Iulii.*

VICO-IRIÆ in folo Ticinenfi.

Bobo Confeff.peregrinus. *in Suppl.*23.*Maij.*

VICO-IVLII in agro Adurenfi.

Quiteria V.M. *in Supplem.* 22.*Maii.*
Nerontus Conf.& Euentius. 1248

VIENNÆ ALLOBROGVM & in territorio.

Patacodas Epifc.Conf. 1.*Januarii.*
Clarus Abbas Confeffor. 1.*Januarii.*
Denfendens & focij MM. 2.*Ianuarii.*
Florentius Epifc.M. 3.*Ianuarii.*
Verus Epifc.Conf. 13.*Ianuarii.*
Cadeoldus Epifc.Conf. 14.*Ianuarii.*
Antonius Anachoreta. 17.*Ianuarij*, 11.*Maij*, & 13.*Iunii.*
Bernardus Epifc.Conf. 23.*Januarij.*
Simplicius Epifc.Conf. 3.*Februarij.*
Philippus Epifc. Conf. 3.*Februarii.*
Euantius Epifc.Confeff. 3.*Februarii.*
Auitus Epifc.Conf. 5.*Februarii*,& 17.*Iunii.*
Defiderius Epifc.M. 11.*Februarii.*
Pafchafius Epifcop. Confeff. 22.*Februarii.*
Ioannes Monach.Bonæuallis. 15.*Martij.*
Ificius Epifcopus ordinatus. 16.*Martii.*
Verus Epifcopus M. 24.*Martii.*
Martyrum ftrages. 24.*Martii.*
Hugo Abbas Conf. 1.*Aprilis.*
Vilicarius Epifc.Confeffor. 14.*Aprilis.*
Pantagathus Epifc.Conf. 17.*Aprilis.*
Clarentius Epifc.Conf. 25.*Aprilis.*
Iuftus Epifc.M. 4.*Maii.*
Seuerus M. 4.*Maij.*
Exuperius M. 4.*Maii.*
Felicianus M. 4.*Maii.*
Nicetius Epifc.Conf. 5.*Maii.*
Petri Cœleftini PP.Canonizatio. 5.*Maij.*
Dionyfius Epifc. Conf. 9.*Maii.*
Mamertus Epifc.Conf. 11.*Maii.*
Defiderius Epifc. M. 23.*Maii, & in Supplem.* 21.*Iunii.*
Verus Epifc.Conf. 23.*Maij.*
Zacharias Epifc.Protomart. Galliæ. 27.*Maii.*
Claudius Epifc.Conf. 1.*Junii.*
Helladius Epifc.Conf. 1.*Iunii.*
Virianus M. 1.*Iunii.*
Æthetius Epifc.Conf. 11.& 14.*Iunii.*
Bobo Epifcop.Conf. 14.*Iunii.*
Domnolus Epifc.Conf. 16.*Iunii.*
Crefcens vir Apoftolicus. 27.*Iunii*, & 29. *Decembris.*
Martinus Apoftolor.difcip. 1.*Iulii.*
Phocas Epifc.M. 14.*Iulii.*
Machabæi fratres MM. 1.*Augufti.*
Salomona Machabæorum Mater. 1.*Augufti.*
Verus Epifc.M. 1.*Augufti.*
Seuerus Presb.Confeff. 8.*Augufti.*
Carolomanus ex Principe Monachus. 17. *Augufti.*
Burchardus Epifc. Thaumaturgus. 20.*Augufti.*
Mauritius & focij MM.Patroni. 22.*Septembris*, & 26.*Octobris.*
Theodatus Epifc.Conf. 15.*Octobris.*
Amedeus ex Dynafta Monach. 19.*Octobris.*
Edictus Epifcopus Confeffor. 23.*Octobris.*
Theuderus Abbas Conf. 29.*Octobris.*
Georgius Epifc.Conf. 2.*Nouembris.*
Dominus Epifc.Conf. 3.*Nouembris.*
Ificius Senior Epifc.Conf. 12.*Nouembris.*
Ificius Iunior Epifcop. Confeff. 12.*Nouembris.*
Leonianus Abbas Conf. 16.*Nouembris.*
Ioannes Monachus Cœleftinus. 25.*Nouembris.*
Sindulphus Epifcopus Confeffor. 10.*Decembris.*
Lupicinus Epifcopus Confeffor. 14.*Decemb.*
Ado Epifcop.Confeff. 16.*Decembris.*
Blidianus Epifc.Conf. 22.*Decembris*,& *in Suppl.* 22.*Ianuarii.*
Euantius Epifc.Conf. 13.*Ianuarii in Suppl.*
Simplidas Epifc.M. *in Suppl.*11.*Februarii.*
Antonij Eremitarum Patris fufceptio corporis. *in Supplem.*17.*Martii.*
Dadolenus Epifc.Conf. *in Supplem.*1.*Aprilis.*
Babolinus Epifcopus Confeff. *in Suppl.*26.*Maii.*
Tergeminorũ Martyrum fufceptio reliquiarum. *in Supplem.*3.*Iunii.*
Theobaldus Epifc. Conf. *in Suppl.*1.*Iulii.*
Euoldus Epifcopus Confeff. *in Supplem.*7.*Iulii.*
Nectarius Epifc. Conf. *in Supplem.*1.*Augufti.*
Iufti Epifc.& M.repofitio. *in Suppl.* 2.*Augufti.*
Burchardi Epifc.tranfitus. *in Suppl.*19. *Augufti.*
Agratus Epifc.Conf. *in Suppl.* 14.*Octobris.*
Cafturus Epifc.Conf. *in Suppl.*14.*Octobris.*
Philippa electa. *in Suppl.*15.*Octobris.*

Thenderus Abbas Conf. *in Suppl.19.Octobris.*
Ioannes Francardus. *in Supplem.26.Nouembris.*
Maguntius Episcop. Conf. *in Append. p.1227*
Sedasius Episc. Confess. *in Append.p.1231*
Berengarius Archiepisc. *in Append.p.1234.*
Castulus vir pius. *in Append.p.1235*
Edictus Episcopus. *in Append. p.1236*
Mater sancti Clari pia vidua. *in Catal.p.1240*
Remilla Eugenia Virgo. *in Catal.p.1241*
Simplides, seu Simplidas Episc. *in Catal.p.1242*

VIGANTI inter montes Ceuennicos sub Nemausensi sede.

Paulus Conf. *In Suppl.7. Iunii.*
Fortunatus Conf. *in Suppl.7.Iunii.*
Achazius Monachus. *in Supplem.7.Iunii.*

VILLARII in Brabantia.

Oliuerius Monachus. *10. Ianuarii.*
Theobaldus Monach. *16.Ianuarii.*
Beatorum Ascetarum Villarij quiescentiū translatio. *17.Ianuarii.*
Henricus Conuersus. *22.Ianuarii.*
Ioannes Conuersus. *25.Ianuarii.*
Carolus Abbas. *28.Ianuarii.*
Petrus Conuersus. *31.Ianuarii.*
Raynerius Conuersus. *7.Februarii.*
Ioannes Conuersus. *8.Februarii.*
Ioannes ex milite Monach. *20.Februarii.*
Cæsarius Prior. *23.Februarii.*
Arnulphus Abbas. *2.Martii.*
Henricus Subprior. *8. Martii.*
Gregorius Prior. *12.Martii.*
Gumarus Monach. *16.Martii.*
Abundus Mon. *19.Martii.*
Thomas Mon. *20.Martii.*
Hermannus Conuers. *3.Aprilis.*
Henricus Mon. *6.Aprilis.*
Gerardus ex milite Mon. *9.Maii.*
Ioannes Mon. *10.Maii.*
Laurentius I. Abbas. *17.Maii.*
Guilielmus Mon. *24.Maii.*
Arnoldus Mon. *22.Iunii.*
Virgiois Beatissimæ Matiæ miraculorum celebratio. *24.Iunii.*
Aroulphus Conuersus. *30.Iunii.*
Frescendis Monialis. *30.Iunii.*
Euerardus Mon. *5.Iulii.*
Henricus Mon. *13.Iulii.*
Iacobus Conuersus. *23.Iulii.*
Ægidius Mon. *28.Iulii.*
Godefridus Mon. *31.Iulii.*
Gobertus ex Comite Mon. *20.Augusti.*
Franco ex equite Mon. *20.Aug.*& *12.Decembr.*
Gofridus Mon. *20.Augusti.*
Abundus Mon. *20.Augusti.*
Ioannes dictus Præcursor. *28.Augusti.*
Franco Conuers. *20.Septembris.*
Otho Conuers. *23 Septembris*
Vlricus Pr. Mon. *1.Octobris.*
Godefridus Mon. *3.Octobris.*
Henricus Conuers. *22.Octobris.*
Raynerus Subdiac. Mon. *30.Octobris.*
Fastradius Abbas I.Villariensis. *27.Nouembris.*
Guilelmus Abbas. *29.Nouembris.*

VINDOCINENSI CASTRO d. Carnut.

Beatus Conf. *9.Maii.*
Eutropij Episc. Santon. & Mart. susceptio reliquiarum. *in Supplem. 30.Aprilis.*
Beatus Conf. *in Suppl.9.Maii.*

VINTONIÆ in Anglia.

Grimbaldus Abbas Confessor. *8. Iulii*, & *in Suppl. eodem die.*
Godefridus Prior. *in Supplem 27.Decembris.*

VIRDVNI, aut Viroduni.

Adunaluua vidua. *25.Ianuarii.*
Paulus Episcopus. *8.Februarii*
Polychronius Episcop. Confessor. *4.Maii.*
Possessor Episc. Conf. *4.Maii.*
Firminus Episc. Confess. *4.Maii.*
Magdalucus Episc. Conf. *4.Octobris.*
Albero Episc. *2.Nouembris.*
Maurus Episc. Conf. *8.Nouembris.*
Videnous, aliàs Vitonus Episcopus Confess. *9.Nouembris.*
Agericus Episc. Conf. *1.Decembris.*
Ermenfridus Episc. Confess. *in Suppl.9.Februarii.*
Richardus Abbas. *in Suppl.14.Iunii.*
Maurus Episc. Conf. *in Suppl.4.Septembris.*
Sylminus Episc. Conf. *in Suppl. 4.Septembris.*
Arator Episc. Confess. *in Suppl.4.Septembris.*
Rodingus Episc. Conf. *in Suppl. 17. Septembris.*
Victor Episcop. Conf. *in Suppl.9.Octobris.*
Lucia V. sacra & Regia. *in Append.p.1227*
Richardus Abbas Confessor. *in Append. p.1230*
Vito, seu Vvinto Confess. *in Catal. p.1243*

In VIRIDI VALLE Brabantiæ Monasteri.

Ioannes Rusbroquius asceta Augustinianus. *2.Decembris.*
Ioannes Cocus dictus Bonus. *2.Decembris.*

In VIROMANDVIS.

Hunegundis V. *25.Augusti.* & *12.Nouemb.*
Simeon Conf. Comes. *in Suppl.30.Septembris.*

VITÆ SCHOLÆ cœnobio.

Henricus Abbas. *11.Februarii.*

VIVARII sub Metrop. Viennensi.

Andeolus Subdiac. M. *1.Maii.*
Ostianus Episc. Confess. *30.Iunii.*
Iosserandus Confessor. *in Suppl. 1.Februarii.*
Torquatus Episc. Tricast. Confess. *in Supplem. 1.Februarii.*

In VIVARIENSI territorio.

Montanus Eremita. 0250

VLTRAIECTI, seu Traiecti ad Rhenum.

Vvileicus Presb. Conf. *1.Martii.*
Conradus Episcopus. *24.Aprilis.*
Aufridus Episc. Conf. *3.Maii.*
Cunera V.M. *12.Iunii.*
Adulphus Episc. Conf. *17.Iunii.*
Benedictus Episc. M. *18.Iunii.*
Fridericus Episc. M. *18.Iulii.*
Bernulphus Episcopus Confess. *20.Iulii.*
Vverenfridus Presb. Conf. *14.Augusti.*
Albericus Episc. Conf. *21.Augusti.*
Gregorius Episc. Confessor. *25.Augusti.*
Ento Abbas horti B.Mariæ. *5.Octobris.*
Rinfridus Episcopus Conf. *6.Octobris.*
Vvilibrordus Episc. Confessor Frisonum Apostolus. *7.Nouembris.*
Labuinus Pr. Conf. *12.Nouembr.*
Ratbodus Episc. Conf. *29.Nouembr.*
Vinibaldus Pr. Conf. *18.Decembris.*
Hungerus Episc. Conf. *22.Decembris.*

FINIS.



MARTYROLOGIVM GALLICANVM.

IANVARIVS.

Kalendis Januarij. Luna

1 A*

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ.
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1			



IRCVMCISIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Cùm ab Angelo prænuntiatum, ſacroſanctum nomen IESVS, ei primò impoſitum eſt. Et Octauæ Natiuitatis eiuſdem. Apud Anicienſes in veteri Podio Vellaunico: veneratio primitiarum humanæ redemptionis, in adoranda carnis Dominicæ particula, quæ hodie cùm Chriſtus primum cruorem fudit, pro ſedando expiandóque peccati profluuio, cultro ferali antiquæ legis abſciſſa, atque in pignus amoris Eccleſiæ ab ipſo relicta, illic etiamnum in baſilica ſanctiſſimæ Deigenitricis, ad perpetuum Galliæ decus, & præſidium, maximo cum honore conſeruatur. Ipſo die Viennæ Allobrogum ſancti PARACODÆ eiuſdem ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Is natione Græcus, doctrina, & ſanctitate præſtans, poſt ſanctum Dionyſium inſignem Chriſti nominis Confeſſorem, Eccleſiæ Viennenſis adminiſtrationem ſuſcepit: quam triginta circiter annos in magnis fidelium perturbationibus, egregia virtute geſſit. Cùm autem Seueri perſecutionem ſuperaſſet, conſtantiæ, fortitudinis & pietatis eximiæ meritis ditatus, paſtor bonus & fidelis ſeruus migrauit ad Dominum. Claromonte Aruernorum ſancti STABILIS Epiſcopi itidem & Confeſſoris, STABILIS.

SS. PARACODAS.

qui ab ineunte ætate, parentum studio piè educatus, cum doctrina religiosam viuendi disciplinam coniungens, ita profecit vt nihil de iis quæ ex Euangelicis Apostolicisque litteris faciendum esse cognouerat, agere prætermitteret. Vitæ autem innocentia & miraculis clarus, gradatim susceptis Ecclesiæ sacris ordinibus, inuitus ad Episcopalem Aruernorum cathedram prouectus est; quo in munere adeo admirabilem sese præbuit, vt vel sola opinione sanctitatis homines à maleficio deterreret, & ad leges diuinas colendas inflammaret. Qui tandem cùm aliquot annis actuosas illas, Episcopalique munere dignas virtutes excoluisset, datis præclaris sanctitatis suæ testimoniis; omni populo, ipsique Carolo Magno percharus ac venerabilis, in Domino, cui fideliter seruierat, feliciter obdormiuit. Item Viennæ sancti CLARI Abbatis & Confessoris, qui puer, assuetus cum matre ad memorias Martyrum, orationis causâ, concurrere, ab ipsa, vera suorum viscerum immolatrice, (vti pridem ab Anna, Samuel puerulus templi ministerio oblatus fuit:) cœnobio monachorum ad memoriam beati Ferreoli Martyris traditus est: postmodum autem insigni florens sanctimonia, ibidem Abbas à sancto Cadoaldo, vrbis illius Pontifice, constitutus, clarus nomine, sed virtutibus clarior, omni religionis obsequio eluxit. Cùm verò impositam sibi curam per Dei gratiam summa sanctitatis ac sapientiæ laude administrasset, diuinitus ad præmium euocatus, appropinquante felici sui exitus horâ, psalterium cum fratribus decantare cœpit: vtque fratres finitis psalmis, ad hæc verba deuenerunt, *Omnis Spiritus laudet Dominum.* luce & odore ineffabili cellam vbi iacebat perfundente, beata eius anima soluta corpore Christo iungenda recessit. Sepultus autem in Ecclesia beatæ Blandinæ Martyris, ante altare, innumeris clarificatus est miraculis. In territorio Lugdunensi monasterio Iurensium sancti EVGENDI Abbatis & Confessoris, sanctorum Lupicini, & Romani discipuli, cuius futura sanctitas miris indiciis præsignata fuit: vita verò virtutibus & miraculis plena refulsit. Nam is & perfecta humilitate sublimis, & morum innocentia admirabilis, pietate, abstinentia, patientia singulari emicuit. Zelo animarum feruentissimus, dæmonibus formidabilis, cælitibus percharus, omnibus bonis amabilis & venerabilis fuit. Cùm autem suscepto munere religiosè ac laudabiliter functus esset, signis, & virtutibus æquè conspicuus, insuper discretione spirituum dotatus, & prophetico lumine illustratus, bonisque operibus plenus migrauit in cælum. Eadem die

CLARVS.

EVGENDVS.

apud Lerinum monasterium S. MARINI Archimandritæ & Confessoris, qui cùm per multos annos omni edito virtutis, moderationis, & pietatis exemplo, ipsum monasterium, & cœnobia eidem subiacentia rexisset, ingenti sui relicto desiderio ad æternam vitam transiuit, sanctitatisque suæ opinionem, maximis post mortem editis miraculis confirmauit. Apud Siluiniacum, territorio Aruernensi, sancti ODILONIS Abbatis, viri pietatis studio, miróque religionis feruore, eleemosynarum liberalitate, & rebus sanctè mirabilitérque gestis clarissimi. Hic post beatum Maiolum, monasterio Cluniacensi præfectus, primus in cœnobiis sui ordinis commemorationem omnium fidelium defunctorum prima die post festum Omnium Sanctorum, fieri præcepit: quem ritum postea vniuersalis Ecclesia comprobauit. Qui demum, cùm ferè ante quinquennium graui morbo exercitatus, patientiæ insigne exemplum fratribus exhibuisset, ea nocte quæ Circumcisionis Dominicæ solemnia præcedit, salutaris Eucharistiæ Sacramentis piè perceptis, beatum Deo spiritum reddidit. In territorio Rothomagensi Fiscanensi cœnobio, depositio sancti GVILLELMI Abbatis, S. Maioli Ætheriarchæ Cluniacensis discipuli, admiranda pietate viri. Apud Laudunum Clauatum deductio & repositio sacrorum corporum beati QVINTINI Martyris & sancti CASSIANI Episcopi, quæ illic ob incursionem Normannorum semel ac iterum transuecta: inde tandem proprium in locum Augustam Veromanduorum relata sunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Marinvs. Odilo. Gvillelmvs. Qvintinvs & Cassianvs.

Eodem die piè quieuit in Domino venerandæ memoriæ BERNARDVS XII. Abbas Cisterciensis, cuius varia miracula, egregia sanctitatis merita comprobarunt. De hoc apud Cistercij alumnos memorandum id elogium pridem personuit: quòd mansuetus vt agnus ad regimen accesserit, atque velut sol cunctis fulgidus, & virtutis exempla, & felicitatis tramitem subditis præmonstrauerit. Item ipso die, non sine celebri sanctitatis præconio ad cælestem patriam commigrauit IOANNES Prior Corneliensis ad muros Leodicenses, vir miræ innocentiæ, pietatis & doctrinæ, qui B. Iulianæ monitu primum venerabilis Sacramenti officium, non sine diuinæ aspirationis indicio concinnauit: quod à Superioribus iridem recognitum & approbatum, Leodij & Tungris, ac alibi in Belgio in vsu fuit, priusquam officium à S. Thoma Aquinate editum, auctoritate Vrbani Papæ quarti, qui festum sanctissimi Sacramenti instituit, publicaretur.

Bernardus. *Ioannes.*

Quarto nonas Januarij. Luna

2 B xxix.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2			

SS. DEFENDENS, & ſocij.

IN territorio Viennenſi ad Rhodanum fluuium, natalis S. DEFENDENTIS, & aliorum plurimorum militum, qui iubente Maximiano Imperatore, variis pro Chriſti fide & gloria cruciatibus affecti, conſtanti confeſſione pietatis, in ſummo certamine perſiſtentes, palmam illuſtris martyrij profuſo ſanguine retulerunt.

THEODORVS.

Item Maſſiliæ S. THEODORI Epiſcopi & Confeſſoris, qui prædictorum Martyrum res geſtas conſcripſit, & Eccleſiam in eorumdem honorem excitauit. Is vir beatus cùm in Epiſcopatu, ſumma virtutum gloria (maximè verò intenſo ſtudio diuinarum rerum, eximióque ſacrorum cultu, nec non mira victus frugalitate, pauperum cura, raráque morum innocentia) præpolleret, à ſuis odio gratis habitus, dira ſi quis vſquam Antiſtes, toto ferè præſulatu ſuſtinuit. A Clero ſiquidem ſuo & ciuibus propriis iniuſtè comprehenſus, atque nefandis laceſſitus probris, ſæpiúſque de ſede ſua eiectus, innocentiam ac patientiam inter tot ærumnarum fluctus intemeratam conſeruauit: eóque nomine promeruit, ſuæ virtutis Deo probatæ, patentiſſimum cælitus accipere indicium. Siquidem cùm ſemel à Gunthcramno Duce in cuſtodiam per calumniam detruſus, attentiùs nocte quadam oraret ad Dominum, fulgore ſupernè delapſo ita cellula, in qua detinebatur, refulſit, vt cuſtos ingenti pauore terreretur. Hinc tamen is, in virum Dei traiiciens, per oſtij fiſſuras obtutus, vidit ſuper eum immenſæ lucis globum, qui duarum ferè horarum ſpatio micans, diuinæ maieſtatis deuotiſſimum clientem magna claritate circumſepſit. Cæterùm ſanctus Pontifex ad Gunteramnum Regem deductus, atque à noxa prorſus compertus immunis, vbi ad ſedem alter ſicut Athanaſius tandem poſt varias conflictationes rediiſſet, in Epiſcopali munere egregiè perſeuerans, ſuâ virtute præclarè propalatâ, in ſumma tranquillitate puriſſimam animam efflauit: Eccleſiámque ſuam quam viginti circiter annos, Pontificali planè vigore adminiſtrauerat, moribúſque admirandis illuſtrauerat: glorificationis ſuæ apud Deum, cui fideliter ſeruierat, perpetuis nobilitauit inſigniis.

Ipso die in Melodunensi oppido transitus S. ASPASII Elosani Episcopi & Confessoris, qui ob virtutis & sapientiæ præstantiam, illius metropolis solio sublimatus, populo sibi commisso verbo & opere prælucens, ad cælestis patriæ assecutionem iter sedulò præmonstrauit. Regni Christi in terris gloriam sua præcellenti sanctitate, & doctrina plurimùm prouexit, rebúsque feliciter constitutis talentum Domini multiplicare desiderans, varias Galliæ prouincias, cùm fidei propagandæ, tum disciplinæ vindicandæ causâ peragrauit. Melodunense oppidum adhuc non modica ex parte ethnicæ superstitionis spurcitiis inquinatum, crucis aratro, reuulsis impietatis vepribus, verbíque salutiferi feliciter diffuso semine, ad Christi suaue iugum penitus pertraxit. Denique cùm inter primarios Ecclesiarum Galliæ Patres, non minùs sanctimoniæ merito, quàm dignitatis decore illustris, aliquot sacris Conciliis interfuisset, diuinarum virtutum imitatione nobilis: iustitiáque, doctrina, religione, omníque Episcopali decore micans, tandem felici exitu consummatus perrexit ad præmium. ASPASIVS Apud Corbeiam Galliæ depositio S. ADELARDI Abbatis, qui regia Francorum editus stirpe, eo gradu quo Caroli Magni consobrinus erat, sæculi spretis amore Christi honoribus, vix egressus ex ephœbis tesseræ monasticæ indumentum assumpsit: cælestíque doctore spiritu adiutus, eam ad pietatis, probitatis & doctrinæ processit gloriam, vt perlucida quæque religionis specula suo splendore inumbraret. Vnde & præcipuo cultu ab omnibus circumquaque habebatur. Charitate autem, quæ virtutum caput est, potissimùm præcellebat. Nam de eo illud legitur imprimis memorandum, quòd non sua modò, sed & aliena peccata quotidie bis saltem, manè ac vesperi, profusis vberrimè lacrymis deploraret. Exploratæ sanctitatis ac sapientiæ meritis factus deinde Abbas, maiora prodidit diuinæ conuersationis insignia, adeo vt alter sui æui Antonius passim prædicaretur: sicque demum ætate in religionis stadio, puróque Dei famulatu strenuè exacta, assumpto in Eucharistia vitæ futuræ arrhabone, oculos carnis in mortem clausit, spiritúmque æternæ lucis cupidum, ad Christi diuini solis felicissimum transmisit conspectum. ADELARDVS. Eodem die in Monasterio Lerinensi depositio S. BERNARII Monachi & Confessoris fratris ipsius B. Adelardi, quo cum arctissimum regularis vitæ institutum complexus & professus, non inæquali sanctimoniæ splendore illuxit, vitæque religiosæ exercitatione insignis; vigiliis, ieiuniis, orationi, rerúmque cælestium assiduæ contemplationi incumbens æternæ beatitudinis BERNARIVS.

consecutus est donatiuum. Item Corbeiæ in Ambianis depositio S. PASCHASII Abbatis illius cœnobij & Confessoris, qui prælibati S. Adelardi vitam descripsit, eiúsque locum sortitus, sanctitatem quoque eximiis virtutum ornamentis, ac piorum operum meritis proximè imitatus est. Is enim celebris illius asceterij Abbas effectus, verbo non minùs quàm exemplo, gregi cui præfuit profuit, nec commisso tantùm cœtui doctrinæ & pietatis splendore præluxit, sed vniuersam Christi Ecclesiam mirabiliter vtriusque doris gloria illustrauit. Cælesti siquidem sapientia decoratus, Græcóque & Latino sermone nobiliter instructus, errorem Bertrami Pseudo-monachi confutauit, aduersus quem de sacramento altaris adorando librum edidit insignem, in quo clarè ac dilucidè corporis & sanguinis Domini in Eucharistiæ mysterio veritarem demonstrauit, & tanti sacramenti maiestatem & dignitatem etiam aduersus futuras hæreses fideliter tutatus est. Quamobrem & tanquam prophericus scriptor habitus est à posteris, quòd ducentis ferè annis hæresim Berengarianam antequam nasceretur extinxerit. Quibus religiosis trophæis, aliisque gloriosis meritorum cumulis insignis, decurso mortalitatis stadio ad Sanctorum consortium euocatus, felici excessu beatitatis æternæ adeptus est brauium. Augustæ Ausciorum memoria S. MACARII. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

PASCHASIUS. MACARIUS.

Hoc die vbique ferè in Gallia octauâ peragitur S. STEPHANI Protomartyris, cuius venerationi ac clientelæ tredecim Cathedrales Ecclesiæ ipso in regno Christianissimo, ab ipsa origine consecratæ sunt.

Tertio nonas January. Luna

3 CXXVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3			

SS. FLORENTIUS.

VIENNÆ natalis sancti FLORENTII Episcopi & Martyris qui Beato Paracodæ succedens Maximiano dira sæuitia Ecclesiam persequente, vitæ meritis & doctrina præstantissimus, Christi fideles incredibili solatio recreauit. Siquidem ardenti studio & assiduo hortatu & exemplo, velut aquila pullos ad superna prouocans, ad fidei quod imminebat certamen strenuè excitauit. Cùm autem creditam sibi Ecclesiam annos circiter tredecim tot inter atros turbines egregiè gubernasset:

demum ad tempora vsque Galli & Volusiani perueniens, septimâ grassante persecutione, in exilium ob intrepidam pietatis Christianæ assertionem pulsus, variisque consumptus ærumnis, summa cum constantiæ laude, diadema decoris de manu Domini athleta gloriosus percepit. Lutetiæ Parisiorum sanctæ GENOVEFÆ Virginis, augustæ illius vrbis specialis patronæ, & vniuersæ Galliæ primariæ tutelaris. Hæc in Namtodorensi agri Parisiensis parœcia, Seuero & Geruntia parentibus rusticanis quidem, sed piis, procreata, non obscuris à primâ ætate claruit futuræ sanctitatis indiciis. Siquidem cùm occurrisset beato Germano Autissiodorensi Episcopo, in Britanniam vnà cum sancto Lupo Trecensi Præsule, proficiscenti, ad expugnandam Pelagianam hæresim: vir Dei puellam conspicatus, superno afflatu à Deo prærogatiua gratiæ singularis electam, vitæque sanctimonia fore clarissimam, prædixit; datóque æreo numismate signo crucis impresso, spósam Christo subarrhauit, atq; ad virginitatis propositum piè adhortatus est. Viri Apostolici vaticinium virgo deinceps cælesti conuersatione comprobauit, admirandis virtutibus perfulgens: quibus Gallias adeóque vniuersum orbem circumquaque illustrauit. Religionis magistra, sacrarum Virginum Primiceria, cæli solique quasi arbitra sua ætate extitit. Hunnos Gallias inuadentes, Lutetiámque dura obsidione prementes, sua oratione & meritis profligauit. Childericum Regem Francorum licèt ethnicum, reuerentia sanctitatis, Christianis beneuolum præstitit. Reos ab eo damnatos efflagitatione sua capitis aleâ liberauit. Clodouei illius filij conuersionem, assiduis precibus, deuotáque instantia, & communi cum S. Remigio, beatáque Clothilde opera, feliciter prouexit; basilicam super tumulum S. Dionysij Galliarum Apostoli sociorúmque eius, non sine diuinæ opitulationis indicio, erexit; Gallicanam Ecclesiam iteratis procellis ferè obrutam & collapsam, pia cura & zelo feruenti instaurauit: quin innumeris beneficiis auxit; statúque, ordine & decore plurimùm ampliauit. Denique innocentia, abstinentia, humilitate, pietate, fide, charitate, aliisque præcelsis virtutibus conspicua; spiritu etiam prophetiæ illustris, miraculis & stupendis & plurimis clara, Sanctis sui æui admodum venerabilis, cùm annos supra octoginta in Christi suaui famulatu transegisset, cum lampade inextinguibilis fidei & perfectæ charitatis, in cælestis sponsi occursum properans, ad eius desideratissimum conspectum & osculum, æternúmque gaudium, læta pertransiuit: inque basilicâ Apostolorum Petri & Pauli, quam Clodoueus Rex suo hortatu in mon-

GENOVEFA.

te Parisiensi construxerat, digno funere sepulta, crebris adeo refulsit miraculis, vt titulum sacræ ædis, abhinc nuncupatione sua insignierit: vbi ad hæc vsque tempora quiescens, & potentis suæ apud Deum interuentionis testimonia prodit perpetua: & perenni beneficiorum fluxu non regiæ modò vrbis, sed totius regni Christianissimi patrocinium gerens, magna Gallici populi deuotione, & gloriæ celebritate iugiter honoratur. Augustæ

QVINTINVS. Veromanduorum inuentio & translatio S. QVINTINI Martyris illustrissimi, cuius triumphalis dies anniuersariis sacris colitur pridie Kal. Nouembris. In monasterio S. Valerici ad littus

BLITMVNDVS. maris in Ambianis, depositio S. BLITMVNDI Abbatis & Confessoris, ipsius B. Valerici discipuli & successoris meritissimi: ad quem adhuc puer cùm diuturno morbo tabesceret delatus, eiúsque precibus à languore sanatus, ipsi ita in posterum adhæsit, vt sub eius magisterio ad perfectam totius religionis formam peruenerit. Deinde post eius transitum ad S. Attilam Bobiensis in Italia cœnobij Abbatem ob celebritatem sanctimoniæ profectus, magna apud eum religionis edidit absolutæ insignia. A quo remissus in patriam, instaurato ad tumulum S. Valerici cœnobio, collectóque piorum asseclarum cœtu, vitam illic planè angelicam instituit: antiquæ superstitionis quæ circumquaque superant semina euulsit, gloriosísque denique pro Christo exantlatis laboribus, ad quietis æternæ euolauit fruitionem. In

BERTHILIA. territorio Attrebatensi apud Marcolium depositio sanctæ BERTHILIÆ Virginis, quæ illustri oriunda Francorum stirpe, æternæ patriæ amore temporalem contemnens, prædium suum sanctissimæ Dei genitrici religioso munere obtulit, & monasterium Virginum ibidem instruxit, in quo ieiuniis & orationibus intenta, omnique virtute prælucens, felici fine consumpta, quieuit in pace. Eius ossa cùm gloriæ diuinæ magnificentiâ rutilarent, iussu Gerardi secundi Attrebatensis Episcopi eleuata, condignâ veneratione abhinc percoluntur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Octaua S. IOANNIS Euangelistæ, præcipui crepundiorum Gallicanæ Ecclesiæ per discipulos prouectoris, hodie toto in Galliæ regno solemnis est, ex veteri more. Hoc ipso die cæli limina petiit piæ memoriæ HOSTRADVS Monachus ord. Cisterc. vir miræ simplicitatis & pietatis, quem Christus ei visibiliter

Hostradus. cum sanctissima sua genitrice apparens, ad cælestis conuiuij delicias inuitauit.

Ozilia. Clausit itidem hodie pura lumina Namurci B. OZILIA Virgo, sanctæ Iulianæ Corneliensis socia, multa patientia & religione præstans.

Pridie nonas Ianuarij. Luna

4 . DXXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4			

COMMEMORATIO SANCTORVM SEPTVAGINTA DVORVM DISCIPVLORVM Domini,quorum plerique Gallias cæleſti Euangelicæ veritatis lumine irradiantes, Eccleſiarum multarum inſignium illic fundamenta, adhuc ſolida poſuerunt. Apud Lingonas S. GREGORII Epiſcopi illius ciuitatis & Confeſſoris Beati Gregorij Turonenſis proaui. Is ex primis Senatoribus ortus,in ætate virenti aulam ſecutus Theodorici Regis, primùm apud Auguſtodunenſes Comitis iuridico munere, ſumma integritatis & ſapientiæ laude functus eſt. Ex quo vt alter Ambroſius ad Epiſcopatum aſſumptus, ipſo ordinationis die,crucis ſignaculo oblatos ſibi energumenos ſanauit: toto verò Epiſcopatu maxima religionis & ſanctimoniæ gloria commiſſo gregi præluxit. Puræque adeo vitæ extitit, vt Angelorum familiari commercio frui promereretur, qui noctu ad orandum ſacra limina pulſanti, clauſa non ſemel veneranda adyta reſerarunt. S. Benigni Martyris Burgundiæ Apoſtoli deuotiſſimus cultor pius ipſe Antiſtes fuit, cuius corpus minus decenter conditum tranſtulit magna honorificatione in nouam à ſe conſtructam baſilicam. Fidei ſtrenuus vindex, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſus aſſertor, quatuor Gallicis Synodis interfuit, quibus ſua præſentia & doctrina plurimum authoritatis & induſtriæ circa hierarchicas ſanctiones ferendas contulit. Demúmque poſtquam Eccleſiam ſuam magno cum Sanctorum operum ſplendore annos circiter 40. gubernaſſet, ieiuniis & vigiliis ac orationibus aſſiduus humilitate admirabilis, charitate in pauperes profuſus, miraculis clarus, tandem euocatus ſeruus fidelis à Domino, ab eo pro talentorum copioſè multiplicato fœnore, recepit merito depoſitam gloriæ coronam. Cuius corpus Diuione in Baſilica S. Ioannis conditum, diuinæ glorificationis inſignia, quæ conſecuta ſunt, venerabile admodum reddiderunt. Eodem die Durocorti Remorum S. RIGOBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui non modò claris natalibus, ſed & cæleſtibus chariſmatibus præditus, inſigni Pontificio, multiplicíque agone ſuſceptam ad regen-

SS. SEPTVAGINTA DVO DISCIPVLI. GREGORIVS. RIGOBERTVS.

dum Ecclesiam nobilitauit. Cùm enim ad supernas sedes translato beato Regulo, ob egregiam virtutum famam sublectus fuisset: nihil omnino prætermisit quod ad Dei cultum prouehendum gregisque salutem spectaret. Ita enim se tractauit, vt vitâ morúmque sanctimonia esset omnibus documento ac exemplo: Virtutum semina inserens, vitiorum elementa eradens, optimis præceptis & moribus subditos imbuens, oppressis assiduam impendens tutelam, egenis opem: quæ res illum in summa apud omnes existimatione posuit, effecitq. vt quem mali tremerent, boni amarent, omnes venerarentur. Probis enim Petri vultum, iniquis Pauli seueritatem eximius Antistes ipso aspectu præferebat. Rara siquidem rerum humanarum despicientia, diuinarum verò amore feruentissimo affectus, cùm cæleste Christi regnum apud suos, ad Euangelicæ legis præscriptum propagaret: iniustè exagitatus, atque etiam in exilium pulsus, in Vasconiam secessit, vbi duplicato ad laborem Apostolici quo pollebat spiritus feruore sic se gessit, vt vindicata pietate populos ad sinceriorem religionis cultum meliorémque vitæ frugem, qua salutaribus monitis, qua irreprehensibili contubernio reuocaret. Deinde sedi restitutus, collapsam disciplinam in integrum pia instantia restituit. Clerum matricis Ecclesiæ ad communem vitæ normam adduxit: iisque fouendo sodalitio certa impendit subsidia. Nonnulla denique alia cùm ea in Ecclesia piè ac salubriter instituisset, vir beatus, incruenti martyrij aureola, Pontificali laminæ adiuncta, collectísque copiosis meritorum manipulis, ad æternum gaudium pertransiuit. Sepultus est in Ecclesia sancti Petri in Gerniaca corte. Sed inde ob erumpentem gloriæ fulgorem ab Hincmaro Archipræsule translatus ad cœnobium Theodorici: Inde ad Ecclesiam sancti Dionysij, postmodum ad Basilicam sanctissimæ Deigenitricis à B. Fulcone Archiepiscopo & Martyre transuectus, demum ad ædem sancti Dionysij ab Heriueo Antistite relatus, magnis, quocumque hæsit loco, suæ beatificationis clarificationibus enituit. Pignorum inde sacratissimorum pars non modica Lutetiam Parisiorum delata, in sacrario basilicæ almæ Virginis reposita est: vnde cultus ipsius beati Pontificis & Confessoris ipsa in Ecclesia matrice totâque in diœcesi ab hinc celebris defluxit. Gandaui in 2. Belgica sanctæ PHARAILDIS Virginis, quæ Pipini Francorum Regis neptis, & Theodorici Lotharingiæ Dynastæ, ac Beatæ Amalbergæ filia; à sancta Gertrurde cognata sua de sacro fonte leuata, ac studiis imbuta sanctitatis, pietatem à teneris vngui-

PHARAILDIS.

culis ſic coluit, vt deinde rara venuſtate præſtans, à parentibus inuitè connubio mancipata, per omne tamen coniugij tempus ſuperno fulta præſidio illibatum virginitatis florem conſeruauit. Sicque demum admiranda conuerſatione inſignis, nec minùs religione quàm ætate venerabilis in Chriſto, quem ardenter dilexerat, feliciter conquieuit. Corpus eius è Lotharingia vbi primùm conditum ſignis refulſit ab Agilfrido Epiſcopo Leodicenſi, ad S. Bauonis Gandenſis monaſterium allatum fuit. Poſtmodum ad Eccleſiam huius nominis quam Arnulphus Magnus Flandriæ Comes ipſam in Virginem deuotus conſtruxerat, ipſo petente, magna ex parte tranſlatum fuit, concedente S. Gerardo Abbate. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Octaua Sanctorum puerorum Innocentium, quorum pignoribus ſacroſanctis plurimæ Galliarum Eccleſiæ ditatæ gloriantur. Æternæ vitæ tramitem hodie ingreſſus eſt beatus ROGERIVS primus Abbas Elinij cœnobij in Remenſi diœceſi, vir rigidiſſimæ vitæ, magnæque religionis, qui ſpiritu prophetico & Apoſtolicis ſignis ac virtutibus claruit: ad cuius tumulum infirmi fideliter accedentes eius ſuffragantibus meritis, ſanitatum beneficia receperunt. Item in valle roſarum decidit ſpecioſus totius virtutis ac regularis obſeruantiæ floſculus Beata ELIZABETH Virgo Ord. Ciſterc. ad cuius tranſitum ſymphoniæ Angelicæ ſuauiter perſonantes auditæ ſunt. *Rogerius.* *Elizabeth.*

Nonis Ianuarij. Luna

5 E XXVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	30	1	2	3	4	5			

VIGILIA Epiphaniæ. Senonis depoſitio Sanctorum Metropolis huius Epiſcoporum HONOBERTI ac HONVLPHI, qui memorabili ſerie Pontificatus ſedentes, paſtoralis vigilantiæ officiis, ac ſanctè actorum mirifica gloria, meritiſque opimis; hæreditatem Domini quam colendam cælitus ſuſceperant, fœcundantes, alterna vice & opera locupletarunt. Horum alter Honobertus patrem Honulphum ſic virtute prætergreſſus eſt, vt honore etiam Epiſcopatus antecederet. Alter verò Honulphus filij ſanctimonia ſua ætate præcipui ſacra veſtigia terens, dignus qui eidem ſubrogaretur tandem euaſit, ſicque prope eius pios ac præclaros actus imitatus eſt, vt quiſque in patre qui nati locum obtinebat, filium rediuiuum ſuſpiceret, atque impenſius ob propriam virtutem & filij denati memoriam eumdem veneraretur. Eodem igitur SS. Honobertus & Honulphus.

Pontificio munere sic ambo successiuè perfuncti, eiusdem apud Deum mercedis in cælo consortes effecti, pari apud posteros honotificentia consecrata nomina reliquerunt. Vnde & hactenus vna eadémque celebritate quotannis in Ecclesia Senonensi ex auita consuetudine percoluntur. In diœcesi Ruremundensi antiquæ Metropolis Rhemensis portiuncula: transitus sancti GERLACI ex milite, eremitæ & Confessoris egregij. Hic in Falcoburgensi tractu, prope Traiectum ad Mosam illustri stemmate progenitus, adolescens primùm ad militiam animum adiecit, Tribunúsque militum factus ea studia quæ castra sectantes æmulantur amplexus, matrimonióque etiam deuinctus, ex improuisa charæ coniugis suæ consternatus morte, abiecto equestri cingulo: cilicium & loricam supra nudum corpus induit, pedibúsque itidem nudis Romam pergens, apud Eugenium III. Pontificem Maximum, facta syncera exomologesi, pœnitentiam sibi iniungi congruam dolendis reatibus suis postulauit. Ex cuius præscripto Hierosolymam profectus, vt in Xenodochio pauperibus toto septennio ministraret, eo abiit, & summa cum humilitate vilissima sibi quæque officia, vt porcorum aliorúmque animalium custodiam demandari flagitans, eo in munere præfixum tempus, mira cum sui abiectione exegit. Hinc Romam rediens solitariæ vitæ cupidus, suscepta benedictione in patriam à Pontifice Adriano IV. remissus est. Vbi assumpta candida ordinis Præmonstratensis tum maximè florentis veste, veternosam & raræ crassitudinis quercum sibi circa radices excauari, & in eam magnam vim lapidum inferri iussit, hisque imponi textum ex stramine lectum, seu stoream, in qua cilicio semper sub religiosa chlamyde tectus, necessario somno corpus refecit, illicque totis 14. annis, austeram agens vitam, nempe ferè ad extremum vsque diem perseuerauit. Carne & vino à prima peregrinatione Romana semper abstinuit. Cibus ei fuit ex hordeo cineribus mixto, potus verò aqua frigida, è puteo vicino ob beatam eius memoriam etiamnum celebri. Venientes nihilominus ad se pauperes & peregrinos annuis suis soli & armentorum vectigalibus liberaliter tractabat, interim de suo rigore nihil vnquam remittens. Quamdiu corpore valuit omni die ad sancti Seruatij honorandas reliquias, summo mane sat difficili & molesto itinere perrexit. Sabbatinis verò singulis diebus ad memoriam Deiparæ Virginis Aquisgranum nudis semper pedibus incedens, piè peregrinando contulit: donec asello propter fatiscentem ætatem & pedis impedimentum vsus

GERLACVS.

vſus eſt. Deinde à maleuolis quibuſdam exciſa quercu in qua vir Dei cubuerat, Leodicenſis Antiſtes cui illius ſanctitas comperta erat, duas cellas, conſtrui fecit; quarum alteram eius habitationi anguſtiſſimam, alteram diuinis officiis paulo capaciorem, deſtinauit. Hanc Gerlacus ornandam curauit, & religioſum ſacerdotem adlegit qui ſacra ibidem faceret. Cæterùm qui ad ſe accedebant, eos vel ad virtutem pietatémque erudiebat: vel ſi erant improbæ vitæ, redarguebat. Nonnulli ſalutaribus eius exciti monitis, comam cum ſæculi amore deponentes, diuino ſeſe famulatui addixerunt: Inter quos vnus fuit, cuius ſemel detonſi pili nunquam amplius excreuêre. In Dominica paſſionis cùm ſibi è puteo ad ſitim leuandam, ſemel iterúmque aquam hauriri iuſſiſſet, eáque vtraque vice in vinum fuiſſet conuerſa: ipſemet ad puteum conceſsit, & hauſta iterum aqua tertiò in vinum mutata eſt. Demum cùm Dei famulo dies extrema immineret, & ſacerdos eius abeſſet, nec alius præſto eſſet qui Chriſtianæ pietatis adminiſtraret ſubſidia: fuſa oratione diuinam opem ſupplex implorauit. Nec fiducia ſua falſus eſt. Venit ſiquidem ad eum ſpecie venerandi ſenis niuea amictus ſtola, ſanctus Seruatius, quem peculiari affectu ipſe in vita coluerat, à quo ſacramentis omnibus ritu Catholico munitus, pridie Epiphaniæ, caſtum Deo ſpiritum reddidit, & vt voluit in memorato ſuo ligneo ſacello, thecæ incluſus, in profundiſſimam foueam (gloriæ omnis humanæ aſpernator) demiſſus eſt. At gemmam adeo pretioſam humo contegi diu diuina diſpoſitio non permiſit, ſed patulis clarificationibus paulò pòſt prodidit conſpicuam. diuina enim ope patefacta eſt fouea, è qua ſacrum corpus ſurſùm leuatum, peruium euaſit admirationi omnium ac venerationi. Ad quod ſpectaculum conuenientes plurimi languidi, ſancti Confeſſoris meritis ſanitatem recuperarunt. Duo etiam mortui fuêre ad vitam reuocati: cæcis inſuper reſtitutus viſus, claudis inceſſus; pleriſque aliis morbidis integra reddita valetudo. Quæ miracula, inſigne cœnobium virginum ordinis Præmonſtratenſis ibidem ſubinde excitarunt, in quo in hunc vſque diem beati huius cælitis ſacra pignora, condigno honore aſſeruantur, perpetuáque refulgent eius in clientes deuotos ſubſidia. Porro quamquam hodie ſanctus Gerlacus denatus ſit: feſtiuitas tamen eius, propter Epiphaniæ celebritatem, in ſecundam feriam quæ diem Pentecoſtes antecedit, Eccleſiaſtica lege tranſlata eſt: quia eo die poſt cœnobij illius conflagra-

B

tionem (patratam à nuperis Hagiomachis) ac reſtitutionem: oſſa illius reperta, denuo eleuata ſunt, puteúſque miraculoſus quem hi obſtruxerant, apertus ac emundatus, puros iam refundens latices, miraculis rurſus cœpit clareſcere. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Octauo Idus Ianuarij. Luna

6 F XXV. 25.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6			

EPIPHANIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Eodem die vbique, ſolemnis denunciatio Paſchatis per Archidiaconum. Remis Natalis ſanctæ MACRÆ Virginis & Martyris, quæ Diocletiano Imperatore, Rictij Vari ſæuiſſimi Præſidis iuſſu ob aſſertionem pietatis grauiſſima tormenta perpeſſa; ínque rogum præcipitata, at illæſa è flammarum globis egreſſa, poſt mammillarum abſciſſionem (& repentinam quam in carcere diuinitus recepit earum curationem) dum ſuper prunas accenſas & teſtulas acutas nuda volutaretur, cum precibus & gratiarum actionibus immaculatum Deo ſpiritum reddidit: ſícque in fide Chriſti inuenta inſuperabilis, de aduerſario magnificè triumphans, gemináque virginitatis & martyrij corona decorata, cælorum regnum feliciter ingreſſa eſt. Cuius ſacratiſſimum corpus non procul à loco agonis ſepultum fuit: illícque ob perſecutionis atrocitatem conditum delituit, quouſque tandem per cæleſtem viſionem, cuidam Landulpho reuelatum, in propinquam ædiculam ſancti Martini honorificè delatum, maximis ſignorum coruſcationibus refulſit. Quibus piè excitus vir quidam illuſtris nomine Dangulfus, Sanctæ Martyris cultui deditus, eximio decore baſilicam conſtruxit: ad quam veneranda eius pignora condecenti honore curauit transferri: vbi magna ſubinde miracula emicuerunt. In quibus illud maximè dignum eſt memoratu, quod cùm Hunni cæco furore ipſam Eccleſiam ſuccendere niterentur: Martyris præſidio flammæ, etſi tectum ædis ſacræ lambentes, ſtructuræ nihil penitus incenderunt: ſed ſine ardore micantes, potiùs ædificium vallarunt, quàm

SS. MACRA.

deturparunt. Redonis in minori Britannia Natiuitas, ordinatio ac transitus sancti MELANII Episcopi & Confessoris, qui spectabili ortus prosapia ex vico Ploelausio, è prima ætate non minores in virtutum omnium, quam in literarum disciplinis progressus fecit: adeo vt viuam quandam sanctitatis & sapientiæ imaginem, quam in beato Amando Redonensi Antistite, omnibus naturæ & gratiæ dotibus ornatissimo, cernebat, in se exprimeret. A quo & in sacram militiam ob patentem vitæ ac doctrinæ præstantiam cooptatus, sic se gessit, vt quot honorum gradibus augebatur, totidem virtutum incrementa proderet. Illo igitur ad piorum laborum messem euocato, Melanius vno omnium præconio Episcopus proclamatus, susceptum regimen tanta ingenij dexteritate & morum sanctitate administrauit, vt gregem sibi demandatum, & religionis studio florentem, diuina planè virtute efficeret. Ob quam Episcopalis vigilantiæ & vitæ sanctimoniæ gloriam, sancto Remigio Remorum Archiepiscopo, factus charissimus ab eo in pij moliminis subsidium euocatus est, quo Clodouæum Francorum Regem, Euangelicis informando institutis, Christo demum obsequentem & sacra vera colentem præstitit. Nec minus Regi, recèns expiato lauacro salutari, acceptus euasit Melanius: qui & eidem suasor fuit præcipuus, vt Ecclesias sui regni sub tot barbarorum per Gallias incursionibus antè spoliatas, censibus subleuaret, egenis multas eleemosynas (quibus vitæ piacula redimeret) largiretur, sacráque Gallicanorum Antistitum Comitia celebrari, ad diuinæ legis & Ecclesiasticæ disciplinæ vindicias præciperet. Synodus hæc prima Aurelianensis dicta est: cui Melanius non infimo loco interfuit. Cuius & decreta contexuisse à quibusdam existimatur. Nec dubium, capita quæ à Patribus definienda Rex proposuit, ab eodem, qui principalis esset eiusdem Consiliarius, fuisse delecta. Porro vir beatus tametsi Regi terreno sic obsequeretur: superno tamen Domino perenni mentis affectu seruiebat, cuius amplificandæ gloriæ, obseruandi beneplaciti, regnique prouehendi studiosissimus, ad eum quicquid ageret perpetuo nisu referebat: hoc maximè intendens, vt immaculata religio, per Gallias antè diffusa, sed postea collapsa, nouo exoriente regno ita restitueretur, vt in posterum egregiè stabilita inuiolabilis consisteret. His præclaris studiis incumbens sanctus Antistes, cùm multa etiam sanctitatis suæ testimonia, editis innumerabilium signorum virtutibus ostendisset, se-

MELANIVS.

nio laboribúsque fessus, ac meritis onustus è terris ad cælum æternùm beandus emigrauit. Hisque miraculis in tumulo clarificatus est, quibus gloriam qua apud Christum fruitur fecit omnibus conspicuam. De hoc legitur cælite beatissimo, superpositam eius sepulchro pallam, cùm fortè ignis attigisset, illæsam ab incendio fuisse repertam: sed nec Ecclesiam quam nobili fabrica ad eius venerationem corporis fideles, extruxerant, flammis exuri potuisse. Maclouiopoli in minori itidem Britannia sancti GVRVALLI Episcopi & Confessoris, qui ab ipso ætatis flore, primùm sæculi contemptu, & patriæ cælestis amore ordinem sancti Benedicti ingressus, cum variis virtutibus demicans, post sanctum Machutum primum Alethensis ciuitatis Episcopum, ad sedis huius gubernacula euocatus ac euectus, sic populo suo verbo & opere quid faciendum esset ad Deo complacendum indicauit, vt post diuturnum ac laudabilem præsulatum, multiplicatis Domini talentis gaudij æterni consequi meruerit præmium. Ipso die Autissiodori repositio seu translatio postrema sancti GERMANI Episcopi & Confessoris, cuius natalis dies colitur pridie Kalend. Augusti, prima translatio verò ipsis Kalendis Octobris. Hæc autem repositio contigit quando eius corpus è Cathedrali Ecclesia ad ædem sancti Mauricij transuectum, ipsius vt decus ampliauit, sic & titulum sua denominatione commutatum, fixum & perennem, (nam in hunc vsque diem perseuerat) in posterum reddidit. Remis repositio itidem sancti DONATIANI huius Metropoleos Antistitis & Confessoris, cuius transitus gloriosus quotannis celebratur pridie Idus Octobris. Corpus eius sacratissimum cùm in Ecclesia S. Agricolæ fuisset tumulatum, ibidem annis supra 400. iacuit quousque illud Ebbo Remensis Archiepiscopus, religioso munere transmisit Balduino Ferreo Marchioni Flandriæ, qui hodie illud collocauit summa cum veneratione in Ecclesia sanctæ Mariæ Brugis: vbi cùm crebris miraculis coruscaret, templi ipsius veteri mutata nuncupatione, Beati ipsius Donatiani nomen ædi ipsi sacræ, communi voce inditum est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

GVRVALLVS. GERMANVS. DONATIANVS.

LVCAS. Carne solutus hodie feliciter ad Christum migrauit B. LVCAS primus Abbas Cussiacensis in Episcopatu Laudunensi ordinis Præmonstratensis, Sanctissimi Patriarchæ Norberti discipulus, ex Archidiacono Ecclesiæ matricis Laudunensis: cuius institutum, moresque ita abundanter hausit, vt in sua conuersatione virtutum illius omnium consessus mirificè eluceret. Ea autem asperitate in Christi famulatu vitam egit, vt totus in spiritum transiisse, cæloque penitus hærere, in terra adhuc & carne positus non immerito videretur. Hu-

militate insuper, patientia & charitate præcellens, deuotione insignis in sanctissimam Deiparam, necnon miraculorum etiam gratia ac dono prophetiæ præclarus, stadio mortalitatis feliciter excessit. Obiit & isto die beatus GARINVS Episcopus Sedunensis, ob Apostolicas dotes S. Bernardo laudatissimus: cuius ordinis ante Episcoparum Abbas in Alpibus, mira in animarum conuersione & religionis prouectione peregit, inque Pontificatu sic cælo hæsit infixus, vt quæ contemplatione purissima hauriebat, in suam & omnium vtilitatem profunderet, sicque velut Seraphim Deo simul assisteret, & hominibus prospiceret & prodesset. Ipso die denascitur Delphis in rabantia venerabilis Virgo GERTRVDIS Oistensis, quæ ob singularem erga Christum passum pietatem, eius stigmatibus insigniri meruit. Garinus. Gertrudis.

Septimo Idus Januarij. Luna

7 G XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7			

NATALIS S. LVCIANI Antiocheni Presbyteri & Martyris, doctrina, eloquentia & sanctitate clarissimi, qui Nicomediæ sub Maximino Cæsare ob Christi confessionem passus, & in quatuor partes dissectus est: quibus singulis lapidibus alligatis, & in mare demersis, postridie in Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inuentum est, fideliúmque summa cum veneratione sepultum. At decursis aliquot inde sæculis id ex Oriente susceptum Carolus Magnus Arelatum detulit, ædificatáque ad eius honorem Ecclesiâ illic honorificè recondidit, per Turpinum Archiepiscopum Remensem: qua ex re Arelati festiua hodie tanti Martyris ex auito more colitur memoria. Senonis Inuentio sanctarum reliquiarum. Apud Cœnomanos S. ALDRICI Episcopi & Confessoris, qui post Franconem eam Ecclesiam regens eximia cum pietatis doctrinæ & cæterarum dotium Episcopalium gloria: æmulorum suæ celebritatis machinatione impetitus, sedéque sua deturbatus fuit. At deinde comperta eius innocentia sedis Apostolicæ iudicio, Gregoriíque IV. Papæ præcepto Cathedræ restitutus est. Postquam autem annos 14. Ecclesiam suam magna cum sanctitate & prudentia gubernasset, paralysi affectus scripta ad Patres Concilij II. Suessionensis epistola, sibi & viuo & defuncto orationum Ecclesiæ subsidia humiliter petiit. Quo promisso lætificatus, placido fine in Christo obdormiuit, & velut aurum in fornace probatum vas gloriæ factus, ad aulam cælestem euectus est. In tractu Andegauensi Natalis S. IVLIANI Martyris, cuius corpus in ascete- SS. LVCIANVS. ALDRICVS. IVLIANVS.

riolo ſeu Prioratu S. Ioannis ad Ligerim quieſcit condigno cum honore. Solemniaci cœnobio in Lemouicenſi diœceſi S.
Tillo. TILLONIS Abbatis & Confeſſoris, qui natione Saxo parentibus ſimulacrorum cultoribus natus puer in Veromanduis ſub haſta venditus, à S. Eligio poſtea Epiſcopo Nouiomenſi redemptus eſt, qui eum educandum & literis imbuendum ad ſanctum Remaclum Abbatem præfati quod conſtruxerat monaſterij miſit. In quo poſt ordinationem ſancti ipſius Eligij (cui interim fabrilia tractanti ſeruierat) factus Monachus, ſymmyſtis ſuis omni virtutum ſplendore præluxit. Quamobrem ſacerdotij honore decoratus, poſt ſancti Remacli deceſſum, præfectus Solemniaci renitens quamuis à ſancto Eligio conſtitutus fuit. Sed ſancto Antiſtite ad beatorum conſeſſum euocato, vir ſeceſſus & humilitatis amans, onus inuitè impoſitum ſponte excuſſit, atque in quamdam Aruerniæ ſolitudinem concedens, cellula ſe recluſit, radicibus modicóque pane & fontis propinqui poculo vitam ſuſtentans, ſicque in Dei obſequio & cæleſtium rerum ſpeculationi perſtitit, quoad vſque virtutis eius bonus odor circumquaque diffuſus permultos ad eum pertraxit, qui ſe Chriſto penitus ſub eius diſciplina dedicarunt. Trecentorum igitur aſcetarum factus eſt pater. At ne quicquam gloriæ ſanctitas explorata ſibi pararet, eò humilitatis deuenit, vt nec propriis alumnis nomen ſuum cognitum eſſe voluerit. A quibus paſſim Paulus appellabatur, bene conſtituta deinde illic ſeruorum Dei ſtatione: ab Angelo admonitus Solemniacum rediit, cui tum Gondobertus Abbas præſidebat, Cœnobitiſque in religionis ſtudio confirmatis imminente iam ſenectute, de Abbatis licentia in cella ſe reclusit quinque ſtadiis à monaſterio diſſita: Iuxta quam oratorium ſub nomine ſancti Eligij conſtitui fecit: cui ob recepta vitæ ſpiritualis principia impensè deuotus erat. Cúmque ad annum perueniſſet ætatis 90. felicis diſſolutionis cælitus factus præſcius, puerum miſit ad Ermenonem Lemouicenſem Epiſcopum enixè rogans, vt craſtina die ad corpus ſuum terræ mandandum veniret. Interea ſacris ritè ſumptis, fratrum cœtu circumſeſſus beatam animam vir ſanctus Chriſto reddidit. Epiſcopus autem qui tum infirmus lectulo decumbebat, cùm venire nequiuiſſet, audita illius morte, imploratáque eius apud Dominum ope repentè conualuit, venitque ad ſerui Dei exequias, cum monachis ſacri corporis ſarcinæ humeros ſuppoſuit: atque propriis manibus exuuias ſanctas compoſuit in tumulo, ſuper quas fornicem auro & argento bracteatam &

gemmis ornatam, ad indicium ſanctitatis & recepti beneficij monimentum fieri curauit. Cæterùm ſancti Confeſſoris gloria non illo duntaxat loco clara refulſit: vbi & felicis eius regiminis viget memoria, venerandáque oſſa & cineres eiuſdem congrua reuerentia aſſeruantur. Sed & Iſegemij in Flandria viciníſque locis etiamnum illuſtre eius nomen perſeuerat, vbi non modò vt patronus, ſed & tractus illius Apoſtolus, quem cùm ſancti Eligij miniſter eſſet, puriſſimæ vitæ ſplendore & diuinæ religionis lumine irradiauit, ab incolis celebratur & colitur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Pio hodie exitu deceſſit venerabilis memoriæ VITALIS Abbas Sauigniaci Ord. Ciſterc. virturibus & ſignis egregiè decoratus. Antuerpiæ in ſancti Saluatoris cœnobitica Eccleſia facta eſt ipſo die ſuſceptio reliquiarum ſancti HATHEBRANDI primi Abbatis antiqui monaſterij in Friſia: cuius depoſitionis memoria colitur 3. Kalend. Auguſti. *Vitalis.* *Hathebrandus.*

Sexto Idus Ianuarij. Luna

8 A XXIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8			

BELLOVACI triumphus S. LVCIANI Preſbyteri & Martyris, huiúſque municipij Apoſtoli. Hic vir beatiſſimus S. Petro primùm Antiochiæ adhærens, poſtquam ſalutis fonte ab ipſomet expiatus eſt, Chriſti nominis glorificandi cauſa, Romam cum eo perrexit: vbi religionis ſanctiſſimæ ſedem conſtituenti, ſedulam operam præſtitit. Petro deinde paſſioni Dominicæ adæquato, Lucianus Italiæ diuerſa loca perluſtrauit, vndique verbi vitæ ſementem diſpergens. Tum deinde Dionyſio Pauli communis Orbis terræ magiſtri diſcipulo Romam adueniente ſub Clemente Apoſtolico Pontifice: Romam & ipſe regreſſus vna cum eodem Dionyſio & aſſeclis in Gallias ab ipſomet Clemente ad ſalutis opus promouendum delegatus, ipſo in itinere Parmæ cùm euangelizaret, feruentiúſque fictitiorum numinum cultum inſectaretur, cæco populi furore raptatus per vrbem, pugníſque impetitus, & ſaxis conciſus in tenebricoſum carcerem coniectus fuit. Sed inde ereptus ope cuiuſdam pij viri nomine Domnini (quem Deus, vt ſtrenuum pugilem illuſtriori pugnæ reſeruaret ad hoc ſuſcitauerat) S. Dionyſij repetito comitatu, ouans Galliam palæ- LVCIANVS.

ſtram deſideratiſſimam,vna cum adeo inclyto duce & fortiſſimo myſticorum pugnatorum agmine, ingreſſus eſt. A quo poſtquam ille Lutetiæ Pariſiorum conſtitit, Bellouacum miſſus eſt, (militiæ Romanæ famoſiſſimam ſtationem, Ciuitatémque vt inter cæteras Galliæ percelebrem, ſic magis ſpurciſsimo idolorum cultui deditam;) vt veri Dei nomen, redemptioniſque humanæ, in cruce ab illo peractæ, gratiam, prædicaret. Non recuſauit Lucianus laborem, nec capitis diſcrimen, quod ex crudelibus tyrannorum edictis nuper aduerſus pios editis, & Præſidum immanitate, tunc ſi vnquam feruente, militúmque inſolentia impendebat. Intrepidè igitur prouinciam adorſus, egregius Chriſti præco & athleta, fidem illic annunciare cœpit, adeóque felici ore Euangellum publicauit, vt à dæmonum cultu, ad veri æterníque Dei, pro mortalibus paſsi agnitionem adorationémque triginta hominum millia, cùm in vrbe, tum in eo tractu degentium abducta conuerterit. Diuinæ viri facundiæ, mira morum ſanctitas auctoritatis plurimùm conciliabat: erat ſiquidem omni gratiarum copia exornatus, patientia inuictus, abſtinentia rigidiſsimus; nec enim alia alimonia, quàm herbarum virentium eſu veſcebatur, alióque potu quàm aqua frigida continui laboris æſtum attemperàbat. Sed ſuſtentabat eum cœleſtis ſubſidij victus, & membra debilia gratia diuina roborabat. Summæ etiam virtutis inſignia prædicationem eius confirmabant: cuius in dies vberior excreſcebat fructus, quo ipſe inſtantiùs munus Apoſtólicum perſequebatur. Cùm igitur eo agente vndique iam veritas Chriſti coruſcaret, vanáque ſimulacra paſsim iam contempta cernerentur: Iulianus Præfectus hac re exacerbatus, tribus ſæuis militibus imperauit, vt Lucianum, quem dicebat religionis omnis iuratum hoſtem, auctorémque impiæ ſuperſtitionis peſtilentem, quouis deprehenderent loco, trucidarent. Iuſſa mox impleturi feri emiſſarij properarunt. Iámque cùm appropinquarent, vir Dei pro concione populum vitæ præcepta edocebat. Qui agonis ſibi parati diuino lumine factus conſcius, minimè à prædicatione deſtitit: ſed paſſionis ſuæ imminentis præmonita fideli plebe, obnixè omnes hortatus eſt, vt in accepta per ſuam prædicationem fidei veritate, firmiſſimè ſtarent, nec vllis terroribus, aut ſuaſionibus, à ſalutis æternæ via ſeſe vnquam ſinerent reuocari. His dictis, conuerſis in cœlum puris obtutibus, immenſas Chriſto ſeruatori egit gratias, quòd inclyti ſui pugilis Dionyſij iam coronati, ipſum conſortem efficere dignaretur. Tunc egreſſus ab vrbe cum duobus pueris Maximiano & Iu-

liano, peruenit ad montem tertio ab vrbe lapide Tharæ fluuio imminentem. Nec mora carnifices adfuerunt, qui illum duris primo verbis aggresſi, de euerſo ab eo numinum ſuorum cultu, conceptiſque principum decretis, ſe vltionem factum veniſſe, Præfecti iuſſu denuntiarunt. Deinde cùm factorum bene conſcius, omnia à ſe piè & religioſè adeóque ad communem ſalutem facta intrepidè aſſereret: Chriſtique vnici omnium Domini ac redemptoris, liberiori quam vnquam præconio, fidem magnificaret & gloriam: apprehendentes eum iniquitatis miniſtri, vinctis manibus immaniter ceciderunt. Illóque in ſalutifera confeſſione conſtantiſſimè perſeuerante: vnus ex eis euaginato gladio caput eius abſcidit. Cadauer autem ſanctum mox lux supernè delapſa circumfulſit: abeuntibúſque ſatellitibus ſe diuina ope erexit corpus Martyris exanime, ac caput ſanctum manibus ſuis colligens, ſtabili greſſu, Tharæ vado tranſmiſſo, ad locum perrexit vbi elegerat ſe funeri commendandum, vno circiter ab vrbe miliari. Venientes autem aliquot pij viri, quos fidei verbo Chriſto pepererat, ſacerdotis ſanctiſsimi corpus aromatibus delibutum, condigno honore ſepelierunt: titulúmque eidem quo poſteris tanti martyrij memoria conſignaretur, perſcripſerunt. Porro ſepulchrum eius immenſis ſubinde clarificationibus diuina maieſtas honorauit: quibus non modò egregia eius merita propalata ſunt: ſed & immenſa beneficia opem illius piè depoſcentibus pro votis impertita. Eodem die ibidem natalis Sanctorum Martyrum MAXIMIANI & IVLIANI, qui ab ipſo beato Luciano religionis Chriſtianæ præceptis inſtituti & baptizati, cùm in propaganda Chriſti gloria eidem magno fidei ardore inſeruirent: vna cum illo impetiti à perſecutoribus, gladio perempti ſunt, & ſic egregij certaminis quod conſtantiſsimè pro Chriſto inierunt, palmam acceperunt immarceſsibilem. Metis S. PATIENTIS Epiſcopi: qui natione Græcus, S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, quartus ordine hanc Eccleſiam rexit, eámque adhuc tenellam ſpiritualis ſapientiæ lacte & diuini verbi pabulo enutriuit, ac ſanctitatis ſuæ glorioſis illuſtrauit inſigniis. Huic ferunt S. Ioannem à ſe abſcedenti, in pignus amoris vnum ex ſuis dentibus dediſſe: quem Metis vbi poſtea ſubſtitit, in ædicula à ſe, ſub amantiſsimi ſui ipſius præceptoris nuncupatione conſecrata repoſuit, perpetua obſeruandum veneratione. Cúmque multa in Epiſcopatu mirabiliter ac diuinè geſsiſſet, piis laboribus perfunctus ad cæleſtem euolauit beatitudinem. Auguſtoduni Æduorum depoſitio ſancti EGEMONII Epiſco-

MAXIMIANVS & IVLIANVS.

PATIENS.

EGEMONIVS.

pi & Confessoris, qui religione & doctrina florentissimus, S. Cassiano hac in cathedra succedens, omni Episcopali virtute & pastoralis officij exemplis gregi sibi credito præfuit. Demúmque spectata in multis sanctimonia clarus, diuina vt visione frueretur, quam vehementer ardebat, migrauit ad cælum. MAVRONTIVS. Apud Salmurum sancti MAVRONTII Abbatis & Confessoris, qui tempore Childeberti Regis, S. Florentij cœnobio præfectus, mira humilitate ac innocentia claruit. Cuius animam eo ipso die quo ad Dominum abiit vidit sanctus Hermelandus, in cælum ab Angelis ferri. FRODOBERTVS. Trecis eleuatio corporis Beati FRODOBERTI Abbatis & Confessoris, cuius Natalis claret anniuersario cultu Kalendis Ianuarij. GVDILA. Bruxellis sanctæ GVDILÆ Virginis. Hæc illustri genere nata Vvitgeri Comitis & S. Amalbergæ filia, sorórque S. Emenberti Cameracensis Episcopi, ac sanctæ Pharaildis Virginis, de sacro fonte à S. Gertrude suscepta fuit; à qua etiam sanctè instituta, vt ætate sic virtutibus Christianis progrediens, sese religiosè in sanctæ pietatis officiis exercuit. Defuncta verò S. Gertrude, ad domum patris ex Niuella reuersa, viam iustitiæ semper retinens, piè per omnia & purè vitam transegit. Crebro autem cùm frequentaret, etiam de nocte, oratorium Saluatoris, diabolus huic deuotioni insidians, lucernam extinxit quam pedissequa ferebat: sed beata virgo orationis efficacia & fidei virtute lumen extinctum reparauit. Quæ tandem vigiliis, orationibus, ieiuniis ac eleemosynis assidua, cùm multa omnium virtutum exercitia edidisset, bonorum operum cumulis ditata in Domino feliciter obdormiuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Torphimus. Eodem die perrexit ad Christum, beatæ memoriæ TORPHIMVS, Episcopus Hamatiæ in Noruergiæ regno, qui quòd violatores Ecclesiasticæ libertatis zelo sacerdotali oppugnaret, sede sua eiectus, Brugas in Flandriam venit ad monasterium Dustanum Cisterc. ordinis, cuius à pueritia alumnus erat: vbi cùm 30. hebdomadas hospes resedisset, morbo pulsatus ad requiem, felici fine quieuit. Ex cuius tumulo centum post obitum annis aperto, diuinæ suauitatis odor manauit, cuius fragrantia totum templum perfusum est. *Bernardus.* Obiit etiam hoc die placido exitu BERNARDVS Monachus eiusdem ordinis, quem fugientem ostensione vulnerum suorum Christus Dominus ad cœnobium reuocauit: tótque insuper charismatibus pœnitentem exornauit, vt ante & post mortem etiam signis claruerit magnificis.

Quinto Idus Ianuarij. Luna

9																B XXII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9			

DIVIONE Natalis sanctæ PASCHASIÆ Virginis & Martyris, quæ à sancto Benigno Burgundiæ Apostolo, Euangelica veritate illustrata, post eius gloriosum agonem, ibidem Christi fidem, eximia sua sanctitate & zelo pietatis intensissimo, plurimùm propagauit. Quamobrem ab impiis dirè exagitata, atque squalore carceris inediáque diu afflicta, demum cùm nullis minis ac terroribus à puro numinis cultu abduci posset, quin potiùs multos suæ admirandæ patientiæ & fortitudinis inspectores à spurcissima idolorum religione reuocaret, capitis damnata, atque in rogum vehementem coniecta, inter furentes flammarum globos, Christi redemptoris venerabile nomen, maiori quàm igneo ardore prædicans ac collaudans, purißimam animam efflauit. Eodem die in Normania Monasterio Fiscanensi depositio sancti VVANINGI Confessoris. Qui stirpe & virtute illustris, opibúsque præpotens, plurima prædia votiuo munere ad vsum seruorum Christi contulit: próprióque & vnico filio, spirituali militiæ, sub felici S. Vvandregisili moderamine mancipato, facultates suas omnes in pietatis opera erogauit. Cœnobia etiam multa construxit. Fiscanense autem admonitione S. Eulaliæ Virginis & Martyris sibi diuinitus apparentis, in prædio quo morabatur ædificans, ipsius memoriæ consecrauit: vbi exulem suscipere & fouere promeruit S. Leodegarium Augustodunẽsem Episcopum, postea Martyrem. Tandémque eiusmodi & aliorum operum bonorum manipulis ditatus, quin etiam diuinis visionibus ac reuelationibus honoratus, ad æternum commigrauit gaudium. Arelate translatio reliquiarum S. ANTONII Anachoretæ magni, è cœnobio Montis maioris facta ad Ecclesiam sancti Iuliani Martyris, cum solemni pompa & affluenti Comitatus Venusini Phocensis prouinciæ & Gotthiæ Gallicæ populorum concursu. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SS. PASCHASIA. VVANINGVS. ANTONIVS.

Obiit hodie beatæ memoriæ PETRVS Monachus Cœnobij Cadunij in diœcesi Sarlatensi, vir æquè religiosæ vitæ actibus ac miraculis, ante & post mortem insignis. *Petrus.*

Quarto Idus Januarij. Luna

10																C XXI.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10			

SS. GVILIELMVS.

BITVRICIS Aquitaniæ Metropoli depoſitio ſancti GVILIELMI eiuſdem ſedis Archiepiſcopi & Confeſſoris. Hic nobilis genere, parentum cura optimis diſciplinis, moribúſque imbutus, Sueſſione primùm, tum Pariſiis factus Eccleſiarum matricum Canonicus, relicto ſæculo ad Grandimontenſem Eremum, deinde arctioris inſtituti deſiderio ad Ciſtercienſem ordinem apud Pontiniacum ſe tranſtulit. Cuius monaſterij Prior electus, poſtea famâ religionis ſuæ magis ac magis increſcente, factus Abbas Fontis Ioannis, ac ſubinde Caroli loci: tandem ob præcelſa merita, Spiritus ſancti afflatu, inter Miſſarum ſolemnia Archiepiſcopus Bituricenſis, poſt obitum Henrici, ab Epiſcopis comprouincialibus & Clericis renũtiatus eſt. Cui deſignationi cùm initio valde reniteretur: tandem tum Abbatis Ciſtercienſis, tum Apoſtolici Legati in Galliis tunc agentis mandato aſſentiri compulſus, ſic gregis adeo numeroſi curam ſuſcepit, vt à conſuetis religionis exercitiis, & cæleſtium rerum præſertim meditatione minimè auelleretur. Sic etiam illis vacauit ſtudiis, vt ouilis ſalutem, tanquam bonus paſtor diligenter & ſedulò curaret. Etenim ſuſcepti ordinis nec obſeruantiam relaxauit, nec habitum mutauit: corpus vt antea aſperrimo cilicio afflixit: carnibus etiam cùm ægrotaret nuſquam veſci voluit: paupertati ſpiritus & humilitati magis quàm antea ſtuduit. Porro circa miſericordiæ opera intentiſſimus, aduerſus delinquentes ita ſe geſſit, vt ſua peccata lugentibus valde lenem & benignum, duris verò corde atque in culpa pertinacibus, ſeſe admodum ſeuerum oſtenderet. Cæterùm cùm tanta ſanctimoniæ laude in Epiſcopatu ageret, hortante Innocentio III. ſummo Pontifice, contra hæreticos Albigenſes proficiſci volens, dùm itineris neceſſaria pararet, acutiſſima febre correptus, nihilominus concione habita in Eccleſia, qua ſuos ad Dei timorem & piæ mortis ſtudium adhortabatur, ſentiens inſtare tempus migrationis ſuæ, totum ſe ad ſuperna conuertens, Chriſtianæ pietatis ſubſidia humiliter expetiit. Sacro igitur oleo vnctus, cæleſtique viatico roboratus,

boratus, inter medias preces, benedicens fratribus in cinere depositus, immaculatum spiritum suo reddidit Redemptori. Quo die autem migrauit sanctissimus Antistes, quasi globus igneus instar sideris coruscantis supra sancti Stephani Protomartyris basilicam apparuit: defunctique vultus, velut quondam ipsius Stephani, Angelico fulgore resplenduit. Sepultus autem in ipsa Bituricensi maiori Ecclesia, miraculis quibus in vita enituerat magis refulsit: ob quæ diuina glorificationis suæ testimonia, ab Honorio III. Pontifice in Sanctorum album relatus est. In agro Lemouicensi sancti VALERICI Confessoris & Eremitæ, qui in secunda Belgica sub Rege Clodoueo magno, ingenuis natalibus ortus, cùm ab insita naturæ præstantia, ad omnem virtutis habitum mirabiliter formatus esset, à primis annis religioni deditus, sacro scripturarum diuinarum eloquio incubuit; quarum studio, cælestis vitæ affectibus incensus, virtutum omnium at maximè humilitatis cultum actibus suis exhibuit. Adeout cum miraculorum etiam gratia diuinitus decoratus esset: quorum fulgore emicanti sanctitatis eius fama percrebrescebat, vt humanæ laudis auras vitaret, secessum à solo natali remotum, vbi soli Deo notus degeret, cogitauit. In Aquitaniam igitur profectus, audita miraculorum celebritate, quæ ad tumulum sancti Martialis magis in dies coruscabant, Lemouicas venit beatissimi opitulatoris apud Deum præsidium vigiliis & orationibus efflagitans, quo sibi solitariam vitam meditanti consilium felicis successus affulgeret. Diuino igitur lumine irradiatus in montem saxis asperrimum frondibúsque vmbrosum, prope id oppidum (cui postea sancti aduenæ memoria nomen indidit) se recepit: sibi à Clericis Ecclesiæ beati Martialis designatum: illícque cellulam construxit; in qua cælestem militiam exorsus, puri famulatus Deo obsequia reddere instituit, vigiliis, ieiuniis & orationibus assiduus. Nec sua ex statione vnquam pedem dimouit, nisi festis solemnioribus, quibus beati Iuliani Martyris prope sitam Ecclesiam, vel etiam aliquando sancti Martialis sepulchrum, magno cum religionis affectu visitabat. At latere cupientem diuinæ virtutis magnificentia, quæ eum circumfulsit inuitum propalauit: ex huius enim miræ conuersationis actibus, cum è solitudine splendor accolis circum degentibus refulsisset, concursus ad eum fieri cœpit infirmorum opem enixè eius deposcentium, quos ille precibus fusis impressóque crucis signaculo recreabat. Energumenos siquidem à dæmonum agitatione liberabat, lunaticis mentem tranquillam, cæcis visum,

VALERICVS.

claudis incessum restituebat. Cúmque diù tam signis quàm virtutibus claruisset vir sanctus confectus senio, susceptis cum incredibili pietatis sensu sacris mysteriis, terreni carceris mole deposita, ad æterna tabernacula commigrauit. Inque sancti Iuliani Martyris, quem ex cælitibus propensius coluerat æde sepultus, clariora præstitit mortuus quam viuus suorum meritorum insignia, quæ æternæ venerationi nomen eius ac pignora apud posteros consecrarunt. Eodem die Ambianis translatio

FIRMINVS. sancti FIRMINI Episcopi & Confessoris, cuius natalitius dies colitur Kalendis Septemb. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

OBIIT hodie, beatæ memoriæ Gregorius Papa X. qui ex Archidiacono Leodicensi, cùm in Palæstina pro Christi obsequio ageret, miniméque esset ex Patrum purpuratorum numero, ob spectatam vitæ integritatem, & præcipuum religionis studium, creatus est summus Pontifex, merita eius prædicante sancto Bonauentura tum Minorum ordinis Ministro generali. A quo data sibi absenti laudum præconia, iam factus Pontifex, sua præstanti virtute ac sanctimonia verissima fuisse comprobauit. Nam & viuens religiosissimè Ecclesiam gubernauit: & moriens ea pietatis suæ reliquit testimonia, vt qui sanctis beatis deferri solent honores, apud multos consecutus sit; potissimum Aretij in Tuscia, vbi iacet, & pro canonizato colitur. Villarij in Brabantia exuit quoque mortalitatem piæ memoriæ OLIVERIVS monachus, vir non tam nobilitate

Oliuerius. generis (quo perillustri processit) quàm eximia vitæ castimonia præclarus, strenuóque mundi contemptu, & syncero Christi amore commendabilis.

Tertio Idus Ianuarij. Luna

D XX.

11

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28

t u A B C D E f F G H M N P

29 30 1 2 3 4 5 6 6 7 8 9 10 11

SS. SALVIVS. AMBIANIS sancti SALVII Episcopi & Confessoris. Hic ab ipso ætatis flore, per omnem meliorum artium ac disciplinarum tramitem incessit, éxque diuinarum præsertim literarum fontibus tam liberaliter hausit, vt inundatus rerum diuinarum scientia, mores ab omnibus corporis illecebris auocatos, ad omnem sanctitatis laudem composuerit. Christo inde & Ecclesiæ sacros per ordines arctiùs deuinctus, cùm magna omnium virtutum & doctrinæ lumina proderet, Sancto Honorato Ambianensi Episcopo, æternæ beatitudinis iura capessenti, non sine diuinæ voluntatis significatione subrogatus, ex collecto sapientiæ thesauro promere, & subditos nunc à vitiis dehortari, nunc ad innocentiæ & pietatis cultum, non minus vitæ morúmque exemplo,

quam voce inuitare cœpit. Auctus verò Spiritus ſancti chariſmatibus multa etiam diuina ac mirabiliter operatus eſt : quibus & Chriſto gloriam & ſibi venerationem, ac infirmis ſanitatum ſolatia plurima conciliauit. Sicque ſupernæ gratiæ panoplia perornatus, lorica iuſtitiæ circundatus, ſcuto fidei munitus, charitatis chlamyde indutus, decurſa feliciter virtutum palæſtra ſtolam immortalitatis emeritam, à Rege gloriæ pro præmio accepit. Eodem die ſancti BEANDANI Abbatis & Confeſſoris, qui ſolo natali Hibernus, ex parentibus generoſis ortum duxit : atque magnanimus Chriſti pugil, Catholicæque Eccleſiæ his in partibus ſtetit inſuperabilis columna, aduerſus Britannos hæreticos, infenſiſſimos eius hoſtes. Sed ab his demum patria expulſus, maledictis illis ex zelo pietatis, ad Gallias ſecurum Sanctorum azylum tranſiuit, vbi normam ſancti Benedicti, tum maximè illic florentem, cum ſuis comitibus amplexus Chriſto ſtrenuè militare cœpit, à quo in gratæ ſeruitutis teſtimonium, copioſa ſignorum gratia illuſtratus eſt: póſtque virtutum opimam meſſem, relictis multis ſanctæ conuerſationis imitatoribus, inter pias preces, & ſuorum diſcipulorum gemitus, ad beatorum optatam proceſsit ſocietatem. Hoc ipſo die in Aquitania depoſitio ſancti PETRI dicti Vrſeoli, diſcipuli ſancti Romualdi, & quondam Venetiarum ducis. Qui Guarini Abbatis religioſiſsimi, & ſancti ipſius Romualdi exhortationibus ducatum relinquens, atque in Gallias deliteſcendi deſiderio concedens, in eodem cœnobio habitum monaſticum aſſumpſit : omnibus humilitatis, abſtinentiæ, patientiæ & pietatis actibus ad extremum vſque diem inſiſtens, miraculiſque etiam conſpicuus, præſentem cum æterna vita, ea ipſa hora qua Chriſtus pro mundi ſalute Cruci affixus expirauerat, feliciter commutauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

BEANDANVS. PETRVS.

Pridie Idus Ianuarij. Luna

12 E XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
30	1	2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12			

GRATIANOPOLI Natalis ſancti FERGEOLI Epiſcopi & Martyris, qui poſt Clarum ea in Cathedra ſedens, cùm FERGEOLVS.

boni pastoris munia expleret, iustitiámque & ecclesiasticam libertatem animo verè pontificio tueretur, sede deturbatus ab Ebroino Tyranno, cum aliis plurimis sanctissimis Præsulibus, qui eius nefandis molitionibus ex Dei zelo & proximi amore renitebantur: primùm in exilium pulsus, deinde etiam dura nece iugulatus est: sicque laminæ pontificali adiuncta martyrij pro iustitia initi laurea, ad æternos triumphos euolauit. Eo-

SATYRVS. dem die Natalis sancti SATYRI Martyris, qui in Achaia transiens ante quoddam idolum, cùm edito in se signo crucis illud exsufflasset, atque in puluerem redegisset, eam ob causam ab impio Iudice comprehensus, recepta mortis sententia, capite truncatus est. Cuius reliquiæ deinde Maclouiopolim in Armorica delatæ, celebrem eius memoriam ibidem reddiderunt.

IOANNES. Leodij memoria sancti IOANNIS Papæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Sugerius. OBIIT vir venerabilis SVGERIVS Abbas sancti Dionysij, qui pietate, prudentia, doctrina nulli in suo ordine secundus, magna omnino sua ætate excruit præcelsæ religiosæque mentis lumina. Nam cœnobium suum Abbatum præcedentium desidia nonnihil collapsum moribus, ad instituti eximiam disciplinam reuocauit: basilicam, in ruinam ex vetustate pronam, magnificentissima structura instaurauit, atque pretiosissima supellectili sacra, ornatúque multiplici instruxit. Ludouico VI. Francorum Regi, cui ob probatam solertiam & religionem acceptissimus erat, consilio ac opera plurimùm profuit: Regnóque vniuerso prouidentia & pietate singulari magna commoda contulit. Nec modò Gallicanæ Ecclesiæ, sed & Catholicæ sedique Apostolicæ egregia præstitit obsequia atque solatia. Ob quæ gloriosa facinora, decoráque purissimæ conuersationis præclaris elogiis à sancto Bernardo Abbate Clareuallensi, & Petro Venerabili Cœnobiarcha Cluniacensi suis coæuis meruit commendari: atque ab Eugenio Papa III. qui sæpè eius opera in magnis rebus vsus est, publicis præconiis honorari. Sed singularis modestiæ vir in his laudibus, (quas meritò sibi parabat:) actionum tot insignium, sanctorúmque operum scopum minimè constituebat: cui soli Deo seruiendo complacere, patriæque prodesse ad æternam temporaléinque salutem, pura intentio, præcordiis altè infita, perpetuò hæsit: vti ex sinceris affectibus eius, quos scriptis suis prodidit, quæ etiamnum supperunt, liquidum est: In quibus cùm Christi gloriam perpetim spirat, tum Ecclesiæ vtilitates promouet, detrimenta auertit: Religioni ex animo prospicit, sanctos viros honorat, consulit, impellit: improbos coërcet, deuios reducit. In quibus & ipsum Ludouicum Regem (cuius gesta literis mandauit) bellico furore sacris locis dispendia sub regni initio inferentem, laxioribúsque habenis excurrentem, ad eam pietatis & iustitiæ obseruantiam perduxit; vt religiosissimo fine è viuis excesserit, magnámque posteris reliquerit receptæ à se, ob eximium sanctissimæ religionis cultum, supernæ remunerationis persuasionem. Qua & mercede perdignum obiisse Sugerium par est ex Dei æquitate ac misericordia arbitrari: cuius vita castissima & actuosissima tota cessit ad æternæ illius maiestatis glorificationem. Transiit autem hic venerabilis Pater inter verba orationis & Symboli anno Domini 1152. 70. ætatis suæ, à susceptione autem habitus ferè 60. Prælationis 29. Cuius exequiis Rex Christianissimus Ludouicus septimus, dictus Iunior (qui à fletu temperare non potuit) séxque Episcopi, cum multis Abbatibus, magno cum Clericorum ac procerum conuentu, incredibilique multitudine populi interfuerunt, qui cum vniuersi vt communem omnium Patrem planxerunt: quemadmodum in monu-

mentis inclyti illius monaſterij cernere eſt ad eius memoriæ commendationem conſignatum. In cuius etiam cœnobij Kalendario fatalis hic eius dies, vice Natalitij, rubris apicibus annotatur.

Idibus Januarij. Luna

13 F XVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
1	2	3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13			

OCTAVA Epiphaniæ Domini. Auguſtæ Treuirorum ſancti AGRITII Epiſcopi & Confeſſoris glorioſiſſimi: qui cùm Romæ magna ſanctitate floreret, pollerétque doctrina excellenti, à ſancto Silueſtro Papa ordinatus Epiſcopus, atque Treuiros ad regendam Eccleſiam Mauricij obitu præſule deſtitutam miſſus, illam magnis paſtoralis ſolertiæ ac pietatis ſubſidiis fulſit: eáque refulſit ſanctitatis gloria, vt beatorum anteceſſorum conglobata decora virtutum, vnus ipſe, egregiis dotibus ac actibus referret. In eo enim (vt paſſim dicebant omnes) tanta gratiæ vbertas eminebat, vt apicem dignitatis titulo ſanctitatis ornaret. Quem Helena Imperatrix ob præclara religionis & ſapientiæ merita ſic coluit, vt Româ Treuiros proficiſcentem ad Epiſcopatum obeundum, pretioſiſſimis muneribus honorârit: potiſſimum tunica Domini inconſutili, vno clauorum dominicæ crucis, & corpore beati Matthiæ Apoſtoli: quæ aliáque ſacratiſſima pignora ſanctus vir lætus afferens, per diuerſas ſuæ Metropolis Eccleſias diſtribuit. Dominica equidem monumenta in ſummo ſuæ ciuitatis templo depoſuit: ſancti autem Apoſtoli Matthiæ venerandas exuuias, propria in æde quam in eius memoriam ſacrauit, collocauit: vnà cum corporibus SS. Patrum Eucharij, Valerij & Materni, ſedis Treuirenſis coryphæorum. Deinde Concilio Arelatenſi I. cum præcipuis Galliæ, Italiæ, Africæque Epiſcopis interfuit: ſubſcripſitque actis ad prædictum beatum Silueſtrum orbis patrem, ex more Eccleſiaſtico, cauſa impetrandæ auctoritatis tranſmiſſis. Ac demum peracto præclari Epiſcopatu decurſu, ad laborum cæleſtem remunerationem felici tranſitu profectus eſt. Ipſo die Pictauis ſancti HILARII Epiſcopi & Confeſſoris illuſtriſſimi, qui ex pago Claro, non procul à caſtro Paſſauantiæ, ipſo in Pictauienſi agro, nobili familia cui à Mureto nomen, patre Francario natus: ab ipſis incunabulis qualis Chriſti pugil futurus eſſet, generoſa indole ſapientiæque

SS. AGRITIVS.

HILARIVS.

præmaturæ indiciis, præmonſtrauit. Quem tamen vt non naturæ viribus, ſed gratiæ dono ad tantam qua poſtea gloriam in Dei hominis propugnando honore euaſit quiſpiam, perueniſſe exiſtimaret: diuina diſpoſitione, in primis ætatis annis, obtuſo ingenio fuiſſe, ab tramitis eius obſeruatoribus magis accuratis, proditum eſt. At ſigno non infelici excitatus, animo calcar addidit. Romámque primùm, deinde in Græciam profectus, ſapientiæ & raræ eruditionis ac eloquentiæ, aſſiduo decennij ſtudio, ornamenta comparauit: eáque præcellentis doctrinæ gloria inſtructus in patriam rediit, qua cùm vix parem reperiret, multos ad haurienda ex ore ſuo non modò humanarum litterarum, ſed & Euangelicæ ſapientiæ fluenta, raperet; iis ex dotibus partâ ingenti ſui nominis celebritate. Aperto igitur lycæo, ex quo Academiæ Pictauienſis origo dicitur emanaſſe: tum ſcientiæ, tum pietatis admirabilis palam emiſit flumina, quibus cùm multos foro, tum maximè Chriſti obſequio idoneos imbuendo effecit: inter quos Sancti plurimi prodierunt, qui quam ſub eius diſciplina imbiberunt virtutem & doctrinam, affatim in Dei cultum & religionis decus ac augmentum poſtmodum prodidêre. His cùm clareret Hilarius inſigniis, puellæ nobili ſacro fœdere copulatus, caſti connubij pignus vnicum, Afram nimirum filiam quam Chriſto deinde deſponſauit, virginem tulit: ínque matrimonio ea ſanctitate ſe geſſit, vt monachi potiùs quàm vxorati vitam ageret. Hinc contigit vt exeunte ab humanis Paſcentio Pictauorum Præſule, Hilarius ipſe propter ſingulares virtutes, magno omnium deſiderio Epiſcopus crearetur. Quo munere ſanctiſſimè fungens, Arianam hæreſim tum dirè ſæuientem, ac latè pullulantem, ſtrenuè admodum inſectatus, Orthodoxæ labentis fidei, ac Catholicæ gementis Eccleſiæ, ſe inſuperabilem præſtitit defenſorem. Quamobrem multis Arianorum petitus inſidiis, tandem Saturnini Primatis Arelatenſis, & quorumdam Pſeudoepiſcoporum factione, inauditus, quamuis præſens in Synodo Bitterenſi damnatus, atque in Phrygiam relegatus eſt. Multa illic exul diuinè geſſit, libróſque plurimos cæleſti planè doctrina contra ipſos hæreticos confecit. Inde verò quadriennio pòſt ad Seleucenſem Synodum euocatus, ſcelerata illorum dogmata palam confutauit, ſingulari prudentiæ & pietatis ſignificatione. Hoſtibus autem deuictis, ne quid in veritatem per falſas ſuggeſtiones liceret: hinc pro ſe legatione functus Conſtantinopolim ad Imperatorem profectus eſt: extremóque competto fidei diſcrimine, libris publicè euulgatis Imperato-

ris audientiam popoſcit, vt coram de fide ipſa, cum Vrſacio & Valente Arianæ perfidiæ ducibus, diſputaret. At illi, tanti viri doctrinam ac vim eloquentiæ formidantes, congreſſum refugerunt, egerúntque ſubdolis perſuaſionibus, vt Conſtantius Imperator ſpecie honoris ſanctum Antiſtitem ad Eccleſiam ſuam remitteret. Redeundo Hilarius Mediolanum petiit (tantæ ciuitatis miſeratus) vt Auxentium hæreticum Præſulem, gladio orthodoxæ veritatis percelleret. Quem aggreſſus palam conuicit quidem: at minimè conuertit, in aperta impietate gloriantem. Ex quo tamen conflictu id proſperè ceſſit, vt res orthodoxorum ſicut prouectæ ſunt: ita Arianorum ex eo die, magis ac magis labi cœperint; nec deinceps Auxentio ipſi honos aut fides haberetur, quem ſepultum ab Hilario probi quíque ac improbi pugnæ inſpectores, vltro prædicarunt. At Hilarius dum reliquias contagionis tollere nititur, hæreticorum machinatione, hinc excedere ſub Imperatoris mandato compulſus eſt. Ad ſedem igitur reuerſus, totum eò conuertit ſtudium, quo Gallia vniuerſa, repudiata penitus Ariana impietate Catholicam fidem, ore vno profiteretur. Coacta igitur in vrbe Pariſiaca Synodo, ad quam eius pia inſtantia Gallicani Epiſcopi conuenêrunt: ſic egit cum eis egregiûs pietatis vindex, vt damnata hæretica fidei formula, quam Ariani Arimini procuderant: Catholica fides omnium calculo comprobata, atque aſſerta fuerit: Ipſo Saturnino Arelatenſi Galliarum corruptore, ſede eiecto, excommunicatíſque Auxentio, Vrſacio, Valente, Gaio, Megaſio, cæteríſque impij agminis vexilliferis. Erecto hoc trophæo Chriſti Seruatoris vindicatæ maieſtati, Hilarius iam ſenex ad ſedem rediit, atque omni cum tranquilitate & ſanctitate Eccleſiam ſuam adminiſtrauit, cui annis octo aſſiduè præfuit, ex quo, ab exilio redux factus eſt. Cæterùm tot triumphis clarus athleta Chriſti, tandem non tam emeritæ quietis & coronæ, quàm Domini ſui glorioſi conſpectus deſiderio feruens, exceſſus ſui diuino lumine factus præſcius, lectulo decubuit, modicáque pulſatus febre, inter orationis & glorificationis diuinæ præconia, ſpiritum exhalauit, Angelis Apoſtolíſque in gloria pro meritis ſociandum. Nonniſi audita ciuitatis requie, medióque noctis ſilentio, Chriſtianæ pacis aſſertor expirare potuit. Expirantis verò faciem immenſus fulgor inuaſit: atque ex defuncti corpore ſuauiſſimus emanauit odor: quibus myſticis indiciis & bonorum operum fragrantia, & doctrinæ cæleſtis candor, quo orbem vniuerſum impleuit illuſtrauítque, diuinitus propala-

tus est. Operum merita, quæ sanè præcelsa Deus nouit, Ecclesia vniuersa miratur. Sapientiæ verò pretiosa monumenta supersunt, quibus etiamnum hæreses iugulat, mores informat, pietatem docet atque tuetur Doctor semper egregius, quem non modò sanctitate & prodigiis celebrem, at etiam dogmate irreprehensibilem, eloquentia incomparabilem, soliditate singularem patres quíque sanctissimi ac præstantissimi decantârunt: iisque elogiis ornârunt, quibus postea neminem. Obiit autem Valente & Valentiniano Imperatoribus anno Christi 369. ipso sole magis conspicuus. Ad cuius transitum solùm plorasse, cælùm plausisse, non abs re plerique iam extunc in orbe promulgauerunt. Eodem die Durocorti Remorum secundæ Belgicæ Metropoli, sancti REMIGII Episcopi itidem clarissimi & Confessoris. Hic Æmilij Laudunensis Comitis & sanctæ Ciliniæ ex cælesti repromissione filius, in ipso pueritiæ ingressu, se diuinis benedictionibus præuentum indolis bonitate & multiplici qua iam enitebat gratia propalauit. A parentibus autem literis traditus imbuendus, breui non solùm coæuis, sed & natu maioribus doctrina & morum maturitate ac innocentia longè superior euasit. Per se enim ferebatur ad virtutem, culturæ patientissimum animum præbebat, nihil verò leue aut ludicrum, sed religiosa quæque ac honesta præclaráque omnia consectabatur. Cúmque ob doctrinæ profectum & inclytam parentum familiam, maximos in sæculo honores sperare posset: cælestia & æterna animo verè regio complexus, vt fumos & vmbras caduca deuitaret; adhuc adolescens Lauduni reclusus vixit totus à Deo pendens: religionémque diutina meditatione hauriens, cuius salutaria fluenta postea in multorum vtilitatem eum profusurum superna prouidentia destinabat. Mox igitur lucerna ardens & lucens omnium aspectibus, quamuis latere contenderet, patuit: sanctitatísque studiis & meritis circumquaque sic eluxit, vt defuncto Bennadio Remorum Archiepiscopo, in eius locum, ob singularem pietatem ac doctrinam, egregiámque omnium de ipso expectationem, non sine diuinæ vocationis prænuntiationibus, adolescens adhuc ætatis anno 22. consonis omnium votis electus fuerit. Sed is constanti modestia renitebatur, infirmitatem ætatis causatus, quam ad tantum onus fastigiúmque dignitatis, lex ipsa Ecclesiastica vetaret. Vrgente nihilominus feruidis acclamationibus populo: diuino iudicio, acquiescere omnium postulationi compulsus est. Cælestis enim radij lumen cunctis videntibus super ipsius verticem continuò descendit,

REMIGIVS.

quo electionem eius Deo placere cùm innotuisset: omni posthabita dubitatione, à Præsulibus prouinciæ Remensis, magno Cleri ac plebis applausu, consecratur. Nec alio liquore vnctus est, quàm supernè demisso vnguento, quo eius caput apparuit delibutum. Ad officium pontificale tam magnifica designatione prouectus, ad pristinas virtutes multam sanctimoniæ accessionem fecit. Largus in eleemosynis, sedulus in vigiliis, attentus in orationibus, in humanitate gratissimus, in charitate profusus, in doctrina præcipuus, ita vt iam non adolescens, sed absolutus per omnia Episcopus cunctis meritò videretur. Quibus dotibus præfulgens, Francos adhuc ethnicos in sui venerationem & Christianæ religionis existimationem sensim pellexit, eósque tandem prædicatione ac sanctè factis & miraculis, ad Christi seruatoris cultum perduxit. Nam assiduis cohortationibus quibus ipsum Clodouæum regem ad salutem inuitabat; tandem eum concussit, atque fauente diuina gratia, plenè institutum Christianæ legis præceptis obsequentem, fidei baptizauit, & cælitus delapso chrismate consecrauit: innumerósque cum eo ex ea gente sacro lauacro expiatos, Christi ouibus adiunxit: vnde & Apostoli Francorum nomen ipso Apostolicæ sedis præconio promeritus est. Et Apostolico quidem decore vir sanctus insignis, verbis & factis emicuit: nam & gentem hanc Christo progenuit, & ea miracula quæ Apostoli maxima peregerunt, edidit, cùm puellam à mortuis suscitauit. At verò libros etsi non texuerit; diuinos tamen diuinè prorsus interpretatus est. Adeout (sicut testis est ad eum scribens de ipsius commentationibus B. Sidonius,) omnium assensu pronuntiatum fuerit: pauca vel nulla tunc potuisse, à quoquam similia dictari. Cæterùm vir planè Apostolicus, cùm annos septuaginta quatuor, summa cum laude Ecclesiam Remensem administrasset, Gallicanámque vniuersam suis doctrinis & exemplis magnificè illustrasset, ab Hormisda Papa legatione Apostolicæ sedis per Galliam honoratus, gloriosísque supra modum laboribus perfunctus, ad Christum felici donandus præmio pertransiuit, & pro voto in Ecclesia sancti Christophori Martyris sepultus est: vbi postea & diuinæ magnificentiæ, & eius beatitudinis admiranda lumina refulserunt. Ipso die Viennæ Allobrogum sancti VERI Episcopi & Confessoris, qui ex Senatore presbyter ordinatus, ita virtutibus præcelluit, vt defuncto Euantio beatissimo illius ciuitatis Episcopo, in vicem eius, ad pontificatum euectus fuerit. In quo editis felicis administrationis testimoniis, ad sanctorum Episco- VERVS.

porum cæleſtem conſeſſum, pro meritorum fœnore, demum conſcendit: conſpicuiſque gloriæ qua fruitur beatus indiciis in

FIRMINVS. tumulo clarificatus eſt. Ambiani tranſlatio ſancti FIRMINI Martyris, propriiſque illius ciuitatis Apoſtoli. In qua beatiſſimi eius corporis repoſitione multa miracula diuinitus coruſcarunt. Caloris enim æſtus, adulta iam hyeme maximus factus eſt: arbores autem frondeſcere cœperunt, quibus foliis virentibus, Deo Martyrem ſuum honorante, plerique ægri ſanitatem, illorum deuota applicatione, receperunt. Eodem die

LEONTIVS. Natalis ſancti LEONTII Epiſcopi & Martyris, qui patrem S. Gregorij Nazianzeni baptizauit, Concilióque Nicæno interfuit: & ſub Licinio aduerſus Gentes, atque ſub Conſtantio aduerſus Arianos glorioſè, pro Dei gloria & veritate orthodoxa decertans, coronam iuſtitiæ tandem felici agone retulit. Huius reliquiæ ab Oriente in Italiam tranſlatæ, Vicentia in Gallias Othone imperante delatæ ſunt, atque Metis in Eccleſia ſancti Vincentij repoſitæ ibidem cultu condigno obſeruan-

CÆSARIA. tur. Arelate ſanctæ CÆSARIÆ Virginis, quæ ſancti Cæſarij ſenioris Arelatenſis Epiſcopi ſoror, ab ipſo virginitatis ſacræ propoſito inflammata, à teneris annis in monaſterio Maſſilienſi ſanctiſſimæ profeſſionis tyrocinium iniit, ac expleuit. Vnde cùm iam idonea eſſet, quæ didicerat, alias edocere: ab ipſo Arelatum reuocata, atque monaſterio quod eidem & aliquot eius ſodalibus præparauerat, præfecta: breui diffuſa magnæ caſtitatis & religionis fama, numeroſam illic aggregauit ſacrarum Virginum cateruam: quas ad regulæ præſcriptum, quam ab ipſo ſanctiſſimo fratre acceperat, prudenter ac piè direxit: iiſque virtutibus ac diſciplinis informauit, quarum in ſe viuum exemplar præferebat. Hinc diuulgata vndique ſanctæ Cæſariæ regula, plurimæ Virginum familiæ ſub ea ſe Chriſto conſecrarunt. Denique beata ipſa virgo etiam miraculis inſignis, accenſa lampade charitatis & fidei obuiam ſponſo proceſſit, atque ad ſupernas eius nuptias, multis decorata meritis, felici deceſſu euocata eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Euticius. RECOLITVR hodie in Burgundia venerabilis memoria Beati EVTICII I. Abbatis Balmenſis: illiúſque & duorum aliorum cœnobiorum Gigniacenſis & Ethicenſis fundatoris, magnæ religionis & ſanctimoniæ viri. Bituricis obiit

Stephanus. beatæ memoriæ STEPHANVS Epiſcopus: qui cùm breui ad eam virtutum laudem progreſſus eſſet, vt vitam Euangelij præceptis conformaſſet, tum maximè ad Eccleſiæ huius gubernationem euocatus, ſingulari morum puritate, munus iniuꝛè impoſitum exornauit. Talem autem modeſtiam exhibuit, vt vno ſacerdote & vno famulo contentus, pauperibus reſeruaret Eccleſiæ facultates, hoc in ore frequenter habens: bona Eccleſiæ haud eſſe peculium ſacerdotum,

ſed patrimonium pauperum. Cùm autem præclaro Epiſcopalis conuerſationis exemplo rem Eccleſiaſticam auxiſſet, diſciplinámque delapſam reſtituiſſet, rebus diuinè mirabilitérque geſtis, nobilis in Chriſto piè obdormiuit. Item apud Cluniacum mortalem molem depoſuit beatæ memoriæ BERNO primus inclyti illius monaſterij cœnobiarcha. Vir is nobili quidem genere ortus, at fide & religione longè clarior: primùm præfati B. Euthicij Abbatis & fundatoris Balmenſis cœnobij fuit diſcipulus, ac in eiuſdem regimine meritiſſimus hæres. Subinde etiam monaſterij Gigniacenſis, poſtea itidem & Balmenſis, demum & Cluniacenſis conditor & Abbas primus, magnis virtutibus & religionis egregiis ſplendoribus, loca hæc omnia illuſtrauit. Iámque feſſus piis laboribus, cùm portum in propinquo deſideratum aſpiceret: ne nouella plantario Cluniacenſis, quam poſtremam condiderat, inculta poſt obitum ſuum aliquando deperiret: Odonem virum ſanctiſſimum ac in paucis eruditum, ſuum deſignauit in hac procuratione ſucceſſorem. Sicque ad Dei beneplacitum conſtitutis rebus, placido fine æternam ad requiem abut. Item ad meliorem vitam tranſiit beata IVETA vidua incluſa ordinis Ciſtercienſis, cæleſtibus chariſmatibus plena, atque diuinis etiam reuelationibus & viſionibus inſignis. Berno. Iueta.

Decimonono Kalend. Februarij. Luna

14																G XVII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ *
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14			

SOLEMNITAS venerabilis nominis Ieſu. Mimate Gabalorum ſancti FIRMINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui in florenti Eccleſiæ ætate, cùm fides Catholica iam de Ariana perfidia triumpharet, præcipuíſque doctoribus & ſanctiſſimis Patribus religio Chriſtiana toto iam orbe diffuſa perfulgeret: poſt ſanctum Veranum huius ſedis factus Antiſtes, ſua ſanctitate & doctrina, propriæ non modò Cathedræ magnum decus inuexit, ſed Galliæ quoque vniuerſæ, vberi ornamento ac ſubſidio fuit, eximio præſtantis ſuæ virtutis fulgore, & vigilantiæ ſolertiæque paſtoralis indefeſſo ſtudio. Demum exacto cum magno animarum lucro diuino munere, radians ſignis ac meritis, ad beatitudinem euolauit. Viennæ Allobrogum ſancti CADEOLDI eiuſdem ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris, admirandæ ſanctitatis & parcimoniæ viri. Hic ex Monacho & Abbate Grimanenſi poſt B. Edictum factus Viennenſis Epiſcopus, diuinis virtutibus imbutus, ardentibus pietatis ſtudiis (ſiquidem exemplo & prædicatione) populo ſibi commiſſo præluxit. S. Clari Abbatis & Confeſſoris prouector ad pietatem & dignitatem extitit: vitæ autem monaſticæ ſtatum, quem ſemper profuſis affectibus complexus eſt, mirum in modum auxit: de eo enim narratur quòd monaſteria tam virorum quàm Virginum, ſub ſancta diſtrictione viuentium, penè ad ſexaginta, tam in ciui- Firminus. Cadeoldus.

tate quàm extra; ſua ſub cura degentia habuerit; quorum nonnulla conſtruxit, vniuerſa verò fouit, aluit, ac rexit maxima cum pietate & ſingulari prudentia. Sicque poſtquam creditam Eccleſiam diù & glorioſè adminiſtraſſet, cæleſtis patriæ repromiſſam hæreditatem, curſu feliciter conſummato, conſecutus eſt. Apud Traiectum tranſlatio reliquiarum ſancti PONTIANI Martyri, qui Spoleti, Antonino Imperatore, miris diriſque ob aſſertam pietatem tormentis excruciatus, à Fabiano Iudice capite tandem plexus, ipſo extremo glorioſo agone glorioſum fidei certamen adimpleuit hac ipſa die, qua itidem ſacratiſſimum eius corpus, poſt aliquot ſæculorum curricula, ex Italia in Gallias à Baldrico Traiectenſi Præſule tralatum fuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

PONTIANVS.

OBIIT hac die in Parthenona Salſinienſi apud Namurcum, venerabilis pater BERNARDVS Monachus Ciſterc. ord. multarum virtutum cultor, Virginúmque ſacrarum egregius ad Chriſtum pædagogus. Item in Villarienſi cœnobio THEODORVS conuerſus, vir extaticus, & præcellenti animi corporiſque puritate.

Bernardus. *Theodorus.*

Decimooctauo Kalend. Februarij. Luna

15 A XVI.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2
t u A B C D E f F G H M N P
3 4 5 6 7 8 9 10 10 11 12 13 14 15

BONITVS.

CLAROMONTE Aruernorum ſancti BONITI eiuſdem ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic Senatoria proſapia genitus, Patre Theodato, matre Hagria, diuino ſpiramine à Frigione ſanctiſſimo preſbytero, adhuc in vtero matris ſalutatus fuit Epiſcopus. Poſtea verò liberalibus ſtudiis, ciuiliſque Iuriſprudentia egregiè informatus, in aula regum Sigeberti & Theodorici educatus, primò principis pincernarum officium recepit: nec multò pòſt cognita animi ornatiſſima ſupellectile, regis manu accepto annulo Referendarij (quem poſteri Cancellarium vocitarunt) munus adeptus: ac inde etiam ad ducatus dignitatem prouectus, Maſſiliæ prouinciæ primæ ſummam præfecturam tenuit: quo in regimine ita piè & prudenter ſe geſſit, vt cum conſtantia Iudicis, ſacerdotalem manſuetudinem & ſanctimoniam exhiberet. Vnde contigit vt defuncto Auito iuniore ſanctiſſimo Aruernorum Epiſcopo eius germano, vnanimi omnium ſententia, & diuino nutu, vt defuncto fratri ſemen bonorum operum fruge, & myſticæ prolis propagine ſuſcitaret,

taret,in eius locum ſublegeretur. Conſecratus autem præfectu-ram non dimittens,ſed mutans,totus in Pontificem tranſiit,ſim-plicitatéque cordis & rectitudine operis,perfectum præſulatum inſtituit. Sanctus maluit eſſe quàm cenſeri. Oneréque magis Epiſcopatus quàm honore gloriatus eſt. Nil niſi peccatum ti-muit: nihil præter virtutem coluit. Peruigil ieiuniis & oratio-nibus,ita abſtinentiæ deditus fuit, vt biduum vel triduum ſæ-pè ſine cibo duceret, vnde mirè viuens mira etiam promeruit facere. Nam tempore horridæ ſiccitatis ſuis precibus pluuiam impetrauit. Impendia ſanitatum & curationum dona, ſæpè æ-gris erogauit. In Dei lege ſic delectabatur, vt in ea omnes co-gitatus verſaret. Muneri adeo intentus erat, vt id obeundo to-tus incumberet. Aſſidua ſiquidem illi cum Clericis de anima-rum ſalute & ſacrorum Canonum obſeruantia erat collatio. Luſtrandis parœciis, admonendis ſacerdotibus, docendis po-pulis, ædibus ſacris vel inſtaurandis, vel conſecrandis,aut deco-randis; ſubleuandis pauperibus, ſolandis afflictis, conciliandis diſsidentibus, errantibus reducendis, ſaluandis omnibus inde-feſſo ſtudio ac opere inſiſtebat. Sic cùm pergeret vir diuinus ſcrupulum eundem inceſſit,quòd fratri in Epiſcopatu contra ca-nones,qui ſucceſſiones eiuſmodi,minus probare videntur, ſub-rogatus fuiſſet. Conſilióque Pauli Tillonis ſanctiſsimæ conuer-ſationis Abbatis, vt hac ſe religioſa anxietate eximeret, Ponti-ficatum abdicans, Nodobertum probatæ vitæ Sacerdotem ſibi obſecrauit dari ſucceſſorem: quo ex Cleri aſtipulatione, popu-líque aſſenſu & Regis beneplacito, in Epiſcopatu conſtituto, Bonitus ad Magnilocenſe cœnobium profectus, depoſita tiara, cucullum induit, atque in humilitate ſpiritus, ab hominum re-motus cõſuetudine Deo ſeruire, veræque Philoſophiæ deinceps ſoli vacare inſtituit. At cùm tantæ claritatis ſydus oculos omniũ in ſe vel inuitè conuerteret, pertæſus concurſus ad ſe frequen-tioris, ſanctus Sacerdos ſolum vertere propoſuit, ſacráq. Romæ loca inuiſit, miraculis quibus in Epiſcopatu præfulſerat, in aditu & reditu vbique coruſcans. Demúmque Lugdunum rediit, vbi in monaſterio quatuor annis permanſit in ſanctis operibus iugi-ter perſeuerans. In quibus illud inſigne fuit quod Lugdunenſem Eccleſiam à Burgundiæ Principe, pij interuentus gratia, & ſan-ctitatis auctoritate, hac à preſſura eripuerit, conciliato Godino Archiepiſcopo cum illo Principe, cui ipſemet Archiepiſcopus plurimùm inuiſus erat. Cùm autem vir ſanctus obitus ſui diem ex diuina reuelatione ſibi impendere cognouiſſet: euocato ſuo ſucceſſore, iámque æmulo, eum in oſculo pacis complexus eſt:

Ecclesiáque impensiori solicitudine ipsi commendata, podagræ molestia correptus lectulo decubuit, cæleste viaticum demissè expetiit, deuotè suscepit: signóque crucis dominicæ se muniens aperta fenestra cellulæ in qua iacebat, oculos in cælum erexit; sicq; exhalato sanctissimo spiritu feliciter ad Dominũ cuius cõspectum diu exstiterat, conmigrauit. Sepultus fuit in basilica S. Petri Lugduni, vbi septem ferè annorum spatio requieuit, virtutib. mirificis radiãs. Sed hinc eius venerabile corpus pia suorum ciuium procuratione postea Claromontem reuectum, primũ in Ecclesia S. Mauritij suburbana (quæ postea S. Ferreoli nomen tulit) collocatum: deinde ad principem ædem translatum fuit, in qua hactenus religiosè asseruatur. Vbi caput eius in lipsanotheca conditum pretiosa, deuotis supplicibus palam exhibetur percolendum: Vnà cum eiusdem sanctissimi Antistitis casula, quam mira textura cõsertam, cælesti munere sanctissimæ Deiparæ traditur accepisse. De hoc cælite, illud vetus inoleuit elogium, ortũ eius, vitam, mortem, translationémque & repositionem, miraculis coruscasse: eundémque non tam boni nomen prætulisse, quàm bonitatis ipsius viuam expressisse ideam. Ipso die in territorio Andegauensi S. MAVRI Confessoris Abbatis & Leuitæ. Hic nobilis Romanus à patre Æquitio, Deo sub sancti Benedicti disciplina oblatus, breui in tantum diuina gratia profecit, vt ipsi Magistro sanctissimo admirationi esset. Tam longè enim in religiosè viuendi via profecit, vt cæteris omnib. sanctitate anteiret: vnde & cæteris discipulis, eum ad imitãdum veluti regularis obseruantiæ & omnium virtutum specimen S. Benedictus proponere solebat. Cuius adhuc adolescentis illud non tam admirabile quàm stupendum obedientiæ exemplũ à S. Gregorio cõmendatur, quod cùm Placidus Monachus in lacum prolapsus, aquarum impetu raperetur, S. Patris iussu incunctãter accurrens Maurus, & super aquas (res noua & post Petrum inusitata) incedens, socium capillis apprehensum ad terram incolumem attraxit. Post viginti autem discipulatus annos, à S. Benedicto propagandæ religionis ab ipso institutæ causa, petente Berthigranno Episcopo Cenomanensi in Gallias missus, cum aliquot Symmystis Aurelias venit. Vbi intellecta Berthigranni quæ interuenerat migratione, substitit aliquãdiu, donec à Floro vno ex Galliæ Procerib. inuitatus in Andegauensium fines concessit, illicque studiosè exceptus quatuor primùm Ecclesias extruxit, deinde celebre illud monasterium ædificauit, quod Theodobertus, Theobaldus & Clotarius Francorum Reges multis donatis prædiis amplificauerunt. Cui cœnobio Maurus ipse annos quadraginta

MAVRVS.

religiosè præfuit, sacræq. monastices disciplinã mirificè prouexit. Omni igitur virtute & miraculorũ magnitudine clarus, quæ multa vsq. ab adolescentia edidit, septuagenario maior, ad beatæ immortalitatis gaudia conscendit. In Ecclesia prædicti cœnobij, eo quo Dei viro congruebat funere tumulatus est: vnde postmodùm sacrosanctum eius corpus ob Danorum persecutionẽ sublatum, tandem prope augustam Parisiorum Lutetiam, in ascęterio Fossatensi quod S. Columbani discipulus B. Babolenus, in honorem Apostolorum Principis fundauerat, honorificè collocatum, ibidem in hunc vsque diem miraculis micans, frequenti fidelium concursu visitatur & colitur, eáque veneratione habetur, vt ipsa nominis sui gloria, antiquã basilicæ & sacri collegij suum in titulum transcripserit nuncupationem. Eodem die in monasterio celeberrimo Lerinensi S. ELIGII Monachi & Confessoris, qui amore cælestis patriæ sæcularia aspernatus, sub regulari disciplina strenuè diúque Domino ibidem militauit, demúmque bonorum operum merita accumulans, ad æternam gloriam pertransiuit. In Burgundia festiuitas S. IOANNIS cognomento CALIBYTÆ amore Christi mendici, Monachi & Confessoris. Qui Romæ claris ortus parentibus, patre scilicet Eutropio viro Tribunitiæ dignitatis, & matre Theodora, ab ipsa pueritia Christo seruire inchoauit, atque cùm monachum fieri peroptaret, codicem Euangeliorum lectitans, salutaria huius instituti documenta inde expressit. Tum verò diuina irradiatione inspiratus, cõducto nauigio clam fugiens è patria, Arometi monasteriũ remotissimum petiit, illúcq. ingressus habitúq. religioso indutus, sex annis ibidem exegit, multa animi alacritate exercitationi monasticæ vacãs, Deũ die ac nocte deprecãs: omnibúsq. ascetis qui illic degebant exemplo factus, quo pacto humilitatem exercere, mundũ ac seipsum spernere, Deum autem vnicè colere & piè orare deberẽt. Tantæ abstinentiæ adeo fuisse memoratur, vt diu nihil gustans nisi corpus & sanguinem Domini puram vitã transegerit: Ita vt Abbas admodum miraretur, qua ratione posset spiritum in carne fouere, subsidio, sine quo vita deperit, prorsus destituta. Cæterùm cùm immodico parentum desiderio tentaretur, quo semel hos motus diaboli malitia excitatos retunderet, è monasterio (cum redeundi proposito) recepta Abbatis venia & benedictione, ad parentes visendos digressus, Romam ad ædes paternas venit. Vbi sicut peregrinus & pauper ascera admissus, aliquandiu in domus angulo ignotus resedit: deinde condito tuguriolo in Tiberina insula se reclusit, vitæ sanctissimæ studia exequẽs: donec tandẽ Christi Domini visione recreatus, atq.

ELIGIVS.

IOANNES CALIBYTA.

ad supernæ felicitatis gaudia inuitatus, de stadio mortis, ad vitæ perennis & beatæ præmia pertransiuit. Diuináque significatione demum tandem post mortem à parentibus agnitus, eodem in loco vbi Deo seruiens cursum expleuerat, funeratus est. Postea ad eius tumulum, coruscantib. miraculis, in eius memoriam Ecclesia constructa fuit: è qua subinde Imperiali præcepto Constantinopolim corpus eius delatum; cranium verò, vrbe ipsa regia à Francis subiugata, inde Vesontionem aduectum, in S. Stephani basilica maximo honore reconditum est, vbi etiamnum inter potiora religionis monilia, & quietis publicæ pignora ac præsidia, conseruatur. Hoc autem die maximè colendum exhibetur, quo anniuersariis sacris ab Ecclesia honoratur felicis eius ad Christum transitionis memoria. Apud Bituricas translatio sancti SVLPITII Episcopi illius ciuitatis & Confessoris. Cameraci depositio sancti ADELBERTI Episcopi & Confessoris fratris sacrarum Virginum Renildis, Gudilæ & Pharaildis, qui S. Autbertum in Episcopatu præcessit. Hic tempore Dagoberti Regis omni virtutum gloria florens, post S. Bertholdum sedis huius, & coniunctim Attrebatensis gubernacula gessit, præclaróque sanctè viuendi exemplo, pontificalem dignitatem plurimùm decorauit. Prædium locupletissimum quod habebat Dei genitricis Ecclesiæ contulit: pauperum curam sic habuit, vt eorum patrem per omnia se præberet. Cùm igitur Dominicum ouile, sanctis actibus præcurrendo, piè direxisset, vita existens admirabilis & meritis insignis abiit ad Dominum. Apud Ham villam tumulatus fuit: hincque postea Malbodium sacrum eius cadauer translatum est. Apud Huium ad Moram migratio S. MAVRI Eremitæ vitæ Angelicæ puritate insignis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SVLPITIVS. ADALBERTVS. MAVRVS.

Godefridus. FINE beato hodie quieuit venerabilis Pater GODEFRIDVS de Perona S. Bernardi discipulus, & prior Cœnobij Clareuallensis: ex Thesautario S. Quintini. Qui cùm sub tanti magistri disciplina, magnos progressus in Christi famulatu religiosissimo edidisset, ob sanctimoniæ & prudentiæ celebrem famam, ad Tornacensem Episcopatum canonica electione vocatus, ex humilitatis quam impensè colebat affectu, delatum honorem suscipere recusauit: probantibus factum huiusmodi S. Bernardo ac Eugenio III. summo Pontifice. Deinde verò pergens ad virtutum incrementa, per rigidissimæ vitæ exercitia, eam ad perfectionis Euangelicæ deuenit excellentiam, vt sancto ipsi Bernardo admirationi esset. Quamobrem cùm ad vitæ metam peruenisset; mortis cuius timore omnes percelluntur, nullo metu affectus est, sed nitidæ mentis conscius, ac Spiritus sancti gaudio intus perfusus, instar candidissimi Cygni, mortis suæ propinquæ aditum suaui modulamine celebrauit. Cuius obitum sanctus ipse Bernardus alumnis suis deflere prohibuit, quia is non ad luctum festinasset, sed ad gaudium sempiternum.

Decimoseptimo Kalend. Februarij. Luna

16 B xv.

a b c d e f g h i k l m n p q r s
17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3
t u A B C D E f F G H M N P
4 5 6 7 8 9 10 11 11 12 13 14 15 16

NATALIS sancti MARCELLI Papæ & Martyris gloriosissimi, Maxentij Tyranni iussu, fustibus primùm cæsi, deinde in catabulo per nouem menses inclusi, ex quo à Clericis deinde exceptus, in Lucinæ ædibus vbi Ecclesiam consecrârat, cùm missæ sacrificium celebraret, & sacris exhortationibus populum fidelem erudiret, ea re animaduersa, Tyranni imperio catabuli bestiæ eò traductæ sunt, curáque illarum Pontifici iniuncta. Itaque intolerabili odoris fœditate beatus Papa confectus, tandem optatis fruens, quieuit in Domino. Eius corpus in cœmeterio Priscillæ via Salaria sepultum est: cuius magna pars inde in Gallias sancti Martini Papæ itidem & Martyris iussione transuecta, ad montes Hanoniæ in Altomonte Benedictini instituti cœnobio, per sanctum Vincentium Comitem, Dagoberto Regi carissimum, religiosissimè collocata est. Porro ex præmemorato cœmeterio sanctæ Priscillæ (quæ & hodie colitur,) Patres Societatis IESV de summi Pontificis licentia, multa Martyrum corpora piè excerpta, in Galliam Belgicam (quam hæreticorum furor sacris beatorum pignoribus impiè spoliauerat) non ita diu adsportârunt, quæ suis in templis solemni ritu reposuerunt, æternæ fidelium venerationi simul & opitulationi destináta. Eodem die Arelate sancti HONORATI Episcopi & Confessoris, qui eadem ciuitate ex Senatoria, Consularíque familia progenitus, sine aliqua suorum parentum (qui adhuc superstitione ethnica tenebantur) persuasione, at mero Spiritus sancti afflatu diuinitus eruditus, baptismum adolescens quo ad filiorum Dei numerum accederet expetiuit: & licèt reluctante patre, ad illum suscipiendum fide robusta ptoripuit. Móxque diuinæ seruitutis iugo subiecta ceruice, Venantium germanum suum ætate maiorem, ad eiusdem gratiæ consortium piissima exhortatione perduxit. Christi autem desiderio & amore succensus, ad maiora virtutum & religiosæ mentis facinora, sese accingens, duce Caprasio sanctissimo eremita, monasticam tesseram indutus, cum ipso Venantio fratre, eiusdem propositi comite, distractis in pauperes facultatibus ex

SS. MARCELLVS.

HONORATVS.

Euangelico documento, vitandæ causa humanæ laudis versus Orientem iter arripuit, Patrésque in Ægypti solitudine degentes, vt mentem ipsorum exemplis informaret, inuisit. Dehinc cùm in Achaiam peruenisset, defuncto apud Methonam germano suo, ipse cum suis haud leuiter ægrotans, patrium solum repetere coactus, Arelatum rediit. Porro quem è patria eremi desiderium ablegauerat, hunc in eremum natalibus vicinam Dei prouidentia suaui dispositione reduxit. Desertam igitur insulam (quæ postea Lerinensis dicta est) serpentibus refertam ingressus, sancti Leontij Foroiuliensis Episcopi proximè degentis charitate constrictus; illic constituta statione Ecclesiolam & monasterium erexit, quasíque ad portum confluentes, à sæculo profugos excepit, quibus doctrina & exemplis prælucens regulam eam perscripsit, ex cuius obseruantia, sanctorum virorum tanta caterua prodiit, vt Lerina ipsa exinde Sanctorum officina passim prædicaretur. Occisus est sub eo tempore, occulta iussione Felicis Magistri Equitum, Patroclus Arelatensis Ecclesiæ inuasor, fautórque hæreseos & schismatis teterrimus: vtque fœdatam huius contagione Cathedram illam insignem, fidei & sanctimoniæ decus repararet, Honoratus ad hunc præsulatum diuino consilio, ardentíque omnium flagitatione, ex eremo Lerinensi adscitus est. Vix dici potest quanto solatio afflictam Ecclesiam nouus Pontifex recreârit: quàm eximio splendore irradiârit omnium qui lumen diu desiderauerant mentes. Suscepto sanè pastorali regimine, prima ei cura concordiæ fuit: vt sopitis dissidiis, illi quæ omnium virtutum radix est, solium stabile præpararet. Floruit igitur sub eo Pontifice Ecclesia Christi, sicut monasterium prius sub Abbatis districtione floruerat; decreuit metallis, creuit gratiis: ingressáque cum eo sacra disciplina, vitia & iniquitates antea latè serpentes exclusit. Studuit vir Dei potiùs amore dominicas caulas regere, quàm sæuo timore ouiculis dominari. Suorum necessitatibus & desideriis haud curans de propriis vtilitatibus, seruire voluit: & licet diuturnis infirmitatibus quateretur: vix tamen in extremis positus, quatriduo suam operam gregi, solitis charitatis officiis fouendo, subtraxit. Cùm autem beatus demum eius transitus immineret, lectulo decumbens, licet aspera & diu tolerata sustineret, numquam indoluit, sed sanctorum labores agonésque recogitans inclamauit. Ecquid ego minimus omnium fero, ad ea quæ Sanctorum plurimi in supremis suis acerbissima pertulerunt? Conuersus verò ad magistratus qui ad eum confluxerant, hoc salutare auréumque monimentum

iis intulit. Videtis quàm fragile habitemus hospitium. Quan- «
tumlibet viuendo ascenderimus, illinc morte detrahemur. Ma- «
gnas Christo debemus gratias, qui morte & resurrectione pro- «
pria, æternam vitam offerens, discusso æternæ mortis horrore, «
mortem nostram spe resurrectionis animauit. Plus interea vul- «
tu, plus oculis, plus emicante in cœlum sensu, admonendo; "
somno suaui correptus, in mortis quietem exceptus, sine vllo, vt se habent extrema, luctamine, feliciter in Domino obdormiuit; innumeris in vita & post mortem clarificatus miraculis, & Sanctorum celebratus præconiis. Clatuit verò in præsulatu sub Cælestino, ac Sixto, summis Pontificibus. Cæterùm ossa eius signis plurimis radiantia, ex Arelatensi Ecclesia ad Lerinense cœnobium, cuius proprius opitulator est, tralata sunt: vbi in hunc vsque diem condecenti cultu asseruantur. In Monasterio Peronæ sub Nouiomensi Episcopatu, sancti FVRSEI Abbatis & Confessoris, qui cùm Philtani Hiberniæ Regis filius esset, omnibus relictis vt liberè Deo obsequeretur, nobile in Anglia cœnobium construxit, & verbi diuini prædicatione, multos incredulos ad Christum conuertit, atque in fide & amore Dei confirmauit. Quibus ita feliciter gestis eremiticæ vitæ studio inflammatus, monasterium & animarum curam fratri suo Foillano reliquit: atque sic in solitudinem secessit. Sed aliquanto pòst cùm à Rege & proceribus, ob altioris ingenij dotes, ad consilium sæpius vocaretur: hæc detrimenta propter Christum arbitratus, in Galliam commigrauit, vbi à Clodouæo Dagoberti filio, propter vim diuinam quæ ei inerat Euangelicam doctrinam prædicandi, & maximam quæ in eo relucebat pietatem, benignè ac honorificè susceptus, Monasterium Latiniacum, regia illius subuectus munificentia, in agro Parisiensi fundauit. Cui Abbas præfectus, splendidiori virtutum face quàm antea eluxit: eximiáque sanctitate & prudentia alumnos susceptos direxit. Indè verò dum rebus benè constitutis, cum Rege & Erchenaldo Maiore domus, ad aliud cœnobium construendum iter ageret, infirmitate correptus, lectulo aliquot diebus defixus hæsit, cum morbo, patientia insigni colluctans. Tandémque hora imminente qua erat excessurus, adstanti Regi & aulicis, de vita æterna verba egregia fecit: ad quam ipse gloriosis laboribus, in Dei famulatu & animarum lucratione exantlatis, plenus meritis orando profectus est. Cuius sacrum corpus cùm quarto ab obitu anno in monasterium Peronæ fuisset illatum, à sanctissimis Episcopis Eligio Nouiomensi & Autberto Attrebatensi, sine vlla putredine repertum est illibatum:

FVRSEVS.

sicque illic eximio honore reconditum pro fœnore continuæ venerationis, perpetuam oppido & incolis impendit hactenus, sua tutela præpotenti, defensionem. Eodem die reuelatio sacrosancti corporis præfati Beati FOILLANI, sancti ipsius Fursei germani, gloriosique Episcopi & Martyris, facta diuinis indiciis sancto Vltano in fossis, & sanctæ Gertrudi Niuellæ. Natalis eius sacris diptychis consignatus est pridie Kalend. Nouemb. Eleuationis autem colitur memoria quotannis tertio Nonas Septembris. Ipso die Andanæ ad Mosam, in territorio Leodiensi, sanctæ BEGGHÆ matronæ filiæ Pipini I. Ducis Brabantiæ, & Maioris domus Francorum, in Austrasia. Quæ beatissimæ Gertrudis soror, Ansegiso viro suo perempto, ad colenda Apostolorum limina Romam petiit, solutáque voto rediens Apostolica Hadriani Papæ benedictione, & reliquiarum religiosis muneribus, in honorem septem præcipuarum Romæ Ecclesiarum, Andanæ ad Mosam, in Silua Arduenna inter Namurcum & Huium cœnobium, cum septem Ecclesiis condidit, vbi fœminas adlegit; atque secundum sanctorum Patrum præcepta, & regularibus disciplinis, ac muris claustralibus optimè communiuit. Cúmque germana eius beatissima Gertrudis iam ad Christum migrasset, petiit ab Agnete Abbatissa Niuellensi (quæ ipsi sanctissimæ Virgini, sponte à se abdicanti abbatiale munus, suffecta fuerat) sacras virgines virtute probatas, quibus nouellam suam congregationem veluti viuis pietatis & religionis speculis informaret. Datæ sunt ei igitur eiusdem instituti & habitus, quem Gertrudis beata gesserat, aliquot primariæ sorores, quas puellis à se congregatis regendis ac erudiendis præfecit. Addita est & pars lectuli illius virginalis, in quo ipsa sancta Gertrudis eius soror, supremum Christo spiritum reddiderat. Quam sacri lectuli portionem, in nouæ domus præsidium ipsa Beggha iuxta altare sanctæ Genouefæ virginis reponi curauit, vbi postea magna miracula, Christo in Sanctis suis mirabilia operante, & ancillam suam glorificante, facta sunt. Ad extremum verò cùm beatissima Beggha sacrum velamen, quod & ipsa susceperat, innumerabilibus pietatis & sanctimoniæ officiis exornasset, ad beatarum animarum, quarum in terris vestigia æmulata fuerat, felici exitu dissoluta consortium perrexit: hoc die quo migrationis eius gloriosæ Andanæ festa recordatio, iam ab hinc condigno cultu, Sanctísque cum Christo regnantibus proprio honoratur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

(Margin: FOILLANVS. — BEGGHA.)

VILLARII in Brabantia pio fine defunctus est Theobaldus Monachus, qui vitam religiosam adeo purè coluit, vt magnam sanctitatis & gloriæ posteris reliquerit opinionem.

Decimosexto Kalend. Februarij. Luna

17 C XIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	12	13	14	15	16	17			

NATALIS sancti ANTONII Monachi, magni Anachoretarum Patriarchæ: cuius cùm factorum gloria orbem vniuersum impleuerit; tum pignora sacra ex Ægypto Cōstantinopolim: inde verò Viennam Allobrogum tralata, Galliæ decus sempiternum & inexpugnabile præsidium contulerunt. SS. ANTONIVS.

Ipsomet die apud Lingonas Passio sanctorum Martyrum Tergeminorum SPEVSIPPI, ELEVSIPPI, & MELEVSIPPI, qui natalibus illustres, in florenti ætate gloriosum Christo testimonium, edito magnifico certaminis trophæo, reddiderunt. Cùm enim sanctus Benignus, à sancto Polycarpo Ioannis Euangelistæ auditore, in Gallias disseminandi verbi vitæ causâ legatus, apud Heduos aliquandiu resedisset: hinc à Fausto prætoriæ dignitatis viro, qui Christo illius præconio cum tota familia crediderat, ad Leonillam sororem Lingonas missus, eam fidei lumine primùm irradiauit. Deinde Tergeminos eius nepotes sacro Nemesi Deæ faciendo intentos aggressus, sua prædicatione illuminatos, salutifera etiam vnda lustrauit. Eóque pacto consecratis Christo vrbis Lingonicæ primitiis, Diuionem profectus, Spaniaci, humanæ redemptionis à Seruatore peractæ mysterium, dum prædicaret, Aurelij Principis iussu comprehensus, martyrióque affectus est. Illi verò propter Nemesis comminutam statuam, solóque adæquata duodecim Idolorum sacella, accusati ab Hermogene, Palmato, Quadrato deorum sacerdotibus ac primoribus viris, cùm inuicta fide exquisita tormenta superassent, præcipites in ignem ex arbore in quo pedibus suspensi fuerant deiecti, flammæ vi non læsi, in summis cruciatibus Dominum collaudantes, genibus complicatis fortissimos spiritus præclara in victoria effuderunt. Quorum perspecto certamine IVNILLA eorum mater, vna cum LEONILLA eorumdem auia; quæ ipsos in salutari proposito decertantes magna virtute confirmauerat; acribus excruciata SPEVSIPPVS, ELEVSIPPVS, & MELEVSIPPVS. IVNILLA. LEONILLA.

tormentis, abscisísque denique ceruicibus, coronam gloriæ eandem recepit. His autem duo alij Christi pugiles inclyti adcenseri eadem confessione demeruerunt. NEON scilicet, qui exceptor agonis ipsorum, cùm codicem in quo eorumdem passionem descripserat Turboni tradidisset: inter medias persecutorum turmas prosiliens, vt dignus insignium adeo athletarum consors fieret, Christi nomen alta voce confessus, tantis continuo ictibus mactatus fuit, vt illico efflatâ animâ desideratam lauream consecutus sit. TVRBO autem quem Martyres ipsi tergemini sanctissima institutione imbuerant, fidem cum ardenti studio disseminaret, à persecutoribus & ipse deprehensus non diu pòst inter palmarum egregij conaminis fructus, expleta extrema pietatis pugna, ad cælestes triumphos cum ipsis suis ducibus euolauit. Eodem die Cardurci sancti GENVLPHI Episcopi & Confessoris præclarissimi, qui clarissima ortus Romæ prosapia Beato Sixto II. Pontifici & Martyri quinquennis traditus, ingenio sublimi, moribus à pueritia ipsa serius, senilique maturitate grauis, ac ingenui laboris patientissimus, breui tempore sub B. eiusdem Pontificis magisterio, magnam eruditionis, maiorem pietatis, maximam religionis famam comparauit. Indole igitur, morúmque præstantiâ compertâ: sanctus præmemoratus Pontifex sacris eum ordinibus initiauit: ipsáque etiam Episcopatus dignitate nihil meritis inferiorem insigniuit. Móxque declinando sæuientium Romæ persecutorum furori, instituendísque ac confirmandis procul populis, in Gallias cum Genito patre destinauit: facta vbique Christi fidem enuntiandi amplissima Genulpho potestate. Paruerunt vltro summo Pontifici, & bonis omnibus diuenditis, déque consilio Euangelio in vsus pauperum erogatis, nudi nudum Christum secuti, post emensum peregrinationis immensum iter, Cadurcum tandem appellunt. Genitus Pater, vt discipulus & administer, filio suo Pontifici verbum vitæ ferenti, Apostolatúmque exequenti, admirabili humilitate intensóque animi feruore suffragabatur. Genulphus verò filius doctrina cælesti præstans, vitæ seueritate supra humanam conuersationem agẽs, tot inter assidui laboris æstus, hordeaceo duntaxat pane vitam sustentabat: Inuinius (vno dempto Eucharistici sacrificij tempore) hirsuto ex Cameli pilis cilicio, vt alter Ioannes Christi præco instructus, mox fidei, sanctitatis eximiæ, diuinæque virtutis illustrissima signa præfert, Christi numen ac legem prædicat, ad crucis vexillum plurimos aduocat, Cadurcenses incredulos vi diuina pellectos, ad euangelicæ verita-

Margin: NEON. — TVRBO. — GENVLPHVS.

tis diſciplinam, pro maiori parte conuertit. Viduæ in cuius domum diuerterat alter Elias, filium arreptum à diabolo, qui alta voce aduentum Genulphi execrando publicauerat, illico ſanauit, ſimplici iuſſu expulſo dæmone. Quæ res effecit vt tota familia ad quadraginta capita, miraculo ſtupefacta Chriſto nomen dederit. Effecit inſuper vt Agilbertus Cadurcenſis ciuis ad filiam defunctam ſuſcitandam, nouum mortuorum medicum accerſeret: ſuſcitatáque confeſtim ſe cum ſuis Chriſto adiungeret. At Dioſcorus ciuitatis Comes hac fama percitus, dæmoniſque inuidia impulſus, ipſos Chriſti ſanctiſſimos præcones, quos magos, atque propterea Româ profugos reputat; ad tribunal aduocat, Chriſtum eiurare præcipit, abnuentes conſtantiſſimè, fuſtibus duriſſimè cædit, cæſos nec cedentes, circumfuſa ad ſpectaculum ciuitate, in rogum coniicit. At Angelo adueniente, calor, vt olim fornacis Babylonici æſtus, in rorem aurámque ſuauiſsimam illico commutatus eſt. Miratur nouitate attonita aſtantium turba, acclamátque viros inſontes, fidem quam prædicabant Chriſtianam tot teſtatam oſtentis, veram & ſalutarem eſſe. Interea filius Comitis ſubita morte abripitur, qua perculſus Comes ipſe ad eorum quos perſequebatur ſuffragia conuertitur, rogat vt ſi id in iis ſit facultatis, vitâ defunctum donent, pollicitus ſi res pro voto cedat, ſi ſacra Chriſtiana, eiurato numinum cultu, cum ſuis mox ſeriò amplexurum. Diuina virtute & gratia fultus Genulphus, Comitem monet vt ipſe cadauer filij manu prehenſum, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quo omnis pendet mortis ac vitæ poteſtas, in pedes aſtare iubeat. Iubet & quæ vis eſt ſanctiſſimi nominis, aſtantem, rediuiuum, incolumémque extemplo ſpectat filium. Ad pedes ſancti viri, cum prole, cum vxore, cum vniuerſa familia benè numeroſa ſupplex accidit, temeritatis & ſæuitiæ veniam enixè deprecatur, Chriſtianis præceptis inſtituitur, cum tota ciuitate, abiurata penitus Idolomania, Chriſti fidem legémque profitetur. Sic aſſertis Chriſto Cadurcis, vir Apoſtolicus, quo Domino maiora lucra pareret, ad Bituricenſes ſe confert, myſteria Chriſtiana non paucis propalat, templum Dianæ ob ſatanica ſpectra inacceſſum ad fluminis Naonis ripam expiat, ſancti Petri nomine inſignit, Deo conſecrat. Genitum chariſsimum genitorem inibi vita functum tumulat. Ipſéque poſt tot trophæa glorioſiſsimè parta celebrato ſe coram diuino myſterio, corporis Domini viatico munitus, diſcipulos paternè exhortans, ſéque ſepultura indignum profitens, in hac ſumma humilitate, & pij ſpiritus feruore, ſanctiſſi-

mè expirauit, ibidémque consepultus est prope parentem, quo cum diuinis rebus inhærens, postremo consederat, vnde factum est vt locus olim cella dæmonum, exinde cella S. Genulphi dictus sit. Cùm autem diu ibidem miraculis radians sacrum eius corpus conditum quieuisset, successu temporis Lutetiam Parisiorum delatum, ínque summo Deigenitricis templo collocatum est, vbi hactenus magna religione obseruatur, beatáque tanti Præsulis memoria sacris officiis colitur pridie Idus Nouembris.

SVLPITIVS. Bituricis sancti SVLPITII cognomine Pij eiusdem ciuitatis Episcopi & Confessoris, qui Vastino Biturigum oppido oriundus, ex nobilissima prosapia, inter primores palatij sub Theodorico Rege liberaliter educatus, in primæuæ ætatis flore eximio pietatis & virtutis specimen exhibuit. Iam enim Christi amore succensus, cœpit terrena despicere, & cælestibus toto animo inhærere. Sacræ verò doctrinæ, & religionis ac morum innocentiæ ita studiosus fuit, vt in aula omnibus perfectæ virtutis exemplar, & vitæ spiritualis forma fieret. Defunctis enim parentibus, copioso patrimonio ampliatus, fouendis pauperibus, captiuísque è carcerum ergastulis educendis, vastatis basilicis instaurandis, vel de nouo extruendis facultates suas gloriæ diuinæ æmulator impendit. Duo monasteria, alterum Virginum & continentium fœminarum, intra vrbis Bituricæ muros; alterum verò extra ipsam vrbem monachorum sub regula sancti Benedicti construxit. Ipse verò sub laicali adhuc habitu monachi animum occultans, iuuenilia desideria vt comprimeret, sapientiæque profectus assequeretur, totum se ieiuniis, orationibus, sacrorúmque voluminum lectionibus mancipauit, sícque ea insigni præditus gratia euasit, vt succedentibus incrementis, fidelium ad se confluentium turbas, non solùm in fide Catholica firmaret, verùm etiam purioris vitæ capessendæ tramitem edoceret. Auram tamen popularem euitare plurimùm studebat, vnde & noctu ad Ecclesiam campestrem horrida amictus veste properabat, ínque assiduis orationibus suauíque meditatione, singularum curricula noctium peruigil transigebat. A qua deuotione cùm inuidus hostis illum reuocare spectris & insultibus pertentasset: ipse strenuus Dei seruus nihil exterritus, magis in pio munere cum fide perseuerans, diabolicam fraudem elusit, crucísque signaculo teterrimos duos cacodæmones, ex ipsa Ecclesia exclusit: quin & illorum violentia arreptos duos pueros, qui secum in ipsa ædicula orabant, de ipsorum faucibus potenter eripuit. Exinde verò cùm admirandis signis refulgere cœpisset, à Sancto Apollinare Bituricensi Archipræsule, per as-

suetos

ſuetos gradus ad Leuiticum ordinem euectus: atque à B. Auſtregiſillo ipſius Apollinaris ſucceſſore, Archidiaconus maior eiuſdem Eccleſiæ ſubinde conſtitutus: cùm merita gradum excederent, preſbyterij etiam honore ampliatus eſt: & quia mirabili facundia pollebat eloquij, diuino verbo enuntiando præfectus. Incredibile eſt, his inſignitus honóribus, quàm ſtrenuè Eccleſiæ deſeruierit, quàm feliciter vices Pontificis in omni re expleuerit. Quamobrem vndique coruſcantibus tantæ ſolertiæ ac pietatis luminibus, Clotarius Rex, aulicis quibuſdam ſuggerentibus, petiit ab Epiſcopo, vt pro ſua & curiæ ſuæ ſalute permitteret Sulpitium, regiis in caſtris & aula verſari, ibíque Abbatis fungi officio. Adſcitus vir Dei in eiuſmodi munus, tam ſanctè ac diuinè ſe geſſit, vt nonnullos curiales in monachos; quà voce, quà exemplo conuerterit, & Regem ipſum, grauiſſima infirmitate laborantem, ſanitati mirabiliter reſtituerit. Cæterùm cùm regia aula Sulpitij virtutum floribus ornata vernaret; ſubtracto ex hac luce beato Auſtregiſillo, vir ſanctus, quaſi iam diuinitus ad hoc deſtinatus ſolium, Cleri voto, populi prece, Regis aſſenſu, omniúmque applauſu, Præſul in illius locum ſuffectus eſt. Sed ille decus Pontificale nactus, oneri incubuit, non honori. Omnibus omnia factus, non quæ ſua eſſent quæſiuit, ſed quæ Ieſu Chriſti. Vnde virtutibus vt gradu magis conſpicuus: miraculorum etiam gloria illuſtrior fieri promeruit. Dæmones etenim ſæpiùs ſigno crucis profligauit, flammæ incendiá compeſcuit, puerum morte extinctum ſuſcitauit, alium elinguem ſanauit. Porro de omnium ſalute ſollicitus in Iudæorum conuerſione ita feliciter laborauit, vt nullum reliquerit à ſe admonitum, quem ſacro lauacro non ablucrit. Multas inſuper Eccleſias conſtruxit, diuerſaque Clericorum & Monachorum condidit domicilia: híſque non cenſu modò, ſed & vigilantia indeſinenti proſpexit, qua prope ad perfectam ſuperorum vitæ, ſuos eoſdem alumnos, perduxit imitationem. Poſtremo cùm præclaris his ſtudiis atque diuinis actib. ad ſenium vſque inſtitiſſet, ſic vir ſanctus ea ex vita exceſſit, vt inſitæ pietatis & gratiæ affluentis, in vltimo ſpiritu inſignem dederit ſignificationem. Superueniente ſiquidem hora ad quam tota vita anhelauerat, Chriſto inuitante, cæleſtique curia expectante, inter orationis verba, effuſo ſpiritu, felix ad æternæ gloriæ præmium commigrauit, eóque in monaſterio ſepultus eſt, quod eius pia munificentia excitatum meritis poſtea & miraculis, nominéque etiam glorioſo clarum nunc vſque enituit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

TRANSLATIO corporum beatorum, Villarij quieſcentium (qui poſt mortem miraculis emicuerunt:) quando in nouum ſacellum ſancti Bernardi, ex altaris ſummi poſtica parte, illata ſunt, vbi ſeruantur honorificentiſſimè. Antuerpiæ in Monaſterio ſancti Saluatoris ſuſceptio ſacri corporis ſancti Hatebrandi Confeſſoris primi Abbatis Oden-Clauſtrenſis: & eius monaſterio ab hæreticis diruto in Friſia.

Decimoquinto Kalend. Februarij. Luna

18 D XIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
6	7	8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18

SS. PETRVS. CATHEDRA ſancti PETRI Romana ſeu natalis Sedis Apoſtolicæ & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Cùm ſcilicet glorioſus hic Apoſtolorum Coryphæus, è vinculis Herodis Agrippæ diuinitus liberatus, relictis Hieroſolymis, & compoſita Antiochena, cui primùm præfuerat Eccleſia, ad Occidentales oras diuina ordinatione cõuerſus; Capadocia, Galatia, Põto, Paphlagonia, Bithyniáque perluſtratis, feliciter in Italiam appulit, Românq. primùm ingreſſus eſt, vbi Hierarchiæ Chriſtianę fundamenta inexpugnabilia collocauit. Quamobrem dies ipſa apud Chriſti cultores benedicta, totóque orbe celebris, haberi iam olim incœpit. Quæ etſi peculiari cultu ſolemnis in Gallia diu perſeuerauerit, cùm tamen in ipſa vrbe Roma, propter frequentes motus fuiſſet illius celebratio intermiſſa: tandem Pauli IV. ſummi Pontificis ſanctione, in priſtinum honoris cultum reſtituta fuit, & ad vſum ex veteri ritu, totius orbis conſenſu meritò reuocata. Dignum enim erat (quemadmodum olim ſcripſit de hac ipſa feſtiuitate ſanctus Auguſtinus) vt vniuerſalis Eccleſia ſpeciali reuerentia fundamentum illud coleret, ſuper quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit, & per quod fidelium multitudo vndecumque collecta, in cælum fide viua

PRISCA. conſcendit. Ipſo die Natalis ſanctæ PRISCÆ Virginis & Martyris. Quæ patre Conſulari nata, cùm tertium decimum ætatis annum ageret, Chriſtianæ fidei accuſata, Claudij Imperatoris iuſſu, ad Apollinis delubrum ducta, vt falſo numini litaret: quòd obfirmato animo reſiſteret, colaphis cæſa & in carcerem coniecta eſt. Poſtridie educta è crypta capitali, cùm in eadem fidei conſtantia perſeueraret, flagellis verberata, feruenti adipe toto corpore delibuta; rurſus in cuſtodiam detruditur. Triduo pòſt immaniſſimo Leoni expoſita, qui ad pedes eius

mansuetus, se proiecit. Tunc in ergastulo Virgo reclusa, triduo inedia maceratur. Deinde eculeo suspensa, & vngulis ferreis exarata, in rogum mittitur, à quo tamen diuina ope incolumis euasit. Tandem extra vrbem educta, præciso capite, virginitatis palmam illustrissimi martyrij corona cumulauit. Cuius corpus à Christianis sublatum via Ostiensi, decimo ab vrbe milliario sepultum fuit. Inde verò eius reliquiæ cùm Romam transuectæ fuissent amplioris venerationis causa: postmodum à Ioanne Comite Suessionensi ac Chimaci in Hannonia Domino, Româ in Gallias, Apostolica ex concessione allatæ, Chimaci in collegiata Ecclesia Sanctæ Monegundis, quam ille fundauerat, collocatæ fuerunt; in argenteo loculo bracteis aureis decorato: vbi condigno cultu seruatæ sunt, quousque procellosis bellorum motibus dissipatæ, cum plurimis aliis Ecclesiæ illius pretiosis pignoribus, dispeciêre: Perseuerante tamen tantæ athletæ illic clara semper charáque incolis memoria, qui etsi non amplius illius reliquiis, nihilominus perenni patrocinio fruuntur. Eodem die Turonis S. VOLVSIANI Episcopi eiusdem Metropolis & Martyris gloriosi, qui à Gothis Arianis captus, & in odium orthodoxæ quam asserebat veritatis huc & illuc raptatus, variéque exagitatus Deo beatum spiritum in exilio reddidit. Eodem loco S. LEOBARDI Monachi reclusi & Confessoris, qui Christi amore mundum cum fucis & deliciis aspernatus, accepto sarculo cellulam arctissimam sibi in lapide efformauit, in quam ingressus, ieiuniis, silentio, lectione, oratione sese assiduè exercens, gratissimum Deo famulatum exhibuit: vnde & signis maximis promeruit honorari. Nam potione vini cruce signati morbos depulit, cæco lumen restituit. Cùm autem in sua cellula viginti duos annos in perenni Christi obsequio transegisset: ieiunij austeritate confectus, oratione indesinenti debilitatus, labore etiam quotidiano extenuatus, die Dominica dum oraret, ad gaudium cæleste felici absorptus somno raptus est. Claromonte Aruernorum sancti VENERANDI Episcopi & Confessoris, qui ex Senatorum ordine ad Pontificatum post transitum S. Arthemij euectus, Episcopalibus virtutibus insigniter ornatus, at in primis religionis ardore, pastorali solicitudine, humilitate, & castimonia, ac innocentia admirabili refulsit. In hócque maximè incubuit, vt apud suos fides Catholica quam hæreses variæ exagitabant, illibata vigeret: purúsque Dei cultus & mutua fidelium dilectio syncerè à quibúsque conseruaretur. Vnde aduersus hæreses & vitia perpetua contentione desudauit: serendísque virtutibus, & pietatis ope-

VOLVSIANVS.

LEOBARDVS.

VENERANDVS.

ribus excitandis; prædicatione & exemplo perennem præstitit operam. Cæterùm post multos labores forti animo susceptos, & Christi amore exantlatos, confectus senio, sanctissimus Antistes, ruptis corporis vinculis, ad supernam patriam coronandus pro mortis à pastorum principe, migrauit: quem S. Paulinus Beatúsque Gregorius Turonensis magnis præconiis prosecuti, insignioribus Galliæ syderibus adcensuerunt, dignissimúmque inscripserunt, totius fidei & religionis custodem. Et transiit quidem in cælum in vigilia Natalis Domini (vt ipse Gregorius tradit) verumtamen, quod eodem die Ecclesia colendis Dominicis cunabulis sit intenta; non facit de illo commemorationem. At fastos eius in hunc diem refert, qui non est depositionis, sed ordinationis. Porro apud Aruernos adeo insignia extiterunt illius merita sanctitatis, vt cùm sepultus fuisset in sancti Illidij basilica: postea radians miraculis, corpus eius venerandum in proximam ædem fuerit translatum, quæ in eius honorem ædificata, nuncupationem ab eius nomine accepit, quo in hunc vsque diem claret conspicua. Reliquiæ verò eius sub analogo compositæ, subtus altare diu requieuerunt. Donec tandem Adebertus Episcopus petitioni annuens Guidonis Scoti Abbatis Illidiani, cum reliquiis sancti Illidij in eadem capsa easdem discretim conclusit, & suo annulo obsignauit anno Domini 1311. 11. Kalend. Ianuarij, qua die eiusdem translatio ibidem recolitur. Attamen nonnulla pars pulueris & ossium ipsiusmet beati Confessoris dimissa sunt in capella sua, sub suo altari infra pristinum eius sepulchrum, sub analogo factum. Eodem die in Vesontionensi territorio, Lutra Cœnobio, depositio sancti

DEICOLA. DEICOLÆ discipuli S. Columbani, & primi illius Monasterij Abbatis, viri cælesti speculatione, virtutum multiplici gloria, ac miraculorum insignium splendore præclari. Qui constituta ad Dei beneplacitum hac religionis palæstra, regimen eius in beati Columbani curam deposuit. Ipse verò in semotiori cella se occlusit, soli rerum cælestium contemplationi vacaturus, vt Deo intentus extremum vitæ spiritum exhalaret. Quem & orans feliciter in cælum transmisit: póstque finem beatum claruit receptæ apud Christum gloriæ magnificis insigniis. Eodem

LVCIA. die Metis susceptio pretiosi corporis sanctæ LVCIÆ Virginis & Martyris, quod S. Theodoricus eiusdem ciuitatis Episcopus dono Othonis Imperatoris consobrini sui accipiens, cum aliis multis sanctorum beatorum exuuiis, è Corfinio Aprutij ciuitate, ad suam vrbem attulit, atque in basilica S. Vincentij à se constructa reposuit, magna veneratione asseruandum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Canonizatio Sancti Bernardi Abbatis Clareuallensis, Doctorisque Theodidacti, facta hac die Anagniæ per Alexandrum Papam III. anno 1165. toto in Cisterciensi ordine commemoratione insignis. Cuius Pontificis datæ extant de ea litteræ Apostolicæ ad Galliæ Episcopos, & Ludouicum Regem Christianissimum.

Decimoquarto Kalend. Februarij. Luna

19															E XII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19			

NATALIS sancti MARII Martyris, qui Romæ hodie via Cornelia cum coniuge Martha, filiisque Audiface & Abacuc, sub Claudio Principe diris excruciatus, variisque suppliciis, gloriosum peregit martyrium. Eius corpus, cum reliquiis beati Fortunati, & aliorum Sanctorum, in Galliam Belgicam, ab Arnulpho IX. Abbate Gemblacensi, dono Innocentij II. Papæ allatum, prælibato in cœnobio aliquandiu requieuit: at inde Suessionem deportatum, ad Monasterium S. Medardi commune plurimorum Sanctorum domicilium, illic magno honore seruatum est: quoad vsque ab hæreticis Caluinistis, qui nobile hoc cœnobium impiè deuastando diruerunt, cum plurimis aliorum cœlitum ibidem quiescentium sacratissimis cadaueribus, è Sanctuario deiectum, atque argenteo loculo exutum, flammis exustum fuit, non sine diuinæ gloriæ & iustitiæ in impios grassatores sæuientis testificatione. Eodem die Lingonis releuatio corporis pretiosi sancti DESIDERII Episcopi & Martyris: quando id in Ecclesia sui nominis intra vrbis septa (vbi ad maiorem venerationem, Maiorum pietate reconditum fuerat:) insigniori reposuit loco, cultúque ampliori decorauit Guilelmus de Duroforti septuagesimus eiusdem vrbis Episcopus, tempore Clementis Papæ quinti. Ipso die Traiecti susceptio pretiosi corporis sancti PONTIANI Martyris, qui hodie Spoleti in Vmbria sub Antonino martyrium peregit. Baiocis in Normania depositio sancti CONTESTII Episcopi & Confessoris, qui Neustrius origine, sancti Mannei successor, ordine sextus huic Ecclesiæ præfuit, sanctitate in vita, in gerendo Episcopatu pietate & doctrina, atque in morte affluente meritorum copia admirandus: ob quæ diuinæ gratiæ ac gloriæ insignia, vt beatorum in cælis consortio, sic eorumdem in terris catalogo promeruit iam olim adcenseri: atque

SS. MARIVS.

DESIDERIVS.

PONTIANVS.

CONTESTIVS.

inter vndecim quos ſanctitatis honore colit Baiocenſis Eccleſia, beatiſſimos præſules numerari. Autrici Carnutum ſancti

MALARDVS. MALARDI Epiſcopi itidem & Confeſſoris, ſpectata quoque ſanctimonia conſpicui, qui verbo & opere potens, annis circiter quatuordecim nobilem illam Eccleſiam rexit: ac poſtquam inter præcipuos Gallicanæ Hierarchiæ Patres II. Cabilonenſi Concilio, vindicandæ ſacroſanctæ religionis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cauſa interfuiſſet: demum de imminenti ſuæ ciuitati clade, déque proxima ſua diſſolutione diuinitus admonitus, plenus diebus & meritis, ad ſanctorum Pontificum ſupernum conſeſſum feliciter properauit. Inque ſancti Martini de Valle æde ſepultus, beatitudinis ſuſceptæ glorioſis refulſit indiciis. Ad cuius tumulum colendum Clerus matricis Eccleſiæ quotannis ex auito more ſolemniter procedit: canticis ad honorem eius conceptis: antiphoníſque & collectis memoriam eiuſdem celebrans venerandam. Eodem die ibidem tranſi-

LAVNOMARVS. tus ſancti LAVNOMARI Abbatis & Confeſſoris, qui ſub filiorum Clodouæi magni principatu, Carnuti ex honeſta proſapia, parentibus religioſiſſimis procreatus, à puero mirabili pietate, & profuſa in pauperes liberalitate, præditus, enituit. Rerum verò ſæcularium rigidus aſpernator, ac vitæ Chriſto conſecrandæ affatim ſtudioſus, poſt parentum obitum, monaſterium petens, adeo magnis virtutum & literarum ornamentis illic præpoluit, vt ad Preſbyterij gradum communi fratrum efflagitatione prouectus, atque cœnobij etiam œconomus conſtitutus, egregia & prudentiæ & ſanctimoniæ teſtimonia prodiderit. Deinde aliquot elapſis annis, diuini amoris intenſiori flamma incenſus, ab hominum ſeſe frequentia, quod antea in votis diù habuerat, tandem ſubduxit, ſoli Deo viuendi & vacandi deſiderio: intempeſtæque noctis ſilentia captans, ſeſe ad optatam eremum contulit procul ab vrbe, in abditiſſima ſolitudine cui Pertica nomen. Conſtituto igitur illic ex frondibus tuguriolo, tota animi intentione diuinis laudibus & obſequiis inhæſit. Nec multo pòſt à latronibus ſpe prædæ impetitus, illos & ipſa vultus veneranda grauitate, & ſalutari adhortatione ad meliora prouocauit: à quibus & viri Dei ſanctitate diuulgata, multi fama eius audita, mundo valedicentes, ad illum confluxerunt, & prope tuguriolum eius cellulas conſtruentes, ſub eius magiſterio orationi & contemplationi inſtiterunt. Cúmque vir Dei deliteſcere magis ſatageret, abditiorem ſeceſſum perquirens: diuinæ gratiæ inſignioribus cœpit clareſcere teſtimoniis. Miraculorum enim ſplendore illuſtratus plurima edi-

dit supernæ qua indutus erat virtutis opera. Siquidem inter sacra Missarum libamina, pro claudo puero deprecans, eumdem sua oratione erexit. Precibus etiam occlusa sibi oratorij adyta reserauit. Spiritu itidem Prophetiæ irradiatus, permulta vaticinatus est. Demum tot virtutum & gratiarum fama, ad aures beati Malardi supra laudati Carnotensis Præsulis perlata: ab ipso, qui colloquij eius dulcedine recreari cupiebat, vir Dei accersitus est, iam senex, apud quem per aliquot dies moratus ægrotare cœpit, febrísque lento ardore decoctus: eidem sancto Præsuli, & sua & illius prope impendenti dissolutione prænuntiata, regionísque ac sanctæ religionis desolatione quæ à barbaris imminebat, dulcissimo mortis somno in Christo conquieuit, efflatóque & transmisso ad beatas sedes, purissimo spiritu: in crypta ædiculæ sancti Martini de Valle sepultus est. Cuius corpus cùm inde à quibusdam militibus, propter clara patrocinij potentis indicia, subreptum fuisset: Beatus Malardus præmemoratus Antistes Carnotensis, qui amicum Dei viuum & mortuum magna in veneratione habuerat, recuperans, proprium ad tumulum magno cum triumpho reuexit: apud quem non diù pòst & ipse deposita mortalitatis mole, sicut edixerat inhumatus, potiri communis sepulchri iure promeruit. Lugduni ordinatio sancti NICETII Episcopi & Confessoris, cuius Natalis claret percolendus die 2. Aprilis. Duaci susceptio reliquiarum sancti GOSLINI Abbatis & Confessoris, & sanctæ IVLIANÆ virginis, aliorúmque Sanctorum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. NICETIVS. GOSLINVS. IVLIANA.

OBIIT piæ memoriæ DAGOBERTVS Rex Christianissimus, cuius animam precibus sancti Dionysij ereptam extremo è discrimine, & in cælum euectam vidit Ioannes sanctissimus anachoreta. Clareuallis sanctissimo fine quieuit HENRICVS Cognomine contractus, quem S. Bernardus suaui ac salutari eloquio, ex sæculi militia, & peccati laqueis, ad Christi iugum feliciter pertraxit: Christus verò magnis adeo charismatibus repleuit, vt virtutum copia, miraculorum splendore, atque spiritu etiam prophetiæ clarus, ille toto in ordine refulserit. Eodem die in Hannonia magna sanctitatis opinione defuncta est BEATRIX virgo eiusdem ordinis monialis, Spinosi asceterioli fundatrix. Quæ perfectæ castitatis & Christi famulatus intimo amore affecta, cùm & forma & nobilitate, ac diuitiis etiam prædita floreret, dotem quam viro (si consensisset nuptiis) contulisset, in cœnobij illius structuram conuertit: seséque illic hostiam viuam Christo Virginitatis satori ac seruatori consecrans, ad extremos vsque spiritus deuotè in eius obsequia, cum magno susceptæ gratiæ fœnore perseuerauit: sicque accensa charitatis atque castitatis lampade, demum supernas ad ipsius sponsi æterni nuptias ouans perrexit: relicta pij instituti sobole numerosa. *Dagobertus. Henricus. Beatrix.*

Tertiodecimo Kalend. Februarij. Luna

20 F XI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20			

SS. SEBASTIANVS.

NATALIS inclyti Chriſti athletæ SEBASTIANI. Hic patre Gallo, matre Mediolanenſi, Narbonæ in Viennenſi Gallia natus, ob ſpectatam generis nobilitatem, & præcelſam virtutem, Diocletiano impensè charus, Dux primæ cohortis ab eo factus eſt. Cúmque Chriſtum in animo coleret, Romæ vbi propter fidei ſtudium acerbæ perſecutiones feruebant, maxima Chriſtianis ſolatia in preſſuris perſtitit: quorum nonnullos in tormentis deficientes, ita ſanctè ac ſtrenuè confortabat, vt ad martyria quæque ſæuiſſima intrepidè ſubeunda, verbis ac ſignis, quos diuinitus inſtruxerat, eoſdem animaret. Quapropter Chriſtianæ fidei accuſatus, cùm Diocletianus iuratus pietatis hoſtis, eum nullis potuiſſet blanditiis, nec terroribus, à puræ religionis cultu auertere: illius iuſſu pallo in medio campo, præfixo Chriſtianitatis titulo, alligatus; quaſi ſignum ad ſagittas nudus exponitur, telis configitur, atque cùm pernecatus ab omnibus putaretur, in ſtipite quaſi hericius aculeis vndequaque coopertus relinquitur. Viuus tamen nocte inuentus ab Hirene pia muliere, atque in domum delatus, non diu pòſt, diuina potiùs ope quàm vlla humana opera, à plagis ſanatus, fidelium ſeduliùs quàm antea conſolationi incubuit: obuiámque ſemel factus Diocletiano, eius impietatem liberiùs accuſauit. Cuius iuſſu iterum comprehenſus, in hippodromum palatij ductus, tandiu fuſtibus cæditur, quoad animam Chriſto reddidit in eius nominis præconio triumphantem. Tum verò vt obliuione ſempiterna memoria eius abſorberetur, in mediis noctis tenebris corpus eius in cloacam proiecerunt carnifices. At glorioſus Chriſti miles, Lucinæ matronæ religioſiſſimæ apparens locum indicauit, ſimúlque eamdem vt id inde leuaret, & ad Catacumbas ſepeliret, admonuit: vbi eius nuncupatione illuſtris Eccleſia deinde fuit ædificata, quæ etiamnum inter Romanæ vrbis ſeptem præcipuas baſilicas cenſetur, ſpecialíque fidelis populi deuotione honoratur. At ſacratiſſima auguſtiſſimi Martyris ſpolia, inde in Gallias aducta conceſſione Eugenij primi Pontificis, multa cum ſignorum in tranſitu

coruſcatione, Sueſſionem delata ſunt: atque in ſancti Medardi baſilica, curante Ludouico Pio Imperatore religioſo cultu condita, magnis illic diuinæ virtutis clarificationibus refulsêre: quæ tanto Martyri multam in tota Gallia, quam beatus ipſe opitulator perpetim illuſtrat & tuetur, excitârunt venerationem. Cæterùm ex tam locuplete gazophylacio decerpta pretioſa aliquot pignora, plurimas regni Chriſtianiſſimi Eccleſias nobilitarunt: quæ inclyti huius Martyris reliquiis, decoratæ magis, quàm exquiſita qualibet monilium congerie, aut ſtructuræ magnificentia, meritò gloriantur: In quibus poſt Pariſienſem, omnium clariſſimam, Treuirenſis quoque hoc ex decore præcipuè commendatur. Deinde Senonenſis, Trecenſis, Bruxellana, aliæque Cathedraticæ: præter abbatiales & cæteras pleraſque. Ipſo die Lugduni ſancti CLEMENTIS Preſbyteri, qui beati Irenæi Epiſcopi & Martyris diſcipulus, ab eo ob inſignia ſcientiæ & pietatis merita Preſbyterij honore exornatus, ſacerdotalis officij munia ſub eo, pleno ſpiritus Apoſtolici vigore obiit. Illo autem ſub Seuero diro Cæſare, ob pietatis aſſertionem & gregis tutelam obtruncato: Zachariæ Symmyſtæ ſuo, cùm in ipſius Irenæi Antiſtitis ſociorúmque Martyrum colligendis ſepeliendíſque corporibus, tùm confirmandis perterritis ea ex procella fidelibus, ſedulam operam adhibuit. Denique poſtquam Chriſti gloriam inſigni zelo & fortitudine propugnaſſet, Martyr potiùs merito quàm titulo, æternos ad triumphos euolauit. Eodem die apud Lerinum tranſlatio ſancti HONORATI Epiſcopi Arelatenſis & Confeſſoris, cuius Natalis decimoſexto huius menſis colitur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

CLEMENS.

HONORATVS.

PIO fine hodie exceſſit è carne GALTERIVS Abbas Ciſtercienſis XIX. vir ſua ætate doctrina præcellentiſſimus, nec minus humilitate, abſtinentia, & vitæ puritate inſignis. Item Cambetonnæ in Hannonia religioſiſſimè obiit piæ memoriæ DANIEL illius cœnobij Abbas, eximius ſancti Bernardi diſcipulus, Regibus & Principibus clara ob ſanctitatis inſignia plurimum charus & reuerendus.

Galterius.

Daniel.

Duodecimo Kalend. Februarij. Luna

21														G x.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21			

SS. AGNES. TRIVMPHVS ſancti AGNETIS Virginis & Martyris illuſtriſsimæ: cuius glorioſi agonis trophæa, & clara palmæ virginalis decora Patres ſanctiſsimi atque præcipui, Ambroſius videlicet & Auguſtinus, necnon Maximus Taurinenſis & Gregorius Magnus, ambitioſo quaſi præconio, mirificè celebrârunt. Huius ſacratiſſimum corpus diù poſt eius paſsionem Româ in Gallias allatum, cum corpore ſancti Pontiani Martyris apud Traiectum à Baldrico ipſius loci Epiſcopo honorificè repoſitum fuit, Benedicto octauo Eccleſiæ præſidente. Hinc verò ad cœnobium de Brolio Benedicti ordinis Ciſtercienſis diœceſis Ebroicenſis tranſuectum, potiori ex parte tandem Lutetiani Pariſiorum tralatum Pauli III. ſummi Pontificis permiſſu, in Eccleſia ſancti Euſtachij famoſiſsima, quæ primùm ſub eiuſdem ſanctiſsimæ Virginis nuncupatione conſtructa claruit: magna ſolemnitate collocatum eſt à Carolo Epiſcopo Margarenſi, Abbate Magloriano, vices gerente Ioannis Cardinalis du Bellay vrbici Antiſtitis: vbi in hunc vſque diem multa cum veneratione aſſeruatur in Lipſanotheca argentea, auro vndique illata. Caput verò eiuſdem glorioſæ Chriſti athletæ pretioſum Rotomagi in nobili ſancti Audoëni baſilica, condigno honore conditum, etiamnum cuſtoditur: ad quam ex præmemorato cœnobio Brollienſi, fuit ne furentium hæreticorum, qui eodem labente ſæculo Gallicana ſacraria, obuia quæque direptioni, vaſtauerunt, impiis auſibus ſubiaceret, auſpicatò traductum. Ipſo die Trecis Natalis ſancti PATROCLI Martyris, qui ſoli ipſius quod fuſo tandem pro Chriſto cruore tinxit indigena, nobili exortus ſtirpe, non ex generis ſplendore laudem eliciendam arbitratus, ſed primam eſſe nobilitatem ratus, Deo purè ſeruire: omnis Chriſtianæ virtutis ac imprimis pietatis & virginitatis egregius cultor enituit: charitatis verò & miſericordiæ in pauperes ita ſtudioſus extitit, vt facultates ſuas velut non proprias, ſed ad hoc ſolummodo creditas indigentibus erogaret. Tantæ fuit abſtinentiæ, vt ſemel in die cibum parcè admodum caperet. Quibus ſan-

PATROCLVS.

ctissimæ vitæ actibus inclarescens, à tractus illius Christianis, passim vt viuum fidei & virtutis exemplar, magna cum admiratione suspiciebatur: passimque pater pauperum dicebatur. Cùm verò in his religiosæ conuersationis institutis versaretur, ac etiam diuino irradiatus fulgore, miracula maxima quibus Christi gloriam summoperè prouehebat, vndique emicaret: excitata persecutionis tempestate, vt Christianæ religionis antesignanus, Aureliano Imperatori cum in hac Galliarum regione agenti hoc nomine delatus, sistitur. Atque primo blanditiis, vt Christo abiurato idolis sacrificet, inuitatur. At ille Christum vnicum Saluatorem, verúmque & solum Deum constantissimè professus, falsáque nùmina cælesti eloquentia insectatus, in horribilem carcerem coniicitur. Postea dirissimis suppliciis excruciatur. Cúmque in summa pœnarum acerbitate constantiùs fidem tueretur, ad Sequanæ ripam raptatus, securi percussus, illustri Christo Iesu testimonio reddito, victoriæ palmam & gloriæ coronam feliciter accepit. Atque religioso honoratus funere ab Eusebio Archipresbytero & Liberio Leuita, præclaris in tumulo refulsit supernæ qua fruitur gloriæ insigniis. Claromonte Aruernorum depositio sancti AVITI huius nominis II. Episcopi & Confessoris, fratris ac antecessoris sancti Boniti, & beati Præiecti Martyris successoris, ac cultoris eximij. Qui exterioribus studiis eruditus, sacrísque potissimùm literis & omnibus officiis diuinis præpotens, susceptæ ad regendum Ecclesiæ decora sedula administratione auxit: nam martyria plurima extruxit, Monasteriáque aliquot. Quorum vnum cætera inter celebre in loco Voluicensi condidit, ad quod sancti Austremonij Veneranda pignora ex diruto Issidorij asceterio veteri transuexit, Godonémque illic Abbatem præfecit, sancti Præiecti consobrinum. Nec modò conciliandis eiusmodi diœcesis suæ ornamentis solerter studuit pius pastor; sed etiam Cleri promouendis disciplinis, ac populi informandis moribus, omni vigilantia incubuit. Deinde clara virtute, magnáque sanctitate, cùm annos decem, demptis tribus diebus, Ecclesiæ Aruernensi præfuisset, vir Deo dignus, meritis plenus abiit ad præmium. Primúmque in Ecclesia sancti Venerandi, in qua *sex millia ducentorum Sanctorum corpora requiescunt*, sepultus est: ex qua deinde sacra eius pignora ad sancti Illidij basilicam fuère translata, vbi hodiéque condigno cultu conseruantur. Eodem die sancti MEINHARDI eremitæ & Martyris, qui ab adolescentia monachus Christi amore factus, pòst exacta sanctæ institutionis

AVITVS.

NOTA.

MEINHARDVS.

tyrocinia, in ſolitudinem quandam ſeceſſit, vbi diuinarum rerum ſpeculationi defixus, in aſſiduis precibus, ieiunio, abſtinentia, aliiſque ſanctis exercitationibus ſex & viginti annos cùm conſumpſiſſet, dirè à duobus latronibus quos benignè in cellula exceperat occiſus, dum animam agebat, totum cellulæ locum ſuauiſſimo odore compleuit. Candela verò ad caput interempti diuinitus accenſa colluxit, hiſque honoratus ſanctitatis ſuæ admirandis ſignificationibus, iuſtitiæ præmia conſecutus eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Hugo. OBIIT hodie feliciter piæ memoriæ HVGO Epiſcopus Antiſſiodorenſis, vir genere, moribus & doctrina conſpicuus, quem ſanctus Bernardus ſanctæ religionis diſciplinis informans, Abbatem Pontiniaci ob pietatis & ſapientiæ claras dotes conſtitui curauit. Qua ex præfectura ad Epiſcopatum inuitus prouectus iuſſione Eugenij III. Papæ & Ludouici Regis, mira religionis & iuſtitiæ lumina prodidit: zelóque Apoſtolico præditus, ac ſpiritu enituit. Huius corpus incorruptum diuinitus in tumulo diù ſeruatum eſt. Ex quo demum indutum adhuc pontificalibus ornamentis, Caluiniſtæ hæretici illud extrahentes, in fruſta ignominioſè diuiſerunt. Sibi enim hi nebulones in defuncti cadauer immaniter adeo ſæuiendum perſuaſerunt, qui viuus hoſtium Eccleſiæ fuerat acerrimus oppugnator, atque orthodoxæ fidei ſtrenuus aſſertor, necnon Eccleſiæ Catholicæ præcelſa ac inconcuſſa columna. Sancto etiam fine hoc ipſo die quieuit B. AGNES ſoror S. Iulianæ Cornelienſis Salſiniæ prope Namurcum, poſt multa teſtimonia admirandæ pietatis. Et Clareuallis GAVDEFRIDVS de Amoio diuerſorum monaſteriorum per Galliam & Angliam fundator: qui ad metam piorum laborum perueniens, diuino afflatu, & mortis proximæ, & quietis æternæ præſcius effectus, placido ſopore in Chriſto obdormiuit.

Agnes. Gaudefridus.

Vndecimo Kalend. Februarij. Luna

22 A IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7 8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P		
10	11	12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22		

SS. Vincentius & Horontius. EBREDVNI in Alpibus Maritimis Paſsio ſanctorum Martyrum VINCENTII & HORONTII, qui Diocletiano & Maximiano ſæuientibus, feruore fidei accenſi, ſe ſponte Rufino Præſidi offerentes, & Chriſtum magnanimiter confitentes, illius iuſſu capitali ſententia plexi ſunt. Quorum corpora VICTOR quidam Leuita, qui eos hoſpitio ſuſceperat, ſepeliuit. Propter quod & ipſe à nefario Iudice comprehenſus, brachiis ſibi à cubito præciſis, in eodem loco vbi & illi paſsi fuerant, ſecuri percuſſus coronatur. Quod videns pater ipſius Victoris, qui & ipſe Chriſtianus erat, clam fugam arripuit, ſed à coniuge ſua Aquilina domum cùm exoratus rediiſſet, vna cum altero

Victor.

Pater cum fratre eiuſdem, anonymus vterque.

altero filio pro Christi nomine paulò pòst cæsus est. Eodem die natalis illustrissimi Christi Martyris VINCENTII Cæsaraugustanæ Ecclesiæ Archidiaconi, cuius elogia præstantissimi encomiastæ, nempe SS. Augustinus, Leo magnus, Aurelius Prudentius, aliiq. maximi nominis Patres luculenter suis Homiliis, Panegyricis, Hymnis & Poëmatib. celebrarunt: Trophæáque sole ipso clariora non Latini modò, sed Græci quoque hodie eximio cultu venerantur. Porro eiusdem sacratissimum corpus potiori ex parte vnà cum stola qua ornatus beatus Archileuita, Valerio Antistiti ad aram ministrabat, à Childeberto Rege Christianissimo orthodoxæ fidei in Hispania vindice, è Valentia vbi ille agonem gloriosum expleuerat, in Gallias pro maiori parte aduectum, in noua basilica sacræ ipsius Martyris memoriæ consecrata prope muros Parisienses, ab eodem Rege ingenti cum gloria collocatum fuit, regiæ vrbi vt non solùm esset ornamento, sed itidem perenni munimento. Pars verò altera illius reliquiarum postea ex Hispania sub Saracenorum inuasione, in Italiam ad conseruandum deportata, & Capuæ reposita: hinc à beato Theodorico Metensi Episcopo, beneficio Othonis Imperatoris sui consanguinei, ad Metensem vrbem transuecta est, atque honorificentissimè condita, ea in basilica, quam ad tanti athletæ cultum, præmemoratus Antistes exstruxit, & sacrauit. Cæterùm caput eiusdem Martyris pridem antea à S. Domnolo Episcopo Cenomanensi (qui pretioso hoc munere à prædicto Rege Childeberto donari promeritus est,) ad Cenomanensem delata ciuitatem, congruo decore collocatũ fuerat, in suburbicaria Ecclesia, quam ad ipsius venerationem proprio sub titulo eiusdem Martyris, pius ille Antistes construxerat: quæ hodiéque tanti tutelaris nuncupatione pollet, & felici patrocinio, insigni adeo fulta pignore gloriatur. Lutetiæ Parisiorum eleuatio & translatio sancti MEDERICI Abbatis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. Medericus.

AD Christum hodie perrexit beatæ memoriæ GALTERVS Episcopus Pictauiensis, ex ordine Minorum, in quo cùm doctrina & moribus castissimus floreret, & ministrum ageret Prouinciæ Turonensis, ad hunc Præsulatum ob merita sublimatus, charismatibus diuinis plenus refulsit, mortuúsque miraculis claruit plurimis: quæ sanctitatis eius & gloriæ decus immortale reddiderunt. Villarij in Brabantia felicis mortis somno obdormiuit HENRICVS conuersus, qui Christi vt vestigia salutaria sequeretur, nobilitate spreta generis, & ampla dominatione cõtempta, humilem fratrum laicorum ibidem habitum induit, & in magna pietate vitâ traductâ, bonorum operum fruge ditatus, migrauit ad Dominum. Eodem die piè obdormiuit in Christo B. pater Franciscus Maresme XXX. Generalis Prior ordinis Carthusiani vir multæ religionis & gratiæ, qui tempore Cõcilij Basileensis decem suffragia ad Põtificatum habuit, sed vir humilitatis tenax, & pacis Ecclesiæ amator, tiaræ cucullum, palatio desertum, priuato publicum commodum pio strenuóque animo prætulit.

Galterus. *Henricus.* *Franciscus.*

Decimo Kalend. Februarij. Luna

23 B VIII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
t u A B C D E f F G H M N P
11 12 13 14 15 16 17 18 18 19 20 21 22 23

SS. MAIMBODVS. VESONTIONE in Burgundia natalis ſancti MAIMBODI Martyris natione Scoti, qui pro pietate decertans, adepta corona iuſtitiæ, curſum beatum conſummauit. Huius corpus cùm in Eccleſia ſancti Petri, villæ quæ dicitur Domnipetra ſepultum, variis virtutibus coruſcaret, à Stephano Bellincenſi Epiſcopo Berengarij Archiepiſcopi Veſontionenſis ſuffraganeo, eiuſdémque, cæci, cooperario ad caſtrum montis Beligardæ tranſlatum eſt. In qua tranſuectione id memorandum contigit, quòd ipſemet Archiantiſtes qui à ſacrilegis hæreticis excæcatus fuerat, eiuſdem Martyris inuocatione viſum miraculo recepit. Ad cuius rei commendationem idem Archiepiſcopus conſtituit, vt in diœceſi Veſontionenſi ſancti huius Martyris Natalis ſacris anniuerſariis, hac die qua agonem glorioſum ſubiit, coleretur, noménque ipſius diptychis Eccleſiæ Veſontionenſis adſcriberetur, in Sanctorum ſerie quos ipſa peculiari iure recolit

VRBANVS. & honorat. Lingonis depoſitio S. VRBANI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic in vico adiacente caſtro Granciacenſi, cui vocabulum eſt Columerius, patre Senatorio natus, ipſa in pueritia ad omnem pietatis virtutem eruditus, cælo ſe deuouit, animúmq. totum ad diuina ſtudia retulit, & impleto ſapientia cæleſti pectore, eos perſpectæ ſanctitatis exhibuit actus, vt Honorato Præſule Lingonenſi humana ſorte exempto, ob multa gratiarum priuilegia in eius locum magno omnium ordinum deſiderio & applauſu ſuffectus fuerit. Epiſcopus factus, abſoluti Præſulis numeros impleuit; Clero ſiquidem religionem, populo deuotionem, ædificiis collapſis decus ac nitorem, diuinis officiis ſplendorem indefeſſa vigilantia paſtorali, & zelo quo feruebat diuino, vir ſanctus reſtituit: cùm enim Eccleſiam ſponſam ſuam plurimùm ſqualentem reperiiſſet, eamdem ſuarum mox virtutum decore ſpecioſam, & ſapientiæ reddidit illuſtrationib. conſpicuam, tantamque curam & laborem circa ſedem & gentem ſuam impendit, vt non tam inſtaurator quàm fundator illius Eccleſiæ dici promeruerit. Dum autem ſic in vias pacis & iuſtitiæ progrederetur, vt exemplo ac verbo in eum tramitem

oues suas perduceret: diuinis etiam cœpit micare prodigiis: adeout non modò precibus morbos pelleret, sed & dæmones abigeret, atque elementis etiam superna gratia imperaret. Oratione siquidem non semel imbres repressit, turbines dissipauit; atque ab imminentibus circumquaque procellis vites præseruauit: (quæ causa fuit, vt etiamnum aduersus aëris inclementiam inuocetur à viticolis, atque cum vua passim vbique depingatur.) His coruscans vir beatus perfectæ sanctitatis insignus, cùm ab omnibus ipse pro miraculo haberetur, felicis dissolutionis quam perpetim ardebat diem, instare præcognoscens, per aliquot dies debilitatus decubuit, sumptisque sacrosanctis mysteriis, & Ecclesia diuinæ protectioni commendata, in medio mœrentis multitudinis, orans, Domino spiritum reddidit. In basilica autem S. Ioannis funeratus plura mortuus quàm viuus edidit mirabilia: ob quæ coruscantia eius beatitudinis lumina è tumulo ad ampliorem venerationem eleuatus, atque in capsa honorifica repositus, à Michaële Episcopo Lingonensi in ædem sacram sancti Benigni Martyris translatus est, flagitante Claudio eius loci Abbate religiosissimo. Eodem die Viennæ Allobrogum sancti BARNARDI Episcopi illius ciuitatis & Confessoris. Hic origine Lugdunensis, stirpe nobilissima ex sæculari militia ad spiritualem se conferens, in sancti Vulferij primodictæ Sedis Pontificis disciplinam se tradidit. Subinde verò factus monachus, tanta pietatis & eruditionis emicuit gloria, vt post ipsum beatum Antistitem dignus præ omnibus qui sedis tantæ gubernacula capesseret, censitus sit. Quo munere, (non tamen sine repugnatione) assumpto: eas optimi sanctissimíque Episcopi virtutum dotes exhibuit, quibus, cunctis ciuibus sui incussit amorem ac ádmirationem. Quin & summos Pontifices Paschalem I. & Eugenium II. magnam in sui existimationem pertraxit, quorum præconiis non semel etiam collaudatus est. Deinde insidiis æmulorum impetitus, sede deturbatus, ac tandem restitutus, cùm Ecclesiam sibi commissam annos triginta sex piè administrasset, atque Dei cultum, Sanctorum honorem, populi salutem egregiè promouisset, sanctè factorum laude clarus, iustitiæque & patientiæ meritis affluens æternam euolauit ad requiem. *Et alibi in Gallia aliorum plrimorum Sanctorum*, &c.

BARNARDVS.

Nono Kalend. Februarij. Luna

24 G VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
12	13	14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24			

SS. SAVINIANVS.

IN territorio Tricaſsino pago Rilliacenſi, paſsio ſancti SAVINIANI Martyris glorioſi. Hic natione Græcus, ex Samo ciuitate, in Inſula maris Ægei, gentili patre Sauino nomine, ortus, poſt delibata liberalium artium præcepta, Philoſophiæ excitus præcipuo theoremate; quo Deum conditorem omnium vnum eſſe didicit, toto affectu cùm deſideraret verum vnicúmque illum rerum opificem cognoſcere, vt eum cultu debito honoraret: incidit aliquandiu in Pſalterium, quod aperiens verba hæc primo oculi coniectu ſibi obuia reperit *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor*: quæ cùm ſæpè ſæpiúſque non ſine precibus & lachrymis pertractaret, Dominus ad eum Angelum deſtinauit, qui verſiculi illius ſenſum ei referans, ipſum mundatũ iri pollicitus eſt, ſi ſacro fonte baptiſmatis ablueretur. Ex tunc Sauinianus aſſumpto fidei vigore, tametſi ſalutari vnda haud adhuc expiatus, Euangelicam doctrinam populo annunciare aggreſſus eſt. Quo audito pater ira ſuccenſus, diriſſima quæque filio interminatur, quin & blanditias adhibet, vt quauis ratione illum poſsit à cœptis deducere. Sed beatus iuuenis minis non concutitur, nec pellicitur promiſsis. Tamen ne victus legibus naturæ aliquando ſuccumberet, implorata Chriſti ope, ſtatuit patriam auſpicato deſerere. Nudus igitur nudum Chriſtum ſequitur, atque in Galliam traiicit, quòd illic copioſam audiiſſet eſſe diuinæ ſementis meſſem. Vbi luſtratis plurimis locis, tandem diuino nutu Trecas vſque directus, in loco non procul ab vrbe diſſito ſupra amnem Sequanæ, manſionem elegit, habitaculum conſtruxit. Sed quod nondum diuino lauacro tinctus eſſet, orationibus cœpit à Deo enixè poſtulare, vt ob miniſtri carentiam baptiſmi gratia diutiùs non deſtitueretur: ſed aqua & Spiritu ſancto, beneficium regenerationis in hoc ipſo pietatis tyrocinio mereretur adipiſci. Nec mora vox cælitus ab eo audita, quæ vota eius adimpleta nunciabat: adfuítque ſacer mirificè deſtinatus myſta, qui fluuij vndâ, diuina cum inuocatione illum baptizauit. Regeneratus autem ieiuniis, vigiliis & orationibus cœpit inſiſtere: &

quamquam latere cuperet, sanctitatis tamen eius vndique diffusâ famâ, concurrentibus ad se populis, verba salutis, vt Christo eos lucrifaceret prædicabat: sed vt citius eosdem ad fidem conuerteret, insigni etiam miraculo dicta confirmauit: virgam enim quam manu gestabat humo fixit, quæ facta oratione frondes & folia repente cœpit producere. Quo prodigio innumeri concussi, cùm Christo corda aperuissent: humanæ salutis hostis, tantos non ferens diuinæ gratiæ progressus, ad Aureliani Imperatoris, qui tum in Gallia agebat, aures, rem peruexit, cuius & iram stimulauit, vt Christi præconem, ni cessaret ab officio pietatis, perimeret. Misit igitur Aurelianus Trecas Præsidem quendam Crispinum cum armata manu; vt Sauinianum comprehensum ad se adduceret. Ingressus vrbem Præses, ibi diruta delubra, subuersas aras, conculcata simulachra, abiectam deorum culturam, populúmque Christianis sacris addictum conspexit. Quæ omnia prædicationi Sauiniani deputans, perrexit ira plenus ad eius habitaculum, vnde vinctum abduceret. Prostratum illum in oratione offendit: diuinæque virtutis in eo latentis vi, adeo cum suis exterritus est, vt nec manus in eum iniicere voluerit. Re itaque infecta, ad Aurelianum regressus est. Sed durè ab eo increpatus, maioríque stipatus satellitum agmine, redire ad tugurium Sauiniani, vt illum vi abstrahat, iubetur. Quem adhuc orantem vbi reperit, finita oratione (cui impij etiam milites operam dare, diuinitus compulsi sunt) blandè affatus, de causa discessus è patria primùm interrogat, atque ad extremum deprecatur, vt secum ad Cæsarem pergere non grauetur. Securus de pugnæ imminentis exitu, lubens perrexit cum illo & satellitio Dei fortis athleta. Atque Aureliano præsentatus, déque natalibus, nomine, instituto, actibus, ac fide inquisitus: cùm planè satisfecisset postulatis: dirus Cæsar ad religionis quæstionem totum examen conuertit. Blandéque & quà potuit verborum industria, illum hortatus est, vt Christi repudiato cultu ad numinum sacra, quæ contempserat, vltro veneranda animum reflecteret. Mirum qua sapientiæ vi deliria hæc Sauinianus redarguerit: qua sententiarum grauitate falsitatem fictilium deorum euicerit, quo spiritus & verborum ardore Christi veri Dei omniúmque redemptoris, cultum ac gloriam propugnauerit. Quæ res Aurelianum eo inflammauit furore, vt illico decreuerit assertorem imperterritum Christianæ fidei, omni quæ excogitari posset tormentorum acerbitate excruciare. Dum igitur tractatur de suppliciis, Christi pugil in ima carce-

ris detruditur sub duodecim militum custodia, quos ille verbo vitæ ad fidem pertraxit, atque diuino regenerauit lauacro. Hos verò propterea quod in pietatis proposito persisterent, Imperator capitali sustulit sententia. Deinde euocatum Sauinianum fustibus primùm cædi iussit, tanta feritate vt nihil in Martyris corpore illæsum remaneret: at ex eius ore nec leuis quidem gemitus audiebatur. Maiori igitur Cæsar excandescens furore, galeam fecit æneam succendi, & capiti eius imponi: quam diuinus heros quasi diadema pretiosum excepit, nihílque (diuina ope protectus) ex hac ardoris persensit. Ad quod spectaculum tres milites assistentes Christi virtutem admirati, se Christianos professi sunt: qui mox ob pietatis confessionem fuêre iussu Imperatoris decollati. Deinde grauioribus tormentis Tyrannus Martyrem aggreditur. Lectum præcepit ferreum parari, super quod Sauinianus impositus supposito igne exureretur. Oleum etiam adhiberi, quo ignis acrior fieret. Vrget etiam carnifices, vt incendium quouis modo agitent. At inter flammarum globos, Martyr quasi in lectulo florido, prunas pro rosis deputans, incolumis permansit: lætúsque extincto rogo tandem cernitur Deum benedicens. Tunc Aurelianus alter Nabuchodonosor, sed peior, blandis eum verbis compellat, vt placitis suis velit obsecundare: magna quæque pollicitus, si morem sibi gerat. Irrisit has fraudes athleta inuictus, magísque in veritatis præconio se constantem præbuit. Quamobrem amplius exasperatus Imperator, trabem magnam humi iussit infigi, cui alligatus Sauinianus vndique sagittis transforaretur. dictis mox factum satis. At iacula quæque in Martyrum vibrata, inania fuerunt, vsque diuina retusa sunt, in stipite illæso perstante Martyre. Diuino tamen iudicio telum quoddam reflexum in Aurelianum, ipsum in oculo perstrinxit. Hinc Martyr in horridum carcerem reclusus est, vt alter Petrus, proximo exitio deuotus: quem diuina virtus confractis cathenis foras liberum eduxit. Pergit itaque athleta Christi non vt necem fugiat, sed vt trophæum erigat, coronámque illo in loco recipiat, vbi gratiam baptismi diuinitus percepit. Hæc audiens Tyrannus, cruorem admodum Martyris sitiens, milites electos mittit, qui sic virum Dei persequantur, non vt teneant & reducant, sed vt mactent & trucident. Interea ille ad Sequanæ ripam peruenit, cuius alueus pluuiis hyemalibus exuberans, transitum cuique pedestri præpediebat. At vir beatus armatus fide, vndis calcatis, ad alterum littus facilè traiecit: indéque ad locum desideratum veniens, vbi prospexit

satellites se insequentes, exundatione fluminis cohiberi, à Deo prece deuota obtinuit, vt illic vadum aperiret. Traiecto igitur flumine emissatij ad Sauinianum peruenerunt. Quibus ille de imminenti martyrio, gaudium multum quo exiliebat, verbis & gestis ostendit: flexísque poplitibus & extensa ceruice mucronis ictum intrepidè operiens, beneuolum, in suum persecutorem ex eo animum prodidit, quod enixè carnificem deprecatus est, vt guttas cruoris sui, quæ in vestem defluerent, ad Aurelianum pro benedictione sua deferret: vt his linita eius oculi pupilla, lumen reciperet, sicque Christi virtutem agnosceret & confiteretur. Sic igitur inclytus Martyr occubuit. At decissum caput mox manibus, vitæ adhuc particeps, collegit, atque vsque ad locum suæ sepulturæ diuino nutu designatum, deportauit, inspectantibus suis persecutoribus. Mox verò vbi attigit præfixam stadij metam, corpus quidem exanime quieuit: sed Spiritus laureatus immortali triumpho, ad Regis gloriæ desideratissimum conspectum & beatorum heroum consortium, feliciter conscendit. Cæterùm ad tumulum eius postea Dei magnalia innumera coruscarunt, quibus abundè patuit quàm in superis gloriosus, quámque apud Dominum gratus & potens per meritorum præmia sit effectus. Qui quamuis hodie tam magnificum agonem consummarit: tamen apud Trecenses, in quorum matrice Ecclesia iam quiescit, nonnisi ad sextum Idus Iunij celebris est natali anniuersario. Ipso die Trecis Natalis sancti FABIANI Martyris eiusdem sancti Sauiniani asseclæ, atque palmæ socij, quem idem Aurelianus gladio ibidem interemit. Vesontione Sequanorum Metropoli dedicatio Ecclesiæ sancti Pauli Apostoli, facta ab Hugone I. Archipræsule, qui eam basilicam vetustate collapsam eximio decore instaurauit, censúque copioso ad Canonicorum collegium illic degentium, fouendum in diuino famulatu suffulsit. Ibidem ipso die translatio corporis sancti ANTIDII Episcopi & Martyris: quod ab ipso Hugone in eamdem basilicam sancti Pauli fuit condigno honore importatum: cum multis beatum venerandis exuuiis. Ex quibus reliquiæ aliquot sancti Ioannis Euangelistæ, ab eodem Archiepiscopo repositæ fuerunt in summo altari, quod in honorem sanctissimæ Deiparæ Virginis & beati Pauli Apostoli, necnon SS. Innocentium Martyrum, hac ipsa die idem Pontifex consecrauit. Eodem die Claromonte Aruernorum depositio sancti ARTEMII Episcopi & Confessoris. Hic patria Treuirensis ex honoratioribus municipij illius indigenis, florida ætate, egre-

FABIANVS.

ANTIDIVS

ARTEMIVS.

giáq. pulchritudine ac mira ſapientia pollens, publicæ vtilitatis cauſa à ciuibus legatus in Hiſpaniam: dum per Celticam Galliam cum collegis tranſiret, apud Aruernos vi febrium correptus, procedentibus aliis, lectulo defixus hæſit. Morbi autem vi ad extrema ferè deductus, à ſancto Nepotiano illius vrbis Antiſtite, ex Chriſtianæ pietatis more & paſtoralis vigilantiæ officio viſitatus, atque oleo ſancto perunctus, tribuente Domino reſtitutus eſt ſanitati. Hinc in Dei amorem, ex beneficij gratitudine incenſus, ſuadente ipſomet S. Nepotiano, quamuis vxoratus eſſet, Clericali militiæ (non tamen inconſulta coniuge vel inuita) adſcriptus, erogatis in miſericordiæ opera facultatibus, diuinis obſequiis totus intentus ſe ſacris addixit: atque ob probatæ virtutis & admirandæ doctrinæ clara ſpecimina, ad preſbyterij prouectus honorem, Eccleſiæque ſpeciali vti ſponſæ, cura paſtorali copulatus; deinde etiam ab ipſomet beato Nepotiano iam ætate & laboribus debilitato, ſanctæ prædicationis niunus, cui aptum facundiæ & ſacræ eruditionis copia, eum præſtiterant illius vice, licèt inuitus obeundum accepit. Poſtmodum ad emeritæ beatitudinis præmia eodem Nepotiano tranſeunte, iam diuinitus his præclaris dotibus deſignatus, omnium vna voce, ſucceſſor eius, pro meritis proclamatus eſt. Quem honorem tot pietatis & doctrinæ ac ſolicitudinis paſtoralis actionibus illuſtrauit, vt ipſe pontificatus non tam dignitate ampliatus: quàm pontificatus ab eo, multiplici decore exornatus fuiſſe, iure à quibuſque exiſtimaretur. Cúmque ſeruus fidelis Domini lucra in animarum aſſiduis quæſtibus, plurimùm adauxiſſet, tandem diſpenſationis creditæ & feliciter exactæ optatum limitem attingens, lætus ad munera ſibi repoſita euolauit, vtque in ſuperis gloria ſempiterna donari, ſic apud mortales conſpicuæ ſanctitatis celebrari honore promeruit. Nam crebreſcentibus ad eius tumulum diuinæ magnificentiæ inſigniis, in eiuſdem venerationem Eccleſia conſtructa fuit extra vrbem, è qua deinde ad ampliorem honorificentiam, ſacratiſſimum eius corpus, cum religioſo triumpho, ad Eccleſiam matricem delatum, illic ſuper ſummum altare, condecenti obſeruantia repoſitum colitur, perenni fidelium deuotione. Cameraci eleuatio corporis ſancti AVTBERTI Epiſcopi, Hanoniæ Apoſtoli, cuius depoſitio colenda incidit in Idus Decembris. Eodem die natalis ſancti FELICIANI Fulginienſis Epiſcopi & Martyris, qui à Victore I. Papa huius ciuitatis Pontifex ordinatus, poſt multos labores in vltima ſenectute ſub Decio Martyr glorioſus occubuit. Hu-

AVTBERTVS. FELICIANVS.

ius autem reliquiæ Orhone I. Imperatore ex Italia in Gallias transuectæ, apud Metensem ciuitatem à Theodoro Episcopo, in basilica noua sancti Vincentij Martyris, magna cum honorificatione repositæ fuerunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Octauo Kalend. Februarij. Luna

25 D VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25			

CONVERSIO sancti PAVLI Apostoli, qui sua prædicatione mundum impleuit vniuersum, Galliamque primus omnium Euangelio dedicauit. Item translatio eiusdem. Eodem die Tolosæ repositio sanctorum corporum beatorum Apostolorum SIMONIS & IVDÆ, in propria ara & arcula quiescentium apud basilicam sancti Saturnini. Claromonte Aruernorum Natalis beatorum Martyrum DONATI, AGAPÆ & SABINI, qui ob fidei confessionem ab Erhnicis excruciati, constanti veritatis præconio, illustre testimonium redemptori reddiderunt. Ibidem Passio sancti PRÆIECTI Episcopi, qui eiusdem soli indigena, stirpe nobili procreatus, futuræ suæ sanctitatis & gloriæ indicia, antequam ederetur in lucem, prætulit. Hunc enim cùm mater grauida in vtero gestaret, vidit per quietem fœtum iam maturum suo è latere egredientem, & statim à partu cùm baptizaretur sanguine cruentatum. Qua de re cùm ad pium virum retulisset, responsum accepit fore, vt pareret filium magni aliquando nominis, & qui martyrio vitam felicissimè terminaret. Cuius vaticinij veritatem exitus comprobauit: nam gloriosis progressibus ad insignem hanc peruenit meritorum coronidem. Puer siquidem cùm à parentibus Gondeleno & Helidia, in disciplinam traditus fuisset sancti Genesij tum Archidiaconi Aruernensis: iam tunc gratia Dei præuentus, haud obscura eiusdem specimina exhibuit, ira verò eluxit potissimum in charitatis officia propensus, vt egenis benefacere pro maximis deliciis duceret. Eam ob rem sanctus Genesius illi pecuniolas mutuo accommodabat, vt pro innata pietate pauperibus solatia sibi gratissima præstaret. Vix ex ephœbis euaserat, cùm ob raras sapientiæ quæ in eo micabanr dotes, ab ipso sancto Genesio iam Episcopo, in consilium ascitus, velut

SS. PAVLVS.
SIMON & IVDA.
DONATVS, AGAPA, & SABINVS.
PRÆIECTVS.

alter Daniel, in adolefcentia fenectutis honorem recipere demeruit. A quo etiam ad gradum Diaconatus fubinde prouectus, facrarum literarum ftudiis inftantius incumbens, pietatis, caftitatis, abftinentiæ, atque feruentis in Deum amoris, eximia lumina exeruit: cuius celebrandis præconiis ac mirabilibus, toto affectu deditus, diuina officia vt benè & decenter peragerentur, fedulò procurauit: atque eloquentia pollens, mentem vt gefta fanctorum Martyrum Caffij, Victorini, Anatoliani, Aftrobodi, aliorúmque beatorum heroum pollito fermone contexeret, adiecit; quæ etiamnum gloriofo eius nomine confignata fuperfunt. Hinc presbyteratus ob meritorum incrementa honore ampliatus, parœciali Ecclefiæ ab antedicto Epifcopo præfectus, gregis fufcepti eam curam habuit, qua & omnium animas verbo & exemplis ad fuperna erigeret: omniúmque in fe vnâ raperet amorem ac venerationem. Tum defuncto beato Genefio, cùm facra comitia ad fucceflorem deligendum agerentur, omnium bonorum vota facilè in Præiectum tot nitentem virtutibus confpirarunt; vt Præful in eius locum cuius diuinos mores egregiè referebat, ordinaretur. At Carіualdi Archidiaconi tunc præualuit ambitio, qui magnatum quorumdam potentia fretus, effufífque in corruptæ vitæ homines muneribus, Epifcopatum fibi contra Cleri & plebis faniora fuffragia, adeóque contra ius & æquum vendicauit. At Deus vindex impiorum moliminum, intra dies quadraginta Carіualdum de medio fuftulit, admiffi reatus demiſsè à Præiecto veniam in extremis deprecatum. Sic igitur beatus vir, qui Cathedræ honorem multo annifu recufabat, confona electione Pontifex defignatus, atque à Childerico Rege gratiffimè admiffus, Epifcopatum Deo volente fortitus eft. Ea dignitate ornatus Epifcopalium virtutum partes omnes, facris locis inftaurandis, pauperibus alendis, ægris confolandis, viduis pupillifque tuendis, & ciuibus quibufque ad falutem adiuuandis executus eft diligenter. Huius fuafu Genefius Senator opulentiffimus Virginum Sanctimonialium cœnobium extruxit in fuburbiis: ipfe verò aliud puellarum itidem facrarum afceterium, fuo fumptu condidit, addito xenodochio, in quo viginti pauperes languidi perpetim fuftentaretur, atque à medicis curarentur, congruo ftipendio muneratis. Statuerat infuper fanctiffimus Antiftes, cuilibet Martyrum qui in diœcefi celebres funt, propriam Ecclefiam excitare: fed ipfe præuentus martyrio, pia vota abfoluere non potuit. Necis verò eius iniquæ hæc caufa fuit. Cùm non ferret abfque intenfo dolore vir fanctus

ſacrilegia, quæ Hector Maſſilienſis Comes ſuæ diœceſis Eccleſiis, aliiſque inferebat: admonitúſque ille non reſipiſceret, at ſcelus ſceleri addendo grauiora in dies ſacratis Deo locis ac miniſtris dedecora atque diſpendia irrogaret: pio incenſus zelo Præiectus, rem ad Regem Chilpericum cui admodum acceptus erat detulit. Inquiſitione facta, reus impietatis peſſimus ille Tyrannus, ac dignus extrema animaduerſione, ſolemni iudicio peractus eſt. Is igitur, re per amicos aulicos percepta, ſanctiſsimo Epiſcopo è Regio comitatu redeunti inſidias ſtruxit: interceptúmque in viæ termino, cum AMARINO pientiſsimæ vitæ Abbate Cloroangienſi, ac ELADIO religioſiſsimo monacho, per ſatellites, pugionibus ac gladiis interemit in vico Voluic nuncupato, vbi poſtea ad innocentiæ, iuſtitiæ, zelíque diuini (quo inflãmatus pugil beatus, impiorum gladiis occubuit cum ſociis) manifeſtationem, diuinæ virtutis glorioſa inſignia coruſcarunt: per quorum euidentiam, clarificata tanti athletæ memoria, incolarum cùm deuotionem excitaſſet: ædificata eſt in ipſius Martyris cultum, baſilica, quæ nomine & pignoribus eius ſacratiſſimis inſignita, non trophæum modò victori glorioſo, ſed & præſidium deuotis eius clientibus tutiſſimum hactenus ferè perennauit. Eodem die Mimate Gabalorum Sancti SEVERIANI Epiſcopi, beatiſsimi Martialis viri Apoſtolici, diſcipuli & Confeſſoris, qui primus hanc Eccleſiam rexit, propagandæque Chriſtianæ religioni, & populi ſaluti totus deditus, poſtquam egregios pro muneris Apoſtolici executione labores exantlaſſet, feliciſſimo exitu abiit ad præmium. Auguſtoduni Æduorum ſancti RACHONIS Epiſcopi & Confeſſoris, qui Luxouienſis cœnobij digniſſimus alumnus, ob diuinorum chariſmatum quibus enitebat copiam, in locum ſancti Siagrij Epiſcopi, poſt eius obitum magno Cleri & populi applauſu ſuffectus fuit. Cuius veſtigiis piiſsimis inhærens, exacto cum magno ſuſceptæ gratiæ fœnore præſulatu, ad ſupernorum Senatorum conſeſſum meruit euocari. Metis ipſo die ſancti FELICIS Epiſcopi diſcipuli ſancti Clementis, Cæleſtiique viri itidem ſancti, ſucceſſoris meritiſsimi: qui furente vndique Ethnicorum ferocia, magnaniniter gregem ſuum rexit, & protexit: finéque tandem beatiſsimo, laborum meſſem in cælo collegit copioſam. Stabuleti in agro Attrebatenſi ſancti POPONIS Abbatis, qui primo militiæ adſcriptus, in ipſo armorum ſtrepitu, monaſticam deuotionem præ ſe tulit. Tum ſepulchrum Domini periculoſiſsimo tempore adiit, ac Apoſtolorum limina viſitauit. Deinde ad propria reuerſus, cæleſti aſ-

AMARINVS. ELADIVS. SEVERIANVS. RACHO. FELIX. POPO.

flatus ſpiramine monaſticum inſtitutum amplexus eſt. Atque in Xenodochio religioſam vitam profeſſus, pauperum infirmorum obſequiis ſeſe animitus addixit: quorum iuuandorum in tantum amator fuit, vt leproſum ſuam in cellulam clam inductum, viſcerali affectu fouerit, ſuóque cucullo cooperuerit. Hinc miraculis clarificatus, Virdunum Richardi Abbatis precibus euocatus, hanc vrbem ſanctitatis ſuæ fragrantia perfudit. Matrem ſuam à ſæculo abſtractam, ad vitam regularem allexit. Tum ad Henricum II. Romanorum Imperatorem deſtinatus pro neceſsitatibus monaſterij, ſpectaculis illicitis incumbentem liberè redarguit. Opilionem, in reditu è lupo præfocatum vitæ reſtituit. Tandem verò renitens plurimum Stabuleti Abbas creatus, admirabili virtutum progreſſu, inuitè ſuſcepto munere ſe in dies præbuit digniorem: donec à Conrado Cæſare, ei Epiſcopatus Argentinenſis oblatus eſt, quem conſtantiſſimè recuſauit. Calcato ſic ſæculi faſtu ad luctam ineundam cum dæmonibus, ab iis infeſtatus, ſe Chriſti miles accinxit, cum quibus ſtrenuè congreſſus, viuæ fidei ardore ſic illorum retudit inſultus, vt ſummo imperio, ceu victor, in debellatos hoſtes proſtràtóſque, vteretur. Nam & vnum ex illis è corpore inobedientis Monachi, impactâ alapâ magno cum ludibrio expulit. Híſque & aliis trophæis onuſtus inclytus pugil, iam ſenex ſui felicis tranſitus diuinitus præmonitus, deſignata diſcipulis obitus die, Eccleſiæ ſacramenta ſalutifera popoſcit, quibus magna deuotione ſuſceptis, ad Regis gloriæ deſideratiſſimum conſpectum ouans, tranquillo exceſſu profectus eſt.

ADVNALVVA. Virduni ſanctæ ADVNALVVÆ viduæ, & præfati beati Popponis ſui filij hortatu, monialis, in Parthenona Virdunenſi: deinde recluſa in Monaſterio ſancti Vitoni eiuſdem vrbis. Hæc antequam ſacrum velamen ſuſciperet, adhuc in ſæculo degens tanta deuotione flagrauit, vt extinctam lucernam ſua prece accenderet: tantáque enituit puritate poſtquam vitæ perfectiori ſe addixit, vt cum cælitibus, qui ſæpè inter orandum ei apparebant, colloquia miſceret: ad quorum denique conſortium læta profecta eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

HOC ipſo die ſanctus Norbertus ordinem Præmonſtratenſem inſtituit, & habitum manu Bartholomæi Epiſcopi Laudunenſis recepit. Cæleſte ad brauium perrexit piæ memoriæ GAVFRIDVS Epiſcopus Carnotenſis, Apoſtolicæ Sedis in Gallia Legatus, præcipuus ſchiſmatis Petri Leonis profligator, magnarúmque virtutum patrator, à ſancto Bernardo & Petro Venerabili plurimis laudibus

Gaufridus.

laudibus celebratus. Obiit ſancto fine in Brabantia IOANNES de Horto Ioannes. Conuerſus Villarienſis, rigidiſſimus corporis caſtigator; deuotiſſimúſque cultor ſanctiſſimæ Deigenitricis: cui & chariſſimus, multis per eius fauores chariſmatibus diuinis illuſtratus, beatitudinis clara indicia, quam moriens adeptus eſt, poſteris reliquit.

Septimo Kalend. Februarij. Luna

26 E V.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
14	15	16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26			

NATALIS ſancti POLYCARPI Apoſtolorum virorum SS. POLYCARPVS. Principis: qui ex Aſia Romam cùm peteret, Maſſiliam appulſus, inde Beatum Pothinum primum Lugdunenſem Epiſcopum & Martyrem, eô ſemina gratiæ ſparſurum: deinde redux, & Irenæum eius in Epiſcopatu ſucceſſorem, itidémque iuratum Chriſti teſtem, Galliam in Celticam legauit. Benignum ad Lingonenſes, Andochium & Tyrſum ad Æduos, Andeolum ad Viuarienſes, ſalutis nuntios deſtinauit. Dionyſio vt Apoſtolatum Galliarum ſuſciperet perſuaſit, cui ſuppetias ſæpeſæpius tranſmiſit: eóque euecto ad ſupernos triumphos, curam geſſit teneræ adhuc huius Eccleſiæ præcipuam. Cui ex Oriente paterno affectu intentus, de ſubſidiis & præſidiis opportunis proſpexit, illámque Apoſtolica planè vigilantia, eduxit ſummiſſos ſucceſſiuè auxiliarios ex ephœbis, quibus beneficiis inter Galliæ Apoſtolos vt primatius haberetur, iure promeritus eſt. Quapropter & ab ipſis ſuſceptæ religionis primordiis, nomen eius apud Gallos in veneratione fuit, natalíſque eius hodiernus conſueuit magno honore iampridem celebrari, ſicut graui teſtificatione prodidit B. Gregorius Turonenſis. Seruantur porro Lutetiæ Pariſiorum in baſilica S. Ioannis in Grauia, aliquot ueneranda pignora eiuſdem ſancti Martyris, in pretioſa Lipſanotheca, quæ ſuper ſummum altare cernitur collocata. In qua os ex brachio apparet vſtulatum, vt certum ſit indicium, ex eius eſſe reliquiis, quas Chriſtiani illius agonis inſpectores, de rogo poſt eius funera rapientes extulerunt. Ipſo die Albiæ in Aquitania prima depoſitio ſancti THODEFRIDI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ab adoleſcentia iugum Do- THEODEFRIDVS. mini ſibi baiulans, monachus in Luxouienſi cœnobio Sanctorum ſeminario percelebri, prima exercitia religionis expleuit: Inde virtutum & doctrinæ florens decore Abbâs Corbeienſis creatus, ac ſubinde cùm potiora quæque ſui æui

G

lumina meritorum ſplendore coæquaret ad Epiſcopale ſolium prædictæ ciuitatis aſſumptus, populo ſibi commiſſo ad ſempiternam patriam, quà ſancta prædicatione, quà omnis pietatis & iuſtitiæ exemplis iter commonſtrauit: ſicque multa præclara ad Dei gloriam executus, tramitem beatæ æternitatis ingreſſus, emerita fidelis villicationis præmia, glorioſè adeptus

GOBERTVS. eſt. Foſsis monaſterio in Hannonia depoſitio itidem S. GOBERTI Confeſſoris: cuius anima pro meritis diuina immortalitate potitur: corpus verò pridem coruſcum miraculis, ibidem honorificè quieſcit. In agro Pariſienſi Calæ Monaſterio tranſitus

BATHILDIS. ſanctæ BATHILDIS Reginæ & monialis Deo ſacratæ. Hæc Beringeri primi Herciniæ & Aſcaniæ Principis filia, virgo forma admodum inſignis, à Clodouæo II. Francorum Rege, capta & in Galliam abducta, atque Chriſtianæ fidei inſtitutis informata, cùm animi æquè ac corporis dotibus ornatiſsima eſſet, eam apud ipſum Regem gratiam conſecuta eſt: vt in vxorem aſſumpta, ſoliique & thalami conſors ab eodem effecta ſit. Quibus honoribus haud elata, ſed ſpiritu humilis, Deo deuota, viro placens, populo benigna atque in quoſuis afflictos miſericors, totáque in officia pietatis & charitatis propenſa emicuit. Defuncto Clodouæo, liberis in Dei timore educatis, regnóque benè compoſito, Regi regum vt perfectè ſeruiret, in præſignato monaſterio, quod dudum ſancta Clothildis regina con- * ſtruxerat, in honorem ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ & ſancti Gregorij Martyris, ſe ſacro velamine amiciri & inter ſanctimoniales admitti, demiſſa æquè flagitatione ac prodigioſa impetrauit. Vbi Angelis quàm hominibus vicinior, ſanctitatis ac miraculorum fulgoribus illuſtris, feliciter in Domino obdormiuit. In cuius obitu ſpecioſa diuini ſplendoris lux apparuit, & à nonnullis circumſtantibus viſus eſt Angelorum chorus ei obuiam veniſſe, à quibus alarum remigio & manibus anima eius in cælum deportata eſt. Toloſæ in Baſilica ſancti Saturnini re-

SVSANNA. poſitio reliquiarum Beatæ SVSANNÆ Babylonicæ Helciæ fi-

MARCVS. liæ. Treuiris primæ Belgicæ Metropoli ſancti MARCI Epiſcopi & Confeſſoris, magis emeritæ beatitudinis gloria, quàm geſtorum conſignatione celebris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

Albericus. ALBERICVS II. Abbas Ciſtercienſis, ſuſpiciendus vir ſanctitate, exuta mortalitatis mole, ad ſupernæ ciuitatis gaudia pertranſiuit.

Sexto Kalend. Februarij. Luna

27 F IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	22	23	24	25	26	27			

CENOMANIS ſancti IVLIANI primi huius ciuitatis Epiſcopi, qui à ſancto Clemente in Gallias miſſus, Apoſtolico ſpiritu plenus, has in partes penetrans; dæmonum aras, maxima Euangelici verbi virtute euertit, Chriſti trophæa glorioſè erexit, populúmque iſtum veritatis lumine illuſtratum, à falſorum numinum cultu, ad Dei viuentis obſequium feliciter traduxit. Cúmque ore & opere potens, ſigno crucis aſpectum cæco reſtituiſſet, tréſque mortuos vi orationis ad vitam reuocaſſet, inſuper & Cenomanenſium Principem cum tota familia, ſalutari verbo & lauacro recreaſſet, & eius ædes, in Redemptoris templum conſecraſſet, Clerum conſtituiſſet; Turibium quem comitem Roma adduxerat, virum diuinis itidem chariſmatibus plenum, ſibi in Apoſtolico munere ſucceſſorem deſignaſſet; Defenſorem Andegauis primum dediſſet Epiſcopum: his aliiſque multis diuinè ac mirabiliter actis, coronam iuſtitiæ, & gloriæ diadema recepturus, in cælum migrauit: atque clariſſimis emicuit in tumulo meritorum inſigniis. In Hannonia Cella ſancti Giſleni ſuſceptio ſancti SVLPITII Epiſcopi Baionenſis, ſeu Baionæ Lampurdenſium, apud Vaſcones, in Nouempopulana prouincia, & Confeſſoris: necnon ſanctæ Leocadiæ Virginis & Martyris Toletanæ, cuius ſacratiſſima pignora, eo tempore, quo Mauri Hiſpanias occuparunt, Baionam ad ſeruandum tranſuecta: Inde cum pretioſis eiuſdem ſancti Sulpitij exuuiis, ob alias incurſiones, ad prædictum cœnobium, procul à barbarorum furore, tranſlata, congruóque honore recondita fuerunt, vbi hactenus ſumma obſeruantia cuſtodiuntur & coluntur. Ipſo die Cabilone in Æduis depoſitio ſancti LVPI Epiſcopi & Confeſſoris, qui primùm Monachus & Abbas S. Petri religioſiſsimus, ſancto Grato gratiæ donis ſuccedens in hac cathedra, mirificos virtutum omnium ſplendores, doctrinæque ſalutaris copioſos imbres effudit: demúmque multis meritis cumulatus, obdormiuit in Chriſto. Ad cuius venerabile corpus micantia ſigna effecerunt, vt ſemel ac iterum eleuaretur, condignáque coleretur

SS. IVLIANVS. SVLPITIVS. LVPVS.

à ſuis oppidanis,qua etiamnum fruitur,reuerentia. Tornodori
THEODORICVS. ſancti THEODORICI Epiſcopi itidem & Confeſſoris, qui S. Petri Viui apud Senonas Monachus, ob ſingularem pietatem, Epiſcopus Aurelianenſis factus poſt Anſelmum, ſuſceptam diuini miniſterij præfecturam omni ſolertia exequens. Clero ac populo immaculatæ vitæ progreſsibus viam ad æternitatem conſignauit. Votóque deinde ad Apoſtolorum limina ſuſcepto, cùm Romam pergeret, Tornodori in finibus Lingonum morbo interceptus, vitam cum morte commutauit: imo è mortis ergaſtulo ſolutus, ad eum qui vera vita eſt feliciter commigrauit. Sepultus fuit ibidem in cœnobio ſancti Michaëlis in monte Voluto, vbi multis miraculis, (quibus clientibus ſuis diuino munere opitulatur) magnificè emicuit. Apud
GILDVINVS. Carnutum depoſitio ſancti GILDVINI Epiſcopi electi Dolenſis in Armorica & Confeſſoris, qui pago natus marmorico in ipſo Dolenſi tractu, nobili ſtemmate, patre Indaleno, ab ipſis cunabulis ſignis futuræ ſanctitatis illuxit. Ineuntéque ætate moribus haud minus, quàm formæ decore præſtans, poſtquam liberalibus ſtudiis imbutus fuit, propenſior quòd in ſacra à parentibus cerneretur, Dolenſis Eccleſiæ canonicus factus eſt. Quo in munere, quamquam vix adoleſcens, ita ſe geſſit, vt natu maioribus lucem ad pietatem præferret, caſtitate, abſtinentia, deuotione ac veræ ſapientiæ ſtudio, mirè conſpicuus. Dolenſi tum præerat Eccleſiæ quidam Iohundus: qui gregis prædator, non paſtor decora ſponſæ corruptis moribus deturpabat, facultates ſacras in prauos vſus conuertebat. Hunc pertæſi pudendæ eius vitæ ac noxij regiminis matricis Eccleſiæ Clerici; cùm amplius ferre nequirent omnia peſſundantem, ad Epiſcopos comprouinciales detulerunt: qui comperta deplorata eius nequitia, pontificali Sede ipſum detrudentes, Gilduinum omnibus amabilem ob puræ conuerſationis & doctrinæ non vulgaris inſignia, ætate licet imparem, (& ideo renitentem admodum) in illius locum ſublegerunt. At ille tametſi victus tanta ſe poſcentium vnanimitate, tunc oneri ceruicem ſubiecerit: quòd tamen à ſe admiſſum ſacras in leges piaculum exiſtimaret per ipſum ætatis defectum: ſibi vltro delatum pontificatus honorem ocyus deponere enitebatur. Et facilè quidem Sedis Apoſtolicæ benignitas canonum quo is angebatur rigorem, in eiuſdem gratiam relaxaſſet: id maximè ipſimet offerente Gregorio VII. Pontifice, quem ſupplex veniæ promerendæ vnáque abdicandi præſulatus cauſa, ille paulò poſt electionem ſuam adierat. Sed pius veréque humilis adoleſcens

obfirmato animo dispensationem recusauit : quin Pontificem enixè deprecatus est, vt Lætum sancti Melanij Abbatem virum ætate grauem, ornatum moribus, præstantem litteris, rerúmque apprimè peritum, sibi qui imparem tanto ferendo oneri seriò asserebat, citiùs subrogaret. Annuit tandem, quamuis ægrè plurimùm Papa eius optatis. Sicque Gilduinus exuto onere simul & honore Episcopali, regressus in Galliam : patriam omnino, (ne spontaneæ abiectionis prodigio conciuium suorum, in se obtutus verteret) deseruit. Carnutum itaque petiit, vilique sub schemate in monasterio sancti Petri de Valle susceptus à cœnobiarcha & ascetis, illic purissimam animam Christo consecrauit sedulæ seruitutis obsequiis, quibus mirificè insignitus ad aulæ cælestis gloriam demum euectus est. Cæterùm huius beati corpus in medio illius basilicæ choro sepultum immensis diuinæ virtutis splendoribus radiauit, quibus & merita eius coram Deo magna patefacta sunt: & subsidia opem eius piè petentibus superno munere impertita. In agro Carnotensi sancti ADIVTI Abbatis Miciacensis, cuius tanta fuit sanctitas, vt in ortu & obitu præclaris diuinæ gratiæ significationibus meruerit honorari. Nam dum mater eum pareret, cælestis splendor refulsit in cubiculo. Defunctus autem cùm inhumaretur, infirmis opem eius implorantibus, multiplicem sanitatum gratiam Deus meritis eius impertitus est. In agro Sistaricensi Galliæ Narbonensis depositio sancti MARII Abbatis Bobacensis, cuius sanctimonia quàm magna extiterit, ex Dinamij viri perillustris atque Patricij, testimonio apparet: qui vitam eius virtutibus plenam insigni commentario descripsit. Ipso die sancti EMEREI Confessoris, qui è Gallia cuius indigena erat, in Hispaniam se conferens, spretis sæculi armis, militiam Christi secutus est, eremúmque vt quietè magis & purè ipsi famularetur incoluit: postea vt talenti dominici fœnora procuraret in Catalauniam migrans Gerundensi in territorio, Bañiolense cœnobium excitauit, vbi adlectis piæ institutionis imitatoribus, magna gratiæ qua pollebat lumina exeruit. Ad quem mater excita fama illius sanctitatis, post viri obitum veniens amore religionis ab eo incensa, atque cellæ non procul ab eius monasterio inclusa, reliquum vitæ in omni sanctitate exegit. Demum vir beatus post multa animarum lucra, ad præmium perrexit supernum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ADIVTVS.

MARIVS.

EMEREVS.

Ioannes. Mortalis esse desiit piæ memoriæ Ioannes Episcopus Morinensis fundator collegij Canonicorum Yprensis, magnarúmque virtutum operator, post laudatissimum Præsulatum in annos triginta prorogatum. Parisiis quoque quieuit in Christo Bruno Presbyter & Monachus Confessoris Monialium S. Antonij Campestris, vir sanctitatis opinione celebris: nec magis in vita virtutibus adornatus, quàm miraculis post obitum insignis. *Bruno.*

Quinto Kalend. February. Luna

28 G III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28			

SS. THYRSVS. LEMOVICIS commemoratio sancti THYRSI Martyris, qui cum aliis sanctæ religionis assertoribus Apolloniæ sub Decio dirè excruciatus, pro fidei Christianæ professione, in agone extremo, voce cælesti ad æterna tabernacula euocatus est. Cuius aliquot pignora ex Oriente in Galliam aduecta, Lemouicísque reposita, memoriam eius ibidem & claram & charam apud Maiores reddiderunt. Eodem die Cisonij in Tornacensi Præsulatu sancti ARNVLPHI militis & Martyris, qui pro pietate & iustitia coronatus occubuit. Item Tornoduri in Lingonensi tractu, Reomensi cœnobio, sancti IOANNIS Presbyteri viri Dei, eiusdem loci Abbatis, cuius præcelsa merita sanctus Gregorius Turonensis, nobili encomio celebrauit. Hic vir Deo dilectissimus, humilitate maximus, misericordia in pauperes feruentissimus enituit. De quo id memorabile proditur, quòd cùm famis tempore egentium caterua ad eum confluxisset, & ipse omnibus misericorditer subueniret, minister eius superueniens eidem indicauerit, tantum non superesse frumenti, quantum omnibus sufficeret. At pius pater mox iussit vas pauperibus impleri capiens plus minus modios quinquies quinos: cætera quæ restabant in vsus fratrum reseruari. Cùm ergo turba egenorum per aliquod tempus ex eo aleretur, tandem euenit vt quidam iuxta morem mendicaret. Sanctus autem consuetam mensuram dari iubet egenti. Minister respondit, nihil in vase existere, sed totum pauperibus erogatum. Quo audito vir beatus oculos in cælum attollit, & genuflexo orans Dominum, surgénsque ab oratione præcepit ministro, vt fidenter mendico alimenta deferret. Pergens ergo famulus, vas quod prius vacuum erat, repletum inuenit, & pauperi consuetam mensuram largitus est. Eidem sancto viro

ARNVLPHVS. *IOANNES.*

mirabilis expellendorum dæmonum à Deo data virtus emicuit, ipse quoque oratione basiliscum occidit: sed & plurimos infirmos missis eulogiis, ex faucibus mortis eripuit. Annis autem centum & viginti, Dei in obsequio, piè transactis, felici exitu consummatus, pacificè migrauit ad Dominum. Huius autem oculi quoad in carne egit nunquam caligauerunt, nec dentes damna pertulerunt, nec memoria lapsa est, sed sicut Legislator Moyses, senex sine senio è mortali stadio, à Domino inuitatus excessit. Sepultus autem in Monasterio à se condito, quotidie nihilominus se viuere, miraculis prodidit innumeris. Eodem die sancti CAROLI Francorum Regis Christianissimi, & primi ex hac gente Imperatoris cognomento Magni, at re vera maximi, qui ab ineunte ætate corporis & animi heroicis dotibus ornatus, diuinis obsequiis toto corde deditus, regalis potentiæ gladio, Euangelicæ propagationis studio, vitæque religiosæ exemplis, gentes barbaras plerasque, & in his maximè Saxones, Bohemos, Sclauones, Boios, Hunnos, Danósque ab Idolorum nefandis ritibus, ad Christi veri Dei cultum salutarem conuertit. Romanam Ecclesiam omnium matrem à multiplici pressura vindicauit, ab hostibus liberauit, pristinum in decus & honorem restitutum, immensis beneficiis cumulauit. Hæreses verò per orbem Occidentalem exitiosè grassantes plerasque extinxit, disciplinam resarciri Ecclesiasticam collapsam curauit: quæque pridem marcescebat, egregiè reflorere fecit, pietatem, quam & sollicitè excultam, longe latéque toto orbe prouexit. Romam voti causa quater adiit, & religiosa cælitus vestigia summa cum veneratione exosculatus, toti posteritati singulare deuotionis exemplum reliquit. Sancti Iacobi Apostoli sepulchrum, nefandis Idolorum spurcitiis offusum, hodierno honori restituit, eiúsque celebrem religione ædem à se vindicatam, pietatis affectu lustrans, vestem setis horrentem, maiorem viæ partem gestauit. Beatorum res gestas per Paulum Diaconum conscribi, easque publicè statis diebus legi præcepit. Fastos Martyrum, conciones Patrum colligi, omniúmque quibus imperabat gentium res memoratu dignas ad religionis cultum, in litteris mitti curauit. Rem diuinam in æde sacra assiduè obiuit, neque statas preces & canonicas seu diurnas, seu nocturnas, cùm valuit vnquam neglexit. Sacris operantes magna religione attendit. Mysticam supellectilem, vestem, vasa, omnémque templorum ornatum tam copiosum instruxit, vti neque sacræ ianuæ tutelam gerentes, voluerit profano cultu, munus suum obire. Ecclesiastici cantus har-

CAROLVS.

moniam, ipse artem canendi psallendíque apprimè callens, ac praxis sacræ peritus, ad vsum qui exoleuerat reuocauit: sex Apostolorum corpora, nempe Simonis & Iudæ, Philippi, vtriusque Iacobi, & Barnabæ, cum sancti Bartholomæi capite, innumerísque sanctorum Martyrum lipsanis, ex pia præda collectis, Tolosam aduexit, atque in sancti Saturnini basilica sibi dilectissima, perpeti honore prosequenda collocauit. Spolia hostium, præsertim Hunnorum, ad beati Petri ædem ornandam Romam dono misit. Regibus Francorum tutelam Apostolicæ Sedis, Romanorúmque Pontificum commisit. Ipse Pontificem Leonem à suis malè multatum, punitis zelo Dei noxiis, dignitati restituit; ad se venientem summa cum veneratione excepit. Concilia varia, summæ Sedis permissu, ad eliminanda falsa dogmata, & sententiam Catholicæ Ecclesiæ Romanæ (quam in omnibus, à prima infantia ad vltimum vitæ punctum, constantissimè retinuit, obseruauítque) asserendam coëgit. Legibus æquissimis ac religiosissimis regnum ac Imperium muniuit: ad augmentum Christianæ religionis nouem Sedes Episcopales in Germania excitauit: duas in Metropoles euexit. Basilicam Aquisgranensem, sanctissimæ Deiparæ magnificentissima structura ædificauit. Viginti septem Ecclesias principales construxit. Alias innumeras ferè vetustate collapsas instaurauit. In veste & victu modestiam planè christianam & temperantiam exhibuit. In mensa lectionem sacram, præsertim ex libris sancti Augustini semper adhibuit. clementia in victos hostes incomparabili vsus est. Neminem enim illorum extra aciem vnquam occidit: in coniuratione deprehensos leui mulcta castigauit. Saxoni toties rebellanti, toties perduelli, victóque aliam ferre legem non tulit, quàm vt Christum seriò eiuratâ Idolorum impietate coleret. Tot rebus denique piè ac præclarè gestis, obsequentissimus Ecclesiæ filius, magnanimus religionis defensor, verè Christianissimus Rex, ter maximus Imperator; fide studiosissimè ampliata, statu Ecclesiæ religiosè ordinato, egregiè exornato; regno etiam suo magnificè dilatato, ac vndique pacato Christiano orbe, anno Domini octingentesimo decimo quarto, regni sui quadragesimo octauo, Imperij decimo quarto, ætatis verò suæ septuagesimo, decenni pœnitentia expleta, opibus in præcipuas Occidentis Ecclesias ad diuini cultus augmentum, Mystarúmque fomentum religiosa regalíque munificentia dispertitis, rebus sacris munitus ex laborioso mortalíque Imperio, ad tranquillum regnum, immortalémque triumphum feliciter emigrauit.

Obque fidei & operum magnitudinem vti Sanctorum consortio adsciscí in cælis promeruit, ita eodem honore, ob immensa eius in orbem Christianum beneficia, consueuit à fidelibus, haud renuente Ecclesia celebrari. Quem eo demum fore honore dignum, diuinæ gratiæ & virtutis testimonia, dum adhuc in carne degeret, præsignarunt. Nam præterquam cælites illi non semel, vt conscripto iam supernæ Sion municipi, apparuerunt: maximè sanctus Saluius Martyr, cuius sacros artus condigno cultu conuestiuit: & sanctus Svvibertus, quem in beatorum album à Leone Pontifice referri curauit: Imo Christus ipse Dominus, cùm ipse die Paschæ sacram synaxim perciperet, in pueri elegantissimi ac amantissimi forma sese ei dedit. Præter hæc inquam gratæ Deo mentis insignia: fauoris etiam diuini non obscura indicia in pium certè principem, sæpè sæpiùs patuerunt. Quorum illud illustre fuit, quod cùm primo tumultu Saxonico, Eresburgum Saxonum arcem expugnasset, indéque ad Eimensredam Idolum euertendum properasset, in maxima terræ siccitate & aquationis inopia, ipso, (ceu altero Mose) orante, repentè largissimum flumen vberrimis vndis exiliit, quo totus exercitus iam triduum sibi anhelans, recreatus vires recepit. Quin & absente eodem, cùm Saxo occasionem aucupatus ad oppidum Fristoriam castra posuisset, & Beati Bonifacij ædem summam, conaretur flammis diruere: nulla id ope exequi potuit: cùm duo cœlites fulgenti cultu parentes, terrorem hostibus ita incussissent, vt omnes fugam certatim capesserent. Eiusmodi significationibus, tutela numinis sæpiùs, quàm sibi Caroli conatus, virtúsque complacerent, declarauit: quem certè hic cursus & exitus (absterſa egregiè labe, quam in stadio tam longo, vix potuit tot implexus rebus ex humana sorte non contrahere) æterno dignum triumpho & corona gloriæ, affatim propalârunt. Corpus eius pridem ab Episcopis Germaniæ solemniter eleuatum, Aquisgrani cælitibus delato ex more cultu, obseruatur. Caput verò Osnaburgi in prouincia Coloniensi, cum reliquiis aliquot sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani honoratur. Eodem die Tolosæ translatio sancti THOMÆ Aquinatis Doctoris Ecclesiæ Angelici. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c. THOMAS.

HODIE diem clausit extremum piissimæ memoriæ CAROLVS Abbas Villariensis, vir verè mitis & humilis corde, sincerus Dei cultor, pauperum pater, orphanorum & viduarum defensor: quem post abdicationem præsulatus defunctum, Sanctimonialis quædam religiosissima in spiritu vidit in supernas sedes pro meritis gloriosè euectum. *Carolus.*

Quarto Kalend. Februarij. Luna

29 A II.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29			

SS. VALERIVS. AVGVSTÆ Treuirorum depoſitio ſancti VALERII Epiſcopi ſecundi, huius primæ Belgicæ Metropolis, & ſancti Petri Apoſtolorum principis diſcipuli, à quo cum Euchario & Materno, in Galliam miſſus vt verbi æterni ſemina erogaret, ingenti ſollicitudine Euangelij propagationi cum ſociis attentus, multos ad Dominum populos, & in his Vbios præſertim, Tungrenſes ac Treuirenſes, ſigna magna & prodigia ſtupenda exercendo, conuertit. Deinde Euchario qui Treuiris erecta paſtorali ſpecula, primus Epiſcopus ſederat, ad æternæ felicitatis munera euocato, eius in locum Præſul creatus eſt. Cúmque cæleſti facundia dotatus, conuerſatióne mundiſſimus, operatione irreprehenſibilis quin & admirabilis: vitæ diuinæ ſplendore, & melliflua ſermonis copia, populos ad verbum ex ſuo ore audiendum, (quaſi ad ſupernum oraculum certatim auſcultandum) illectos pertraheret. Inde factum vt iam tunc pene per Galliam & Germaniam Chriſtiani & numero & religione ſuperarent. Poſtquam autem vir beatiſſimus annos quindecim Treuirenſi Eccleſiæ quam peculiariter curabat, tanto cum gratiæ fœnore præfuiſſet, apparente ſibi beato Euchario deceſſore, de inſtanti migratione & certa glorificatione præmonitus, deſignato ex diuini beneplaciti indictione, Materno ſacerdotij hærede: vbi fideles qui ad obitum eius quem præſcius diuulgauerat mœrentes confluxerant, de impendenti ſibi die ſupremo paternis affectibus admonuiſſet, oratorium ingreſſus, viaticum quod ipſe conſecrauerat, accepit, & poſt hæc extenſis, inter diſcipulorum manus, membris ſacris, puriſſimum ſpiritum efflauit. Cuius corpus illi colligentes religioſiſſimè ſancti Eucharij exuuiis coaptarunt, eodémque in tumulo cum diuinis laudibus condiderunt, vbi ad ſignificationem diuinæ magnificentiæ, dehinc plurimæ coruſcationes eminuêre. SEVERVS SVLPITIVS. Eodem die in Aquitania, pago Primuliaco, ſancti SEVERI SVLPITII Preſbyteri & Confeſſoris doctrinæ & ſanctimoniæ laude perilluſtris, qui ſancti Martini res geſtas nitido ſtylo conſcripſit, atque non minùs actibus expreſſit quàm calamo;

paupertatis cultor egregius, ac humilitatis persyncerus amator, cuius præconia ob claras sapiētiæ dotes & sublime vitæ institutū S. Paulinus Nolæ Episcopus efferens, magnificè prosecutus est. In Minori Britannia, territorio Venetensi, S. GILDÆ seu Gildarij Abbatis & Confessoris, qui regio Britannorum sanguine in Maiori Britannia progenitus, à parentibus nobilissimis Beato Hilduto Eremitæ S. Germani Parisiensis Episcopi alumno, pietate & literatura traditus imbuendus, iam à tenera ætate fide magnus & religione præcellens emicuit: nec minùs subindè scientiæ decore clarus, sic orationi & vitæ austeritati sese dedit, vt religiosissimo magistro ac condiscipulis, ob intensum diuini cultus feruorem, magnum sui amorem ac admirationem incusserit. Deinde adhuc adolescens, vt tumultus bellicos quibus patria quatebatur, atque contagionem Pelagianismi adhuc his in locis pullulantis declinaret, diuinæque sapientiæ limpidiores imbiberet latices, in Galliæ partem quæ Armorica dicitur transfretauit, vbi plenè delibata Christianæ Philosophiæ Theoria, eam ad sanctimoniæ & doctrinæ gloriam euasit, vt multiplicis gratiæ qua diuinitus insignitus pollebat magnum circumquaque exhibuerit splendorem. Inde iam sacerdotio decoratus, patriæ vt laboranti diuersa lue, opem ferret: redux in Maiorem Britanniam, hæreses atque ethnicam superstitionem, haud adhuc illic stirpitus excisam, quà verbo, quà sanctis actibus, & miraculis oppugnare aggressus. Hibernos maximè ab impietatis errorisque non modò laqueis, sed & vitiorum turpiter illic grassantium exitiosis nexibus, fortiter emancipatos, feliciter in veritatis & pietatis tramitem perduxit. His partis Domino pretiosis animarum mercibus, vt liberius diuino cultui cælestique contemplationi vacaret, in solitudinem perrexit, vbi constituto tuguriolo, ieiuniis, orationibus, vigiliis sese macerans; Angelicæ potiùs quàm humanæ conuersationis specimen exhibuit. Multi verò fama virtutum eius moti vndique cùm ad eum confluerent, vt ab eo religionis synceritatem vna cum bonis literis addiscerent: pertæsus frequentis adeo concursus, rursus in Galliam traiecit: vbi tranquilla fixa statione, in agro Ruyensi, purum Deo famulatum, ad extremam vsque mortalis stadij metam rependit. Demúmque iustitiæ manipulis locupletatus, spiritu prophetiæ insignis, ac diuinæ sapientiæ editis plerisque monimentis illustris, molem mortalitatis exuens, ad desideratæ immortalitatis gaudia pertransiuit. Cuius venerandæ memoriæ, extructum itidem in aceruum testimonij cœnobium, hactenus nomine &

GILDAS.

pignoribus eius conspicuum, sacrati cultus ibidem perennauit celebritatem. Quæ & in maiori Ecclesia Venetensi, quæ præsidiis etiam eius nititur, & meritis gloriatur, hoc ipso die plurimum est solemnis. Ipso die Bituricis translatio sancti SVLPITII cognomento SEVERI eiusdem ciuitatis Episcopi & Confessoris, cuius natalis illuxit percolendus die decima septima huius mensis. Iotro monasterio, translatio S. IVLIÆ Virginis & Martyris, immensis cum diuinæ gloriæ signis peracta. *Et alibi in Gallia*, &c.

Sulpitius Seuerus. *Iulia.*

Gelasius. TRANSIIT ad Dominum beatæ memoriæ GELASIVS Papa nomine secundus, qui cùm ex Monacho Cassinensi ad summi Pontificatus fastigium prouectus fuisset: pro Ecclesiæ libertate tuenda, se armis iustitiæ & pietatis accingens, zelo Apostolico plenus: cùm strenuum Christi oculis custodem ageret, impiè à factiosis schismaticis raptus, cathenisque constrictus, vix aliquando à Catholicis liberatus est: sed iterum adueniente Henrico schismatico Imperatore dirè exagitatus, atque etiam verberibus indignissimè acceptus, tum in ea iniuria vt Christi vicarium decebat, Christi mansuetudinem præ se tulit: tum etiam Ionæ exemplo, quamquam reatus expers, ad sedandam tempestatem sese in fluxus coniiciens, summa difficultate in Galliam tutum Petri successorum azylum peruenit: vbi primùm Synodo collecta, cuius præsidio Ecclesiæ periculis prospexit, postea Cluniacum profectus, ob egregium quod illic vigebat religionis studium; aliquandiu in hac virtutum palæstra, sese cum Dei famulis exercuit: donec pleuresi correptus, vit dignitate & merito maximus, sanctissimè diem clausit extremum, atque eo quo congruebat honore funeratus, intra crucem & altare sepultus est, ipso sui Pontificatus anno primo. Ipso die transiit ad Dominum B. REDIGVNDIS virgo sanctimonialis cœnobij de Treuino ord. Præmonstratensis in Burgensi diœcesi, austeritatis rigore, puritatis decore, & diuini cultus studio plurimùm insignis.

Redigundis.

Tertio Kalend. Februarij. Luna

30 BI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30			

SS. Serena.

METIS translatio pretiosi corporis sanctæ SERENÆ Virginis & Martyris, quæ Cordubæ in Hispania Martyribus dum varia exhiberet solatia, hoc nomine ad impium Iudicem delata sub Diocletiani persecutione, post varios pro constanti fidei asseueratione perpessos cruciatus, illustri dimicatione absoluta, cum victoriæ palma, immarcessibili æternæ gloriæ emeritam reportauit lauream. Ipso die apud Malbodium monasterium in Hannonia felix transitus sanctæ ALDEGVNDIS Virginis eiusdem cœnobij fundatricis, ac primæ Abbatissæ: quæ sanctæ Vvaldetrudis soror, tempore Dagoberti Regis ex Francorum nobili stirpe progenita, Patre Gualberto, matre Bertillia, à teneris vnguiculis gratia diuinæ benedictionis præuenta,

Aldegundis.

præuenta, ſacrum intemeratæ virginitatis propoſitum elegit, ædificatóque poſt parentum funera ad opus ſuæ conuerſationis in propriis prædiis præſignato aſceterio, ibi cum plurima turma ſororum puræ vitæ innocentiam ſeruauit: in qua religiosè perſeuerans ſæpiùs fuit Angelica viſitatione recreata, atque ſuperna reuelatione admonita, vt gratum Deo obſequium, in virginitatis cultu perſequeretur. Sicque diuino communita robore, cùm in ſuſcepto ſanctiſſimæ vitæ inſtituto & perfectæ pietatis exercitio conſenuiſſet, tandem magno perfuſa ſplẽdore, cæleſtis luminis, ſponſo vocante cæleſti, cum ardenti lampade, eidem obuiam lætabunda perrexit: magníſq. poſt exceſſum adeptæ gloriæ ſignificationib. emicuit. Lingonis ſuſceptio reliquiarum S. ANATHOLII Epiſcopi Biſuntini Confeſſoris, cuius natalis fulget inſignis tertio nonas Februarij. *Et alibi in Gallia*, &c. ANATHOLIVS.

Pio fine curſum abſoluit ALANVS Inſulenſis, dictus Doctor Vniuerſalis, Ciſtertij, vbi ſpretor humanæ gloriæ atq. humilitatis amator, habitum ſuſcipiens in conuerſorum contemptibili ſorte, velut aurum ſub puluere diù delituit, nec tamen poſtquam inuitè erumpentibus diuinorum chariſmatum fulgoribus, innotuit, hac ex humili abiectáque claſſe ſe reuocari paſſus eſt: at in ſpontaneæ demiſſionis propoſito, ad extremum vſque ſpiritum perſeuerans, relicto contemptus ſui ſtupendo prorſus exemplo, ſapientiæque nihilominus & pietatis eximiæ præclariſſimis monimentis, ad æternæ gloriæ fruitionem carne ſolutus, diuiniſque præſidiis munitus, euolauit. *Alanus.*

Pridie Kalend. Februarij. Luna

31 C *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1			

EBROICIS in Normania ſub 2. Lugdunenſi, S. GAVDI Epiſcopi illius ciuitatis & Confeſſoris. Hic poſt diuturnam Interpontificium S. Taurino, primo Epiſcopo, ſuccedens nouellam hanc Eccleſiam diris perſecutionum turbinibus diſſipatam diuina fretus gratia recolligens inſtaurauit: ſacríſque ædibus conſtructis, ac idolorum fanis dirutis, Clero ordinato, plebéque ſacris religionis diſciplinis egregiè inſtituta: cæleſtis patriæ amore incenſus, vt diuinis totum ſe daret obſequiis, ſupernarúmq. rerum contemplationi liberiùs vacaret, ſponte Præſulatum abdicauit. Itaq. ſui in locum deſignato Mauruſio paſtore, cui ouile viſcerali amore commendauit, in locum abditum agri Conſtantienſis non procul à mari ſe recepit, vbi mapale extruxit, palæſtráque inita religioſæ exercitationis, corpus frugaliſſimo tenuiſſimóque victu, vitæ duntaxat tuendæ cauſa ſuſtentauit; SS. GAVDVS.

chameuniis, vigiliísque & excubiis assiduè vexauit, animum verò precando meditandóq. sic excoluit, ornauit, euexit, vt superis propinquum redderet diuinæ conuersationis assimilatione, & haustu perenni gratiarum. Cúmque annos nonnullos illic sanctissimè exegisset, mentem purissimã è corporis vinculis demum pro votorum plenitudine expeditam ad beatorum sedes & societatem feliciter transmisit: atque in decliui collis sepultus est, vbi postea monasterium in eius venerationem extructum fuit, quod postea dirutum per Barbarorum incursus, loco tamen & tumulo tanti cælitis, diù pòst perstitit memorandum. Ambianis transitus

VVLFIA. S. VVLFIÆ virginis, quæ anno ætatis suæ vigesimo octauo à Christiano illius vrbis Episcopo sacro velamine amicta, in desertum secessit: vbi S. Domicij Anachoretæ monitis & exemplis, ac admirando insuper opere in proposito confirmata, religiosis exculta officiis, post diuinæ consolationis affatim delibata fluenta, vitæ in terris Angelicæ cursum transegit: puritatísque candore deargentata in pallore auri columba, ouans in cælum euolauit.

MARCVS. Eodem die translatio S. MARCI Euangelistæ, è cuius corpore sacratissimo decerptum cum aliquot ossiculis brachium, Venetiis in Galliam transuectum, atque in eius nominis Ecclesia Limoriensi Parisiensis diœcesis perhonorificè conditum, hodiéq. illic visitur & colitur. Maxilla verò beatissimi eiusdem Euãgelistæ imprìdem à Guillelmo Aquitaniæ Duce ex Venetiis allata, Pictauis reposita pio cultu asseruatur in cœnobio sanctorum Apostolorum Ioãnis & Andreæ. Ipso die Castriloci in Han-

VERONVS. nonia translatio S. VERONI Confessoris fratris S. Veronæ Virginis gloriosæ: qui natali sacro colitur tertio Kal. Aprilis. In Regali

PATROCLVS. cœnobio S. Dionysij in Frãcia, celebritas S. PATROCLI Episcopi & Martyris, cuius eadem in basilica pretiosa pignora, digna honorificentia conseruantur. Item Maclouiopoli in Armorica S.

METRANNVS. METRANNI Martyris, qui Alexandriæ cùm verba impia proferre in Christum recusaret, quin potiùs eius altè præconia efferret, fustibus contusus, præacutis calamis in vultu dilaniatur, atque extra vrbem raptatus, foris lapidum imbre obrutus obdormiuit in Domino. Huius aliquot reliquiæ ex Ægypto quondam aduectæ in Galliam, cultum condignum in vrbe præsignata receperunt, qui ex auito more in hunc vsque diem, per natalis beati ipsius athletæ commemorationem, religiosè propagatur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum*, &c.

Petrus. PLACIDO fine hodie in Christo conquieuit PETRVS Conuersus Villanensis, vir ecstaticus, multarúmque virtutum, & rerum admirandarum patrator, ac Christi crucifixi mirificus æmulator.



FEBRVARIVS.

Kalendis Februarij. Luna

I																D XXIX.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2			



RÆFESTVM Hypapantes, ſeu obuiationis Domini: aliàs Vigilia Præſentationis Chriſti, & Purificationis ſanctiſſimæ Virginis. Eadem die Natalis ſancti IGNATII Antiocheni Præſulis & Martyris illuſtriſſimi, ſanctorum plurimorum qui Eccleſias in Galliis fundauerunt, venerandi in Chriſto Parentis ac Magiſtri. Cuius brachium in Eccleſia cœnobitica ſancti Petri de Valle Carnotenſi religioſo cultu conditum, hodie deuotis ſupplicibus venerandum expromitur. Apud Anitium, ſeu Podium Vellaunaurum in Aquitania, ſancti AGRIPANI Epiſcopi & Martyris, qui à ſancto Martino Papa & Martyre Româ illic tranſmiſſus, ibidémque Epiſcopus conſtitutus, ardenti zelo Chriſti gloriam propugnauit: impiis enim idolorum ſacris adhuc in eo tractu vigentibus, graſſantíque apud hunc populum nefariæ Arianorum ſectæ, ac Heluidianæ hæreſi intrepidè ſe obiecit, infauſta quarum ſemina, fremente in ſe licèt perfidorum odio, mirifica doctrinæ vi & pleno ſanctitatis ſpiritu radicitus euulſit: pietatíſque germina vindicatæ, feliciter excoluit. Cùm autem benè ſemel conſtitutâ Eccleſiâ, Romam de more ad Apoſtolorum limina profectus fuiſſet, ſolutis votis, exhibitíſque Apoſtolicæ Sedi obſequiis, ad creditum populum rediret; Euangelicæ veritatis vbique in tranſitu ſalutifera ſemina ſpargens, in vico cui nomen Chiuiaco in agro Viuarienſi, vbi falſorum numinum cultus etiamnum pullulabat, ſubſtitit: illícque dum impietatem Apoſtolico feruore inſectaretur, ac Chriſti nomen miro æſtu prædicaret, iuſſu dynaſtæ fœminæ ethnicæ comprehenſus, tetrum in carcerem conie-

SS. IGNATIVS.

AGRIPANVS.

ctus, póstque triduum, gladio obtruncatus, egregio certamine, absoluto felicis peregrinationis decursu, cœlestis gloriæ coronam adeptus est. Cuius caput abscissum, è fastigio montis vbi cæsus est, ad radices vsque ipso ensis ictu deuolutum, eo in loco quo constitit, fontem excitauit, cuius haustu, ægri morborum leuamen in hos vsque dies percipiunt. Cæterùm Christi athletæ corpus ibidem sepultum fuit: quo loco fidelium deuotio ædiculam construxit, vbi quieuit honorificè conditum, donec agente Dulcidio eius successore, Podium ad propriam sedem translatum, in crypta sancti Georgij depositum est, indéque demum leuatum, & in pretiosa collocatum arcula, miraculis coruscans perenni colitur veneratione. Eadem die Trecis

PAVLVS. sancti PAVLI Episcopi & Confessoris, qui Bertulfo succedens, præstanti doctrina, egregia pietate, diuináque & admiranda virtute, cùm aliquandiu eam Ecclesiam gubernasset, vita demum sanctissimè acta æternitatis beatæ præmia recepit, propriáque in Ecclesia conditus, sanctitatis eximiæ decus obtinuit. Eodem

PAVLVS alter. die in prouincia Arelatensi sancti alterius PAVLI Episcopi Tricastini & Confessoris, qui ciuitatis illius primus in Christo informator ac Antistes, sacra eruditione & vitæ Episcopalis admirandis actibus, collecto à se gregi tramitem æternitatis indicauit: ac postquam gratiæ diuinitus acceptæ fœnora copiosa accumulasset, meritis locupletatus egregiis, abiit ad præmium

TYGRIDES. sempiternum. In territorio Vapincensi sancti TYGRIDIS Episcopi & Confessoris. Hic Dei charitate exardescens ouium salutem summo studio procurauit, Ecclesiáque ad diuinæ legis præscriptum diu gubernata, ad superna regna euectus, perennis à se emeritæ gloriæ reliquit in terris monimentum. Pictauis

LEONIVS. sancti LEONII Confessoris sancti Hilarij Compresbyteri, ab ineunte ætate sanctissimi: qui proficiscentem in exilium sanctum ipsum Pontificem comitatus, varias pro fide Catholica pressuras cum eodem pertulit: póstque reditum in Gallias, expugnandæ Arianæ perfidiæ, plurimo eidem adiumento fuit. Cæterùm subuecto ad cælestem gloriam B. Hilario, Galliam tanti athletæ præsidio orbatam, singulari solatio recreauit; prædicationibus Apostolicis populum erudiens, sanctæque vitæ exemplis ad religionis cultum incitans, & miraculis confirmans, quibus piis insistens officiis, cùm multa diuinè egisset, leui morbo consopitus, eo die, quem eidem prædixerat sanctus Hilarius, exuta mortalitate, ad beatæ immortalitatis gaudia commigrauit: propéque sanctum Hilarium sepultus, magnis in tumulo emicuit signorum diuinorum virtutibus. Eadem die sancti

SEVERI Episcopi Abrincensis & Confessoris; cuius Rotomagi in Basilica Metropolitana sanctæ Mariæ, corpus in theca venerabiliter conditum; hac die populo illic deuotè concurrenti reuerenter ostenditur. Hic beatus Antistes populo suo summa mansuetudine præfuit, moribúsque insignis, & virtutibus ac miraculis fulgens, eximiæ sanctitatis & gloriæ iam olim adeptus est præconium. Cuius rei monimento est cœnobium in Episcopatu Constantiensi, eius memoriæ & cultus iampridem consecratum. Ipso die Lemouicis commemoratio S. SORI Confessoris, admiranda humilitate, continentia, aliísque præclaris sanctæ conuersationis dotibus illustris. Eodem die Insulis in Flandria S. EVBERTI Episcopi & Confessoris, aliàs Eugenij, qui ex vrbe Roma furente Diocletiano in Gallias ad prædicandum Euangelium cum S. Quintino, Lucio, Crispino & Crispiniano, Piatone aliísque proficiscens, Dei regnum in Belgio plurimùm prouexit: magnísque exantlatis pro fide laboribus, multis nobilitatus trophæis, demum feliciter obdormiuit in Domino. Quiescit Insulis in Collegiata S. Petri Ecclesia, quam condidit Balduinus cognomento Insulánus Flandriæ Comes: illicque & Seclinij, celebri Flandriæ municipio, magna veneratione colitur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SEVERVS. SORVS. EVBERTVS.

Quarto Nonas Februarij. Luna

z E XXVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3			

PRÆSENTATIO Domini, Purificatio sanctissimæ Deiparæ, & occursus Simeonis Iusti, & Annæ viduæ Prophetissæ. Metis S. SIGEBERTI Regis Austrasiæ & Confessoris, qui Dei cultus studiosus amplificator, viginti monasteria construxit: inque Ecclesias & pauperes profusas eleemosynas erogauit: ob quæ merita præcelsáque alia pietatis opera, pro terreno regno, cæleste assecutus est. Cuius corpus in Ecclesia S. Martini ab ipso fundata conditum, miraculis mox à tumulatione refulsit: pòstque annos inde quingentos repertum est, non sine omnium spectantium admiratione, incorruptum. At inde Metas ob bellorum turbines ingruentes tralatum: postea Nanceium Lotharingiæ ducatus metropolim aduectum, demum illic quiescit in primatiali basilica, quam non ita diù fundauit Carolus III.

SS. SIGEBERTVS.

COLVMBANVS. Lotharingiæ Princeps. Gandaui depoſitio ſancti COLVMBANI Abbatis, qui ex Hibernia in Galliam profectus in cœmiterio Cœnobij illius ciuitatis ſe recluſit, admirandæque vitæ inſtitutum per biennium ſtrenuè perſecutus, tandem emeritæ beatitudinis præmia ſibi repromiſſa à ſuperno largitore accepit. In Crypta verò beatæ Mariæ humatus, ante altare ſancti Andreæ, ſub arcu lapideo, patentes exeruit fulgores ſuæ glori-

SICHARIA. ficationis. Eadem die Aureliis ſanctæ SICHARIÆ Virginis Deo ſacratæ, humilitate, innocentia, & ſanctitate conſpicuæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Bonifacius. CLARÆVALLIS obitus beatæ memoriæ BONIFACII conuerſi, Chriſto chari, Angelis venerabilis, dæmonibus formidabilis, de quibus conculcatis perſæpe triumphaui.

Tertio Nonas Februarij. Luna.

3 F XXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4			

SS. SIMPLICIVS. VIENNÆ ſancti SIMPLICII Epiſcopi & Confeſſoris, qui Zozimo Pontifice mira ſanctitate eam Eccleſiam rexit, nec minora Epiſcopalibus virtutibus ornamenta, quàm honorum decora, piis iurium ſacrorum vindiciis ipſemet cui præ-

PHILIPPVS. erat ſedi adiunxit. Ibidem ſancti PHILIPPI eiuſdem ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris, qui Remillam Eugeniam Anſelmundi ducis filiam, ad pietatis culmen prouexit, Monaſterium S. Andreæ, vt ipſa conderet, deuotis ſuaſionibus effecit, admirandæque ſanctitatis officiis perfunctus in Chriſto obiit. Eo-

EVANTIVS. dem die ibidem ſancti EVANTII eiuſdem ſedis Præſulis & Confeſſoris magna religione & pietate clari. Hic cùm egregia ſanctimonia ſuam Eccleſiam gubernaret, à Beato Gunthe-ramno Rege Matiſconem ad ſacra comitia cum præcipuis Galliæ Epiſcopis euocatus, Synodo, maximo cum ſapientiæ & virtutum ſplendore, interfuit, edendiſque de moribus Cleri, & populi emendatione, ac Eccleſiaſtica vindicanda diſciplina legibus, conſilio & opera plurimùm profuit: demúmque ad ſedem reuerſus partis præclaris meritorum augmentis, æterna præmia, ſancto fine quieſcens, ſeruus fidelis, à Domino rece-

FLOSCVLVS. pit. Aureliis ſancti FLOSCVLI Epiſcopi & Confeſſoris, qui eximio ſanctè viuendi exemplo, gregi commiſſo prælucens,

felici exitu ad beatæ vitæ gaudia peruenit. Vapingi sub Aquæsextiæ Metropoli in Phocensi Prouincia sancti REMEDII Episcopi, itidem & Confessoris: qui sancto Tygridi ob præclaras virtutum dotes suffectus, iisdem vestigiis inhærens, Ecclesiam creditam magna laude & copioso fructu pastoralis vigilantiæ direxit, datisque diuinitus, perfectæ sanctitatis indiciis, eodem tramite quo decessor, aulam cœlestem ingressus est. Lugduni transitus sanctorum LVPICINI & FELICIS Episcoporum, quorum alter Lugdunensis, alter Bellicensis Antistes, vterque illustri sanctimonia, nec inferiori doctrina pollens, egregio præsulatu immarcessibilem à Pastorum principe demeruit gloriæ coronam. Ipso die Vesontione, sancti ANATHOLII Episcopi & Confessoris, qui natione Scotus vt credita sibi à Domino talenta multiplicaret in Burgundiam transmeauit: fixáque Salinis eremitica statione, quâ verbo, quâ sanctè factorum gloria incolas ad se confluentes à rerum terrenarum cupiditate ad cœlestium desiderium & studium, admodum prouexit. Clarúsque miraculis & meritis plenus, æterna demum properauit ad gaudia. In cuius venerationem eo loco quo tumulatus est, basilica extructa fuit, canonicorum collegio insignis: in qua perhonorificè conditus quiescit, patronúque titulo colitur. Apud Traiectum ordinatio sancti REMACLI Episcopi & Confessoris, qui in Aquitania claris natalibus ortus, atque à sancto Sulpitio tum Archidiacono Bituricensi primis Christianæ sapientiæ elementis imbutus, ac postmodum à sancto Eligio institutionibus monasticis instructus, ab adolescentiæ flore eximios sanctitatis fructus protulit: ob quæ decora ad Episcopalem Cathedram Traiectensem, totius Cleri ac populi acclamatione, Sigibertíque Regis Austrasiæ iussu euectus, ouium procurandæ saluti amplificandæque religioni totus deditus, magnificis virtutum exemplis, omnium in se & admirationem & amorem pertraxit: adeout superbi ipsum reuererentur vt Iudicem, humiles amplecterentur vt fratrem, pauperes suum vt parentem suspicerent. Is enim in terra positus, vitam planè cœlestem duxit: integerrimus corpore, solertissimus mente, circunspectus in opere, optimus ingenio, magnus in consilio, Catholicus fide, pientissimus spe, diffusus in omnes charitate. Cæterùm plurimorum cœnobiorum fundator, sanctorúmque nonnullorum institutor, tandem remotioris vitæ desiderio incensus, de Regis permissu, Clerique sui & populi assensu, delecto sibi Theodardo successore, in solitudinem secessit, vbi coacto sanctorum ascetarum cœtu, vberiori virtutum

REMEDIVS.

LVPICINVS & FELIX.

ANATHOLIVS.

REMACLVS.

copia semper ditescens, demum modica febre correptus, & sacrosancto viatico confirmatus, post extrema charitatis colloquia, inter charissimorum filiorum manus, animam suo reddidit Creatori. Eius corpus in oratorio S. Martini quod extruxerat cum multa Psalmorum hymnorúmque melodia, sepultum est: vbi miraculorum ingenti fulgore emicuit. Eadem die apud

HADELINVS. Vrsetum S. HADELINI Confessoris ipsius S. Remacli discipuli: qui ortu quoque Aquitanus, relicto solo paterno & cognatione, Stabuletum ad ipsum Remaclum se contulit, cuius & magisterio vsus, & ab eo Cellas, vt monasterium ibi construeret missus, illic condito asceterio diuinarum virtutum imitatione, perfectæ, collectis sodalibus, in se exhibuit pietatis & religionis speculum: donec vita in præceptorum Domini cursu feliciter confecta, manipulos referēs iustitiæ copiosos, felici egressu euo-

ANSCHARIVS. catus est ad præmium. Eodem die gloriosus transitus S. ANSCHARII Septentrionalium gentium Apostoli, necnō Episcopi Bremensis & Confessoris: qui ope fultus diuina & Ludouici Pij Francorū Regis ac Imperatoris munifica pietate, Frisios ac Flandros adhuc à Christianis sacris abhorrentes, Christi suaui iugo penitus subdidit: educatóq. S. Remberto, quem Episcopatus ac Apostolatus sui reliquit successorem, in Thoroleano cœnobio, quod eidem inopia laboranti, ad fouendam vitam & pios conatus, prędictus Ludouicus contulerat, Apostolico munere optimè perfunctus spiritum in cælum emisit. Item ipso die Merbecæ in

BERLENDIS. Brabantia obdormitio S. BERLENDIS Virginis Deo sacratæ: quæ ibidem exhibito Christo purissimo famulatu, felici exitu

NONA & CELSA. cursum absoluit: ibidémq. cum beatis sororibus NONA & CELSA, funerata, receptæ in cælis beatitudinis perspicua prodidit diuinitus indicia. In monte Castriloco Hanoniæ, translatio S.

VVALDETRVDIS. VVALDETRVDIS viduæ: cuius beatus transitus quinto Idus Aprilis est celebris. Meloduni ad Sequanam veneratio reliquia-

BLASIVS. rum S. BLASII Episcopi & Martyris, qui hodie inclyto certamine Sebastæ in Armenia triumphauit: vnde à Francis Christi bellatoribus, in Gallias aducta aliquot eius pretiosa pignora, illic in cœnobio sancti Petri perpetua veneratione obseruanda, reposita sunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Helinandus. DIEM obiit extremum piæ memoriæ HELINANDVS Frigidi Montis Monachus in Bellouacensi præsulatu: non minùs sanctitatis quàm doctrinæ gloria

Petrus. clarus. Item Dunis in Flandria PETRVS illius cœnobij præfectus: vir cùm tanto sæculi contemptu, tum miro Christi amore, & profusa in sanctissimam Deiparam deuotione insignis; in cuius etiam beatissimæ præconiis, purissimam animam efflauit.

Pridie nonas Februarij. Luna

4 G XXVI. 25

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22
t u A B C D E f F G H M N P
23 24 25 26 27 28 29 1 30 1 2 3 4 5

IN ſuperiori Picardia ſancti LIEFARDI Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris, qui temporibus Leonis III. Papæ cùm Roma in patriam ſolutis votis rediret, ab impiis in nemore Trecaultio prope Atrebatum nefariè interemptus eſt. Huius ſacrum corpus ad Hunonis curiam delatum, & in Benedictinorum aſceterio Cameracenſis diœceſis conditum, ibidem aliquandiu iacuit, donec miraculorum gloria micans Quintinopolim, vna cum pretioſis exuuiis ſanctarum VALERIÆ & POLENÆ ſororum eius, tranſlatum fuit. Auguſtæ Trecarum ſancti AVENTINI Confeſſoris, Cameliani Epiſcopi eiuſdem ciuitatis miniſtri, qui Biturìcenſi ſolo editus, in famulatum à prædicto Antiſtite ob famam nominis, quam humilitas, caſtitas, charitas, multiplexque ſapientia conciliabat aſcitus: promptuaria eius ita diſpenſauit, vt quamquam in egenorum ſubſidium plurima erogaret: nihil tamen ex creditis rebus decreſceret, ſed magis ac magis ex diuinæ benedictionis influxu exuberarent omnia. Cùm autem ex tam inſigni miraculo ſanctitas eius pateſceret, ipſe hominum declinans exiſtimationem, à Domino ſuo licentia abeundi impetrata, ſecretum in locum ſe contulit, vbi cæleſtem vitam inſtituit, pane hordeaceo, permixto oleribus ac radicibus herbarum (quem peracto ieiunio triduano, bis ſumebat, qualibet hebdomada) ſimplicíque aquæ hauſtu corpuſculum ſuſtentans; indeſinenter in cinere & cilicio, orationi inſiſtens. quibus exercitiis ad eam vitæ innocentiam deuenit, vt aues in eius manus ſponte aduolarent, brutáque omnis oblita feritatis ad eius ſe proſternerent veſtigia. Tandem ſanctiſſimus Anachoreta, Deo amabilis, hominibus multùm admirabilis, meritis addita coronide, è tugurio ſolitudinis, ad æternæ beatitudinis tabernacula, Angelicáque conſortia, placido exitu pertranſiuit. Laubiis ſancti VLGISI Epiſcopi & Confeſſoris, præcelſæ virtutis viri, qui cœnobium dicti loci ſumma religione moderatus, ibidem depoſita mortalitatis ſarcina, ad æternæ vitæ gaudia properauit. quo loco condigno honore funeratus, deinde ad eius ſepulchrum crebreſcentibus

SS. LIEFARDVS.
VALERIA & POLLENA.
AVENTINVS.
VLGISVS.

diuinæ magnificentiæ ſignis, Binchium tranſlatus; magna illic quieſcens fulget meritorum clarificatione. Audomaropoli, Mo-
SIMEON. naſterio Bertiniano, ſancti SIMEONIS Abbatis, viri diuinis rebus vehementer intenti, qui vt commodiùs Deo vacare poſſet prælatura ceſſit, póſtque maiora virtutum incrementa ex ſtadio ad coronam æternæ gloriæ peruenit. Toloſæ in Eccleſia
GILBERTVS. ſancti Saturnini feſtiuitas ſancti GILBERTI Abbatis & Confeſſoris, qui ibi corpore quieſcit. Item eodem die ſancti
GILBERTVS alter. GILBERTI alterius Confeſſoris, qui magnam vitæ perfectionem aſſecutus, monaſterium Sempigamiæ in Hunonis Curia fundauit, eiúſque loci factus Abbas, collectis à ſe alumnis religioſæ conuerſationis traditis monitis & exemplis cæleſtem migrauit ad patriam. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Ioanna. BITVRICIS obitus ſanctæ memoriæ, pientiſſimæ Principis IOANNÆ Francicæ Valeſiæ, Annuntiatarum fundatricis, quæ rara mundi deſpicientia admirabilis, ſceptra faſtidiens, Chriſti ſuaue iugum aſſumpſit: liliáque ſpinis commutans, ſancto collecto ſodalitio, in aſceterio quod condidit recluſa, eximios omnis virtutis flores & ſuauiſſimos pietatis odores emiſit; ac demum meritis plena in omni ſanctitate vitam finiuit, plurimiſque in tumulo claruit ſignis adeptæ beatitudinis.

Nonis Februarij. Luna

5 A XXIV. XXV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6			

SS. AVITVS. VIENNÆ ſancti AVITI Epiſcopi & Confeſſoris illuſtriſſimi, qui ſæcularium literarum doctiſſimus, ingenio acerrimus, fide religioſiſſimus, & ſanctitate ſuo æuo præcipuus, Doctor per omnia orthodoxus, ingenti zelo ac indefeſſa opera, Gallias ab infeſtatione Arianæ hæreſeos liberauit: Sigiſmundum Regem Burgundiæ hac lue infectum, ad viam ſalutis piis doctiſque exhortationibus reuocauit. Eccleſiam vniuerſam, mirabilis ſapientiæ & pietatis monimentis, ditauit, præclaris exemplis decorauit. Deinde poſtquam coacto Epaonenſi Concilio, (cui Symmachi Papæ vice præſedit) penitus hæreſeos germina peſtifera euulſiſſet, Eccleſiaſticæ politiæ iura & decora vindicaſſet, glorioſis laboribus, pontificatúque ſanctiſſimo perfunctus, ſtolam gloriæ recepturus, ad Dominum placida morte migrauit. Sueſſione ſancti VODALI Confeſſoris,
VODALVS.

qui natione Scytha, cùm in Gallias religionis amore profectus fuisset, Suessionem ad monasterium puellarum sanctæ Dei genitricis, famosissimum pietate, se contulit, vbi ab Adalgarde Abbatissa deuotissima benignè susceptus, & hospitiolo quodam extra septa cœnobij, donatus, miros in sanctitatis studio progressus fecit, ad hàncque deuenit religiosæ perfectionis sublimitatem, vt humilitatis, abstinentiæ, innocentiæ exemplis, timoréque Dei ac amore intensissimo, omnes ad diuini obsequij cultum & cælestium rerum desiderium accenderet. His postquam radiis Suessionum Ciuitatem illustrasset: in perpetuas vt luceret æternitates, felici excessu, cælestes axes gloriosus penetrauit. Eodem die in Parisiensi territorio translatio sancti MAVRI Abbatis & Leuitæ. Elnonensi cœnobio in tractu Tornacensi, S. ANDREÆ Abbatis discipuli sancti Amandi: qui postquam cœnobium suum ad diuinum beneplacitum gubernasset, magnámque sanctitatis laudem ob merita adeptus esset; morte in conspectu Dei pretiosa placidè conquieuit. Gandaui in Blandinio monasterio, sancti BERTVLFI Abbatis & Confessoris, qui commissam sibi congregationem cum vitæ exemplo, religionis zelo & cælesti doctrina plenè informasset: incredibili micans radiorum sanctitatis fulgore, supernos ad montes euolauit. In monte Caluo transitus sanctæ LIBERATÆ. In Marcolensi asceterio Virginali, susceptio pretiosi corporis vnius Virginis & Martyris ex S. Vrsulæ sodalitio. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

MAVRVS. ANDREAS. BERTVLFVS. LIBERATA.

BVRDIGALÆ, Agathæ & Abrineis veneratio sancti ANDREÆ Apostoli, Episcopalium harum Ecclesiarum tutelaris: cuius hodie Cathedræ, Patris in Achaia (vbi ouans demum crucem peroptatam ascendit) ab ipso collocatæ, celebritas; antiqua ex traditione peragitur. Cisterciensi cœnobio Beati ALEXANDRI Confessoris, qui cùm Abbas esset Mortui-maris, in diœcesi Rotomagensi, perfectioris vitæ desiderio in solitudinem abiens, Eremiticam vitam sanctissimè excoluit: deinde obedientiæ & humilitatis exercendæ affectu, Cisterciense cœnobium florentissimum omni religionis disciplina petiit, cuius instituta amplexus, & sedulo persecutus, sanctissimè demum obiens, supernæ patriæ quietem & felicitatem promeritus est. Item ibidem obitus piæ memoriæ CHRISTIANI monachi, qui diuino spiramine afflatus, vitæ regularis institutum auidissimè arripuit, sanctè coluit, & studiosè exercuit, pósque admiranda opera pietatis ad desideratam properauit requiem.

Andreas. *Alexander.* *Christianus.*

Octauo Idus Februarij. Luna

6																B XXIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	1	2	3	2.3	4	5	6	7				

SS. ANTHOLIANVS. CLAROMONTE Aruernorum Natale ſancti ANTHOLIANI Martyris, qui pro fidei teſtificatione à Chroco tyranno impio, Galliarum vaſtatore, capitis damnatus, ibi erecto trophæo immortali, cum ſancto Liminio glorioſi certaminis conſorte, prope mœnia vrbica, in loco vbi nunc Eccleſia ſancti Galli condita cernitur, ſepultus eſt. Arelati ſuſceptio corporis ſanctæ DOROTHEÆ Virginis & Martyris, cuius hodie Natalem Eccleſia, trophæúmque, vbique celebrat glorioſum.

DOROTHEA.

VEDASTVS. Attrebati ſancti VEDASTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui cùm Preſbyterij dignitate & merito niteret, Clodoueum Regem Francorum, vna cum ſancto Remigio pietatis Chriſtianæ ſalutaribus inſtitutis informauit. Obque ſanctimoniæ & ſapientiæ præclaras quibus affluebat dotes, poſtea ab ipſo beato Remigio, ex voto Præſulum comprouincialium conſecratus Antiſtes, Attrebatenſium primus Epiſcopus fuit: quorum matricem Eccleſiam adiuuante Clodoueo Rege in honorem Beatiſſimæ Deiparæ condidit, Clericorúmque inſigni collegio fulſit ac inſtruxit. Cameracenſis etiam Eccleſiæ coniunctim gubernaculis ſuſceptis, vtrique populo vnicus paſtor ſic præfuit, vt ſanctitate & doctrina prælucens, ambos, in vias iuſtitiæ & ſemitas ſalutis, quaſi ouem vnam, ductu feliciſſimo direxerit. Cùm autem eo munere annis fermè quadraginta diuinè perfunctus fuiſſet, piè factorum gloria clarus, in cælum talenta multiplicata reportans, æternæ beatitudinis mercedem à Domino euocatus recepit. Ad cuius merita declaranda è ſuperno columna ædiculæ eius ægrotantis illuceſcens, felicem illius tranſitum præſignauit. Quieſcit Attrebati in ſui nominis monaſterio, cuius ipſe fundamenta iecit ad ripam riuuli Crientionis: ſanctus verò Aubertus ſeptimus Epiſcopali ſerie ſucceſſor illud auxit, ac demum Theodoricus Rex Chriſtianiſſimus, qui ibidem ſub auſpiciis tanti Confeſſoris iacet, cum Doda coniuge, munificentiſsimè dotauit. Eadem die Traiecti

AMANDVS. ſancti AMANDI Epiſcopi itidem & Confeſſoris. Hic Sereni Ducis Aquitanorum filius, annos vix ingreſſus pubertatis, mona-

monasticæ vitæ institutum elegit in Ogia insula, quam etiamã miræ magnitudinis serpente, crucis signo liberauit. Deinde benedictione à B. Aicario Antistite Nouiomensi acceptâ, spiritu Apostolico feruens, Gandauis adhuc ethnica superstitione delusis, facem Euangelicæ veritatis primus inuexit, verbúmque Dei intrepidè annuntians, eos ad Christi cultum felicissimè perduxit. Demum crescente fama, vt auras populares vitaret, ad Apostolorum limina deuotus perrexit. Vnde cælesti monitu in Galliam rediens, Sclauis prædicauit. Regressus, defunctum excitauit precibus, plures Ecclesias construxit. Regem Dagobertum sacra connubij iura violantem, quem nemo sacerdotum redarguêre audebat, suis admonitionibus ad meliorem frugem reduxit: cuius cùm filium Sigebertum baptizaret, quadraginta dierum infans, finita sacerdotali prece, *Amen*, respondit. His rutilantem meritis Amandum, Rex ipse vt Cathedram Tungrorum, obitu Ioannis cognomenti Agni vacuam, regendam susciperet, coëgit. Quo gradu sublimatus virtutum etiam ornamentis splendidior elucens, vigilantia, sollicitudine, prudentia, abstinentia, mansuetudine, iustitia, religione, doctrina, cæterísque Episcopalis gloriæ adminiculis, populi commissi salutem mirificè prouexit: discipulos etiam instruxit plurimos, sanctitate præstantes, & innumerabiles Christo animas peperit. Vascónes etiam ad fidem vt adduceret, strenuè elaborauit, sicque in omni vita sanctissimè versatus, plurimúmque diuino honori obsequutus, postquam Argentinensem Episcopatum fundasset, ædes sacras perplures, hásque insignes, quæ adhuc consistunt, extruxisset, admirandáque patrasset innumera: demum felici confectus senio, apud Pabulenses ultimum exhalauit spiritum. Cuius sacrum corpus, sic ducentis postea annis illibatum repertum est: vt quâ integritate Domino seruierat simul pateret, quáque apud eum polleret gloria, itidem ostenderetur. In cœnobio sancti Bertini vulgo Sithiuensi dicto, sancti LEONII Abbatis viri multæ doctrinæ & religionis sancto Bernardo coæui, & eius scriptis ac amicitia celebris. LEONIVS. Eodem die Traiecti commemoratio omnium sanctorum Patrum qui eandem Ecclesiam Apostolicis monitis & exemplis sanctissimè gubernauerunt. Ipso die Maseicæ ad Mosam, in agro Leodicensi, Sanctæ RELINDIS Virginis & RELINDIS. Abbatissæ, quæ sancti Vuillibrordi Frisiorum ac Batauorum Apostoli, sanctíque Bonifacij discipula, Eikense monasterium à parentibus fundatum, sororis HERLINDIS fulta pio subsidio, laudatissimè prima direxit: vbi & plurimas Christo fi- HERLINDIS.

ſias, virginitatis puro cultu genuit, fidéque & charitate repleta, humilitate decora, religione inſignis, lagitate eleemoſynarum locuples, & bonorum operum cumulo affluens, ad nuptias cæleſtes euocata, agni immaculati ſempiterna ſectatrix, in cæleſti regno effecta eſt. De hac beata Virgine eiúſque ſorore id maximè in geſtis memorabile proditur: quod otium vt peſtem mortiferam fugientes, aliquando palliola contexebant, quibus pauperum tegerent nuditatem: aliquando diuinas ſcripturas, nitido præſtantíque opere conſcribebant: ex quibus nonnulla monumenta, perinde ac ſi recentia eſſent, conſpicua hactenus conſeruantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

Arnoldus. EADEM die in diœceſi Carnotenſi obitus piæ memoriæ ARNOLDI Abbatis Bonæuallis, viri doctrina & pietate celebris, qui vitam ſancti Bernardi Claræuallenſis deſcripſit, & geſta ſancta imitatus eſt.

Septimo Idus Februarij. Luna

7																C XXII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8			

SS. CHRYSOLIVS. COMINII ad Lyſam in Præſulatu Tornacenſi ſancti CHRYSOLII Epiſcopi & Martyris, qui ſanctorum Quintini, Piatonis & Euberti Roma proficiſcentium in Gallias, prædicationis Euangelicæ cauſa, ſocius, Tornacenſibus & aliis Flandriæ populis Chriſti nomen annuntiauit: cúmque plura loca ſalutari lumine illuſtraſſet, Tornacum poſt ſancti Piatonis triumphalem agonem ingreſſus: Ibi cùm religionis recenti turbine concuſſa fundamenta conſolidare, ac ædificium domus Dei amplificare contenderet, à Diocletiani miniſtris comprehenſus, diréque exagitatus; à Chriſti confeſſione & fidei præconio quòd minimè cohiberi poſſet, primùm deriſus, conſputus, & flagellatus, demum ob conſtantem diuinæ gloriæ teſtificationem capitis damnatus: pretioſi verticis coronâ cum cerebro ſibi crudeliter amputatâ, ad ſupernos triumphos euolauit, diademáque decoris & ſtolam gloriæ de manu Domini recepit. Quieſcit Cominij in Canonicorum ſanctiſſimæ Dei genitricis templo, ad quem locum exciſas ceruices, diuino fretus nutu ac ductu, ipſemet venerandas detulit. Aruernis ſancti AMANTII

AMANTIVS.

Martyris, qui fide præstans & morum castimonia insignis, Christianæ religionis accusatus, Iudicis mandato diris diuexatus cruciamentis: quo acerbiùs tortus, eò fortiùs liberiúsque Christi Domini nomen confessus est. Denúmque in constanti fidei asseueratione, ad extremos spiritus perseuerans, nobili agone, immortalis gloriæ donatiuum percepit. Binchij prope montes Hanoniæ sancti AMOLVINI Episcopi & Abbatis Laubiensis: qui admiranda sanctitate florens, oppidum & cœnobium huius loci piissimè direxit; decursáque in omni opere bono, perpetuóque Dei famulatu mortalitatis palæstrâ, brauium adeptus est à Deo strenuis pugilibus repromissum. In territorio Remensi Monasterio Altouillari susceptio corporis sanctæ HELENÆ Augustæ, Crucis salutiferæ Domini seruatoris inuentricis. Eadem die Aureliis commemoratio sanctæ ipsius Helenæ basilicæ S. crucis fundatricis. Item commemoratio S. LVBETIÆ eiusdem Augustæ ancillæ. Marcianis in Hanonia eleuatio sanctæ RICTRVDIS Abbatissæ, sanctarúmque eius filiarum CLOTSENDÆ & ADALSENDÆ. *Et alibi in Gallia*, &c. Amolvinvs. Helena. Lvbetia. Rictrvdis. Clotsenda & Adalsenda.

In diœcesi Namurcensi Cœnobio Villariensi obitus bonæ memoriæ RAYNERII Conuersi, sanctitatis opinione venerabilis. *Raynerius.*

Sexto Idus Februarij. Luna

8 D XXI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9			

VIRDVNI S. PAVLI Episcopi & Confessoris fratris Beati Germani Præsulis Parisiensis. Hic patria Æduensis, adolescens pietatis studia secutus, relicto patrio solo & opibus, cremiticam vitam apud Vosagum mõtem iuxta Treuiros excoluit: vnde ob virtutum fulgorem abstractus, Theologij Abbas primũ factus, postea increscente sanctitatis celebritate, inuitus ad soliũ Episcopale Virdunense morte Ermenfredi vacuum subuectus est. Quam Ecclesiam magna Pontificalium virtutum exercitatione circiter annos septem & viginti gubernans, copioso circumfusus sanctitatis splendore, & miraculorum gloria, ad supernæ ciuitatis gaudia emigrauit. Vesontione, sancti NICETII Confessoris illius ciuitatis Episcopi, quem sanctitas sacerdotem, eruditio doctorem, confessorem egregium vera fides constituit. Hic repletus Spiritu sancto contra errores diabolicos decertans, SS. Pavlvs. Nicetivs.

populum piè edocens, beatæ vitæ tramitem præclaris exemplis ostendens, impleto vndique officio, placido mortis sopore in Domino obdormiuit. Cuius corpus sepultum in Ecclesia S. Petri magna illic fruitur deuoti populi veneratione: celebríque Cathedratici Cleri processione, mysticísque officiis hodie, sacra eius memoria honoratur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Ioannes. Eodem die obiit sancto fine IOANNES Conuersus cœnobij Villariensis, studiosissimus solitariæ vitæ cultor, & indefessus obseruator disciplinæ regularis.

Quinto Idus Februarij. Luna

9 E XX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10			

SS. MEINGOLDVS. IN agro Leodiensi Hoyo oppido S. MEINGOLDI Ducis & Martyris, qui Hugonis Angliæ Regis filius, sororiúsque S. Osualdi Regis Northumbriæ & Martyris, militiæ abrenuntians, atque pœnitentiæ amore ad oratorium sanctorum Timothei & Symphoriani ad Mosam, solitario loco secedens, ibi sanctissimæ vitæ actus edidit: donec à viris sanguinum cùm ad templum iret innocens occisus, eximiæ patientiæ coronam, pœnitentiæ dignè exactæ brauio copulauit. Quiescit in prædicto oppido cum Domitiano notæ sanctitatis Antistite eleuatus, condignóq. ibi percolitur honore. ANSBERTVS. Fontanellæ in territorio Rotomagensi S. ANSBERTI Episcopi & Confessoris, qui ex Regio Cancellario Monasterij eiusdem factus cœnobita, Metropolis Rotomagi Antistes, post S. Audoënum ob præcelsa vitæ merita ordinatus, susceptam Ecclesiam tanta sanctimonia gubernauit, vt elogiū hoc memorabile consequeretur: quod metallis vacuam, gratiarum charismatibus plenam spōsani reddiderit. Hic ab æmulis, Pipino Principi delatus, atque iniustè in exilium pulsus, in Altummontem, Hanoniæ Monasterium se recepit, vbi humiliter exilij ærumnā subiens, virtutis copiosæ odores eximios sparsit: demúmq. felici fine consumptus, migrauit in cælum. Corpus eius puræ animæ tabernaculum cum sacerdotali ornatu Fontanellam relatum (quod suæ diœcesis cœnobium diu vir beatus incoluerat, præcipuóque semper affectu complexus fuerat) ibi vt iusserat tumulatum est: móxque cum diuina virtute clarescerer debito

ſanctitatis cultu affectum: quouſque tandem inde Boloniam, & hinc Gandauum deuectum fuit ad Monaſterium ſancti Petri, quo loco hactenus religioſè conditum perenni fruitur deuoti populi veneratione. Auguſtoduni ordinatio ſancti CASSIANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Alexandriæ in Ægypto ortus, à teneris vnguiculis ſanctitatis ſpiritu plenus refulſit, factúſque Ortenſis Epiſcopus postquam diu Eccleſiam illam Euangelicæ inſtitutionis præceptis mirificè illuminaſſet, pertæſus laudis & gloriæ quæ merita ſua conſectabatur: aliò migrare decreuit: ſícque aſtrum perlucidum ab Oriente in Occidentem tranſiens, ſecúmque inuitè fulgorem trahens, Gallias inſolitæ virtutis radiis illuſtrauit: ob quæ piæ vitæ decoramenta, omnium admirationi habitus, decedente Simplicio ſanctiſſimo Æduenſi Præſule (à quo benignè ſuſceptus fuerat) aduena licet, Cleri ac populi vnanimi iudicio, dignus cenſitus eſt qui vicem eius repleret. Ea igitur dignitate ornatus, omnes Epiſcopalis muneris partes expleuit, nonnullíſque annis huic Eccleſiæ præfuit maxima cum virtutum gloria. Denique in Dei obſequio & ſalutis crediti gregis indefeſſo ſtudio, conſumpta ætate, impreſſis Cathedræ Pontificali vitæ ſanctiſſimæ veſtigiis, ad gaudia æterna euocatus eſt. Cuius meritorum tanta poſt obitum claritas enituit, vt ſplendore miraculorum Gallias vndique nomen eius percelleret. Vnde & ſanctus Germanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus ad Apoſtolorum limina pio voto proficiſcens, ad eius tumulum opem imploraturus acceſsiſſe, & orationes profudiſſe legitur. Sacræ eius exuuiæ per Normanicos turbines huc illúcque circumuectæ, tandem Auguſtam Veromanduorum delatæ, cum ſancti Quintini corpore ibidem venerabiliter repoſitæ ſunt. Veſontione in Baſilica ſancti Petri repoſitio ſacri corporis Beati Protadij Præſulis, cuius glorioſus tranſitus celebratur die ſequenti. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

CASSIANVS.

IN Santonenſi pontificali Eccleſia, OCTAVA Purificationis ſanctæ Mariæ, propter miraculum, quod illic ſic contigiſſe produnt ſacra ipſius Eccleſiæ monimenta. Eſt in illa præcipua æde, altare Deigenitricis antiqua religione ſacrum: ſtatua antiquior, quam ob mira frequentis opitulationis inſignia, *beatam Mariam de miraculis* iampridem ciues appellitant. Accidit verò dudum medio intempeſtæ noctis ſilentio, cùm alta quies vrbem totam occuparet, repente, nemine mouente, ærea maioris ædis cymbala mira concentus ſuauitate reſonarunt. Quo inſolito tinnitu expergefacti ſacri æditui, mox è ſtrato ſurgentes, templum vndequaque luminibus coruſcum conſpiciunt: numeroſúmque hominum conuentum auguſta luſtratione ac prece, ſuauiſſimíſque Hymnis, virginem ſupplíciter venerantem. Ad quem timido greſſu propiùs accedentes, cum qui tam celebris pompæ poſtremum ducebat ordinem rogarunt, vt cerei ardentis

reliquum quod piis gestabat manibus, tantæ rei testimonium daret. Quod ille lubens præstitit. Cúmque ea res primo diluculo Ecclesiæ primoribus, non tantùm per custodes, sed etiam per multos ciues, qui eam rem per ostiorum transflucentes rimas viderant, innotuisset; cereum inter sacras reliquias religiosè seruandum mandarunt: atque ob tam nouum prodigium, hunc diem toti posteritati memorandum indixerunt. Eodem die Igniaci Cœnobio, diœcesis Remensis transitus piæ memoriæ NICOLAI Monachi spectatæ sanctitatis viri, & miraculorum fulgore illustris. Item in cœnobio Vvissenichensi diœcesis Coloniensis felici obitu consummatus est, Beatus ALDRICVS Monachus conuersus ord. Præmonstratensis, qui ex illustri Francorum Principum sanguine ortus, humilitatis ac pietatis admirandæ cultu præcelluit: Angelicáque conuersatione nitens, post eximios de dæmone, mundo & carne partos triumphos, expleto longo & arduo in religione agone, ad æternam feliciter euolauit requiem, signísque plurimis emicuit.

Nicolaus. *Aldricus.*

Quarto Idus Februarij. Luna

10 F XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	1	2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11			

SS. PROTADIVS.

VESONTIONE Sequanorum Metropoli sancti PROTADII eiusdem Ciuitatis Episcopi & Confessoris, qui tempore Clotarij Regis, non tam dono quàm merito hanc Cathedram adeptus, sacrarum literarum eruditione & pietate, admirabili commisso gregi præluxit. Nec modò Ecclesiæ creditæ curam gessit indefessam, sed Apostolico spiritu & vigore cæterarum Galliæ saluti & decoro sedulò prospexit. Hæreses enim subrepentes potentissimis antidotis repressit: simoniacam labem sacerdotium coinquinantem, pia apud Reges industria, ac assidua vndique opera extinxit: cultum diuinum eximiis religiosorum rituum theoriis exornauit; Manuale sacerdotibus præscripsit, Clericis certam viuendi, actis & scriptis expressit, normam; pauperibus præbuit alimoniam, diuitibus Dei incussit timorem, Regibus iustitiam suasit & misericordiam: omnibus denique Apostolica conuersatione & doctrina diuinæ Maiestatis cultum, amorémque instillauit. Qua gestorum magnificentia clarus, felici tandem commigratione hominem exuens, Angelicis choris demeruit consociari. Eodem die Claromonte Aruernorum sancti SIGONIS Episcopi itidem & Confessoris, cuius vita inter mortales adeo gloriosa fuit, vt post beatum excessum inter immortales cooptatus, mox sacra eius memoria, conspicua festo natalitio fieret; quæ etiamnum clara religioso cultu apud posteros perseuerat. Hic sanctissimus Antistes Ecclesiam Claromontanam sub tragicis Norma-

SIGO.

norum incursionibus, fausti præsulatus regimine gubernauit: mores hac illuuione corruptos, strenua virtute reformauit; collapsas instaurauit sacrorum murorum moles, in hisque maximè Beatissimæ Deiparæ Ecclesiam de Portu, hac procella euersam, reædificauit; sicque egregiis facinoribus clarus ad æternam properauit gloriam. Cuius pignora sanctissima in eadem Basilica sanctæ Mariæ de Portu religiosè asseruata, ibidem percolenda hodie ostenduntur. Apud Santones, Ordinatio S. TROIANI secundi à B. Eutropio huius Ecclesiæ Præsulis, cuius sacer obitus, festa celebritate colitur ibidem prid. Kalend. Decembris. *Troianus.* Eodem die Pictauis conuersio sancti GVILLELMI Aquitanorum Ducis & Pictonum Comitis, quem sanctus Bernardus à schismatis pernicie, & vitiorum infausto tramite, piis monitis reuocans, suaui Christi iugo mancipauit: in qua salutari seruitute ille perseuerans, exacta incredibili pœnitentia, de spontaneo antri ergastulo, ad cælestis aulæ gaudia, & sempiterni regni gloriam, Rege Regum vocante, euolauit. *Guillelmus.* Ipso die obdormitio sanctæ SCHOLASTICÆ Virginis, sororis sancti Benedicti, qui animam eius instar columbæ speciosæ cælos petentem conspexit. *Scholastica.* Eius corpus cum sancti ipsius Benedicti exuuiis, ex Italia in Gallias postmodum allatum Cenomanis decenti honore repositum quiescit. Eodem die sanctæ AVSTREBERTÆ Virginis Abbatissæ Pauliacensis, quæ nobili genere in territorio Taruanensi nata, sacro velamine à Beato Audomaro vrbis illius Episcopo amicta; præfectaque monialium ob præcellsas pij animi dotes, à S. Philiberto Abbate Gemeticensi, Pauliaci in Normania constituta, quarto à Rotomago milliari; nuper constructum hoc monasteriolum prima laudatissimo regimine gubernauit, sanctissimæque vitæ meritis, beatáque morte nobilitauit. *Austreberta.* Apud Dordracum Hollandiæ oppidum S. SVRÆ, aliàs Soteris Virginis, quæ mundi illecebris & vanitatibus ab infantia valedicens, cùm miros in perfectione Christiana fecisset progressus, à nefandis nebulonibus prope Ecclesiam impiè iugulata, puritatis & innocentiæ à Domino emeritum accepit donatiuum. *Sura.* Niuellæ in Brabantia translatio sanctæ GERTRVDIS Virginis primæ eiusdem cœnobij Abbatissæ. *Gertrudis.* *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

IN Præmonstrato Cœnobio pia emigratio beatæ memoriæ HVGONIS sancti Norberti discipuli & successoris à Christo Iesu confirmati. *Hugo.* Eodem die dedicatio basilicæ monasterij sancti Nicolai Andegauensis, facta ab Vrbano II. summo Pontifice.

Tertio Idus Februarij. Luna

11 G XVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
1	2	3	4	5	6	7	8	7	8	9	10	11	12			

SS. DESIDERIVS. VIENNÆ Allobrogum tranſlatio ſancti DESIDERII Epiſcopi illius Ciuitatis & Martyris, cuius triumphalis agonis quem Lugduni peregit, dies occurrit 11. Kalend. Aprilis. GAVDINVS. Sueſſione ſancti GAVDINI Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Martyris, qui cùm aliquot ciues de vſuris publicè redargueret, in odium Euangelicæ quam prædicabat veritatis, ab ipſis clanculum interceptus, atque ad vicum Herlinum raptatus, ibidémque in patentem puteum præceps deiectus & ſuffocatus: egregio agone palmam victoriæ immarceſſibilem, & æternæ percepit vitæ aureolam. DESIDERATVS. Aruernis ſancti DESIDERATI Epiſcopi & Confeſſoris, qui multis excultus virtutibus, hoc ſolium cùm conſcendiſſet, omni vigilantia & ſtudio paſtorali populum ſibi commiſſum direxit, operúmque bonorum cumulo ditatus, ex hac vita piiſſimè diſcedens, in ſuperna Ieruſalem conſors ciuium beatorum effectus eſt. SEVERINVS. Caſtro Nantonienſi in Senonenſi Epiſcopatu, ſancti SEVERINI Abbatis Agaunenſis & Confeſſoris, qui parentibus nobilitate conſpicuis exortus, à prima ætate literis & pietate florens, vitæ monaſticæ eodem in cœnobio inſtitutum amplexus eſt: creſcente autem virtutum acerui loci eiuſdem Cœnobiarcha factus, miris gratiarum ſplendoribus dotatus, cæleſti munere enituit: amore Dei feruentiſſimus, animi patientia inuictus, auſteritate, abſtinentia, deuotione, affabilitate, miſericordia omnibus admirabilis. Quarum virtutum cùm fama vbique perſonaret, à Clodouæo magno Francorum Rege, acri febre laboranti, ob ſanctitatis conceptam exiſtimationem euocatus, vt tabeſcenti opem ferret pia ad Deum ſupplicatione; in Galliam interiorem proficiſcens, Niuernis Eulalium Epiſcopum ſurdum & mutum, lectulóque iam per annum decumbentem ſanauit: Lutetiæ in ipſo ingreſſu ciuitatis, leproſum exoſculando mundauit: Regi præfato fuſis ad Deum ſacris precibus, & appoſita qua induebatur caſula, incolumitatem reſtituit: Infirmios alios perplures depulſis morbis curauit: ciues multos pietatis ſpiritu inflammauit, captiuos è cuſtodia nonnullos, benigna apud Re-

gem interceſſione, liberauit: tum verò valedicens Regi & incolis, remeando venit ad Caſtrum Nantonienſe, vbi imminere ſibi obitum diuinitus prædiſcens, paulùlum cum ſanctis presbyteris Paſchaſio & Vrſicino, in oratorio commoratus, iteratis pietatis exercitiis, quo puriùs ad Dominum commigraret, ſpiritum demum ipſimet reddidit ſanctiſſimum. In ipſo eius obitu lux ingens, cellam in qua iacebat circumſepſit: virtus verò diuina, demortuum perenniter viuere beatum demonſtrauit. Ob quæ glorificationis conſpicua indicia, Childebertus Rex Clodouæi filius ſancti viri ſacra pignora aduenerastus, in deuotionis monimentum, ad tumulum eius nobile conſtruxit cœnobium: quod nunc vſque ſancti ipſius Confeſſoris clarum eſt, pretioſo conditorio, & felici opitulatione. In agro Venetenſi cœnobio ſancti Gildaſij, natalis ſancti EHOARNI eremitæ & Martyris, illic à latronibus trucidati. Sueſſione ſuſceptio reliquiarum ſanctæ SVRÆ aliàs Sotheris Virginis & Martyris in Hollandia coronatæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* Ehoarnus. Sura.

EXTREMVM diem obiit in Dacia ſanctæ recordationis HENRICVS primus Vitæ-ſcholæ cœnobiarcha, beati Bernardi diſcipulus, qui iuxta ipſius ſancti Patris vaticinium, Ciſtercienſe inſtitutum in remotiſſimis orbis partibus diſſeminauit: carnéque & dæmone deuictis, puritate morum, ſapientiæ decore, religionis feruore inſignis, & miraculorum claritate pollens, migrauit ad Dominum. *Henricus.*

Pridie Idus Februarij. Luna

12 A XVII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 1

t u A B C D E f̃ F G H M N ·P

2 3 4 5 6 7 8 9 8 9 10 11 12 13

CATALAVNI in Campania ſancti STEPHANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex Monacho Ciſtercienſi, ob egregiæ ſanctitatis teſtimonia ab Innocentio ſecundo Papa inter Eccleſiæ cardines cooptatus, Epiſcopúſque Prænestinus creatus, ſuſceptam dignitatem miris virtutum ornamentis ampliauit: monaſticam enim humilitatem ſic ea in ſublimitate retinuit, vt Epiſcopalem nihilominus grauitatem conſeruaret, ſic abundans, vt verè ſe pauperem ſpiritu & corpore exhiberet: bona ſua in pauperes diſtribuens, terrena contemnens, cæleſtia toto affectu appetens, perenníque ſtudio, SS. Stephanus.

Dei obſequio & Eccleſiæ commodis inuigilans: quibus piis muneribus ad extremam vſque diem perfunctus, felicem laborum finem adeptus eſt: dignúſque ob præcelſa merita inuentus, qui in cælo & beatorum gloria, & in terris ſanctorum ab Eccleſia ſacris tabulis inſcriptorum, cultu perpetuo potiretur. In Septimania monaſterio Anianæ ſancti BENEDICTI Abbatis & Confeſſoris, qui patre Comite Magalonenſi progenitus, in aula Pipini Regis cum pueris ingenuis educatus, vbi adoleſcere cœpit, aulæ honores & delicias faſtidiens, voto ex occaſione ſubmerſionis diuina ope ſuperatæ, concepto, ad monaſterium ſancti Sequani ſe contulit, vbi monachorum albo adſcriptus, vitam arctiſſimam duxit, ad eámque perfectionem, abſtinentiæ rigore, pœnitentiæ aſperitate, orationum profuſione, atque intenſis humilitatis & patientiæ ſtudiis euaſit, vt ſummos etiam viros excelleret. Cuius loci defuncto Abbate cùm ob conſpicuam ſanctitatem aſcetæ in illum vota ſua coniicerent: ipſe veritus ne cœnobio præficeretur, in patriam rediit, ibíque in fundo paterno ſuper riuulum Anianam, cum Vvidmaro, quem tyrocinij ſui in Chriſto auctorem habuerat, cellam exiguam iuxta ædem ſancti Saturnini conſtruxit: quo loco ex diuina iuſſione paucis aggregatis fratribus, eam cùm eis viuendi rationem iniit, quæ priſcorum Ægypti Patrum auſteritatem, ſanctique Baſilij inſtituta rigidiora, ferè ad amuſſim exprimeret. Ea autem charitate flagrabat vir ſanctus, vt tempore famis omnes pauperes, viduas & pupillos, adempta ſibi & fratribus potiori alimoniæ parte, viſcerali affectu paſceret. Cúmque Felicianæ hæreſeos virus, ex Hiſpania in Septimaniam ſerperet, orthodoxæ fidei inſurgens aſſertor, ſæpè cum hæreticis palam congreſſus, permultos ad rectam viam reduxit: tam veritatis quam prædicabat euidentia, quàm miraculorum auctoritate, quibus Deus eius ſanctitatem ac zelum, pro pietate qua æſtuabat, honorauit. Deinde longè maximis admirandíſque rebus in Dei obſequio & animarum prouectione ad ſalutem patratis, ſenio confractus, laborum ſuorum finem inſtare ſentiens, aſſiduis orationibus & ſupernarum rerum meditationi ſe dedit, erectíſque in cælum manibus poſt ſuſcepta Chriſtianæ pietatis ſubſidia, non ſine magno lachrymarum profluuio, ſanctiſſimam animam Redemptori reddidit, atque ſuſceptæ in cælum gloriæ inſigniis claruit in tumulo mirificis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

BENEDICTVS.

Gilda. IPSO die Bruxellis in Brabantia commemoratio dilectæ Deo Virginis GILDÆ, Cœnobij virginalis dicti Camera ſanctæ Mariæ fundatricis, ac primæ ibi

sacri puellarum cœtus Præfectæ. Obiit eodem die bonæ memoriæ NICOLAVS Gemblacensis Monachus ordinis sancti Benedicti, Villarij prope Namurcum, vir morum nitore, perfectæ pietatis affectu, & actibus religiosæ conuersationis admodum præclarus, non sine sanctitatis existimatione. *Nicolaus.*

Idibus Februarij. Luna

13															B XVI.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14			

SVESSIONE eleuatio sacrorum corporum Beatorum RVFINI & VALERII, qui ibidem sub Rictio Varo Præside, præclari certaminis cursu confecto, coronam cœlestem reportauerunt. Quorum natalis in fastos relatus celebris est 18. Kalend. Iulij. Lugduni sancti IVLIANI Martyris, qui dirè exagitatus, vt à Christi cultu ad idolorum impietatem traduceretur: cùm fortiorem in fidei assertione se præberet, æternum erexit moriens suæ pietatis & patientiæ monimentum. Andegaui S. LVCINI Episcopi & Confessoris, qui Garnerij Maioris Palatij Austrasiæ sub Clotario Rege, filius, in aula educatus inter ingenuos adolescentes, ob indolis præstantiam, & multiplicis virtutis elucentia decora, ab ipso Rege præcipuè dilectus, Comitatu etiam Andegauensi donatus est. At diuino admonitu mutatus, ex sæculari militia ad spiritualem se conuertit: presbyteriíque, post inferiores susceptos ordines insignitus dignitate, admirabilis sanctimoniæ exemplar euasit. Vnde, Audouino defuncto Præsule, eidem profusis omnium votis sublectus, optimi Episcopi munera expleuit: tantáque etiam miraculorum gloria refulsit, vt cùm die quadam operarios qui sancti Ioannis Baptistæ Ecclesiam (quam ipsius iussu & expensis construebant) inuiseret: occurrentibus ad stipem deposcendam sex cæcis, totidémque claudis, benedictionem suam impertiens, visum & gressum his vnico crucis signaculo restituerit. Multa alia patrauit stupenda, at non plus miraculis quàm sanctis operibus in dies coruscauit: denúmque transacto Apostolicæ vitæ decursu, beatitudinis diu desiderata consecutus est præmia. Ipso die Lodeuæ in Gallia Narbonensi sancti FVLCHRANNI Episcopi eiusdem ciuitatis, & Confessoris, vitæ sanctitate & miraculorum gloria præclari. Hic adhuc in vtero degens diuinæ futuræ magnitudinis indicia præ se tulit. Eustorgia enim mater eius grauida, hanc noctu visionem habuisse legitur, qua

SS. RVFINVS & VALERIVS. IVLIANVS. LVCINVS. FVLCHRANNVS.

frondosam arborem pomis refertam, suis è visceribus visa est produxisse: sub cuius vmbra populus plurimus conquiesceret, solatiáque & pabula gaudens perciperet copiosa. Cuius visionis seriem cùm seni cuidam piissimo reserasset, ab ipso diuinitus irradiato edocta est, se parituram breui fore benedictionis filium, qui diuinis virtutibus ornatus, locum præcipui honoris in Ecclesia obtineret: sub cuius vmbra, fidelis populus tutè requiescẽs, salutis subsidia vberrima inueniret. virtutib. enim suis, precib. & meritis (vti procera arbor præbet vigorem foliis, ramis & fructibus;) magnam subiecto gregi opem apud Deum, prolem ipsam quam in lucem editura erat, præstituram. Vaticinij veritatem subsequens rerum euentus comprobauit. Nam Fulchrannus oraculum eiusmodi vndequaque piè ac præclarè gestis in vita adimpleuit: demúmque postquam Ecclesiæ suæ annis quinquaginta septem insigni morum sanctimonia & pastorali vigilantia mirabili, præfuisset; leui morbo impetitus, sacrísque quæ supplex petiit & excepit munitus præsidiis, animam in cælum felici efflatu transmisit. Ad cuius tumulum crebrescentia signa, beatitudinem quam in cælis adeptus est declarârunt.

STEPHANVS. Eodem die Lugduni sancti STEPHANI Episcopi itidem & Confessoris, qui post sanctum Rusticum, almæ huius sedis ordinatus Antistes, pari qua decessor gloria sanctitatis, eam Ecclesiam gubernauit: successoríque Lupicino, ad æternum pietatis decus promerendum, tramitem egregiæ virtutis exemplis præparans; de Episcopali sede, ad cælestis regni conscendere promeruit solium.

GISLEBERTVS. Meldis sancti GISLEBERTI illius ciuitatis Præsulis & Confessoris, eximiæ virtutis & gloria miraculorum conspicui, cuius vita iam olim literarum monimentis consignata, multarum prodit exempla virtutum: beneficia verò Ecclesiæ Meldensi collata, piæ munificentiæ, qua cælestem copiam promeritus est, perpetua indicant insignia.

ENOGATVS. Maclouiopoli sancti ENOGATI Episcopi & Confessoris, qui sancto Armagilo sic meritis vt dignitate succedens: gregi suo magna doctrinæ & virtutum gratia præluxit: demúmque in religiosa pietate, pontificatus absoluto decursu, sempiternæ felicitatis munera, à Domino cui fideliter seruierat, percepit.

STEPHANVS. Eodem die in Aquitania depositio sancti STEPHANI de Mureto Grandimontensis ordinis institutoris, viri cælestis gratiæ charismatibus pleni. Hic apud Aruernos illustri loco natus, sanctorum reliquias venerandi causa, à patre viro pernobili ac pientissimo in Italiam ductus, Miloni Beneuentano Archiepiscopo sanctitate ac eruditione percelebri educandus traditur. Eo magistro

gistro probis moribus & litteris institutus, ad maiorem pietatis progressum adhibendum sibi putauit exemplum eremitarum per id temporis in Calabria degentium: quorũ institutum tanti fecit, vt communicata prius cum summo Pontifice mente sua, ad illud sequendum aliquò secedere cogitauerit. In Aquitaniam igitur regressus, peragratis multis desertis prope Lemouicas ad montem nemorosum qui Muretum dicitur, Christo duce prouenit. In eâque aspera solitudine rupibus cincta, feris assueta, hominibus inuia, sedem fixit. Vbi extructo frondibus & cespite taguriolo, vitam instituit puritate. quidem, tantum Angelicæ proximam, quantum seueritate supra humanam conuersationem erectam. Lorica siquidem ferreis annulis conserta nudum corpus indutus, mirabili abstinentia, crebris vigiliis, assiduis precibus: silentio, lectione, meditatione sese assiduè exercens; mundum cum fucis & deliciis aspernatus carnis æstus, dæmonísque artes & impetus gloriosisimè expugnabat. Præter horas canonicas & regularia debita, diuinæ maiestatis adorationi sic demissè ac assiduè incumbebat, vt genuflexiones innumerabiles per diem & noctem faciendo, terram deosculando, manibus ac genibus callos in modum cameli contraxerit: nasúmque etiam in obliquum curuauerit. Contemplationis dulcedini ita erat intentus, vt frequenter biduo vel triduo ab omni edulio vacauerit. Hinc cùm lucerna accensa latere non posset sub modio, erumpente diuinis indiciis, eius sanctitatis fama, nonnulli æternæ vitæ cupidi ad eum se adiunxerunt, quibus omnium virtutum exemplar absolutissimum se præbuit. Multis in sæculo degentibus viam salutis, diuinis documentis indicauit. Precibus nonnullos à consuetudine peccati liberauit: sanctissimæ Deiparæ cui impensè deuotus erat, præsertim nexus præsidio. Imparẽ autem cum se Sacerdotio reputaret, Diaconatus tantùm officio functus est. Humilitatis ac virginitatis dono præcellens, miri odoris fragrantiam spirabat, quam cùm eo loquentes & astantes, de eo profluere sentiebant: vt pote in quo suauitatis & puritatis auctor requiescebat. Cæterùm cùm in Mureti solitudine quinquaginta annos expleuisset, vltimúmque vitæ diem imminere intelligeret, discipulos, fiduciam omnem, vt in vno Deo clementissimo parente reponerent adhortatus, susceptis cum incredibili pietatis sensu, pietatis Christianæ subsidiis, purissimóq. spiritu in Redemptoris manibus resignato, æterna in pace quieuit, Idibus Februarij, Feria sexta, qua Christus ipse Dominus in ara crucis moriens, destructa morte, vitæ æternæ præmia suis sequacibus qualis ille fuit strenuus, acquisiuit. Post transitum autem

vir Dei ita miraculis refulsit. vt pertæsi eius discipuli frequentioris clientum ad eius tumulum concursus, eum exorarint, vt ab edendis tot virtutibus cessaret, quibus vt sanctitas eius ostendebatur; sic quam tantopere colendam ipsis commendauerat, nonnihil periclitabatur humilitas. Igitur signa quidem illic deinceps patere desierunt. At beati viri memoria satis supérque clarificata diuinis testimoniis, in benedictione permansit. Quam perpetua veneratione colendam, solemni sanctione decreuit Clemens III. Pontifex Maximus. *Et alibi in Gallia*, &c.

Sexto decimo Kalend. Martij. Luna

14 C XV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15			

SS. PAVLIANVS. APVD Anicienses, in veteri Podio Vellaunico S. PAVLIANI sexti Podiensis Episcopi & Confessoris, qui attritam persecutionum procellis hanc Ecclesiã Apostolicæ virtutis præsidio suffulsit, mirabilisq. zeli ac pastoralis studij officiis erectam feliciter instaurauit: demúmque idolorum fermè cultu prostrato, atq. triumphantis vndiq. Christianæ religionis erectis insigniis, beato fine quiescens, eo in loco sepultus est, vbi postea erectum in eius memoriam oppidum cernitur, & proprio eius nomine, & dicata Deo sub eius patrocinio Ecclesia haud magis insigne, quàm sacratissimis eius pignoribus, ac perenni veneratione conspicuum. RICHMIRVS. Cenomanis S. RICHMIRI Abbatis, viri zelo disciplinæ regularis accensi, qui variis virtutibus resplendens, æternitatis iter, suis ouiculis præmonstrauit, póstque felicem vitæ cœnobiticæ cursum, ad æternæ gloriæ abiit præmium. In cuius funere cæco visus est redintegratus, & claudo vsus tibiarum restitutus. GVILLELMVS. Eodem die depositio beati GVILLELMI Abbatis itidem & Confessoris, Oliuetani in Hanonia virginalis cœnobij fundatoris, qui vt alter Antonius contra humani generis hostem, qui eum horrendis phantasmatibus terrere conabatur, visibiliter ac viriliter decertauit: Christíque & beatæ eius Genitricis, Angelorúmque frequenti visitatione confirmatus, gloriosas victorias ea ex lucta retulit, ac virtutum studio merita accumulans, ouans ex hac palæstra decessit sempiternam consecutus beatitudinem: cuius, & signorum magnis fulgoribus, qui ad eius tumulum subinde patuerunt, gloriosa prodidit insignia. Ipso die

claret triumphus ſancti Valentini preſbyteri & Martyris, cuius reliquiarum pars Româ in Gallias cum aliquot pretioſis cælitum lipſanis delata, Meloduni ad Sequanam in S.Petri cœnobio repoſita eſt, non ſine ſignorum diuinorum coruſcatione. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

EADEM die prima Dedicatio Baſilicæ Monaſterij Cluniacenſis.

Quinto decimo Kalend. Martij. Luna

15 D XIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16			

VASIONE Vocontiorum S.QVINIDII eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic S.Suffredi Carpentoractenſis Eccleſiæ Epiſcopi (ſub cuius magiſterio ſancti permaximi adoleuerunt) nobilis diſcipulus, ex Monacho cœnobij Lerinenſis, (celebris Eccleſiarum Galliæ ſeminarij) ob virtutis & ſapientiæ ſuauiſſimos odores, ad pontificalem hanc Cathedram diuino nutu euocatus, ſumma pietate & doctrina gregi credito præluxit; adeóque Epiſcopalibus dotibus excelluit, vt inter ſui æui Pontifices præcipuum ſanctitatis decus conſequeretur. Cúmque in terris vitam cæleſtem duceret tandem diuinæ gratiæ chariſmatibus cumulatus, ad cælos gloriæ munera quæ promeruerat percepturus euolauit: multiſque poſt exceſſum miraculis diuinitus clarificatus eſt. Senonis tranſlatio S. EBBONIS Epiſcopi eiuſdem Metropolis & Confeſſoris, cuius depoſitio colitur die 27. Auguſti. Aruernis S. GEORGIÆ Virginis Deo ſacratæ, quæ fide præſtans, mente deuota, meritis plena, parta eximiæ ſanctitatis apud Deum & homines laude, ad beatarum Virginum cæleſtem chorum emigrauit: cuius funus Angeli in columbarum ſpecie ambitioſo quaſi famulatu proſecuti ſunt. Eius reliquiæ arca lapidea incluſæ, in Eccleſia S.Caſſij ſuperſunt honorificè conditæ. In Aquitania commemoratio S. VERONÆ aliàs Veronicæ matronæ, quæ ſudario faciem Domini crucem portantis exterſit, cuius admiranda effigies ipſimet linteo remanſit impreſſa, ſicut hodie cernitur Romæ, vbi magna religione ſeruatur. Bituricis ordinatio S.AVSTREGISILLI Epiſcopi, qui inter cælites admiſſus recolitur 13. Kalend. Iunij. Lemouicis reuelatio ſancti AVRELIANI Epiſcopi & Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SS. QVINIDIVS. EBBO. GEORGIA. VERONA. AVSTREGISILLVS. AVRELIANVS.

Quarto decimo Kalend. Martij. Luna

16 E xiii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17			

SS. Honestus. IN Gallia Narbonenſi ſancti HONESTI Preſbyteri & Martyris, qui Toloſæ beati Saturnini viri Apoſtolici primarius diſcipulus, ſanctum Firminum Ambianenſem primum Præſulem in ſacris literis, Pompeiopoli, adhuc adoleſcentem erudiuit, ſanctitatiſque moribus informauit. Zelo autem feruentiſſimo Chriſtum vndiq. prædicans, & falſorum numinum impium cultum eradicans, demum cùm multos à nefandis ſacris abduceret, comprehenſus, exacto pro Chriſti gloria extremo certamine, præclari Martyrij coronam recepit. Cuius caput Toloſæ argenteo opertorio conditum, in Eccleſia S. Saturnini exoſculandum deuotis ſupplicibus exhibetur. Corpus per varias Galliæ Eccleſias, quæ glorioſam tanti athletæ memoriã peculiari affectu percolũt, diſtractum, condigno honore perfruitur. Cuius pars in regali monaſterio Virginum ſanctiſſimę Deiparæ Hederenſi Pariſienſis diœceſis, dudum repoſita, ibidem ſumma potitur veneratione. Eccleſia verò adiacentis pagi, ipſius præcelſi Martyris glorioſa fulget opitulatione inſignita. Cæterùm duplici feſto illic beata eius memoria eſt celebris, nempe iſto die, & Dominica proxima poſt Natalem S. Dionyſij Areopagitæ: quorum alter eſt

Simeon. paſſionis: alter tranſlationis. Eodem die Metis S. SIMEONIS Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſeptimus ordine à S. Clemente beati Petri diſcipulo, & S. Clementis Papæ & Martyris patruo, eidem Eccleſiæ præfuit: magnáque cum ſanctitatis teſtificatione excedens ab hoc ſæculo, ad repoſitam pertranſiuit piorum laborum

Tigridius. rum mercedem. Aruernis S. TIGRIDII Præſulis itidem & Confeſſoris, qui vrbis ipſius ciuis, ordine ſacerdos, officio Archidiaconus S. Illidij illius Ciuitatis Epiſcopi, ac deinde coantiſtes: in pietatis officiis totus conſenuit, plenúſq. dierũ, mundo mortuus, Chriſto hodie natus eſt. Cuius corpus pretioſum in Eccleſia S. Andreæ antiquiſſima requieſcit. Bruxellæ in baſilica B. Mariæ

Iuliana. de ſabulo, ſuſceptio reliquiarum Sanctæ IVLIANÆ Virginis & Martyris, quæ ſub Maximino Imperatore, Nicomediæ, cùm ob virginitatis propoſitum Euilaſio Præfecto nubere recuſaret, grauiter ab eo cæſa & dirè excruciata, poſtmodum

in tetrum deducta carcerem, palam cum diabolo conflixit: demum flammas & ollam feruentem superans, abscissis ceruicibus nobile consummauit Martyrium. Cuius etiam memoria Senonis, Augustoduni, Aureliis, Remis & Suessione hodie agitur: at Lemouicis colitur die præcedenti. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

DIVIONE dedicatio Basilicæ sancti Benigni Martyris, per Paschalem II. Papam, procurante Ademaro Abbate.

Tertio decimo Kalend. Martij. Luna

17 F XII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	13	14	15	16	17	18			

APVD Morinos sancti SILVINI Episcopi & Confessoris viri planè Apostolici: qui ex Gallia Narbonensi eas in partes, pio studio profectus, mira illic circa gentis huius conuersionem & religionis cultum ac augmentum peregit: demúmque miraculorum gloria & virtutibus clarus, Deo charus, hominibus venerabilis, dæmonibúsque formidabilis, ex hac vita ad immortalem, meritis plenus, Angelis stipatus, discessit. Apud Alciacum vbi obiit, prope Hesdinum à Monachis Centullensibus sepultus est, vbi deinde ad eius memoriæ honorificationem, Abbatia eius nominis fuit constructa, vnde postea sacra eius pignora Audomaropolim, ad sancti Bertini cœnobium ex parte transuecta, claram ibi eius memoriam reddiderunt. Treueris sancti BONOSI eiusdem Metropolis Episcopi & Confessoris, viri & sanctis moribus & Euangelicæ doctrinæ gratia præclari. Aruernis Translatio S. LVPIANI Confessoris. Eodem die cœnobio Claræuallis commemoratio transitus Beati GALDRICI auunculi sancti Bernardi, qui cum eo habitum in asceterio Cisterciensi suscipiens, ex diuite pauper, ex milite Monachus, ex domino Tuilliensis Castri, Christi seruus humilis at egregius euasit: pietatísque operibus ad extremum vsque spiritum incumbens, carnis rigidissimus domitor, mundi contemptor, diaboli triumphator, ad cælestia regna terris excedens euolauit: quem inter cœlites ouantem vidit sanctus Bernardus glorificatum. Ibidem sancti ODONIS Monachi eiusdem cœnobij Clareuallensis Subprioris, qui in

SS. SILVINVS. BONOSVS. LVPIANVS. GALDRICVS. ODO.

oblatione diuinæ hostiæ, tanto deuotionis ardore afficiebatur, vt quoties sacra mysteria celebraret, sibi instar Simeonis Iusti puerum Iesum videretur amplecti, blandóque eius vicissim frui complexu: cuius sanctitatem adeo venerabatur ipse sanctus Bernardus, vt solo prostratus defuncti pedes, magna cum lachrymarum profusione fuerit osculatus. Eodem die sancti
EVERMO-DVS. EVERMODI Beati Patris Norberti discipuli, qui natione Gallus, patria Cameracensis, cùm ea in vrbe prædictum Dei virum sermonem ad populum, de iustitiæ pulchritudine & suauissimo Christi iugo facientem audiisset, mox tanto Spiritus sancti rore perfusus est, vt concepto salutis semine, se totum in sancti Patris disciplinam tradiderit: cui ingenti animi feruore adhærens, eius manu, regularis obseruantiæ habitum Præmonstrati recepit, eáque sanctitate enituit, vt eum velut Angelum beatus ipse Norbertus suspiceret: nec à se vsquam passus sit separari. Hunc enim & omnium peregrinationum fecit comitem, & piorum laborum participem, quos siue pro hæreticorum conuersione, siue ordinis constitutione, siue Episcopatus perfunctione suscepit. Post cuius sanctum obitum, Euermodus ipse factus primus Racebergensis Ecclesiæ Episcopus, Vvandalorum etiam Apostolus fuit: quibus diuina gratia & gloria traditis pietatis Christianæ institutis, demum Raceburgum rediens, cum copiosa laborum messe, carne solutus æternam emigrauit ad requiem. Cuius sanctitatem multa miracula, ad inuocationem nominis illius diuinitus facta, comprobauerunt. Pignora verò sacrosancta è tumulo ob patentia beatitatis insignia leuata, in capsa condita, & in sacrario Ecclesiæ Raceburgensis ad australem chori partem collocata, cum successoris Beati Isfridi pretiosis exuuiis, condigno cultu potiuntur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Duodecimo Kalend. Martij. Luna

18 G XL.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	ſ	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19			

SS. PANTALEO. IN Monasterio regali sancti Dionysij susceptio portionis reliquiarum sancti PANTALEONIS Martyris: cuius & caput

pridem à Legatis Caroli Magni ex Africa cum offibus ſancti Cypriani in Gallias aduectum, hodie etiam venerabile eſt Coloniæ. Metis ſancti LEGONTII Epiſcopi, qui triumphante Eccleſia Martyrum trophæis, Doctorúmque laureis, ſedi huic ob fortitudinis, pietatis & iuſtitiæ merita præpoſitus, creditum ſibi populum magna ſanctitate illuſtrauit: pôſtque immenſa paſtoralis diſpenſationis lucra, gloriæ præmia beatus recepit à Domino. Centulæ Monaſterio in Ambianenſi Præſulatu ſancti ANGILBERTI Abbatis, generi quondam Caroli Magni, qui ſpreta mundi gloria, calcatíſque deliciis Chriſti iugo corpus ſuum ſeruire coëgit, admirandíſque virtutibus & doctrinis micans, poſt longa pietatis exercitia, ſancto fine quieuit. Claræuallis ſancti SILVANI Monachi Beati Bernardi diſcipuli, qui puritate animi cælitus dotatus, adeo magnam perfectionem acquiſiuit, vt plurimas reuelationes & beneficia à beatiſſima Dei genitrice Virgine reciperet: cuius & facies dum ſacris communicaret myſteriis, ſolis inſtar fulgida, veſtes verò niue candidiores apparuerunt. Signa verò quæ admirabilia patrauit, ſanctitatem qua floruit in hac vita, & gloriam quam in cælis conſecutus eſt, affatim propalauerunt. Vnde & à Cœleſtino Papa III. Sanctorum albo ſolemniter adſcriptus fuit: vt data ab ipſo Pontifice diplomata canonizationis plenè atteſtantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

LEGONTIUS. ANGILBERTUS. SILVANUS.

Vndecimo Kalend. Martij. Luna

19															A X.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7 8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P		
9	10	11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20		

TREVIRIS Galliæ I. Belgicæ Metropoli ſancti LEGVNTI Epiſcopi eiuſdem Sedis & Confeſſoris, qui poſt extinctos in Gallia Ethnicæ perſecutionis ignes, pace Eccleſiæ reſtituta, Chriſtianam pietatem mirificè eo in ſolo excoluit: tandémque ſpectata ſanctitate inſignis, benè multiplicatis Domini talentis in cælum euocatus, abiit ad præmium: ſepulturam in Eccleſia ſanctæ Mariæ ad Martyres ideo conſecutus, quod ingenti in Martyres zelo ſemper exæſtuârit, & Mar-

SS. LEGVNTUS.

tyrum memoriam, hoc quod ipse erexit trophæo, illustrauerit. In Burgundia depositio sancti BONIFACII Episcopi Lausanensis, qui Bruxellis oriundus, Cistercienſe à pueritia institutum, in Cameræ sanctæ Mariæ asceterio complexus est: in quo inculpatis moribus, & præcelsis animi dotibus cùm floreret, Lutetiam Parisiorum missus ob sacrarum literarum studia, ex eo fonte, Christianæ sapientiæ mox copiosè haustis fluentis, aureola doctorali miro omnium applausu donatur. Hincque etiam ad Lausanensis Ecclesiæ Præsulatum raptus potiùs quàm euectus, optimi pastoris munia expleuit, causam Ecclesiæ aduersus Friderici Imperatoris sæuitiam strenuè defendit: à cuius satellitibus semel per insidias comprehensus, cùm prope occidendus esset, diuina ope mirabiliter ereptus est. Sed paulò pòst cùm sacerdotum vitia reprimeret, eorum peruicaciâ vltimum in periculum incurrit, ciuitatéque excedere coactus, Romam fugit, missionem à Papa obtinuit, abdicatáque dignitate, patrium in solum reuersus, claustrúmque repetens, ad regularis vitæ exercitia sese maiori ardore reuocauit. Sicque virtutum copiosis auctus incrementis, tantis etiam donis refulsit, vt magnorum miraculorum patrator fieret, obsessos à dæmone liberaret, ægrotos sanaret, prænuntiaret futura, absentibúsque, in spiritu, vir, qui totus erat spiritus appareret. Cæterùm cum ad tantarum gratiarum culmen fuisset progressus, vt à Christo Iesu sanctissimáque eius genitrice Maria aliquando visitari meruisset, demum plenam eius conspectus desiderans fruitionem, impetrata felici dissolutione, ad cælestis patriæ gaudia pertransiuit. Cùm autem extremum ageret spiritum, sancti Ioannis Euangelium in manu tenens, hæc perenni memoratu digna verba, magno animi feruore deprompsit. Hæc didici, in his vixi, in his credo, in his spero, & desidero mori. Hisque prolatis in Domino quiescens, post obitum, multis inclaruit miraculis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

BONIFACIVS.

FRATER Franciscus Tolosanus ordinis Prædicatorum dum fidem Catholicam, factis astruit & verbis propugnat, ob zelum veritatis & conuersionis errantium assiduum studium, ab hæreticis spinis coronatus & spiculis ac telis confossus, martyrium compleuit.

Decimo Kalend. Martij. Luna

20 B IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21			

TORNACI Neruiorum ſancti ELEVTHERII Epiſcopi & Martyris, qui eadem ex ciuitate oriundus, Chriſtianis ex parentibus Sereno & Blanda pro fide exulibus, in vicino Blandinio natus, diuináque præuentus gratia, miris virtutum inſigniis à pueritia effulſit: quem & ſanctus Medardus vix adhuc adolcſcens, cùm familiarem & ſocium haberet, diuino afflatus ſpiritu, futurum Epiſcopum, prædixit ſanctiſſimum. Prophetiæ fauſtus ſucceſſit euentus. Cùm enim ſpiritu Apoſtolico præditus Eleutherius, Tornaci Euangelium ſumma doctrinæ vi & feruore prædicaret, à Chriſtianis eximiam eius ſanctitatem & ſapientiam mirantibus, mortuo Theodorico Antiſtite, Romam, vt ſub Apoſtolicæ Sedis auſpiciis, viduæ huius Eccleſiæ tutelam, deſolatíque gregis paſtoralem ſuſciperet curam, miſſus: inde cum auctoritate regrediens, Epiſcopus conſecratus fuit. Móxque præſtantiſſimus Chriſti Antiſtes, & immaculatæ religionis aſſertor ſtrenuus, ethnicam impietatem & Arianam hæreſim concionibus ac miraculis potenter exagitauit. Quapropter à Paganis & Arianis, multa perpeſſus, ter ab illis flagellis cæſus, in carcere, ab Angelo cæleſti eſt ſolatio recreatus. Deinde cùm Chriſti gloriam ardentiùs propugnaret, ſede expulſus, at ſedata tandem perſecutione reuerſus, Tornaci fidem eximiè propagauit, quietéque ibi diutiſſimè reſedit Chriſto multam ſobolem progenerans. Poſtea pius Præſul propter fidei negotia Romam iterum profectus, hinc ſecum reliquias aliquot ſancti Stephani Protomartyris, aliáque ſacra pignora aduexit, quibus Eccleſiam ſuam exornauit. Tum Synodum habuit Tornaci contra Acephalos, quos ne gregem læderent ſuum, ab ouili longiùs ablegit. A quibus in tanti zeli odium, iam ſeptuagenarius ad necem impetitus, graui vulnere in capite inflicto, diebus triginta quinque in lectulo decubuit fidem confitens & pro inimicis orans. In quibus perfectæ pietatis exemplis, poſt tot tantóſque pro Chriſto ſuſceptos & ſuperatos labores, de terrenis ad cæleſtia tranſiens, triplici Doctoris, Virginis & Martyris laurea promeruit coronari. Eo-

SS. ELEVTHERIVS.

EVCHERIVS. dem die sancti EVCHERII Episcopi Aurelianensis & Confessoris, cuius ortum benedictum, parentibus æquè piis acpræclaris, Angelus miro decore apparens, prænuntiauit. Hic à beato Asberto Augustodunensi Præsule, sacro lauacro tinctus, crescentéque ætate literarum studiis & Scripturæ sacræ doctrinis egregiè informatus: cùm aliquando in illud Apostoli incidisset: *præterit figura huius mundi*; relinquens militiæ sæcularis cingulum, ad cælestium rerum cultores se contulit, atque in Monasterio Gemeticensi vitæ regularis institutum amplexus est. Vnde cùm eius sanctimoniæ fama vbique personaret, demortuo Suauarico eius Patruo Aurelianensi Pontifice, Cleri & populi huius ciuitatis profusis, apud Carolum Martellum Francorum Principem, deprecationibus expetitus, ad hanc Cathedram inuitus euectus, multiplici virtutum ac doctrinæ gloria eam Ecclesiam administrauit: totus enim in hoc incubuit, vt quem beatus Paulus Episcopum diuino penicillo expressit, illum sanctissimis moribus, castissimæque religionis studiis imitaretur. Quibus officiis imbutus, iam strenuus miles, Christi passionibus communicare promeruit. Cùm enim præfatum Carolum de irreligiositate, ob sacrarum rerum direptionem, imperterritè, vir optima armatus innocentia redarguisset: in pietatis assertæ contemptum, sede sua eiectus, atque in exilium pulsus, ducíque cuidam in Hasbania ad custodiendum commissus, vt alter Ioseph, mirum in modum, domum Ægyptiam sanctissimæ conuersationis puritate, signorum splendore, copiosæque benedictionis gratia illustrauit. Vnde excitus Dux ille, viro Dei multam reuerentiam detulit, facultatémque dedit ad Ecclesiam sancti Trudonis, deuotionis gratia, quoties adlubesceret properandi. In hac igitur sacerdos Dei inclytus, die noctéque orationibus insistens, flagitabat vt persecutori veniam, sibi verò requiem tandem Deus concedere dignaretur. Quibus piis affectibus ex diuino beneplacito demum potitus, de exilio ad patriam, non terrenæ huius peregrinationis, sed supernæ ciuitatis, anno relegationis suæ decimo, assumptus, ínque ipsius Ecclesiæ sancti Trudonis gremio sepultus: perpetuæ pacis & æternæ felicitatis ac gloriæ, in cælo consecutus est mercedem. EVCHERIVS. Leodij transitus sancti EVCHERII Episcopi & Confessoris, qui beati Quirili decimi sexti Sedis huius Antistitis, ad cælestia euecti, sedem sortitus, fidem quoque & charitatem strenuè imitatus, breui Præsulatu magna rei sacræ incrementa edidit: Episcopalíque sanctitate & pastorali virtute gloriosè perfunctus, feliciter obdormiuit in Domino. Augu-

ſtoduni Æduorum ſancti GALLI Preſbyteri & Confeſſoris, qui Gallus.
odore virtutum ſuarum ſuauiſſimo, multis ad ſalutare Chriſti obſequium allectis, multiſque ſua doctrina ex peccati cœno, & diaboli laqueis ereptis, atque in viam iuſtitiæ perductis, pro meritorum præmio, æternæ gloriæ conſecutus eſt coronam. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

VILLARII depoſitio beati IOANNIS ex milite Monachi conuerſi, viri Ioannes.
humilitatis præcipuæ, pœnitentiæ rigidiſſimæ & charitatis eximiæ: quarum virtutum ditatus meritis, ad beatitudinis præmia feliciter euolauit.

Nono Kalend. Martij. Luna

21 C VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22			

METIS ſancti FELICIS Epiſcopi, qui tertius à S. Clemente ſedis huius factus Antiſtes, Areopagitæ Dionyſio in Galliæ Apoſtolatu obeundo egregiè collaborauit: eique ſuperſtes, mira ſatoribus Euangelicis, quos diuina bonitas ſublexerat ad tot populorum ſalutem procurandam, præſtitit ſolatia. Demúmque poſtquam annis ſupra quadraginta Metenſem Eccleſiam ad voluntatem Dei gubernaſſet, ſanctarum vigiliarum, Epiſcopaliúmque virtutum & diuinarum rerum quibus in præſulatu eluxit laude florens, ſuperatis multis perſecutionibus quieuit in Domino. Cuius colendæ memoriæ dicata paulò pòſt fuit baſilica: in qua diuinæ Maieſtatis mirabilia claruerunt. In monte Vogeſo depoſitio ſancti GVNDEBERTI Epiſcopi Senonenſis, qui cùm variis virtutibus ornatus potiſſimum verò religione effulgeret, poſt Goteſcalcum ad Metropolicæ huius ſedis gubernacula ſubuectus, ſanctis moribus ſubditos informans, Domino lucra animarum plurima, fideli villicatione comparauit. Deinde ſolitariæ vitæ deſiderio incenſus, quo humilius atque ſecurius Chriſti obſequiis inſiſteret, relicto Epiſcopatu ad hanc ſolitudinem ſe contulit vbi monaſterium de ſui Epiſcopatus nomine ædificauit: cuius Eccleſiam diuina iuſſione ſacrauit in ſanctiſsimæ Deigenitricis Mariæ memoriam & honorem. Illic vir ſanctus religioſa congregatione collecta, iis pietatis radiis emicuit, vt aſcetis delapſum de cælo ſidus ſibi ad æternitatis iter monſtrandum, per eximia totius religionis opera meritò videretur. Cuius ſancti-

SS. Felix.

Gvndebertvs.

moniam cùm miracula etiam maxima prodidiſſent, tandem vita in Chriſti famulatu egregiè conſummata, cæleſte ad præmium pertranſiuit: atque magis poſt mortem clarificatus eſt

Pipinus. diuinæ gloriæ qua fruitur indiciis. Eadem die ſancti PIPINI Brabantiæ Ducis primi, ac domus Regiæ Clotarij Francorum Regis, & filij eius Dagoberti in regno Auſtraſiæ maioris; qui ob præſtantem fortitudinis ac iuſtitiæ gloriam, religioníſque eximium cultum, Regum pater, defenſor legum, Eccleſiæ munimentum, curiæ decus, morum exemplar, & ſapientiæ dictus eſt domicilium. Cuius ſancta Begga Andennenſis, & Gertrudis Niuellenſis, æui ſui pietatis & caſtimoniæ ſpecula, ſoboles digniſſimæ, ex beata Iduberga coniuge extiterunt. Quieſcit Niuellis in Brabantia, vbi & honore ſanctis debito colitur: corpus enim eius pridem eleuatum, ac deinde ob clara merita in capſa portatili collocatum, ad venerationem cum ipſius Idubergæ ſanctiſsimæ coniugis hierotheca quotannis à Clero in diebus Rogationum circumferri ſolet magna celebritate. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Petrus. EADEM die felix obitus PETRI Toloſani monachi Clareuallenſis, viri admirandis virtutibus, cæleſtibus reuelationibus & prophetiæ dono inſignis.

Octauo Kalend. Martij. Luna

22 D VII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
24 25 26 27 28 29 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11
t u A B C D E f F G H M N P
12 13 14 15 16 17 18 19 18 19 20 21 22 23

SS. Petrus. Paschasius. CATHEDRA ſancti PETRI Antiochena. Eodem die Viennæ ſancti PASCHASII Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Confeſſoris, qui beato Antiſtiti Symplidio laurea aucto martyrij ſuccedens, eo tempore quo Thebæa legio apud Agaunum pro fidei conſtanti aſſertione agonem glorioſum expleuerat, ſancti Mauricij glorioſi huius agminis principis, pretioſas exuuias Rhodani immerſas fluctibus, reuelante Angelo indicatas & inuentas colligere promeruit: quas magna veneratione in cryptæ ſancti Petri ſacrario, condidit. Vnde & tanti Athletæ patrocinia, vrbs illa, quibus hodie gloriatur ac fruitur, adepta eſt. Idem beatus Epiſcopus ſancto Silueſtro ob egregiam ſanctitatis laudem fuit percharus, ex cuius gratia nonnulla Eccleſiæ ſuæ decora adiunxit. Demum verò cùm ſubditam plebem cæleſti diſciplina imbuiſſet; exempla admirandæ virtutis relinquens,

quens, ex hac vita boni paſtoris præmia percepturus feliciter
diſceſſit: atque ad ſanctarum animarum proceſſit cœleſte do-
micilium. Eodem die Tranſlatio ſancti GVDVVALI Epiſcopi GVDVVALVS.
& Eremitæ, è Monaſteriolo Caſtro ad Blandinum cœnobium,
facta multo honore, ab Arnulpho inclyto Flandriæ Marchione.
Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.

SEGODVNI Rurenorum in Aquitania 1. tranſitus beati QVADRATI Ab- *Quadratus.*
batis Bonæuallis in diœceſi Vienneſi, qui egregiæ virtutis meritis cumulatus,
diuinis etiam reuelationibus inſignis poſtquam piiſſimè ſuis præfuiſſet in ma-
gna ſpei Chriſtianæ lætitia vitam finiuit.

Septimo Kalend. Martij. Luna

23 E VI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24			

CLAROMONTE Aruernorum ſancti SYRENI Martyris, SS. SYRENVI.
qui propter egregiam in Chriſti nomine confitendo con-
ſtantiam, dira perpeſſus, exacto illuſtri agone, palmam ſempi-
ternæ gloriæ accepit. In Britannia minori S. Ioannis Preſbyte-
ri, qui ob amorem diuinum ſe hominum conſpectibus ſubtra-
hens, in exigua quam in agro Caionenſi conſtruxerat oratorij
cellula ſe recluſit; ibíque in magna religione degens ſanctiſſi-
mam vitam tranſegit: per cuius manus Dominus multa ſancti-
tatum ſigna operatus eſt, póſtque eiuſdem obitum iiſdem cæle-
ſtium fauorum indiciis, ipſummet perpetuo apud ſe in gloria
cæleſti viuere, demonſtrauit. Treuiris depoſitio & Inuentio
ſancti CELSI Epiſcopi & Confeſſoris, qui quintus ordine no- CELSVS.
bilis huius ſedis Antiſtes, eam Eccleſiam inter ipſos perſecu-
tionum turbines mirificè direxit: vitáque & moribus cum
Chriſti diſciplina conſonis, tum ſtudio, tum exemplo populi
ſui mentes ad patriæ cæleſtis amorem accendit. Denique opti-
mè munito ouili doctrinis & diſciplinis, æternam ad requiem
profectus eſt. Quibus autem polleat apud Dominum meri-
tis, poſt obitum magnis virtutum diuinarum ſignificationi-
bus, quæ ad eius patrocinium peractæ ſunt, innotuit. Tu-
ronis in Maiori Monaſterio depoſitio ſancti BARTHOLO- BARTHOLOMÆVS.
MÆI illius loci cœnobiarchæ, qui tempore Roberti Francorum
Regis multis chariſmatibus diuinis plenus, enituit. Virtutibus

L

autem & miraculis præstans, post religiosissimi regiminis prorogata studia & opera, adductis ad Christum per perfectæ pietatis tramitem plurimis discipulis, emeritæ retributionis munera adeptus est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

In Villariensi Cœnobio obitus bonæ memoriæ CÆSARII eiusdem loci Prioris, viri & doctrinæ monimentis, & vitæ sanctè exactæ præconiis percelebris.

Sexto Kalend. Martij. Luna

24 F v.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
14	15	16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25			

SS. MATTHIAS. NATALIS sancti MATTHIÆ Apostoli, in Iudæa martyrij corusco diademate dum Christum prædicaret laureati. Cuius sacrum corpus beata Helena è Iudæa Romam transtulit: deinde pretioso munere dedit S. Agritio Treuirensi Episcopo, à quo in Galliam aduectum, in vetustissimo S. Eucharij monasterio Treuirensi, exinde titulo ipsius Apostoli illustrato honorificè conditum quiescit, fideliúmque deuoto colitur concursu. At verò cùm S. Matthiæ sacris exuuiis alia sacratissima monilia dono ipsius Augustæ accepta beatus ipse Agritius summo in Treuirensi templo veneranda reposuisse traditur. Nempe Tunicam Domini inconsutilem; clauum vnum quo in cruce Christus ipse fuerat affixus: & cultrum quo in cœna visus creditur; aliáque religiosa pietatis monumenta. Porrò caput sancti huius Apostoli pridem in Gallias allatum, Barberiaci in Aquitania tādiu mansit repositum congrua cum obseruatione: quoadusque ab Hæreticis Caluinianis è sacrario impiè abstractum flammis iniectū est. Qua combustione sicut fœdi illi Hagiomachi suum in tantum Christi præconem & pugilem odium prodiderunt: sic ipsimet sanctissimo Apostolo hac ex iniuria noua gloria accessit: ex hoc enim rogo hísq. pretiosis cineribus tanquam gemmis conflata exiit, quæ semper in vertice eius radiabit, recenti parta triumpho corona. Eodem die in territorio Parisiensi dedicatio basilicæ S. Dionysij illustrissimi Martyris, miraculosè à Christo summo omnium Pontificum Pontifice consecratæ: in cuius rei testimonium, leprosus eiusdem inspector diuinitus curatus est. Rotomagi S. Prætextati Episcopi illius ciuitatis & Martyris: qui doctrina & pietate clarus, cùm commissam Ecclesiam

ad diuinum beneplacitum administraret, falsis calumniis impetitus, sede sua deiectus, & in exilium apud Brencium Constantiensis tractus insulam ablegatus: hanc ærumnam maxima Christianæ patientiæ tollerantia pertulit: donec agnita eius innocentia honorificè pia Guntheramni Regis opera: adeóque ex Episcoporum Lutetiæ considentium sententia restitutus est. Quam iustam redintegrationem, cùm Fredegundis Regina, quæ odio gratis virum Dei habebat, infesto animo ferret: cum Melancio quem in eius locum intruserat, necem eius machinata, effecit, vt ipso die sacratissimo Paschæ dum pius Antistes ante altare preces fundens sese celebrandis diuinis mysteriis præpararet, à nefario sicario, pugione sub axilla confoderetur. Ex quo lethali ictu erumpente cruore agnus mansuetus fontis vitæ sitientissimus, propiùs ad aram accessit, diuináque humiliter expetiit sacramenta. Factus igitur aræ & mensæ Dominicæ ex voto particeps, diuinæ victimæ carne confortatus, calicísque salutaris fluentis inebriatus, sopore beato obdormiens ad montis cœlestis adita, & diuini tabernaculi, quæ innocentibus & mundo corde hominibus præparauit diuina Maiestas, sempiterna gaudia emigrauit. Ipso die Treuiris sancti MODESTI Episcopi & Confessoris gloriosi, qui tempore sancti Gelasij Papæ hanc Ecclesiam gubernans magnis sanctitatis & sapientiæ fulgoribus, eamdem irradiauit: diuites enim in officio pietatis continuit, pauperes re non minùs quàm consilio adiuuit, aberrantes in viam reuocauit, omnes denique ad sanctè agendi studium salutaribus documentis, & virtutum suarum admirabilium exemplis, inflammauit: hísque locupletatus gratiæ diuinæ fœnoribus euocatus est ad præmium. Eodem die in territorio Remensi, Atumuillari Monasterio translatio corporis beati POLYCARPI Presbyteri, qui sanctum Sebastianum in multorum ad Christi fidem conuersione, Romæ magna pietatis instantia adiuuit: plurimósque, diuini officij salutari perfunctione, ad martyrij pugnam & palmam perduxit: quibus meritis Deo factus acceptissimus, ad æternam assumptus est beatitudinem. Facta est hodie Hierosolymis prima inuentio capitis sancti IOANNIS PRÆCVRSORIS Domini: quod diuino nutu semel & iterum repertum, tandem ad perpetuum Christianissimi Regni munimentum, in Gallias, cum aliis eiusdem beati Præcursoris prætiosis pignoribus, translatum est. Caput ipsum bissectum partim Ambianis, partim in sancti Ioannis Angeliacensis Cœnobio, quod ad eius cultum Pipinus Rex construxit, honorificè collocatum, multis ibi iam sæculis digna veneratione

Modestvs. Polycarpvs. Ioannes Præcvrsor.

habetur, ſpatula verò in prælibata baſilica ſancti Dionyſij à Chriſto Ieſu dedicata, in vaſe eximio religioſo cultu condita aſſeruatur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Deſiderius. In Claræuallenſis aſceterio, obitus piæ memoriæ DESIDERII conuerſi, beati Bernardi diſcipuli, mira deuotione in beatiſſimam Deiparam affecti: à qua, & in vita, & in morte multis fauoribus honoratus eſt. Item in Leodienſi *Simeon.* diœceſi felix obdormitio beati SIMEONIS, viri dono prophetiæ, & admirandis geſtis præclari.

Quinto Kalend. Martij. Luna

25																	G IV.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	15	16	17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26			

SS. FVRSEVS. PERONÆ Tranſlatio ſancti FVRSEI Abbatis & Confeſſoris, à SS. Epiſcopis ſancto Eligio Nouiomenſi, & ſancto Autberto Cameracenſi, facta anno quarto ab eius obitu. Cuius ſacrum corpus illibatum repertum, maxima cum honorificatione pone ſummum altare in arcula repoſitum eſt: ibique virtutibus deinde plurimis fulſit clarificatum. Eodem die in Bur- GERLANDVS. gundia commemoratio ſancti GERLANDI prouinciæ huius alumni, eximij Confeſſoris, qui literarum gloria præſtans, at magis religione inſignis, amplexandæ ſolitariæ vitæ deſiderio, Siciliæ inſulæ intimos petens receſſus, magnæ virtutis & ſanctitatis exercitia percoluit: at cùm vitæ puriſſimæ ſuaues odores vndique efflaret, è cella ad ſolium Pontificale raptus, Agrigentinus illic Epiſcopus creatus eſt: ſuſceptámque Eccleſiam, cæleſtis conuerſationis exemplis cùm aliquandiu illuſtraſſet, per paſtoralis vigilantiæ benè exactæ gradus, ad æternæ gloriæ palatium conſcendit. In Eccleſia Æduenſi commemoratio VICTOR & ſocij. S. VICTORIS & ſociorum Martyrum. Eodem die in Hano- ALDETRVDIS. nia S. ALDETRVDIS Virginis, cœnobij Malbodij ſecundæ Abbatiſſæ: quæ beati Vincentij & ſanctæ Vvaldetrudis filia, à beata Aldegunda matertera eiuſdem Cœnobij fundatrice, primáque rectrice, teneris ab annis religioſæ vitæ ſtudiis illic egregiè imbuta, ipsíque ob eximiæ pietatis dotes ſuffecta; ſacrum hunc locum miræ ſanctitatis inſigniis decorauit, demúmque puræ mentis obſequiis, poſtquam diu Chriſto deuotiſſimè ſeruiiſſet, ad beatarum Virginum ſocietatem, ipſo vocante ad diuinas nuptias Virginum ſponſo, feliciter pertranſiuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Ipso die Louanij obitus bonæ memoriæ MARIÆ SVLPERIÆ, loci eiusdem hospitalariæ, quæ paupertate diues, contempti sæculi læta, humilitate magna, charitate admirabilis, postquam quadraginta annis in Nosochomio demorata, iuge ministerium Christo in membris exhibuisset, summóque rigore corpus spiritui mancipasset, demum addito meritis cumulo, ex huius vmbra mortalitatis, ad lucem vitæ sempiternam emigrauit. *Maria Sulperia.*

Quarto Kalend. Martij. Luna

26 A III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27			

NIVERNIS sancti AGRICOLÆ Episcopi eiusdem ciuitatis & Confessoris, qui Alexiæ in Burgundia natus, ætatis primitias Deo deuotæ vitæ institutione consecrauit: paulatimque annis & meritis excrescens sacræ militiæ mancipatus, pietate & doctrina adeo excelluit, vt defuncto sancto Æoladio eiusdem sedis Pontifice, vnus omnium dignus qui vicem eius suppleret ob sanctimoniæ præclara decora iudicaretur. Inexpetito igitur sibi delato honore ac onere suscepto admirabiliter functus est, gregi virtutum splendore prælucens: cúmque sui æui sanctissimos quosque fere Præsules panopliæ Episcopalis gloria anteiret, restituendæque Christianæ disciplinæ zelo nonnullis Galliæ Celticæ Synodis interfuisset: tandem pastorali dignè exacta sollicitudine, meritorum magnitudine cumulatus, ad æternum euocatus est gaudium. Metis sancti Simeonis Episcopi, qui Apostolicis charismatibus fulgens Christi populum ea in ciuitate rexit: superatísque impiorum furentium insultibus, egregiè asserta pietate, aucta Ecclesia, felix migrauit in cælum. Encenia totius ordinis Præmonstratensis, cuius approbationem hoc die sanctus Norbertus sacræ ipsius familiæ parens, ab Honorio II. summo Pontifice impetrauit. In quo ordine sancti permulti sexus vtriusque subinde floruerunt. In Trecensi diœcesi pago Archiaco sancti Victoris Presbyteri & Confessoris, qui in Gallia florens, dum adhuc ethnicæ superstitionis semina pullularent: praua quæ supererant impietatis germina extirpauit, multos ad Christi cultum ex idololatria conuertit, ac cælestis vitæ documentis, exemplis denique multæ pietatis & virtutis necnon magnis miraculis illustris, plenus dierum & bonorum operum ad æternam felicitatem transiuit: cuius præconia sanctus Bernardus bino celebrauit encomio; *SS. Agricola.*

memoriæque ſacratiſſimæ percolendæ proprium officium, quod Aremarenſibus aſcetis inſcripſit, adornauit: quòd etiamnum vel in natali ipſius beati Confeſſoris decantari ſolet in cœnobio Aremarenſi, vbi ipſius corporis ſacroſanctæ reliquiæ iampridem conditæ debita veneratione coluntur, eóque Energumeni, dæmoniaci ac lymphati deducuntur: & ſalutari illius beati ope liberantur: víxque dies illa effluit quā non huiuſmodi beneficij quidquam contingat. In Bauaria ſanctæ EDIGNÆ Virginis: quæ Regum Franciæ inclyta propago, filia Henrici I. Regis, ſorórque Philippi I. tota Chriſti amore ſuccenſa virginitatem ſuam cœleſti ſponſo, ab ipſo ætatis flore conſecrauit. Ob quod religioſum votum, palam nuptias aſpernata, cùm ad eas ineundum parentum imperio cogeretur, lubens exilium ſubiit: plauſtróque victa, peregrini habitu; cum ſcipione, per boues ſponte iugum ad trahendum nobile onus ſubeuntes, delata, in Bauariam venit, eóque loco diuinitus conſtitit, ibi in antro deliteſcens tandiu Deo in ſacris votis, lacrymis & vigiliis multis litauit, quouſq. ad cæleſtem patriam, è peregrino ſolo & exilio profecta eſt. Cuius merita apud Deum pretioſa, magna miracula illuſtrarunt: quibus etiamnum inſignis eſt admodum in Eccleſia vbi quieſcit, ſub eius patrocinio dedicata. Eodem die ſancti AVERTANI Confeſſoris ordinis Carmelitarum: qui patria Lemouicenſis à piis parentibus ipſa ab infantia edoctus eſt, Deum timere, & virginem colere benedictam. Quo factum vt ab ineunte adoleſcentia luce ſuperna præeunte, abdere ſe mundo cæperit, Dei ſolius intuitum ambire, Virginis ipſius (ante cuius aram lachrymas precéſque aſſiduas fundebat) opem, qua quid ſibi conduceret ad animæ ſalutem dignoſcere poſſet enixè flagitare. Votorum ſpes haud inanis fuit. Angelus enim lucis paulò pòſt aſtans oranti multo cum ſplendore, illum admonuit, vt ſacram ædem B. Virginis ordinis Carmelitani, quæ eſt Lemouicis, ocyus adiret, manerétque cum familiæ illius alumnis, donec nouo monitu eo loco abduceretur. Paruit lubens lætúſque diuinæ iuſſioni Auertanus, religioſorúmque cultui cooptatus, tanto cum feruore Deo Deiparæque virgini inſeruire ſtuduit, vt adhuc nouitius nemini ſecundus eſſet ſanctitate: obedientiæ verò filius, ſpeciali elogio, ob ſubiectæ mentis alacritatem, à primariis ordinis Patribus denominaretur. Votis deinde ſolemni ritu editis, omni æmulatione pietatis, miróque flagrans deuotionis æſtu, ſui, rerúmque omnium caducarum incredibili deſpicientia & abſtinentia ſingulari præcelluit: vigiliis, orationi, diu

noctúque adeo defixus, vt contemplatione in Deum raptum, integro die, fratrum nemo, ab ea auderet ecstasi, auocare. His cùm vir beatus gratæ Deo seruitutis testimoniis frueretur, ardere cœpit desiderio Apostolorum limina religiosè inuisendi: ad quæ Gregorius vndecimus ortu itidem Lemouicensis, nuper, monente sancta Catharina Senensi, ex Auenione Sedem Apostolicam reduxerat. Facultate igitur à præfectis ordinis impetrata, concelebrato Sanctorum omnium natali, in iter se dedit accepto comite fratre Romeo, qui sancti viri ductum affectu eius virtutum incensus, fideliter sequebatur. Vix Alpium iuga conscenderant, cùm Auertanum morbus lethalis aggreditur. Nec tamen pij viatores ab itinere semel suscepto deficiunt, nec ieiunio laxantur, nec orationibus, cæterísque pietatis exercitiis fatigantur. Imbrium, niuium atque ventorum, ac glacialis hiemis asperitatem, ardor deuotionis quo intus feruebant, facilè superabat. Lucam inclytam Etruriæ ciuitatem, Deo duce tandem peruenêre: hospitióque sancti Petri maioris ad vrbis mœnia, quo diuertere solebant peregrini, benignè excipiuntur. Hîc Auertanus ingrauescente morbo, supremum vitæ diem præsagiens, ciuitatis ingressum humiliter expetit, nec obtinet ob suspicionem exitiosi morbi (siquidem tetra Epidymiæ lues, oras tum Italiæ, at magis schismatis inualescentis pernicies, dirè diuexabat.) Æquo animo Christi patientiæ imitator, impedimenta suffert, & prophetico lumine irradiatus, grauissimum schisma Deiparæ suffragiis, mox sedandum ominatur. Vaticinio successit euentus. Cùm paulò pòst instituto ab Vrbano VI. festo visitationis sanctissimæ Virginis, schisma concidit. Fatalis vrgebat hora. Totus igitur in pios diffusus affectus vir beatus, Christi crucifixi sacra trophæa adorat, vulnera osculatur, subsidia salutis petit, pignora vitæ accipit, sícque abrupto terrenæ peregrinationis tramite, præoccupatus felici morte excessit, candidatus æternitatis, ad cælestis aulæ limina feliciter conuolat miris splendoribus & odoribus circumfusus. Corpus eius, sicut moriens prædixerat, à Lucensibus qui dum viueret abiecerant, ob fulgentia sanctitatis signa summis honoribus exhumatum, à Xenodochij cœmiterio, in æde sancti Petri intra vrbem decoro tumulo reconditum est, Episcopo iubente, Clero populo obsequente, ac prosequente merita Sancti aduenæ. Iam sui beati tutelaris, frequenti concursu, magnáque deuotione & reuerentia. Cæterùm octauo post beati viri transitum die, fidelis eius socius B. ROMEVS, volente Deo, graui morbo, quem mœstitia con- Romevs.

traxerat, confectus è Romanæ itidem peregrinationis stadio, æternum ad gaudium euocatus est: dilectissimique sodalis tumulo illatus, iisdem vt claruit beatitudinis indiciis, sic & venerationis potitus est obsequiis. Nam inde propter testimonia gloriæ, in Cathedralem Ecclesiam Lucensem sacra vtriusque pignora solemni apparatu translata depositáque, vnica arca plumbea occlusa, in sacristia religiosè hactenus obseruantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Andreas. EODEM die Claræuallis Cœnobio obitus piæ memoriæ ANDREÆ ex Archidiacono Virdunensi Monachi. Hic cùm orationum suffragia petiturus Claræuallensium monachôrum intrasset, sanctæ illius multitudinis ordine, & Angelica præsentia concussus, habitum religionis à beato Roberto Abbate, sancti Bernardi successore, petiit ac recepit: in quo instituto, cælesti deinde subsidio, patenti scilicet miraculo confirmatus, vitam sanctissimè transegit, beatóque fine consummatus ex hoc stadio mortalitatis, ad desideratæ immortalitatis fruitionem pertransiuit.

Tertio Kalend. Martij. Luna

27 B II.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28			

SS. IVLIANVS. IN Ecclesia Augustodunensi commemoratio agonis sancti IVLIANI Martyris Alexandrini, qui podagræ morbo affectus, cùm neque stare neque incedere nosset, vnà cum Euno seruo ob fidei Christianæ cultum ad Iudicem sella delatus est: cuius iussu vterque camelis impositus, & per vrbem ductus, verberibus dirè cæsus est, donec in summa pietatis constantia vnus & item alter purissimos spiritus efflauit. Huius reliquiarum haud exilis eiusdem portio, diuino beneficio ex Ægypto in Galliam aduecta, atque in Æduensem basilicam illata, multo cum honore, claram illic & venerabilem eiusdem reddidit memoriam. Apud Lugdunum sancti BALDOMERI viri Dei. BALDOMERVS. Hic in iuuentute Fabrum ferrarium agens, in pietatem & pauperum curam totam operam coniecit, vsque adeo vt instrumenta artis cùm aliud non suppetebat, in egenos distraheret. Cui in pauperes beneficentiæ, intemeratæ castitatis decus, synceritatis item ac veritatis ardens studium adiungebat, ac super omnia iugem & familiarem cum Deo, per preces & animum gratissimum, necessitudinem. Eius perpetua vox erat ad omnem occursum, & cuiusuis operis principium. *In nomine Do-*

mini, Deo gratias ſemper. ad quam diuinæ gratiæ imploratio-nem, & ſupernorum beneficiorum collaudationem, multos ſuo exemplo excitauit: ipsáſque auiculas, quæ velut eius innocentiæ conſciæ ad eum conuolabant, ſtatis horis ad cibationem aduentantes, manu prehenſas ſic paſcebat, vt poſt cibi ſumptionem ad benedictionem Dei hoc monitu adhortaretur: *Reficimini, & Domino cœli benedicite ſemper.* In his religioſis exercitiis vir Dei amore mirè incenſus, annos non paucos exegit: cùm autem aliquando in vico Auditiaco oraret, à beato Viuentio ſancti Iuſti Abbate eò item religionis ergò deducto, deprehenſus eſt (velut aurum ſub puluere latens) pannoſi ſub homunculi ſpecie, ſapientiam quæ de cœlo eſt eximiam abdere. Quare Viuentius in cœnobio ſuo, domicilium ſancto viro conſtituit, fidelibus tenuem ei alimoniam ſuppeditantibus, quam ipſe ex Domini documento de craſtino nihil ſollicitus, cum pauperibus, ex aſſueta charitate communicabat. Creſcente ſubinde fama ſanctitatis renitens, ſacro ſubdiaconatus honore à Gauderico Lugdunenſi Præſule decoratus, ad conſuetum orationis & piorum operum ſtudium acceſsionem fecit non modicam, quam in dies cumulauit, quouſque in Dei obſequio magis ſemper ac magis nauus ac peruigil, pertigit ad metam, animámque immaculatam æternùm beandam Dèo reddidit. Cuius ſepulchrum tantis diuinitus colluſtratum eſt miraculis, vt prodant ſanctæ memoriæ monimenta, neminem, quacumque detineretur infirmitate, cum fide accedentem, receſſiſſe inexauditum; ſed ſubitò exorata ſanitate rediiſſe incolumem. Eodem die apud Pontem Iſaræ in agri Pariſienſis & Normaniæ confinio, ſanctæ HONORINÆ Virginis & Martyris, cui ſuſcepta pro Chriſti fide & cultu in flammis extrema concertatio, immortalis gloriæ trophæum, & æternæ felicitatis præmium peperit. *Et alibi in Gallia, aliorum plurimorum Sanctorum,* &c. HONORINA.

IN territorio Metenſi beati IOANNIS Abbatis Gortzienſis, ordin. ſancti Benedicti, multæ pietatis, & admirabilis innocentiæ viri. Item in Præſulatu Leodienſi beati IOANNIS monachi perlucidi Ciſtercienſis ordinis ſideris. Eodem die in Ciſtercienſi Archicœnobio obitus piæ memoriæ ROBERTI Prioris, ſanctitatis exiſtimatione in vita & pòſt conſpicui. *Joannes. Ioannes alter. Robertus.*

Pridie Kalend. Martij. Luna

28 C I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	24	25	26	27	28	29			

SS. ROMANVS. IN Burgundia Iurenſi Cœnobio ſub ſede Lugdunenſi, ſancti ROMANI Abbatis & Confeſſoris fratris & Symmyſtæ ſancti Lupicini: qui primus illic vitam eremiticam duxit, & multis virtutibus & miraculis clarus, multorum poſtea extitit Pater monachorum. Cuius encomia ſanctus Gregorius Turonenſis veraci ſtylo deſcripſit: inter quæ illud maximæ humilitatis ſibi vendicat præconium, quod moriens vir Dei, ne propter gratiam miraculorum qua viuens perfulſerat, ad tumulum ſuum concurſus fieret, extra monaſterium in quodam monte ſepeliri voluerit. At Deus qui humiles ſemper extollit, quis quantúſque fuiſſet nihilominus patefecit. Tantæ enim virtutes diuinitus factæ ſunt, vt deinceps ſuper beati viri ſepulchrum, templum magnum, ad eius memoriæ venerationem, conſtructum fuerit, ad quod patrocinij ipſius expetendi cauſa, ingens diebus ſingulis deuotorum clientum frequentia concurrit: flagitatæque potentis opitulationis experitur ſubſidia.
ROMANVS alter. Remis depoſitio ſancti ROMANI Epiſcopi & Confeſſoris, hic Vigilij Papæ conſobrinus, monachus Iurenſis, & primus Abbas cœnobij Mentuniaci à ſe conſtructi in diœceſi Trecenſi, cùm laude virtutum vndique polleret, ad Archiepiſcopatum Remenſem duce Chriſto prouectus, Eccleſiam ſibi concreditam Apoſtolico ſpiritu gubernauit. Póſtque fauſtum & celebrem Pontificatum, cùm B. Leonem ſuum alumnum & in regimine cœnobij Mentuniaci ſucceſſorem ſanctitatis ſuæ commercio (ex quo ſanctus & ille euaſit) illuſtraſſet: Beatam Clothildem reginam in Baſilica ſanctæ Genouefæ, & Childebertum Regem in æde ſancti Vincentij ad muros regiæ vrbis tumulaſſet: quietis æternæ cupidus, in cœleſtem emigrauit manſionem. Eodem die Toloſæ in ſummo templo, necnon Sueſſionis in cœnobio ſancti Ioannis in Vineis, feſtiuitas tranſlationis
AVGVSTINVS. ſancti Patris AVGVSTINI: cùm ſacrum eius corpus ex vrbe Hippone vaſtata, in Sardiniam primò aſportatum, inde pòſt, Luitprando Rege procurante, Ticinum aduectum in baſilica principis Apoſtolorum (quæ nunc ſancti huius Doctoris nomi-

ne insignitur) repositum est: vna cum eiusdem mitra & baculo pastorali aliisque sanctis exuuiis: quarum variæ portiones deinde à Carolo Magno in Gallias allatæ, diuersáque per loca sacra, fuere, augendæ tanti Patris venerationis studio distributæ. Pictauis reuectio & repositio corporis sanctæ RADEGVNDIS ex Francorum Regina Sanctimonialis & Abbatissæ, ex Quintiaco Monasterio: vbi grassantibus Normanis pridem fuerat delatum, atque ad tempus ne profanaretur reconditum. Lyræ in Belgio translatio corporis gloriosæ Christi Virginis BEATRICIS cœnobij de Nazareth Priorissæ, quæ Angelorum ministerio asseritur peracta. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* Radegundis. Beatrix.

OBIIT ipso die Pruuini beatæ memoriæ RAYNERIVS primus Abbas sancti Mariani Antissiodorensis ordin. Præmonstratensis, vir sanctè factorum gloria insignis. In Xenodochio pauperum, inter pauperes, Christi pauper, vt supremo voto petierat sepultus est: vbi cælestia prodigia, ad meritorum eius clarificationem plurima refulserunt. P. Martinus Gutterus Societatis IESV, multis à Deo visionibus illustrari solitus, per Galliam transiens, ab hæreticis captus, carceris incommodis obiit. *Raynerius.*



MARTIVS.

Kalendis Martij. Luna

1 D *.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
t u A B C D E f F G H M N P
19 20 21 22 23 24 25 26 25 26 27 28 29 1

SS. HERMES, LEO, & HADRIANVS.



ASSILIÆ Natalis ſanctorum Martyrum HERMETIS, LEONIS, & HADRIANI, qui ſub Maximino Imperatore pro Chriſtianæ fidei confeſſione acerbiſſimè cruciati, cùm ſe abduci à pietate Euangelica, ad nefaria dæmonum ſacra prorſus inficiarentur, datis fortiter pro Chriſto ceruicibus, lauream immortalis victoriæ reportantes, ſupernos ad triumphos euolarunt. Eodem die ibidem ſancti ADALONGI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Sereno ſuccedens, Cathedram cui inſedit ſacra eruditione, vitæ Epiſcopalis copioſis ornamentis, illuſtrauit: gregíque ſuo cùm mira ſanctimonia plurimùm profuiſſet: demum incredibili de ſe relicto deſiderio, ad optatam pertranſiuit beatitudinem. Andegauis ſancti ALBINI Epiſcopi itidem & Confeſſoris illuſtriſſimi. Hic Veneticæ regionis (quæ Gallico Oceano confinis eſt) indigena nobiliſſimus, inter ipſa iuuentutis exordia tanto fidei feruore flagrauit, vt parentes pro Chriſti charitate relinquens, ordinis ſancti Auguſtini Canonicorum inſtitutum, in Cincillacenſi cœnobio amplecteretur: in tantúmque à ſæculi amore ac gloriæ ambitu abhorruit, vt nihil niſi in cellula latêre percuperet. Cùm autem in publicum graui de cauſa procederet, intra cordis penetralia incluſus videretur. Quem adhuc puerulum, dum Abbati obſequens, cum ſociis iter haberet; víxque pluuiæ ingentis vim tecta propellerent, madefactis omnibus ſociis, ſolum tangere, imber non valuit. Dehinc cœleſtibus donis cum ætate creſcentibus, ieiuniorum & orationum cæterarúmque virtutum aſſiduitate præcipuus, Monaſterij Abbas deligitur: cui annos quinque ſupra

ADALONGVS.

ALBINVS.

viginti

viginti sanctè ac feliciter præfuit. Ex tam insigni disciplina, mortuo Adulpho Præsule Andegauensi, in eius locum subrogatur renitens & inuitus: quam dignitatem virtutibus, quæ in pastoribus animarum requiruntur, affatim decorauit. Ita enim se in alimoniis pauperum, in defensione ciuium, in visitatione languentium, in redemptione præbuit captiuorum, vt omnibus solatium paterna solicitudine impenderet. Nec virtutibus modò refulsit, sed & crebris miraculis, quæ ad testandam eius sanctitatem diuina per eum gratia operabatur. Nam contractam fœminæ manum laxauit, adolescentem mortuum excitauit, cæco visum, impresso palpebris sanctæ crucis signaculo, restituit, aliáque plurima edidit (huius præsertim salutiferi signi virtute) mirabilia. At vigore planè sacerdotali præditus vir beatus eluxit: vti columna siquidem domus Dei, inconcussus semper perstitit aduersus iniquos quoscunque impetus: fuit enim in sceleribus corripiendis adeo magnanimus, vt nullis Principum aut Regum minis à constantia deiici posset. Vnde cùm personas quasdam à se excommunicatas absoluere cogeretur; Episcopis (inter quos sacris in Comitiis non semel consedit) in hunc modum legitur respondisse: *si vobis subscribere compellor, dum vos Dei causam defendere negligitis, ipse potens est vindicare.* Et mox potiùs zelo consumptus, quàm ægritudine oppressus, è vita discessit, priusquam iniquo postulato subscriberet: pulchrè sequens Martyrum vestigia, dum enim sanguinem pro Deo fundere non valeret, ipsam animam fudit: faméque sitique iustitiæ confectus, in tanto pietatis æstu expirauit; propter quam beatus in cœlo, gloriosus postea refulsit in tumulo. Apud Cenomanos sancti SIVIARDI Abbatis, qui omni virtutum Christianarum genere decoratus, gregi suo, egregiis exemplis præluxit, partisque sanctitatis copiosæ meritis, obdormiuit in Christo. Eodem die sancti GERVINI Abbatis Centulæ sancti Richerij in tractu Ambianensi, qui Ingeranno, ipsius sancti Richerij digno encomiastæ sublectus, perdignum se tot sanctorum virorum qui huic cœnobio præfuerunt, hæredem exhibuit, Christóque fideliter militans, & subditos omni pastorali vigilantia in eius obsequio instruens, ad beatam, quam diù anhelauerat illius fruitionem, exuta mortalitate properauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. SIVIARDVS. GERVINVS.

EXVTA mole carnis, spiritu ad superna transiuit piæ memoriæ ALMARICVS Episcopus Siluanectensis, qui Abbas fuerat Caroli Loci, pugil orthodoxæ fidei & propugnator egregius: illibatæ mentis, corporis castimoniæ, de- *Almaricus.*

uotionis, vigilantiæ paſtoralis, charitatis & miſericordiæ dotibus prædicandus. *Hugo. Simplicianus.* Item Claræuallis obiit HVGO de Monte Felici diſcipulus ſancti Bernardi, imitatórque eximius. Item piæ memoriæ SIMPLICIVS Bonæuallis Monachus ſanctiſſimus, qui poſt tranſitum, prædicto Hugoni, exultans de ſuſcepta cœleſti gloria, apparuit.

Sexto Nonas Martij. Luna

2 E XXIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2			

SS. MACRA. REMIS paſſio ſanctæ MACRÆ Virginis & Martyris, quæ à Rictio Varo Præſide, ob fidei cultum comprehenſa, variiſque illecebris verborum, vt à pietate abduceretur, tentata, cùm à Chriſti confeſſione & obſequio nulla arte poſſet dimoueri: vi tormentorum impetita, ac primùm poſt abſciſſas mammillas tetrum in carcerem coniecta eſt, vbi Angelus eam conſolatus, amputatas ipſi mammillas reſtituit: deinde cum maiori conſtantia Chriſti gloriam prædicaret, ſuper prunas & teſtas acutiſſimas volutata, hunc cruciatum heroica virgo forti animo pertulit: ſuperatáque ingentis patientiæ exemplo atrociſſimi Tyranni ferociâ, mediis in tormentis, Ieſum vnicum Seruatorem, verúmque ſolum Deum inuocans, expirauit: atque ad deſideratum dilecti ipſius ſui ſponſi conſpectum, læta ac triumphans athleta, imo pulchra columba euolauit. Brugis CAROLVS. in Flandria tum ſub Metropoli Remenſi, ſancti CAROLI cognomento Boni prouinciæ huius Comitis & Martyris, filij ſancti Canuti Daniæ Regis, itidémque Martyris glorioſi. Hic propter miſericordiam & iuſtitiam, cùm in maxima annonæ (quæ Galliam vndequaque vexabat) inopia, in pauperes munificus, coëgiſſet præpotentem familiam, frumentum vt in horrea congeſtum, iuſto pretio venderet: conflatá aduerſum ſe conſpiratione, diram impiorum pertulit propter hoc ſæuitiam. Cùm enim hoc die in baſilica ſancti Domitiani, ante aram ſanctiſſimæ genitricis oraret, palam impetitus, gladiiſque paricidarum confoſſus eſt: quos omnes ſupplicium & vltio diuina, illum autem immortalis conſecuta eſt gloria. Vltraiecti VVILEICVS. depoſitio S. VVILEICI Preſbyteri Beatiq. Suitberti Friſonum & Batauorum Apoſtoli præcipui Symmyſtæ & cooperatoris. Qui inſtituto illic recens Canonicorum collegio cooptatus ſanctitatis & doctrinæ ſuæ ſplendore, cœtum hunc ſacerdotalem

admodum illustrauit: ciuibus in Christi lege neophytis, eximia pietatis documenta ac exempla præstitit. Deinde Verdense monasterium, quod ipse sanctus Suidbertus sumptibus Pipini Principis extruxerat, religiosissimè rexit: vbi vsque ad finem vitæ in summa vitæ sanctitate perseuerans, ex hac labili luce ad verum & æternum lumen, magno cum meritorum cumulo profectus est. Autissiodori, translatio sancti OPTATI Episcopi & Confessoris, cuius sacra depositio celebris occurrit prid. Kalend. Decembris. *Et alibi in Gallia, aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. *Optatvs.*

ITEM ipso die transitus beati Boni Abbatis Casæ Dei, quem ob cœlestem sapientiam, & eximium spiritus feruorem Innocentius PP. tertius in Galliam Narbonensem, vnà cum Arnoldo Abbate Cisterciensi Apostolico Legato, ad prædicandum Albigensibus verbum Dei direxit: quatenus prouincia illa exitiosis erroribus obcæcata, Deo iuuante per sedulam sanctæ prædicationis instantiam, ab illo reduceretur. Qui Apostolico munere suscepto, concitus ad præfatos hæreticos perrexit, Albigensiúmque fines penetrauit, Euangelicam vndique veritatem prædicans, & argumentis multis hæreticorum impia dogmata refellens: quos contigit quidem vt verbo Dei vinceret, non tamen (quod hæresis superbia, præpedire consueuit) persuaderet. Interea dum sanctus vir officiis insistens pietatis, Christi populum à labe studet emundare erroris, tantorum laborum mole oppressus, quinta die postquam morbo correptus fuisset, stadio benè decurso, ad coronam sibi repositam in cœlesti regno processit. Villarij in Brabantia beati ARNVLPHI Abbatis, qui multa posteris monimenta pietatis, sollicitudinis ac religionis relinquens, feliciter quieuit in Christo. Obiit hac die Tolosæ, Pater Franciscus, Fuliensis congregationis Prouincialis, spiritu prophetico, sanctitatisque clarus opinione. *Bonus.* *Arnulphus.*

Quinto Nonas Martij. Luna

3 F XXVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3			

APVD Castrum Lampurdum, seu Baionam Lampurdensium sub Metropoli Auscienſi in Aquitania secunda, sancti LEONIS Episcopi & Martyris, qui in pago Carentaniaco, prouinciæ Rotomagensis, præuio Angelico vaticinio, ex piis parentibus genitus, mira ab infantia futuræ sanctitatis specimina edidit. Postea zelo Dei feruentissimus, castitate eximius, doctrina eminentissimus, virtutibus ornatissimus cùm inter coæuis floreret, Clero Rotomagi ascriptus, & per gradus meritorum ad sacerdotij fastigium euectus: vt Euangelij sacram sementem spargeret, ex Celtica Gallia in Nouem-populanam prouinciam, tenebris *SS. Leo.*

PHILIPPVS & GERVASIVS. adhuc infidelitatis obcæcatam, cum duobus germanis PHILIPPO & GERVASIO Apostolica fretus auctoritate, profectus, mira ibi subruendo falsorum numinum delubra, & Christi erigendo trophæa, exercuit piorum conaminum facinora: quibus exasperati, Martis Dei vmbratilis sacrifici, in virum Dei turbam concitauerunt. At ille fusis ad Christum precibus solo flatu Martis idolum in puluerem conuertit, hócque miraculo multitudinem attonitam, ipsósque sacerdotes, ab dæmonum nefando cultu, ad Verbi incarnati fidem & adorationem perduxit. Sic Baionâ Christo penitus subiugatâ, in Benearnum Nauarrámque perrexit, Hispaniæque etiam quædam oppida penetrauit: Christianam religionem in populos obuios Apostolico spiritu propagans, quousque à piratis quibusdam ethnicæ impietatis cultoribus, ad Ninum fluuium comprehensus est cum sociis, diréque ob fidei prædicationem ab iisdem verberatus. Primúmque sub eius oculis germani ipsius ambo obtruncati sunt. Deinde ipsimet à satellite irruente, caput amputatum est, quod in humum decidens fontem illico excitauit. Corpus verò erectum primùm persistens sub ipso lethalis mucronis ictu, deinde se inclinans caput decisum collegit, atque comite Angelo ad vnum hinc stadium euexit. Ibi trophæum Martyris postea extitit clarissimum: nam eo loco aceruus testimonij tanto Christi athletæ à fidelibus erectus est, in quo honoro loculo conditus requieuit, vsque dum furentibus vniuersam per Galliam nuperis hagiomachis, hinc ne profanæ sectæ subiaceret, Baionam delatum, in summo Deiparæ Virginis templo collocatum fuit, vbi nunc vsque & miraculis coruscat, & debita fruitur veneratione. Passus est temporibus Caroli Simplicis: Stephano septimo, post Formosum, Sedi Apostolicæ præsidente. In Britannia Minori sancti VVINVALOCI Abbatis & Confessoris. Hic Fracani, Regis Cotonij consobrini, filius, in ipsis primæ ætatis initiis, cœpit ardere desiderio rerum cœlestium, mundi respuere illecebras, & soli Deo velle viuere. Ideóque obnixius parentes orabat, vt literarum sacrarum pietatísque maximè documentis imbuendus, cuidam viro religioso traderetur. Id vbi assecutus est, sub huiusmodi disciplina miros adeo progressus fecit, vt anno ætatis septimo iam in viuum totius probitatis & pietatis simulachrum euaderet. Processu temporis susceptâ monasticæ professionis tesserâ, maiora virtutis ornamenta præ se tulit, dotatus etiam Prophetico spiritu enituit. Miraculis itidem fulsit maximis, quæ signo potissimum crucis sacrato oleo, fide sub-

VVINVALOCVS.

nixus patrabat; in quibus extitit illud magis stupendum, quo mortuum etiam adolescentem ad vitam reuocauit. Deinde cùm ad sanctum Patricium splendidum totius Hiberniæ sydus, ob ingentem virtutum famam progredi exoptaret: ab ipso in spiritu apparente admonitus fuit, vt Christi solius magisterium secutus, illic vbi degebat talenta, quæ ab eo receperat, multiplicare satageret. Collecto igitur sacro sodalitio, cum vndecim discipulis desertum in locum se recepit; qui cùm minùs aptus pro instituto videretur, exorauit Dominum, vt magis accommodam votis stationem sibi designaret. Audiuit Dominus preces serui sui, & vltra mare locum ei indicauit: sed cùm nauis deesset qua ad traiiciendum veheretur, inuocato Christi nomine, pastorali virga mare percussit ac diuisit, sicque nouus Moyses per siccum, cum asseclis, in destinatam mansionem transiuit, vbi maxima cum animi puritate, ad extremam vsque senectutem cum discipulis in Dei famulatu perseuerans, tandem de sua ad cœlestem patriam euocatione diuinitus admonitus fuit. Hácque reuelatione charissimis filiis intimata, querentibus illis, quis ei futurus esset in sancto regimine successor, ex ipsis pastorem eis constituit, illúmque cum grege concredito, pastorum Principi commendauit. Deinde ad horam tertiam cœlestis sacrificij viuam immolauit hostiam, communicatóque cum discipulis Dominicæ pacis osculo, & agni Dei viuifico refectus conuiuio, ita vt sacræ assistebat aræ, animam citra dolorem in manus Creatoris efflauit. Cuius sacrum corpus discipulorum ministerio honorificè sepultum, deinde ob miracula quibus micabat è terra leuatum, atque ea qua decebat veneratione habitum: postea deprædantibus Britanniam Normanis, primùm in interiorem Galliam, demùm in Belgium transuectum, Gandaui in Blandinensi sancti Petri cœnobio summo honore reconditum est, vbi eiusdem festiua est memoria Kalendis Augusti, quo die postrema hæc translatio contigit. Apud Aruernos Beati CALVPPANI Eremitæ seu reclusi, qui ab ineunte ætate religionis studiosus, apud monasterium Meletense regularis vitæ tirocinium sacrum iniit ac expleuit: postéaque sublimioris instituti cupidus, de Præpositi sui licentia, in rupis excelsæ cacumine excauato antro, habitaculum statuit, oratoriúmque condidit paruulum, vbi Angelicæ puritatis studia exercuit. Tentationibus dæmonum illic Christi athleta impetitus, fide potens crucísque signo munitus, eorum terriculamenta non secus ac muscarum insultus, facilè delusit ac elisit; impropcriísque etiam afficiens, impe- CALVPPANVS.

riosè sua è cella exclusit duos horrendos cacodæmones, in se sub draconum forma ferociter irruentes. Hinc fracta vis diabolica, nunquam cum eo ausa est deinceps congredi. Porro vir Dei hoc triumpho minimè inflatus, sese semper in humilitate continuit. Deo soli victoriam ascripsit tantam: cui soli seruire delectabatur: in cuius famulatu adeo assiduus erat, vt non nisi lectioni aut orationi insisteret, de tenui alimonia quæ è cœnobio transmittebatur victitans. Cùm autem potus inedia laboraret, precê fusâ, fontem in cellula sua, è silice excitauit. Quo cœlesti munere congaudens, concauum in lapide paruulum, in modum cisternæ fecit duorum quasi condiorum capax, è quo lymphas diuinitus sibi indultas cum gratiarum actione suscipiebat: de quibus tantum ei cœlitus infundebatur, per singulos dies, quantum ipsi puerόque sufficeret, qui ei minister fuerat à præposito monasterij datus. Quod miraculum sanctus Gregorius Turonensis cum sancto Auito Episcopo Aruernensi, virum Dei visitans, propriis sese inspexisse oculis testatus est. Cæterùm Caluppanus ob sanctitatem mirabilem, ab ipso beato Auito, diaconatus gradu, ac honore etiam presbyterij insignitus fuit: susceptúmque (renitendo licet) Ecclesiasticæ dignitatis decus, multa, populo diuersis vexato morbis, remedia diuinitus impertiens, compensauit. Nulli tamen cellulam egressus se præbuit conspiciendum, sed tantùm per fenestellam extendens manum, salutare signaculum petentibus benedictionem imponebat. Et si à quoquam visitatus fuisset, ad hanc accedens speculam, orationem colloquiúmque præbebat. Denique in hac religione, cursu vitæ feliciter confecto, quinquagesimo circiter ætatis anno migrauit ad Dominum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Bonus. ABIIT ad Christum beatæ memoriæ BONVS Abbas Casæ Dei, sacrarum literarum notitia & disciplinæ regularis obseruantia clarus, operibúsque sanctis & laboribus gloriosis, quos pro stabilienda fidei Catholicæ veritate pertulit, plurimum venerabilis.

Quarto Nonas Martij. Luna

4 G XXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4			

SS. BASINVS. IN 1. Belgica natalis sancti BASINI Episcopi Treuirensis & Confessoris, qui B. Glodulphi Austrasiæ sub Childeberto II.

Ducis, postea Metensis Episcopi, filius, se teneris ab vnguiculis Christi suaui iugo subiecit: factúsq. Monachus, deinde virtutum meritis Abbas S. Maximini Treuiris, defuncto S. Numeriano, Archiepiscopus sedis huius nobilissimę ordinatus, loci ac generis splendorem, fide sanctísq. moribus exornans, omnibus prodesse, & nemini nocere studuit: tandémque (miraculis etiam illustris) piis votis potitus, terram cum cœlo commutauit: dignum successorem quem sanctis documentis ac exemplis informauerat relinquens, LIVTVINVM nepotem, cuius quoque sanctitas multimodè comprobata: sacram reddidit memoriam 3. Kalend. Octobris. LIVTVINVS. Traiecti ad Mosam in collegiata sancti Seruatij basilica Inuentio corporum SS. Episcoporum MONVLFI, GONDVLFI, Valentini & Candidi. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. MONVLFVS. GONDVLFVS.

EODEM die obiit piæ memotiæ BOSO ordinis Carthusiani XVIII. Generali Præfectus: quem annos circiter quinque supra triginta religiosissimè rexit, ornauitque actibus & meritis eximiæ sanctitatis. *Boso.* Ipso die Aquiriæ cœnobio ad Scaldim transitus D. HERMANI conuersi ordinis Cistereiensis, multæ patientiæ & humilitatis viri. *Hermanus.* Item eodem die cursum huius peregrinationis feliciter expleuit venerabilis mater ANNA de Iesu, sodalis sanctæ Teresiæ, ordinis Carmelitani nostra ætate in Gallia reformatrix: cuius piæ operæ, monimento sunt, Parisiis, Pontissaræ, Ambianis, Turonibus, sanctissima sacratum ascetarum huius instituti, quorum fundamenta iecit Monasteria: beatitudinis verò pro meritis adeptæ, miracula quæ ad sepulcrum eius crebrescunt, clara suppeditant testimonia. *Anna.*

Tertio Nonas Martij. Luna

5 A XXVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5			

SVESSIONE sancti DRAVSII Episcopi & Confessoris, qui tempore Dagoberti Regis, eodem solo ex pia illustríque prosapia, patre Leudomaro matre Rachilde natus, atque Ansarico sanctissimo illius ciuitatis Præsuli educandus traditus, & sedis eius & sanctitatis perdignus hæres ac successor fuit. SS. DRAVSIVS. Postquam enim defuncto ipso Ansarico, Bertolenus quidam, malis artibus sibi comparatum Pontificatum, facti subinde pœnitens abdicasset: duce Christo, consonis omnium suffragiis, Drausius (cuius doctrina & pietas iam incredibili fulgore radiabat) Pontifex sublectus est, Ecclesiámque creditam strenuè administrans inter frequentes corporis ægritudines quas patientis-

ſimè perferebat, monitis & exemplis gregem cui præerat aſſiduè erudiuit: nihil magis enitens quàm vt illum tutò ante Christi tribunal aliquando ſiſteret: ſéque præmio fidelibus paſtoribus repoſito dignum vnà redderet. Regulari etiam ordini prouehendo ſedulam nauans operam, duo cœnobia propriis ſumptibus conſtruxit, quorum alterum dictum Rhetondenſe via Compendienſi erectum, Monachis ordinis ſancti Benedicti aſſignauit. Alterum ad Axonam prope vrbis ſitum mœnia, eiuſdem inſtituti virginibus, (cui dotando Leutredes, Ebroini, domus regiæ Præfecti Maioris, coniux, ipſi fuit adiuua) conceſſit incolendum: cui hactenus ſanctiſſimæ Deiparæ nuncupatio & patrocinium decus indidit eximium. In quo ſanctus Epiſcopus poſtquam glorioſis laboribus perfunctus, ad Chriſti conſpectum perrexit, optata potitus eſt ſepultura. At ob crebram fluminis eruptionem, tranſlato ſubinde in vrbem nobili hoc aſceterio, corpus quoque ſacratiſſimum illuc in pignus ſalutis euectum, miraculis cœlitus editis refulſit, quæ perennem excitauère fidelium ad tumulum eius concurſum. Ad quem & ſanctus Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, Martyrium ſitiens; iámque extremam adornans pro aſſertione libertatis Eccleſiæ pugnam, legitur acceſſiſſe orationis cauſâ, vt ſuum ei agonem commendaret: morem ſecutus eorum qui pugnaturi ad tanti opitulatoris patrocinium confugiebant, docente experientia eos qui ad memoriam eius deuotè pernoctarent, victores ſemper euadere. Cuius piæ fiduciæ optatam coronidem egregium Chriſti athletam recepiſſe, oſtendit glorioſùs quem exinde reuexit, ſuo ex certamine triumphus.

VIRGILIVS. Arelatæ ſancti VIRGILII Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Confeſſoris: qui primùm in ſancti Symphoriani Æduenſis cœnobio Monachus, deinde Abbas multis virtutum titulis glorioſus, inde ad primariam tum Galliæ Cathedram aſſumptus, procurante Siagrio ipſius vrbis Æduenſis Antiſtite: ſuſceptam Eccleſiam piiſſimè ac ſapientiſſimè rexit: cúmque ſumma erga ſubditos vteretur benignitate & miſericordia: tanta in ſe auſteritate, ac victus abſtinentia vſus eſt, vt ob eiuſdem rigorem, naturæ portentum crederetur. Sancto Gregorio magno ob nota ſanctitatis inſignia fuit adeo charus & venerabilis, vt frequenti Epiſtolarum commercio ab ipſo honoraretur; à quo & Pallio cum ſumma ferè poteſtatis conceſſione decoratus eſt. Quo, cùm & honeſtatus beatus Auguſtinus delectus Cantuarienſis Metropolites, in tranſitu per Galliam vti vellet: ſedis propriæ & Gallicanæ cuius vertex erat Eccleſiæ dignitatem

tutatus, ſtrenuè obſtitit Virgilius. Reſcripſitque querenti hac de re ipſimet Auguſtino beatus Gregorius, rectè illum obnixum eſſe: nihil enim Auguſtino, nec cuipiam in Galliis licere inconſulto Arelatenſi Præſule ab antiquo. Porro ſanctus Antiſtes Eccleſiæ ſuæ iura non ſolùm iuſtè propugnauit, ſed & ſummo ſtudio eiuſdem auxit etiam decora. Templum enim ſanctorum Trophimi & Honorati extra muros conſtruxit. Cleri mores reformauit, cenſum illius ampliauit, populo aſſiduam præſtitit opem. Demúmque vita ſanctiſſimè acta, clarus etiam miraculis hac ex vita diſcedens, dignè exactæ villicationis, à Domino vberem percepit mercedem. Eodem die Traiecti ad Moſam in Eccleſia collegiata S. Seruatij, inuentio & eleuatio S. ADRIANI Martyris, beati Iuliani S. Landoaldi Archipreſbyteri Tungrenſis diſcipuli, necnon beatæ LANDRADÆ Virginis: iuſſu diuinæ vocis facta per Sarabertum Preſbyterum ex ciſternis, vbi ob Normanicam vaſtationem ſacra eorum corpora fuerant incluſa. Eodem die in Gallia Narbonenſi oppido ſancti Ægidij, paſſio ſancti PETRI Monachi ordinis Ciſtercienſis, qui cùm primus ſacræ fidei inquiſitor, & Legatus Apoſtolicus ad extirpandam Albigenſium hæreſim, ſtrenuè & piè ſuſceptum officium pro Dei gloria & populi Chriſtiani ſalute obiret: dira ab hæreticis paſſus, demúmque iuſſu Raymundi Comitis Toloſani hac lue infecti, lancea confoſſus eſt: qui cùm percuteretur, in percuſſorem ſuum reſpiciens, piam hanc vocem repetitis vicibus intulit: *Dimittat tibi Deus, quia ego dimitto.* Sic vir ſanctus effuſis, non tam ferro, quàm pio amore, viſceribus; poſt profuſam Dei laudem, in vera omnium ſalute Chriſto Ieſu, feliciter conquieuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Adrianus. Landrada. Petrus.

EODEM die Claræuallis obitus piæ memoriæ venerabilis GERARDI ſancti Patris Bernardi diſcipuli, viri ecſtatici. Item eadem die ibidem tranſitus beatæ memoriæ RADVLPHI viri magnæ ſanctitatis, qui ex monaſtica præfectura ad Hierarchicum principatum aſſumptus, Eccleſiam primùm Agennenſem glorioſè gubernauit, demum ad Lugdunenſem Archiepiſcopatum euectus, tantam ſedem Apoſtolicæ vitæ qua fulgebat ornamentis decorans, pietatémque quam in clauſtro hauſerat abundanter Chriſti populo communicans, demum in æterna requie obdormiuit.

Gerardus. *Radulphus.*

Pridie Nonas Martij. Luna

6																	B	XXV.25.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ	
	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P				
	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7				

SS. GODEGRANDVS. METIS in Lotharingia, ſancti GODEGRANDI ciuitatis illius Epiſcopi & Confeſſoris. Hic Caroli Martelli Francorum Principis ex filia Landrada nepos, Sigiramni viri illuſtris eiuſdem Landradæ coniugis filius, ab ipſis iuuentutis primordiis, pietati & literis ſedulam operam dedit in celebri aſceterio Sancti Trudonis, apud Haſbanos. Deinde Metis: A cuius vrbis Clero ob claram virtutum famam poſt Sigibaldum Epiſcopus electus, hoc in munere inculpatis moribus & rara eruditione verſatus, mirum in modum crediti gregis ſalutem promouit. Cuius virtutes optimo paſtore dignæ, tantam apud ſummũ Pontificem Stephanum conſulâre meriti exiſtimationem, vt huic cum honorifico Archipræſulis titulo, ampliſsimam Epiſcopos per Gallias ordinandi poteſtatem Papa ipſe tribueret. Auctus honore vir ſanctus, bonorum operum incrementis merita cumulauit: tria enim fouendæ religionis ſtudio conſtruxit cœnobia, regulámque Canonicorum condidit quam Eccleſiæ ſuæ Clericis dedit obſeruandam. Cæterùm ipſe totius exemplar pietatis & iuſtitiæ, vitæ adeo ſanctæ decurſo ſtadio, ad metam deſideratam perueniens, Metis exceſſit, & montis cœleſtis conſcendit ad gloriam. Sueſsione Inuentio corporum

CRISPINVS & CRISPINIANVS. ſanctorum CRISPINI & CRISPINIANI Martyrum facta ex reuelatione diuina: in qua ipſa ſacratiſsima corpora ſuauiſſimos odores efflauerunt, gloriæque quam apud Chriſtum nobiliſsimo agone promeriti ſunt, perſpicua prodidère magnificáque indicia. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Pontius. EODEM die obiit Claromonte Aruernorum beatæ memoriæ PONTIVS illius municipij Antiſtes, qui primùm in Grandiſilua Monachus, deinde Claræuallenſis ob monaſticæ diſciplinæ ſpiritum & puritatem morum factus Abbas: dum vigilanti ſollicitudine Dominico gregi ſibi commiſſo ſuperintenderet, & in hac prælatione Domini lucra, non ſua commoda quæreret, ne lucerna per Spiritus ſancti gratiam accenſa ſub modio lateret: Stephano Claromontano Præſule ad meliorem vitam tranſeunte, vocante Domino, totiúſque Cleri ac populi electione annitente, in nobiliſſimæ huius Eccleſiæ Epiſcopum aſſumptus eſt: pietatéque, clementia & miſericordia, eo in munere prælucens, editis plurimis ſanctitatis perfectæ indiciis, meritis & diebus plenus obdormi-

uit in Christo. Gandaui in Flandria celebratio beatæ memoriæ, Virginis Christi COLETÆ, quæ Corbeiæ in Picardia nata in Ambianensi territorio, ordinémque sanctæ Claræ professa, primùm Bisontinum in superiori Burgundia monasterium, postea in variis Galliæ locis, alia huius ordinis cœnobia, à natiuo instituto nonnihil aberrantia, suis monitis & exemplis reformauit, atque in pristinum sacræ regulæ nitorem restituit. Salutis verò proximorum cupidissima, mira benignitatis in pauperes, charitatis in omnes opera edidit: atque vitæ decursum in Dei obsequio, lucrandarúmque animarum studio consummauit, austeritate rigidissima, deuotione feruentissima, humilitate insignis, castitate præcellens, denique omni virtute perfecta, reuelationibus etiam diuinis ac miraculis illustris; post claros de carne, mundo & dæmone adeptos triumphos, suaui somno quiescens, læta de via ad patriam, de mortalium consortio ad societatem sanctorum, æternámque felicitatem migrauit, in Bethlehem cœnobio Gandauensi, vbi hodiéque sacrum eius corpus incorruptum magna veneratione adseruatur: sacráque eius memoria celebri officio colitur ex Clementis VIII. Papæ Apostolico indulto: quod Paulus V. ad vberiorem Beatæ Virginis honorem, ad alia eiusdem ordinis cœnobia extendit. Coleta.

Nonis Martij. Luna

7 C XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8			

1 AVGVSTODVNI Æduorum sancti AGRIPINI Episcopi & Confessoris, qui sancto Rachoni sanctitate vt dignitate succedens, beatum Germanum alumnum suum Parisiensem demum Episcopum, eximiis suis virtutibus irradians: manibus etiam sacris Diaconum ordinauit; exinde etiam consecrauit Presbyterum: ac postquam binis Aurelianensibus Synodis, secundæ & tertiæ, maximo cum sapientiæ & sanctimoniæ splendore interfuisset: multis rebus diuinè gestis, planéque ad Dei beneplacitum & gloriam administrato Episcopali munere, præmia fidelis dispensationis in cœlò feliciter consecutus est. Eodem die sancti THOMÆ Aquinatis Confessoris & Doctoris cognomine & merito Angelici, qui de nobili genere Comitum Aquinorum claram originem ducens, patre inuito ordinem sancti Dominici ingressus est, & literarum studiis (quibus morum puritatem semper adiunxit) diligenter intendens, Parisiis sacræ Theologiæ cathedra sublimatus, totum orbem diuinæ suæ sapientiæ claritate illustrauit. Quapropter Ioannes XXII. Pontifex, patria Gallus Caturcensis, Auenione sedens, cognitis illius rebus sanctè ac diuinè gestis ipsum in Sanctorum retulit numerum, diplomáque eius canonizationis, miris encômiis plenum, à semet digestum publicauit. Cuius Angelici viri sacræ exuuiæ, (vnicum at non exile, Galliæ, è Siculo Bello spo-

SS. AGRIPINVS. THOMAS.

lium ac trophæum) è monasterio Fossæ Nouæ, ordinis Cisterciensis; vbi dum Lugdunum proficisceretur ad Concilium, à Gregorio X. euocatus, quinquagenarius obierat, Tolosam translatæ; ibidem digna cum veneratione seruantur: vt Gallia quæ tantum Doctorem aluit, totóque orbe irradiantem suo è suggestu ceu solem è cœlo delapsum mirabunda suspexit, audiuitque stupens diuino ore arcana cœlestia reserantem: scriptis non modò quæ in suo gremio exarauit gloriosis decorata niteat: sed pretiosis quoque pignoribus ditata, perenni apud Deum eiusdem patrocinio muniatur. Eodem die in Septimania diœcesi Magalonensi sancti ARDONIS Presbyteri & Monachi, qui beati Benedicti Anianæ Abbatis discipulus, eius non modò vitæ descriptor, sed & studiosus imitator fuit: magnísque virtutibus coruscans, sexagenarius sanctissimè diem clausit extremum. In Traiectensi diœcesi cœnobio Horti beatæ Mariæ prope Leouardiam sancti FRIDERICI eiusdem loci fundatoris & primi Abbatis: qui diuinis subsidiis, literarum disciplinis informatus, eam quam à puero habuit in sanctissimam Deigenitricem, sanctum Ioannem Euangelistam & beatam Cæciliam deuotionem, miro castimoniæ amore & puritatis studioso cultu insigniuit. Zelo animarum incensus post susceptos sacerdotij honores, vigilem dedit in lucrandis hominibus operam; pastorali cura perfungens, in qua non solùm admirabili abstinentia, charitate, aliísque virtutibus, sed & miraculis, imo & prophetico spiritu emicuit. Deinde regulam sancti Augustini in monasterio Insulæ beatæ Mariæ ordini Præmonst. professus: maiori sanctitatis gratia pollens, hortum sanctæ Mariæ construxit, in quo pauperes potissimum Christum quærentes collegit, virginibúsque etiam ac mulieribus ad se confluentibus monasterium satis à suo dissitum condidit, cui nomen indidit Bethlehem, vbi tanta fulsit concordia, charitas, paupertas, humilitas & deuotionis puritas, vt primitiuæ Ecclesiæ rudimenta ipso auspice rediisse viderentur. Demum vir sanctus postquam siccis vestigiis rapida fluenta transiisset; mira multa in Dei famulatu & hominum miserorum subleuatione peregisset, post immensos collectos Deo animarum manipulos, latissimè inter Psalmos & Hymnos, beatam animam reddidit creatori. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

ARDO.

FRIDERICVS.

IPSO

Ipso die, Hodenco oppido in diœcesi Carnotensi dirè necatus ab hæreticis occubuit pro fidei Catholicæ tutela, & sacerdotij Christiani assertione, Ioannes Tovillerivs Presbyter, Canonicus sancti Petri in ponte Aurelianensi. Hic enim optimus sacerdos loci illius indigena, cùm illuc, pio ductus in patriam affectu venisset, eo tempore quo feralis Caluinianorum exercitus, ductore Mouaico Satrapa, agrum illum pertranseundo obuia quæque auitæ pietatis insignia, tetrum vti fulmen prosterneret: ab iis deprehensus, quod fidei tenax orthodoxæ & sacerdotij intrepidus professor, spretis eorum minis, persisteret, sclopis & gladiis confectus, glorioso agone, quod edidit magnificè veritatis præconium, obsignauit. Atque in parœciali æde sepultus, posteris reliquit insigne pietatis, fortitudinis & patientiæ monimentum, anno instauratæ salutis 1568. Item exitioso eodem turbine oppressus, piè felicitérque interiit Natalis Vassevr sacerdos, Parœcialis Ecclesiæ de Gossanuilla subcurio, non procul à præsignato oppido: In cuius tractu & finibus plurimi alij viri sacri, strenui Catholicæ Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ propugnatores, ab iisdem impiis tenti, ludibriisque affecti nefandis, demum incredibili feritate trucidati sunt. Inter quos vnus Prorector parœciæ de Mollota, cuius nomen Deus, cœlo quàm solo magis clarum esse voluit, ab iisdem Satanæ emissariis comprehensus, atque in domum cuiusdam segregis deductus in oppido prælibato, sacerdotalíque instructus ornatu, sacrificium redemptoris celebrare compulsus est. Cúmque ad offertorium peruenisset, iussus patenam de more osculandam astantibus porrigere, ab ipsis nouis Christi Seruatoris, in passionis eiusdem verendo memoriali, percussoribus, suo quique procedentibus ordine, pugnis & alapis contusus fuit plurimis, quas ipsi manicis armati ferreis, infligebant. Subinde impletum ab his monstris, sacrum calicem fœtido lotio, vt ebiberet exhaurirétque coactus: Demum, ne sine sacrificio & victima, tragica hæc actio præteriret, ab ipsismet, infixo, in sacerdotalis eius coronæ peripheria, trabeali clauo, immolatus, factúsque ex sacerdote grata Deo hostia, animam effiauit, immortali agno, cuius testamentum pleno sacerdotali vigore tutauit ac asseruit, in superno templo, cum suauitatis odore & innocentiæ decore ad beandum offerendam. Hunc eodem tramite sequutus commemoratur, alius pius Presbyter, quem viuum, humo ab humeris infra infoderunt, capite duntaxat extra solum relicto, in quod ceu in signum destinatum, globis ligneis iaculando collineantes, feræ suæ oblectationis, diros ludos exercuerunt. Ipso die obitus piæ memoriæ Petri Venerabilis monachi Bonæuallis, magnæ sanctitatis viri: qui valedicens sæculo, postquam in matrimonio susceptam prolem piè educasset, sacræ religionis iugo se subdidit: nec propriæ salutis curandæ tantùm solicitus, sed & parentum etiam studiosus, vtrumque à sæculi laqueis eripuit; Patrem secum in Bonaualle constituens: Matrem verò associans sanctimonialium eiusdem instituti collegio. Denique Abbas prædicti Bonæuallis asceterij factus, huic pluribus annis profuit magis quàm præfuit, sicque diebus & meritis plenus, cum Sanctis æternam ad requiem quæ cum Christo est perrexit.

Ioannes Touillerius.

Natalis Vasseur.

Petrus.

Octauo Idus Martij. Luna

8 D XXIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ	
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P				
26	27	28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8				

SVESSIONE triumphus sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani. Quando è loco certaminis, vbi aliquandiu con-

dita latuerant illorũ corpora diuina manifestatione reperta: atq. micantibus miraculis solemni cum fidelium ouatione & iubilo, silicam eorum in honorem extructam, hierothecis pretiosis inclusa, ad perpetuam venerationem delata sunt. In Morinis

HVNFRIDVS. S. HVNFRIDI Episcopi Teroanensis & Confessoris, qui vir beatus primùm monasticæ religionis studia secutus, in Sithiuensi cœnobio, futuræ sanctitatis tyrocinia peregit: florénsque multiplici pietatis & doctrinæ decore, eiusdem monasterij postea creatus Abbas, demum excedente rebus humanis sancto Folquinio Teroanensi Episcopo, dignus qui ei succederet censitus, præsulatum tanta cum Pontificiæ virtutis eminentia iniit, vt sui admiratione omnes percelleret: suúmque in amorem ac venerationem pelliceret. His cùm clarum sidus radiis creditam illustraret Ecclesiam, in Morinos, Normani Gallias populantes, repentè irruerunt, qui vastata vrbe pium Antistitem sede sua expulsum in exilium eiecerunt. Quam ærumnam pro Christi fide strenuè vir Dei sustinuit: at abeuntibus barbaris cùm monasterij pristinam tranquilitatem ad commodius Deo famulandum affectaret: timoratæ vir conscientiæ, piæ cupiditati noluit ex proprio iudicio indulgere. Consuluit igitur Nicolaum I. Pontificem maximum: num reuertendum sibi esset ad Ecclesiæ regimen: an in monasterio vbi secesserat permanendum. Rescripsit Pontifex fore ipsi consultius, & Ecclesiæ vtilius, si ad propriæ sedis gubernacula rediret. Ille igitur Apostolicæ Sedis oraculo, quasi viuæ Christi voci humiliter obsecutus, ad Ecclesiam suam reuersus est, quam incredibili solatio recreauit: damnáque resarciuit eiusdem, & dedecora sub hac incursione illata, absterſit: quin & maiora quàm antea eidem indidit diuinæ œconomiæ ornamenta. Demúmque cùm Christi oues in intellectibus manuum suarum mira prudentia & sanctitate pauisset, multis meritis ditatus, æternam abiit ad

FELIX. gloriam. Eodem die S. FELICIS Episcopi & Confessoris, qui Gallus origine, è Burgundia in Britanniam maiorem traiiciens, in Orientali Anglia populum superstitionibus variis adhuc implicitum, veræ religionis luce illustrauit, salutísque in viam direxit. Cúmque fructum multiplicem credentium populorum, pius agri spiritualis cultor excitasset, totámque illam prouinciam, iuxta sui nominis arcanum omen, à longa infelicitate & iniquitate liberasset: accepta à beato Honorio Metropolita Cantuariensi sede, Episcopatus in ciuitate Dummoch: septemdecim annos ibi maxima cum benedictionis copia præfuit, ibidémque in pace temporali vita consumpta, felix feliciter ad

cœlestis & æternæ vitæ gaudia euolauit. *Et alibi in Gallia, aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

OBIIT eodem die Villarij in Gallia Belgica piæ memoriæ HENRICVS de Marilis eiusdem cœnobij Subpræfectus, de quo illud pro laudis cumulo legitur, quod semper opere impleuerit, quæ ab aliis statueret facienda: magisque se præbuerit amabilem quàm metuendum, verè filius pacis & eximius cultor humilitatis.

Septimo Idus Martij. Luna

9 E XXII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9			

LVTETIÆ, Remis, Viennæ, Lugduni, Bituricis & vbique fermè in Gallia celebratio natalis Sanctorum QVADRAGINTA MARTYRVM, qui Sebaste in Armenia sub Licinio Cæsare Ethnico, illustri martyrio pro Christianæ pietatis assertione perfuncti, suo numero & coronis ieiunium sacræ Quadragesimę, in quo passi sunt, triumphando nobilitârunt. *SS. Martyres Quadraginta.* Aruernis susceptio S. APRVNCVLI Episcopi & Confessoris, qui ex Lingonensi præsulatu, magno cum virtutum fulgore transiens ad hanc Cathedram, eximiæ sanctitatis radiis eam illustrauit, deinde sacri muneris locupletatus fœnoribus cœlestis aulæ perrexit ad gloriam. *Apruncvlus.* Item ibidem sancti ALEXANDRI Confessoris, de cuius tumulo infirmorum necessitas eraso puluere consequitur sospitatem. *Alexander.* *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

F. GVIDO de Longimello ordinis Prædicatorum in partibus transmarinis Euangelium disseminans Saracenorum gladio obtruncatus, pro Christo fortiter ac feliciter occubuit circa annum salutis 1264. *Guido.* Eodem die obitus piæ recordationis HENRICI: qui Odonis Burgundiæ Ducis filius, patrui Hugonis Ducis exẽplum mirabile imitatus (qui resignata fratri Dynastia, cœlesti amore mundum relinquens, habitũ religiosæ paupertatis induerat) sæcularis principatus sprêta gloria, humilitatis Christianę disciplinam amplexus est, factúsque in Cisterciensi cœnobio monachus, ibi sanctissima sua conuersatione & Angelicæ puritatis exemplo, cæteros quos ortus claritate anteibat, sic supergressus est: vt ad religiosæ perfectionis culmen viam quibúsque ostenderet. *Henricus.* Sicque ad extremum vsque progrediens, felici transitu ad patriam Sanctorum peruenit peroptatam.

Sexto Idus Martij. Luna

10 F XXI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10			

SS. ATTALAS. IN Burgundia Luxouienſi Cœnobio ſancti ATTALÆ Abbatis & Confeſſoris diſcipuli ſancti Columbani. Hic nobilis genere, ſed ſanctitate nobilior, perfectè magiſtri veſtigia ſecutus eſt: Cuius perdignus ſucceſſor vt ſedulus imitator fuit. Vir ſingularis in Deum feruoris, ac profuſæ in pauperes charitatis: ſuperbis rigidus, humilibus ſubditus, ſapientibus deferens, ſimplicibus myſtica aperiens, Orthodoxis benignus, cõtra hæreticos animoſus, fortis in aduerſis, ſobrius in proſperis, diſcretus in verbis, temperatus in factis. Hic nunquam à bona operatione ceſſauit: ſedulo enim inſtitit vt Chriſto obſequeretur, cui vt complaceret, in eius amore & timore ſubditos direxit, hóſque in cœleſtis patriæ tranſitem, continua pietatis inſtantia perduxit. Quibus dotibus inſignis, ſanctis affectibus plenus, miraculis etiam plurimis conſpicuus, accepta diuinitus inſtantis ſuæ diſſolutionis reuelatione, poſt deuotam crucis adorationem, & diuinæ Maieſtatis iteratam collaudationem: admonitis ad perſeuerantiam fratribus, ſecurus non modò de venia, ſed & de proxima gloria, hoc ex ſæculo diſceſſit: Sanctíſque quorum conſortium ardenter concupierat æternùm aſſociatus eſt. DROCTOVÆVS. Lutetiæ Pariſiorum ſancti DROCTOVÆI Abbatis Pratenſis, beati Germani ſanctiſſimi ipſius vrbis Epiſcopi, diſcipuli. Is primò Monachus ſancti Symphoriani Æduenſis ſub ipſius beati Præſulis tum Abbatis magiſterio: Lutetiam Pariſiorum ad eum ſubinde profectus, religioſæ profeſſionis vota in ſancti Vincentij nuper conſtructi cœnobio, ſub Authario, primo Abbate loci illius excoluit. Quo ad ſuperna euocato, in vicem eius digna ob merita ſubrogatus, duplicem ſpiritum ſortitus ſanctitatis, mirabili virtutum fulgore ipſum monaſterium illuſtrauit: iiſque ſacræ diſciplinæ ſtudiis gubernauit, quibus magna quæque ſui æui lumina in ſui admirationem pariter ac venerationem pertraheret. His progreſſibus ſanctus vir quotidie ad ſuperna tendens, tandem benè decurſa Euangelicorum conſiliorum palæſtra, & adductis ad Dominum quos multos religioſa ſub diſciplina pepererat filiis,

pius pater cœlestis & æternæ vitæ perrexit ad præmium. Latiniaci in eodem territorio sancti ÆMILIANI Abbatis itidem & Confessoris, qui ex Hibernia in Gallias ea occasione transiens, quod à sancto Furseo sub cuius magisterio sacræ religionis elementa imbiberat, monasticæ vitæ studia propagari audierat: pias suppetias ferendi causa ad ipsum profectus, se iterum eius asseclis adiunxit. Quem cùm eius perspectam haberet sanctimoniam Beatus Furseus, monasterio quod Latiniaci Clotarius Rex nuper suo hortatu condiderat, præesse iussit; ratus fausta fore primordia huius cœtus, cuius vir tantæ religionis regimen teneret. Nec abs re. Æmiliani enim ductu, breui tempore noua hæc societas, copioso religionis decore ornata emicuit: tantúmque subinde in Christiana Philosophia profecit: vt nonnullos cœtus annosiores fama sanctitatis vinceret. Cæterùm Æmilianus tantæ prouectionis opifex, vberi adeo fructus exultatione plenus, manipulos messis Dominicæ referens copiosos, ad æternum euectus est gaudium. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. Æmilianus.

In Lemouicensi tractu Obazinæ Cœnobio, Beati STEPHANI Abbatis, qui natione Gallus, patria Aquitanus, ex honesta ortus familia, patre Stephano, matre Gunsberta, ab ipsa pueritia in Dei cultum propensus, literísque bonis expolitus: matura deinde ætate, ob doctrinæ & pietatis gratiam, ad sacerdotium prouectus, Deo vt purius & liberius seruiret, in solitudinem Obazinæ cum socio Petro abiens se reclusit: vbi cùm Angelicam vitam ageret, tantæ virtutis promulgatâ famâ, multi cœlestis vitæ desiderio ad eum confluxerunt, quibus vt pios eorum promoueret affectus, monasterium construxit, regulámque Cistercciensium ex Eugenij III. Papæ (qui venientem ad se, Remis dum ageret, Stephanum, ob sanctimoniam spectatam admirationi habuerat) beneplacito, de consilio etiam Carthusianorum delectam, seruandam dedit: aliáque quinque monasteria eiusdem instituti studiosus religionis propagator condidit. Vir totus Deo deditus, austerioris vitæ studia sectatus, diu carnem tribus ferreis circulis constrixit, quibus fractis loricam ferream adhibuit: quæ cùm sæpè etiam fracta esset, monitus est à quodam monacho, hanc non esse Dei voluntatem, vt vltra se huiusmodi cruciatus genere maceraret. Humilitatis adeo fuit amans, vt vilia quæque culinæ munia libenter obiret, Fratrúmque reliquiis vesceretur. In pauperes totis ex visceribus profusus, omnia ferè his erogabat: tempore famis omnes inopes pane & pulmento pascebat. Cui copiosæ misericordiæ diuina bonitas opitulata est. Cùm enim ad tres dies duntaxat triticum superesset, eius oratione, vsque ad tempus messis Deus annonam multiplicauit. Silentij tenacissimus fuit, adeo vt seruandi illius studio, aliquando in latrones incidens, capitis periculum incurrerit, à quo tamen diuinitus seruatus est. Multa denique miracula cùm in vita tum post mortem operatus est, quorum frequentia apud Deum se viuere perenniter manifestat. Item prope Liram in Bratantia beatæ CHRISTIANÆ Virginis, quæ in monasterio Nazareth, tota religiosæ perfectionis studio & meditationi addicta, miris vitæ spiritualis editis progressibus, sanctissimo fine quieuit: æternámque beatitudinem adepta est, quam ei prædixerat, atque ex parte Dei promiserat beatus Bartholomæus eiusdem cœnobij religiosus, cœlesti lumine irradiatus. Stephanus. Christiana.

Quinto Idus Martij. Luna

11																G XX.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	30	1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11			

SS. VIGILIVS. IN tractu Compendienſi in ſylua Cotia, trophæum ſancti VIGILII Epiſcopi Autiſſiodorenſis & Martyris, ibi ab Ebroini tyranni ſatellitibus illiúſque iuſſu, ob pietatis & iuſtitiæ cultum, crudeliter necati. Hic beatus Antiſtes genere nobilis & ſanctitate præclarus; Palladio notæ etiam ſanctitatis præſuli, in regimine illius Eccleſiæ ſuccedens, totus in id incubuit, vt quem Apoſtolus expreſſit Epiſcopum, ſanctiſſimis moribus, caſtiſſimáque religione imitaretur. Pauperum pater Ptochodochion condidit: Religionis fautor eximius monaſterium in ſuburbano Autiſſiodori conſtruxit, quod pluribus ditatum muneribus in honore ſanctæ Dei genitricis dedicauit. Iuſtitiæ animoſus zelator, oppreſſorum defenſor ſtrenuus, Cleri pius vindex, ac populi verus amator extitit: propter quos paſtore optimo dignos affectus, in odium inimicorum iuſtitiæ incidit: efferatámque rabiem prædicti Tyranni, qui pios quoſque Epiſcopos perſequebatur, expertus eſt: Cuius quòd impia ſcelera vigore ſacerdotali redarguiſſet, ab Vvarachone ab illo miſſo ſicariorum duce, cùm ab aula rediret ſanctiſsimus Præſul, dirè ac impiè trucidatus, reddita Deo anima, aureolam gloriæ obtinuit perennem. VINDICIANVS. Cameraci & Attrebati ſancti VINDICIANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui poſt ſanctum Autbertum vtrique ſedi coniunctæ maxima cum Chriſti gloriæ acceſsione, ac vtriuſque Cleri & populi vtilitate præfuit. Hic enim vir beatiſsimus poſt tantum ſidus apparens, non minoris virtutis, doctrinæ, pietatiſque ſplendore gregi ſuo præluxit: deuotus in ſanctam Deiparam baſilicam Cathedralem Attrebatenſem, in eius honorem, Theodorici Regis ſubuectus munificentia, ſumptuoſa ſtructura erexit, copioſo cenſu ſuffulſit, eximiiſque ornamentis decorauit. Monaſterium etiam prope Cameracum condidit, quod ſancti Petri memoriæ, vna cum ſancto Lamberto Epiſcopo Tungrenſi ſibi amiciſsimo conſecrauit. His cùm diuinæ gloriæ officiis ſtuderet Vindicianus, contigit vt beatus Leodegarius Æduenſis Antiſtes, ab Ebroino prælibato Aulæ regiæ Magiſtro relegatus, ab eiuſdem emiſſariis intra

Cameracensis diœcesis confinia crudelissimè necaretur: cuius, nobilissimi martyrij laurea coronati, pretiosum corpus, cùm non potuisset, vt plurimum optabat retinere (Ansoaldo scilicet Pictauiensi Præsuli, per diuinam dispositionem, tanto pignore donato) ita dignus fuit, qui paulò pòst, beatam Maxellendem, à sponso suo Harduino, ob amorem castitatis interemptam, diuinitus referre iuberetur è villa Pommeriolas ad locum interfectionis, qui & nunc vsque ipsius passionis titulo insignitur. Demùm vir Dei, post ætatem gloriosè in Pontificatu exactam, cùm ægrotaret apud Broxellam diœcesis suæ villam, iussit se transferri ad montem sancti Eligij, vt cui intimo amicitiæ nexu viuens coniunctus fuerat, moriens etiam corde ac corpore inhæreret, sicque ad extrema perueniens, præclaris virtutum onustus spoliis, ad cœlestia tabernacula migrauit. In Ambianis sancti FIRMINI Abbatis, qui vitam ibi monasticam sanctissimè coluit, & postquam multos filios Christo peperisset, sub regulari disciplina, piis laboribus perfunctus quieuit feliciter in Domino. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* FIRMINVS.

IPSO die obiit in Claraualle beatæ memoriæ IVLIANVS Monachus, vitæ morum puritate & literarum eruditione clarissimus, qui ex ordine sancti Augustini, rigidioris disciplinæ affectu, ad Cisterciensem transiens ordinem, molesta immundorum spirituum infestatione, orationibus & ieiuniis assiduis superata, tandem copiosis ditatus sacræ militiæ meritis, æternæ gloriæ consecutus est donatiuum. *Iulianus.*

Quarto Idus Martij. Luna

12 A XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
30	1	2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12			

SVESSIONE festiuitas sancti GREGORII Papæ cognomine magni, Doctoris Ecclesiæ egregij, cuius sacrum corpus ibidem in monasterio sancti Medardi magno honore repositum est. At Senonis caput eiusdem venerandum, condigno cultu seruatur, in monasterio sancti Petri: vbi ab Ansegiso Metropolita huius sedis, qui id Ioannis Papæ dono acceperat fauore Caroli Calui Christianissimi Regis ac Imperatoris, dudum religiosa pompa reconditum fuit. Eodem die Leonij in Armorica sancti PAVLI Episcopi eiusdem oppidi & Confesso- SS. GREGORIVS. PAVLVS.

ris, cuius vitæ ſanctimonia, ieiuniis, orationibus, humilitate, miraculis, clara refulſit. Is ſancti Samſonis ſocius in Britannia Ciſmarina natus, à patre Perſio, beato Hilduto erudiendus traditus, bonis moribus & ingenij præſtantia coætaneos ſuos longè ſuperauit: doníſqne ſupernæ gratiæ præuentus, iámque miraculis inſignis, timens ne vana gloria intumeſceret, annos duntaxat quindecim natus in eremum ſeceſſit, ibíque ſibi oratorium & cellam conſtituens Angelicam vitam inſtituit. Cúmque ſanctitatis meritis quotidie diteſcens ad ætatis & gratiæ plenitudinem perueniſſet, ſacerdotio inuitus initiatus, ordinis dignitatem, excellentis ſanctimoniæ ſplendore exornauit, cuius fama cùm vbique perſonaret, à Marco Rege accerſitus per Legatos; ipſum, ſubiectúmque ei populum, Chriſtianis ſacris nuper imbutum, adhúcque non ſatis eruditum, pleniùs in Chriſti fide, religioníſque ſacroſanctæ myſteriis, edocuit. Hinc Angelico monitu ad Oſſam Inſulam ſecedens, multos illic infideles ad veræ pietatis lumen perduxit: vbi ingenti dracone diuina virtute interempto, oblatum à Vinthuro Principe Epiſcopatum, vigore pleno humilitatis recuſauit. Sed ab eo pia fraude circumuentus, cum arcanis epiſtolis quæ electionem ipſius ratam fieri depoſcebant, ad Childebertum Regem legationis ſpecie deſtinatus, multáque honorificatione ab ipſo Rege ſuſceptus, quem fugiebat, Epiſcopatum admittere coactus, à tribus Epiſcopis iuxta morem Apoſtolicum ordinatus eſt: ſedéque Leonij, Regis decreto, conſtituta, illuc progrediens, totius populi exultatione ſuſceptus, plurima tempora ibi eximia pietate tranſegit, demúmque Eccleſiâ glorioſè adminiſtrata, ſanctíſq. inſtitutis exornata, paſtoralis curæ digniſſimè expleto officio, feliciter in Domino requieuit. Cuius corpus à Mabbone ſucceſſore multis dehinc annis ad Floriacenſe cœnobium (vitandæ Normanicæ cauſa procellæ) tralatum, diù ibidem ſumma veneratione habitum eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Edmundus. EODEM die Pontiniaci denaſcirur beatæ memoriæ EDMVNDVS Monachus, vit eximiæ ſanctitatis & doctrinæ. Item Villarij in Belgio GREGORIVS loci *Gregorius.* illius Prior, vit Angelicæ puritatis. Obiit & DIONYSIVS Carthuſianus do- *Dionyſius.* ctor Extaticus; cuius corpus miraculis coruſcans, nuper è terra leuauit Henricus Epiſcopus Ruremundenſis. Eodem die in cœnobio portæ Angelicæ Moſellani tractus. ſancto fine quieuit BEATRIX Virgo ſanctimonialis, ordinis præ- *Beatrix.* monſtratenſis, Angelicis moribus diuiníſque dotibus præclara.

Tertio Idus Martij. Luna

13 B XVIII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30
t u A B C D E ſ F G H M N P
1 2 3 4 5 6 7 8 8 9 10 11 12 13

IN agro Toloſano ſancti STEPHANI Abbatis & Martyris ob fidei zelum ab hæreticis trucidati, vtque in vita virtutibus & doctrina illuſtris: ſic poſt agonem miraculis glorioſi. Hic ſtrenuus Chriſti pugil cùm in ordine ſancti Benedicti (cuius primùm inſtituta amplexus fuerat) factus Abbas, multa virtutum inſignia edidiſſet: ex magno, minor, ſtudio humilitatis fieri cupiens, ad ſancti Franciſci ordinem tranſmigrauit. In quo velut ſydus nouum irradians admirabili pietate & doctrina, nec minùs fidei & religionis ardore; aduerſus hæreſes delectus Catholicæ veritatis vindex, dum confutandis impiæ ſectæ erroribus, atque animabus his ex tenebris eruendis, magno zelo intenderet: ab hæreticis qui verba ſalutis audire non ferebant modis omnibus exagitatus, ac tandem quòd non deſiſteret à pio opere, dirè trucidatus, palmam immortalis gloriæ, & vitæ æternæ coronam in conſtanti fidei prædicatione feliciter percepit. Item ibidem Toloſæ, Octaua ſancti THOMÆ Aquinatis. Brugis repoſitio ſancti BONIFACII Epiſcopi & Martyris viri prorſus Apoſtolici: cuius trophæum glorioſum ipſo die quo agonem peregit, vnà cum EBOANO Epiſcopo & aliis viginti ſeruis Dei, ab Eccleſia Catholica anniuerſario cultu quotannis celebratur Nonis Iunij. Niuernis ſancti VINCENTII Preſbyteri & Confeſſoris, qui rerum humanarum deſpicientia & magnitudine pietatis excellens, poſtquam in religiosè actis toto vitæ curriculo profeciſſet, plena iuſtitiæ frugum meſſe collecta, lætus ad ſuperna gaudia emigrauit. Eodem die in Cœnobio Romerici-montis, diœceſis Tullenſis tranſitus S. MACTEFLIDIS primæ eiuſdem loci Abbatiſſæ, quæ illic ob egregia pietatis ac puritatis exempla, numeroſæ Virginum turmæ ad exemplum præfecta, à ſanctis Amato & Romarico, poſt biennium in ſacro regimine laudabiliter expletum, ditata meritis conſpicuæ ſanctitatis, ad Chriſtum, præmianda beatitudinis æternæ munere, feliciter migrauit. Cuius anima in cœlis glorioſa cum centum circiter ſororibus eiuſdem Cœnobij, ab ipſomet beato Romarico, aliquot dies ante-

SS. STEPHANVS. THOMAS. BONIFACIVS. EBOANVS cum viginti. VINCENTIVS. MACTEFLIDIS.

quam is mortalitatem exueret, visa est. Ipso die Cluniaci translatio sacrarum reliquiarum S. CONSORTIÆ Virginis, S. Eucherij Episcopi Lugdunensis ante præsulatum coniugati filiæ, cuius festa depositionis dies colitur decimo Cal. Iulij. Item Carnuti in cœnobio sancti Petri de Valle susceptio pretiosi corporis sanctæ SOLINÆ Virginis ex Aquitania. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

CONSORTIA. SOLINA.

EODEM die in Triumfontium Cœnobio præsulatus Catalaunensis obiit piæ memoriæ EVSTACHIVS de Hu sanctæ Iuettæ filius, cuius patribus iterum Christo genitus, à flagitiosa vita ad pœnitentiam admirandam conuersus, regularis vitæ disciplinam amplexus, postquam austeritate multiplici piacula præterita eluisset: copiosáque accumulasset in Christi obsequio merita, placido fine conquiescens, migrauit ad æternas aulæ cœlestis mansiones.

Eustachius.

Pridie Idus Martij. Luna

14 C XVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14			

TOLOSÆ Miraculum imaginum lignearum duodecim sanctorum APOSTOLORVM, quod contigit in basilica sancti Saturnini. Eodem die Carnuti ordinatio sancti LEOBINI eiusdem ciuitatis Episcopi & Confessoris: cuius natalis dies celebris est Sextodecimo Septembris. In Narbonensi territorio, Cœnobio fontis frigidi gloriosus occasus gloriosi Christi athletæ, beati PETRI de Castronouo ordinis Cisterciensis alumni, qui strenuus fidei Catholicæ vindex, hæreticos cum zelo Apostolico redargueret, ab iisdem ferali mucrone confossus, gloriosa morte, prædicatione veritatis obsignata, ad immortales triumphos æternùm beandus euolauit: signísque præclaris post agonem diuinitus illustratus, fidem quam viuus verbis & virtutibus propugnauerat, meritis post mortem diuinæque adstipulationis indiciis confirmauit. Lugduni translatio sancti BONAVENTVRÆ Doctoris Ecclesiæ Seraphici, in qua, sexaginta annis post obitum peracta, capite integro, planéque ea specie qua humatum fuerat sacrum eius corpus inuentum est, ne capillis quidem exesis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SS. Duodecim APOSTOLI. LEOBINVS. PETRVS. BONAVENTVRA.

F. IOANNES cognomento Hungarus, ordinis sancti Dominici, Episcopali ornatus (ad Apostolicum munus perfectiùs obeundum) dignitate: in Prouincia Tolosana ab hæreticis lapidatus & lancea confossus, cum aliis quinque eiusdem instituti fratribus, martyrium gloriosum consummauit.

Ioannes.

Idibus Martij. Luna

15 D XVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15			

SENONIS commemoratio LONGINI Martyris, qui latus SS.
Domini in cruce pendentis lancea perforauit: cuius fer- LONGINVS.
rum, nobile partæ ſalutis monumentum, Lutetiæ Pariſiorum
in ſacroſancta Regij Palatij Capella, cum cæteris paſſionis Do-
minicæ inſigniis, à ſancto Ludouico collocatum, magna ibi
veneratione hodiéque ſeruatur. Leodij memoria ſancti LV- LVCAS.
CÆ Euangeliſtæ. Diuione ſancti TRANQVILLI Abbatis & TRAN-
Confeſſoris, qui multorum monaſteriorum Pater Sanctiſſimus QVILLVS.
omnium virtutum gloria decorus, ſubditos præclaris exem-
plis informauit: demúmque cum Cœnobio proximè poſt ſan-
ctum Euſtadium pari pietatis & prudentiæ laude præfuiſſet, in-
genti meritorum parto cumulo felicitatem conſecutus eſt ſem-
piternam. Tanta autẽ cum ſanctitatis exiſtimatione mortalium
è conſortio exceſſit, vt dignus habitus ſit, qui ſancti Benigni
Martyris inclyti fieret conſors tumuli: ad cuius læuam di-
gna honorificentia ſepultus, glorioſus enituit perpetim co-
ruſcantis ibi diuinæ virtutis ſplendore, vt ſanctus Grego-
rius Turonenſis, opitulationis eiuſdem beati gratiam exper-
tus, luculento prodidit teſtimonio. *Et alibi in Gallia aliorum
plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque San-
ctarum Virginum.*

IN Bonæuallis cœnobio diœceſis Viennenſis obiit IOANNES Monachus, *Ioannes.*
ſancti Hugonis eiuſdem cœnobij Abbatis egregius diſcipulus, vir non tantùm
piis moribus & literarum peritia clarus, ſed & prophetiæ dono inſignis. Eodem
die hominem etiam exuit piæ memoriæ MILO quartus Abbas ſancti Maria- *Milo.*
ni Autiſſiodorenſis, ſanctitatis opinione celebris.

Decimo septimo Kalend. Aprilis. Luna

15 E xv.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16			

SS. TETRICVS. AVTISSIODORI paſſio ſancti TETRICI Epiſcopi eiuſdem ciuitatis, qui primùm Abbas ſancti Germani, vbi miris enituit virtutibus: deinde ob pietatis & probitatis ſplendorem ad ſolium Epiſcopale tranſlatus, ſanctimoniæ multam tantæ dignitatis faſtigio acceſſionem fecit: Eccleſiámque ſuam cœleſtis planè conuerſationis decorauit inſigniis. Cùm autem per annos circiter ſexdecim maxima cum gregis vtilitate præfuiſſet, inſidiosè à pſeudo Clerico, cuius ſcelera carpebat impetitus; gladióque, cùm ſopore grauatus in ſella requieſceret, impiè tranſuerberatus eſt: ſícque in innocentia & patientia animam ſuam poſſidens, ad Agni Chriſti cœleſtem triumphum pertranſiuit. Claromonte Aruernorum depoſitio PATRICIVS. ſancti PATRICII Epiſcopi & Confeſſoris, cuius quamquam geſta ſint obſcura, ſanctitas tamen explorata, ibi ipſius memoriam vbi defunctus eſt, perpetuæ venerationi conſecrauit. ISICIVS. Viennæ Allobrogum ordinatio ſancti ISICII Epiſcopi, ſancti Mamerti ſucceſſoris, cuius felix tranſitus colitur pridie Idus Nouembris. Marcianis in Hanonia ſub præſulatu Attrebatenſi, EVSEBIA. ſanctæ EVSEBIÆ Virginis Hamaticenſis cœnobij Abbatiſſæ, ordinis ſancti Benedicti: quæ ſanctæ Rictrudis filia, ſancti Amandi diſcipula, poſt ſanctam Gertrudem proauiam ſuam præfecta huic cœnobio, magna ibi ſeptiformis gratiæ coruſcatione refulſit: demúmque lampade oleo miſericordiæ & puritatis accenſa, ad ſponſi cœleſtis occurſum pio fine excedens properauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Constantius. IN Claræuallenſi cœnobio obiit bonæ memoriæ CONSTANTIVS Conuerſus, cuius virtutes & præclaras conuerſationis dotes, ſanctúmque obitum B. Bernardus nobili præconio celebrauit. Item Villarij in Namurcenſi Epiſco-*Gumarus.* patu, glebam mortalitatis exuit GVMARVS Monachus, quem vitæ puritas ad ſublimem contemplationis gradum euexit, pieráſque admiranda ad immortalis gloriæ extulit donatiuum.

Decimo

Decimo sexto Kalend. Aprilis. Luna

17 F XIV.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4
t u A B C D E f F G H M N P
5 6 7 8 9 10 11 12 12 13 14 15 16 17

CABILONE Æduorum ſancti AGRICOLÆ Epiſcopi & Confeſſoris viri magnæ abſtinentiæ & ſanctitatis, qui genere Senatorio ortus, eloquentia & prudentia inter conciues præſtans, plurima religionis luce illic dum polleret, demortuo beato Ioanni ſedis huius Epiſcopo, omnium votis in eius locum ſublectus, præclaris virtutum ornamentis Eccleſiam commiſſam illuſtrauit, fabrica eleganti extruxit, egregiáque munificentia ampliauit. In pauperes amore viſcerali affectus, miſericordiæ officiis eorum inopiam ſubleuauit. Iuſtitiæ eximius amator, diſciplinæ ſtrenuus vindex, Galliæ ſacris Comitiis reſtituendæ morum, cum Cleri, tum populi, puritatis ſtudio, ſæpius interfuit; quibus ſpectatæ ſanctimoniæ & doctrinæ auctoritate magnum dignitatis decus, quin & latis illic legibus pondus præcipuum indidit. Denique vir Deo amabilis, Sanctis etiam coæuis impensè dilectus, diebus & bonis operibus affluens quieuit in Domino anno ætatis octogeſimo tertio, Epiſcopatus quadrageſimo octauo. Eodem die Niuellæ in Brabantia ſanctæ GERTRVDIS Virginis, huius cœnobij Abbatiſſæ, quæ nobiliſſima ſtirpe orta, filia Pipini domus Regni Auſtraſiæ Principis, mundum alta mente deſpiciens, ſuaui Christi iugo tenera adhuc puella religiosè colla ſubiecit: móxque à patris obitu, perpetuæ virginitatis ſolemni voto edito, à ſancto Amando notæ ſanctitatis Antiſtite, cœleſti ſponſo deſponſata, ritúque ac ſpiritu Apoſtolico conſecrata: vnáque cum matre piorum filiæ ſtudiorum prouectrice, ſacro velamine amicta, miros in ſanctitate progreſſus fecit: fidei verò propagandæ cupida, accitos ex Hibernia eximios Dei præcones Foillianum, Vltanum & alios ſummo honore excepit, materno affectu ac ſubſidio ſuſtentauit. In pauperes & peregrinos mira charitate flagrans, cura ac ope profuſa eoſdem complexa eſt. Chriſtum Dominum eo amore dilexit, vt promeruerit ab eo audire ſe gratiſſimum ipſimet hoſpitium in ſuo corde adornaſſe. Demum perfecta virtutis coronide conſertâ, immenſis piè factorum ornata monilibus, ſanctiſſima virgo ad cœleſtis thalami perennes delitias diuinitus inuitata perrexit: multíſque poſt felicem

SS. AGRICOLA.

GERTRVDIS.

occasum refulsit miraculis. Eodem die in agro Parisiensi Kalensi coenobio, translatio S. BATHILDIS Reginæ, eiusdem monasterij fundatricis munificæ, ac humilis deinde Sanctimonialis: tandémque etiam tutelaris. Item in Æduis apud Flauiacum asceterium eleuatio reliquiarum S. REGINÆ, cui cultus illic copiosus à fidelibus rependitur, ad eius opitulationem concurrentibus, ob miram fontis virtutem, qui meritis eius, morborum vim curandorum mirabilem recepit, perenniterq. poscentibus opem virginis, medelam impendit salutarem. Eodem die Lyræ in Brabantia translatio S. GVMARI Confessoris, cuius festa dies transitus agitur 11. Octobris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum*, &c.

Bathildis. Regina. Gumarus.

CLARÆVALLIS ipsomet die piè obiit CONRADVS Monachus filius Henrici Ducis Bauariæ, vir sanctissimæ conuersationis.

Conradus.

Decimo quinto Kalend. Aprilis. Luna

18 G XIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18			

SS. Gabriel. Gilduinus.

FESTVM venerationis S. GABRIELIS Archangeli, sanctissimæ Deiparæ custodis, necnon redemptionis nostræ paranymphi, apud sacras familias omnium ferè ordinum in Galliis iam dudum valde celebre. Carnuti eleuatio S. GILDVINI Episcopi electi Dolensis Confessoris, qui cùm ante virilem ætatẽ perfectæ virtutis culmen, miris iustitiæ studiis ac actib. conscendisset: nec minùs Christianæ sapientiæ quàm pietatis charismatib. cœlitus decoratus fulgeret, sede Episcopali Dolensi, expulsione Iohondi vitæ solutioris Episcopi, vacuata Præsule, vt nutantis in ea disciplinæ ferè collapsum, præstanti qua pollebat virtute, fulciret statũ, omnium desiderio expetitus, ac suffragio deniq. vnanimi electus Antistes: Multa ipsimet Ecclesiæ solatia, vigilantis Pastoris studiis ac affectibus, etsi non cõsecratus impendit. At paulò pòst, reatus in canones imprudenter admissi: quòd ante legitimã ætatẽ præesse non penitus recusasset, stimulis compunctus, Romámque profectus, ob ipsum ætatis defectũ, curam Gregorio VII. lubẽtor Episcopatus renũtiauit. Hinc verò quo puriores, soli Christo, cætero vitę decursu, exhiberet famulatus, Carnutum se recepit apud monasterium sancti Petri de Valle, vbi religioso schemate suscepto, miros in omni pietate progressus edidit, donec in perfecta sanctitate vita consummata, ad repositam filiorum Dei hæreditatem lætus de imminenti gloria profectus est. Ipso die Cistercij commemoratio sancti CHRISTIANI Episcopi

Dunensis & Confessoris, qui primùm sancti Malachiæ discipulus, póstque eius obitum sancto Bernardo adhærens, sub eius disciplina magister ipse pietatis eximius euasit. Deinde ad gentem suam in Hiberniam reuersus, religiosæ vitæ studia ferè collapsa, miræ sanctitatis exemplis, ac pietatis propagandæ zelo intentissimo illic renouauit, adeóque prouexit plurimùm. Vnde cùm omnibus admirationi esset, raptus à claustrali solitudine, ad Episcopatus Dunensis regimen, omnes boni eóque nomine digni Præsulis partes expleuit, in ieiuniis assiduus, orationibus intentus, erga pauperes effusus, in totius gregis salute procuranda nauus & peruigil: donec à Domino vocatus fidelis seruus & prudens, villicationis suæ strenuè ac sincerè exactæ perennia suscepit in gaudio cœlesti præmia. In cœnobio sanctimonialium beatæ Mariæ de Barra Suessionensis diœcesis reseratio, ac repositio corporis beatæ PETRONILLÆ Virginis facta per Focaldum Suessionensem Episcopum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. Petronilla.

Decimo quarto Kalend. Aprilis. Luna

19 A XII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
7	8	9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19

IN Territorio Æduensi Monasterio Vezeliaco translatio sanctæ MARIÆ MAGDALENÆ: in qua solemnitate (quæ semper in Quadragesima occurrit) concessit ad ampliorem tantæ cœlestis venerationem Innocentius Papa III. vt hymnum Angelicum *Gloria in excelsis*, liceat decantare. SS. Maria Magdalena. Apud Santonenses sancti LEONTII Episcopi sancti Palladij successoris sanctorum amicitia & imitatione clari: qui cùm egregiis moribus Clerum informasset, templa eximiis structuris exornasset, gregem sanctæ vitæ exemplis in semitas salutis deduxisset, meritis diues ad superna gaudia gloriosè transmeauit. Leontius. Eodem die in portu Gandauensi depositio S. LANDOALDI Presbyteri & Confessoris, qui deuotionis causa Romam ad Apostolorum limina profectus, apud sanctum Martinum Pontificem & Martyrem, propter insignem eruditionem suam & vitæ sanctimoniam, tanta in existimatione fuit, vt Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter ordinaretur. Landoaldus. A quo postmodum coadiutor sancto Amando Traiectensi Præsuli, subsidiarium petenti, datus; cùm in

Belgicam Galliam perueniſſet, innumerabilem incolarum multitudinem ab ethnica ſuperſtitione, ad Chriſti cultum, ſalutari prædicatione conuertit. Epiſcopalis etiam curæ munia ſuſtinens (quam ferè nouennium, vice Amandi excidendis infidelitatis reliquiis occupati, obiit:) Eccleſiam Traiectenſem præclaris inſtitutionibus, variiſque myſticæ œconomiæ ornamentis decorauit. Inſuper & ſanctum Lambertum puerum, cui Deus geminam Epiſcopatus & martyrij coronam parabat, ſibi erudiendum traditum, alter Elias Eliſeum, ſanctis moribus, quibus poſtea mirè claruit informauit. Signis etiam emicuit plurimis, tandémque omni ſanctitatis laude conſpicuus, plena meritorum meſſe collecta, ad ſuperna æternæ quietis tabernacula, euocatus eſt, atque eius quam apud Deum in cœlis habet gloriæ, magnifica oſtendit in ſepulchro, ad piorum clientum leuamen inſignia. Eodem die ibidem eſt etiam celebris memoria ſancti AMANTII Confeſſoris eiuſdem ſancti Landoaldi, Diaconi, necnon è ſacro fonte filij: peregrinationíſque comitis, & ſuſceptæ Apoſtolicæ diſpenſationis præcipui adiuuæ, miraculis quoque coruſcantis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

AMANTIVS.

Hugo.

EODEM die Lugduni exceſſit è mortalitatis ſtadio HVGO de ſancto Theodorico ordinis Prædicarorum: qui patria Galloburgundus, è vico Barchinoneta in Ebreduni Epiſcopatus diſtrictu, velut oliua à primæua ætate in domo Dei plantatus, egregios edidit ſcientiæ ſaluris fructus. Primus ex ſancti Dominici familia qui Doctorarus Theologici lauream promeruit: atque primus inter Eccleſiæ cardines ab Innocentio quarto in Concilio Lugdunenſi cooptatus, mira Eccleſiæ afflictæ ſubſidia contulit: quam etiam ſcriptis luculentis illuſtrauit, edita in vniuerſam ſcripturam gloſſa iuxta ſenſum quadruplicem: memorandóque opere Concordantiæ Bibliorum, copioſo, perennique Chriſtianæ Reipublicæ commodo. Porrò vir inſignis, ſanctis moribus non minùs quàm ſapientiæ decore purpuram ſacram exornauit: qua adepta nihil omnino remiſit de accuratiſſima inſtituti prioris diſciplina: quin & verus humilitatis amator, prouectionis ſuæ vicem ſæpè ſic doluit, vt etiam in extremis poſitus digna cedro verba hæc exprompſerit: *Maluiſſem potiùs morbo elephantino, in ordine meo captum egiſſe vitam, quàm mihi galero iſto caput ornari.* At qui temporalem honorem intimo humilitatis affectu ad extremam vſque horam contempſit: perennem gloriæ ideo conſecutus eſt apud Deum (quem religioſiſſimè ſemper coluit) inter cœli cardines euectus, ſplendorem. Item ipſo

Abundus. die obiit Villarij in Brabantia ABVNDVS Monachus vir candore morum, ſtudio

Emebertus. religionis & prophetiæ dono illuſtris. Eodem die obiit piæ memoriæ EMEBERTVS Monachus Claræuallenſis, qui adoleſcens miræ manſuetudinis & patientiæ, languore magno cruciatus, quamplurimis annis durum martyrium duxit: tandémque poſtquam velut aurum in fornace probatus eſt, in vas gloriæ transformatus ad cœleſtis Palatij euehi meruit ornatum.

Decimo tertio Kalend. Aprilis. Luna

20 B XI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20			

IN Fontanellæ Cœnobio diœceſis Rotomagenſis depoſitio ſancti VVLFRANNI Archiepiſcopi Senonenſis & Confeſſoris. Qui vir Deo dignus cùm mirabili ſanctitate floreret, ad Eccleſiæ huius nobilis regimen Spiritus ſancti ductu euocatus, Epiſcopalibus curis ſe totum addixit, nihilque non egit, tum ſermonibus, tum rebus vt ad pietatem colendam Clerum populúmque ſubditum excitaret. Nec gregis crediti tantum vtilitatibus paterna cura proſpexit, ſed zelo & ſpiritu Apoſtolico in Belgium excurrens, gentis huius adhuc tenebris ethnicæ ſuperſtitionis implicitæ ſalutem, illata veritatis luce, & falce piæ animaduerſionis, impensè procurauit. Hinc ſtatione repetita, Dei charitate exardeſcens, orationibus aſſiduus, abſtinentia & patientia admirabilis, miſericordia in inopes & miſeros effuſus, diu paſtorali muneri obeundo ſtrenuè incubuit. Donec tandem Deo liberius obſequendi deſiderio incenſus, depoſito Epiſcopali honore, ſuíque loco Gerico, viro notæ probitatis ac pietatis, paſtore conſtituto: ad prædictum Cœnobium tum religionis fama celebre, ſe contulit, vbi monaſticæ vitæ ſuſcepta teſſera, poſt immenſa lucra pietatis, in Domino obdormiens, quietis æternæ conſecutus eſt præmium. Cuius tumulum diuina gratia magno ſignorum fulgore illuſtrans, patrocinij eiuſdem efficaciam deuotis memoriæ eius cultoribus propalando commendauit. Metis depoſitio ſancti VRBICI Epiſcopi & Confeſſoris, qui poſt Explecium ſedis huius nobiliſſimæ gubernacula geſſit: eáque prudentiæ ac religionis laude moderatus eſt, vt in portum ſalutis creditum ſibi populum felici remigare euexerit. Cuius laboris ac vigilantiæ meritò beatus, gloriæ æternæ adeptus eſt præmium. Item Rotomagi eleuatio ſancti AVDOENI Archiepiſcopi & Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SS. VVLFRANNVS. — VRBICVS. — AVDOENVS.

IN Villarienſi Cœnobio diem piè clauſit venerandæ memoriæ THOMAS Monachus virtute multiplici ornatus, & ſanctæ conuerſationis coruſcationibus inſignis. *Thomas.*

Duodecimo Kalend. Aprilis. Luna

21																C x.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	9	10	11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21			

SS. BENEDICTVS. APVD Floriacum Cœnobium in diœceſi Aurelianenſi ſolemnitas ſancti BENEDICTI, Patriarchæ monachorum Occidentis: cuius ſacrum corpus è Caſſino illuc pridem tranſlatum, quieſcit ibidem ſumma veneratione reconditum. Item LVPICINVS. in Lugdunenſium finibus, ſancti LVPICINI Abbatis, cuius vita, & ſanctimoniæ admirabilis ſplendore, & magnorum ſignorum gloria illuſtris fuit. Hic vir beatus ab exordio ætatis Deum toto corde requirens, data literis egregiè opera, cùm moribus optimis floreret, Patris iuſſu coniugali nexu obſtrictus, at diuino nutu paulò pòſt hac remora expeditus, vnà cum fratre Romano cælibe, Iurenſium locorum ſecreta petiit, ínque præciſis cautibus conſtructo tuguriolo, cœleſtem planè militiam exorſus cum ſuo germano, eam habitationem quæ belluis ſolùm cognita erat, ſanctiſſimæ vitæ exercitiis ſic excoluit, vt non minus Angelis gratam, quàm Dæmonibus odioſam efficeret. Illic enim ſoli Deo complacendi ambo præditi intimo affectu, de mundi beneficis nihil aſſumentes, herbarum duntaxat de radicibus victitabant: diebúſque ſingulis proſtrati ſolo, Dominum cum pſalterij deuota modulatione deprecabantur. Quod aſſiduum pietatis officium immundus dæmon ægrè ferens, eos magna perturbatione impetere cœpit: quotieſcunque enim genua ad orandum Dominum deflecterent, ſtatim immiſſus diabolico furore imber lapidum ſuper deuotos Dei ſupplices decidebat: ita vt ſæpè vulnerati, ad propria redire animo fracti tandem decreuerint. Sic igitur relicta eremo, ad mulierem pauperem diuertentes, at non ſine diuino afflatu ab ea de ignauia reprehenſi: hinc ſalutari pudore concepto, armati vexillo crucis ad ſtationem ſuam regreſſi ſunt: vbi orationum perſeuerantia, deuicta tentatione, liuidíque hoſtis ſuperata nequitia, quietè deinceps in Dei obſequio permanſerunt. Exinde verò haud ſine ſuperno conſilio circumquaque reuelata beatorum fratrum ſanctitate, multi ad eos, theoremata ſalutis petituri confluxerunt: quibus illi vt religioſa deſideria proueherent, aſceteria tria conſtruxit. Romanus mira ſim-

plicitate præstans, visitandis infirmis sanandísque ex Dei dono incumbebat. Sed Abbatis munere oneréque fungebatur Lupicinus, qui cùm vnde foueret tantam multitudinem non haberet, fusa oratione eam opem à Domino demeruit, qua alimoniam cuique congregationi necessariam suppeditaret. Ipse interea adeo sobrius & abstinens, vt plerumque in tertiam diem, pastum quem tenuissimum sumebat protelaret. Cùm siti verò vrgeretur immersas lymphis palmas, labris duntaxat admouebat, atque sic ardorem internum temperabat. Factus autem iam senex ad Chilpericum Regem pro quadam necessitate oratum aliquando cùm venisset, solium regium diuinitus ad Christi serui accessum contremuit: vnde stupefactus Rex, eidem multa honorificatione suscepto, vt beneuolum proderet animum, obtulit in cœnobiorum subsidium opimas agrorum vinearúmque possessiones: quas Lupicinus, cœlestium duntaxat opum cupidus humiliter recusauit, enixè Regem deprecatus, vt aliquid tantùm de fructibus in seruorum Christi fomentum delegaret: subnectens memorabile monimentum: Monachos non decere mundanis possessionibus cor infigere, quos in humilitate spiritus Dei regnum iustitiámque eius exquirere oportet. Hinc ad suos reuersus post aucta talenti multiplicia fœnora, tam in animarum copiosis quæstibus, quàm quorumuis bonorum operum cumulis: terreni carceris mole deposita, vir Christo obsequentissimus atque percharus feliciter ad cœlos euolauit: fratris iam gloriosi clara vestigia consecutus, cui tramitem ad beatitudinem pio monitu & exemplo præsignauerat. Eodem die Cameraci ordinatio sancti AVBERTI Episcopi & Confessoris, cuius felicis ad cœlestem patriam transitus veneranda celebritas, agitur die 13. Decembris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* Aubertus.

Treuiris primæ Belgicæ Metropoli migratio beatæ CLEMENTIÆ Comitissæ, quæ spretis mundi deliciis & pompis, Christi obsequiis sese in Horreo monasterio consecrauit. Vbi habitu sanctimonialis assumpto, in omni pietate ac humilitate vitæ cursum feliciter consummauit. Item eodem die in Cabilonensi præsulatu, institutio sacri Ordinis Cistercienfis, auctore beato ROBERTO Abbate Molismensi, cuius eximia in Rempub. Christianam merita sacris anniuersariis Ecclesia colit 3. Kalend. Maij. *Clementia.* *Robertus.*

Vndecimo Kalend. Aprilis. Luna

22 D IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22			

SS. PAVLVS. NARBONÆ Metropoli, Natalis ſancti PAVLI Epiſcopi Apoſtolorum diſcipuli & Martyris, qui à beato Paulo baptizatus, atque in Galliam adductus, ab ipſo cùm in Hiſpaniam pergeret illic Epiſcopus ordinatus fuit, vbi cœleſtis magiſtri præceptis conformatus, paſtoralis vigilantiæ laboribus in Euangelij propagatione tandiu inſtitit, quoaduſque conflata ab impiis perſecutione, cùm cœleſte Chriſti Regnum, tum docendo tum agendo prædicaret, eo nomine comprehenſus, diréque excruciatus, demum ob teſtimonium quod verbo Dei conſtanter perhibuit, extremo affectus ſupplicio, illuſtriſſimum agonem expleuit. APHRODISIVS. Eodem die Biterris ſancti APHRODISII Epiſcopi primi illius ciuitatis. Hic genere Ægyptius, totius Ægypti Præfectus, munere eiuſmodi abiecto, Antiochiam ad beatum Petrum venit, à quo verbo vitæ illuſtratus, ſacróque lauacro tinctus, Románque poſtea dum ipſe Apoſtolorum Princeps pergeret, ab eo in comitatum aſſumptus, propagando vndecunque illic Chriſti Regno eidem obſecundauit. Tum Paulo in Galliam Narbonenſem proficiſcenti adiunctus, eo in Hiſpaniam abeunte, Sergio Paulo, quem is Narbonæ Antiſtitem præfecerat, adhæſit: a quo creſcente hac in prouincia meſſe Euangelicæ ſegetis, Biterris Epiſcopus conſtitutus eſt. Vbi magnificam & egregiam operam in fide prædicanda, auellendis à nefandis ſacris, atque Chriſto parturiendis ciuibus, religione caſtiſſima diffundenda, & fundanda Eccleſia ſtabiliendáque, cùm diu impendiſſet: demum rebus glorioſè peractis, Chriſti indefeſſus præco, ac miniſter fideliſſimus, ad brauium meritis onuſtus perrexit. ELOCVS. Ipſo die in Friſia cœnobio Lidlumenſi ſancti ELOCI eiuſdem loci Abbatis & Martyris, à laicis aſcetis ibidem in odium pietatis aſſertæque diſciplinæ regularis impiè interempti. CAMELIANVS. Eodem die Auguſtæ Trecarum ordinatio ſancti CAMELIANI Epiſcopi eiuſdem vrbis & Confeſſoris, cuius natalis dies illic celebris eſt in maiori Eccleſia 5. Kalend. Auguſti. In Eikenſi monaſterio ad Moſam tranſla-

tio Sanctarum Virginum HERLINDIS & RELINDIS soto- Herlindis & Relindis.
rum, quatum natales festiui sunt huius die 12. Octob. illius 6.
Februarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

· Ipso die obiit Nannetis piæ memoriæ BERNARDVS Episcopus, qui ex Bernardus.
Canonico monachus, ex monacho Antistes eiusdem ciuitatis, ministerium salutis egregia sanctimonia exequens, religioso exitu hac ex palæstra decessit: atque sic in sorte beatorum Præsulum, plenam fidelis dispensationis percipere promeruit remunerationem. Ipso die in Brabantia Cœnobio Vallis Floridæ obdormitio beatæ GENTÆ Abbatissæ, quæ ad patientiæ exemplum diuturno morbo exercitata: post editos in Dei timore ac amore perfectos progressus, quietis æternæ optatum munus à Domino percepit. Ad cuius testandam sanctitatem ante ipsius obitum, per tres noctes, fenestram eius cubiculi cœlestis fulgor impleuit. Genta.

Decimo Kalend. Aprilis. Luna

23 E VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	t	ſ
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23			

IN agto Patisiensi vico Catulano, ptima inuentio sacrorum corporum sancti DIONYSII & sociorum Martyrum, qui sub Hadriano, Lutetiam Christiana pietate illusttantes, effuso sub glorioso cettamine, ptetiosi sanguinis profluuio, inconcussa illic teligionis fundamenta posuerunt. Bergis in Flandtia in Iprensi ptæsulatu, eleuatio cotporis B. VVINOCI Ptesbyteri & Confessoris, monastetij Vvotmhotiani à se fundati Abbatis: qui filius fuit Inthaëlis Britanniæ Atmoticæ teguli, germanus verò sancti Iodoci Confessoris itidem egtegij. In territorio Lugdunensi, insulæ Barbatæ Cœnobio, susceptio capitis sancti FLORENTII, Tilicasttensis in Africa Martytis, qui tempote petsecutionis Vvandalicæ pto Chtisti confessione super ingens saxum in flumine positum, aratti vomete truncatus est; ipsius verò caput per stupendos scopulos, pet aquarum rapidos meatus, diuino euectu, vsque in insulam Barbaram in Arari delatum, ibique detectum, summo reconditum fuit quo decebat honore. Leodij commemotatio agonis sancti VICTORIANI Martyris, sub eadem persecutione cotonati: cuius aliquot pignota veneranda illuc ptidem aduecta sunt. *Et alibi in Gallia, aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SS. Dionysius & socij. Vvinocus. Florentius. Victorianus.

ITEM eodem die in minori Britannia obiit beatæ memoriæ ROTHALDVS Rothaldus.
ex Monacho Episcopus Vennetensis, cui religiosa vita, quam in Episcopatu intensiori studio coluit, résque eo in munere diuina gratia confectæ, magnam

sanctitatis existimationem & viuo & defuncto pepererunt. Contigit hoc ipso die miraculum imaginis Crucifixi sanctum Bernardum amplexantis.

Nono Kalend. Aprilis. Luna

24 F VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
12	13	14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24			

PRÆFESTVM Euangelismi. Tolosæ in Ecclesia sancti Saturnini, eleuatio & repositio sacratissimorum corporum Beatorum Apostolorum IACOBI & PHILIPPI. Item ibidem reuelatio sancti HILARII Episcopi & Confessoris. Claromonte Aruernorum sancti LINGVINI Confessoris, diuina viuendi ratione præclari. Viennæ Allobrogum sancti VERI virorum Apostolicorum discipuli: qui à sancto Alexandro Papa & Martyre Episcopus consecratus, ad háncque vrbem pastore viduam, asserendæ religionis sacrosanctæ causa missus: aduersus impietatis procellas teneram Christi vineam sæuo impetu percellentes, murum se inexpugnabilem opposuit: ínque pastorali officio ita se gessit, vt in eius vita tanquam in speculo, magno splendore Christianæ virtutes elucerent, quarum gratia, & miraculorum fulgore, ciues innumeros qui adhuc ethnica superstitione occæcati erant, ad Dei cultum ab impietate auocauit. Hinc atrox persecutio in ipsum cùm fuisset excitata, vt iræ locum daret, Romam sub sancto Pio Pontifice perrexit, à quo Apostolico spiritu confortatus, & ad ouile remissus, Epistola etiam post reditum consolatoria quæ magnum amorem spirat, honoratus, atque ad vltimum agonem pro fide subeundum fortiter, excitatus est. Quo igne repleto eius pectore, cùm maiores in dies ederet pietatis fulgores, persecutione recrudescente, à Christiani nominis hostibus comprehensus: tandem, cum fidelium ingenti numero, quos verbo & exemplo confirmabat, pro Christi gloria obtruncatus, admodum celebri victoria fidei cursu confecto, iustitiæ repositam diù coronam, lætanter recepit. Huius sacra spolia Christiani qui supererant cùm sodalium reliquiis, collecta, digno honore sepelierunt. Cuius tumulationis festiuam memoriam quotannis Calendis Augusti Viennensis celebrat Ecclesia. Successione susceptio reliquiarum sanctorum ABDON & SENNEN Martyrum, quæ Roma in Gallias sub Ludouico Pio delatæ, illic in Basilica sancti Medardi, cum nonnullis pretiosis cœlitum exuuiis

SS. Iacobus & Philippus. Hilarius. Linguinus. Verus.

Abdon & Sennen.

digno cultu repositæ & diù conseruatæ sunt, donec Hagiomachorum modernorum impio furore è sacrario cœnobij prædicti deiectæ, atque in rogo, quem illi in gremio Ecclesiæ accenderent impij, cum triginta circiter aliorum beatorum corporibus fuerunt concrematæ. At non secus ac thus in igne, suauissimum odorem emiserunt: cuius fragrantiam orthodoxi eximio solatio persensêre: hæretici verò è contra tanto fœtore inde affecti sunt, vt nonnulli excedere properè coacti sint, vnus etiam in diuinæ vltionis indicium, pestilenti vlcere illico in gutture percussus, paucis pòst horis eiulans & desperans miserè extinctus est. Tolosæ releuatio sancti HILARII Episcopi & Confessoris facta in basilica sancti Saturnini, vbi quiescit congruo cum decore in sacello sanctæ Crucis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. HILARIVS.

OBIIT eadem die Brugis prope Gandauum in Flandria piæ memoriæ Pater ÆGIDIVS de Roya, Cistercij alumnus, clarúmque totius huius ordinis sydus: qui docendo scientiæ, agendo sanctitatis, eximia præbuit monumenta. Ægidius.

Octauo Kalendas Aprilis. Luna

25 G VI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	s
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25			

ANNVNCIATIO Beatissimæ Virginis ac Deiparæ Mariæ, cùm Archangelus Gabriel à Deo ad ipsam missus, felici præconio eidem intimauit, Spiritus sancti operante virtute, Verbum æternum carnem ex ea assumpturum: vt generis humani redemptionem admirabili sapientiæ ac bonitatis arcano, maiestatísque ac humilitatis stupendo salutaríque commercio perficeret. Eodem die PASSVS EST IN MONTE CALVARIÆ PRO MVNDI SALVTE, REDEMPTOR IPSE DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS. Item pro eius nominis glorificatione interiit Hierosolymis, gladio cæsus ab Herode Agrippa, sanctus IACOBVS Apostolus cognomento Maior: cuius corporis ab Oriente dudum transuecti pars altera Compostellæ in celebri toto orbe basilica eius nominis, altera Tolosæ in sancti Saturnini æde æquè conspicua, cum sacris sex aliorum Apostolorum lipsanis permultísque aliorum Christi athletarum pretiosis pignoribus, summa veneratione seruatur. Ipso die, tametsi non eodem anno, sanctus alter IACOBVS SS. IACOBVS Maior. IACOBVS Minor.

dictus Minor in Paschæ solemnitate Christum Deum verum Iudæis testificans, de templi culmine præcipitatus, ac fullonis vecte percussus glorioso agone occubuit. Cuius sacratissimum corpus Hierosolymis Romam ac inde in Galliam à Carolo Magno allatum, Tolosæ in prætaxata sancti Saturnini æde cum sancti Philippi, aliorúmque Apostolorum ac Martyrum venerandis exuuiis, magno cum honore reconditum est.

RICHARDVS. Eodem die Lutetiæ Parisiorum passio sancti RICHARDI pueri, à Iudæis in Christi redemptoris odium dira nece perempti. Hic beatus puer ea in vrbe familia honesta progenitus, annorum cùm esset circitèr duodecim, à Iudæis, eiusmodi immanitate iam ab annis aliquot assuetis, blandimentis illectus, ac in subterraneum locum (in quo tam impium facinus perpetrare solebant,) iis diebus quibus more Christiano Pascha celebratur, inductus; à Synagogæ primario rogatus est, quænam eius esset fides & religio? Cui respondens mitis & pius puer, non sine superno spiramine: Eam (infit) firmissimè sequor fidem, quam à parentibus accepi. Iesum scilicet ex matre Virgine per sancti Spiritus operationem conceptum & natum, & à vestra genre damnatum, vt genus humanum redimeret, & in regnum Dei Patris, cuius vnicus est filius, reponeret. Hac fidei indignatus confessione ferox ille mystagogus: ô insane (inquit) iuuenis, quàm inani credulitate deceptus es! Dignum est profectò graui te affici supplicio, qui perditum morte hominem, diuinitatis quicquam habuisse profireris. Móxque ad reliquam turbam conuersus: Spoliate, air, hunc stulte sapientem, & multo verbere excipite. Exuitur statim fidelis Richardus, pugnísque tunditur, & virgis atrocissimè flagellatur; irridentibus illum Iudæis, & in eius persona Iesum matrémque Mariam blasphemantibus, ac in Richardi faciem expuentibus, tametsi patientiam eius & constantiam mirarentur. Nam inter asperas flagellationes, cùm tyrunculus Christi Richardus nihil præter dulce Iesu nomen personaret, eo efferatius persequebantur, quo nomen ipsum audiebant sanctè & fideliter inuocari. Vix satiati tandem ludibriis, Rabbi iubente, Richardum in crucem surrigunt, conantes sanctum puerum iniuria afficere, qua Dei filium Christum à se exterminare patres eorum crediderunt. Igitur à cruce pendens beatus Martyr, pias inuocationes Christi nominis replicabat. Ridebant & illudebant Iudæi hoc audientes, & certatim se quisque Deo obsequiosiorem esse arbitrabatur, quanto in illum viliora probra & duriores tortiones infligebat. Tandiu denique infelix illa Iudæorum turba, nunc

maledictis,

maledictis, nunc stimulis athletam Christi agitauit, donec exanguis Richardus in fide perseuerans, spiritum feliciter efflauit. Tam atrox flagitium Iudæis non impune cessit. Quæsito enim à propinquis Richardo, Hebræi in suspicionem venerunt consuetæ tyrannidis, ob quam iam aliàs admissam, non semel pœnas dedissent, aliquot ex eis morte affectis. Inuento igitur sancti pueri exanimi corpore, in sanctorum Innocentium cœmeterio, quod in campellis Parisiis Deo dicatum est: quæstio de Iudæis quàm seuera haberi cœpit. Qua rei qui erant nefandi huius sceleris comperti & peracti, exquisitis plexi sunt suppliciis. At non in sontes solùm acerbè animaduersum. Totam in gentem tam immanis facinoris pœna redundauit. Ad aures enim Philippi Augusti Regis, re horrenda peruecta, tanta is ex zelo Dei in impios ira efferbuit, vt quotquot in orbe Gallico degerent Iudæos, igne ferróque delere decreuerit, fortunis eorum quibusque fisco vendicatis. Sed Regis furorem (cuius cor in manu Dei est) Christus ipse, qui in cruce pro impiis illis preces hodie ad Patrem fudit, instillata regium in animum mitiori sententia, mitigauit. Philippus enim Rex supernè inflexus, antequam exitiale decretum promulgaret, Bernardum Anachoretam conuenit, qui in saltu Vicennarum solitarius degebat, homo bonæ opinionis, & non fictæ sanctitatis. A quo id consilium accepit: vt ab internecione quidem infelicis huius gentis abstineret, verùm è suo regno ocyus vniuersos circumcisos expelleret. Edicto igitur mandauit Rex Christianissimus Iudæos omnes pridie sancti Ioannis Baptistæ Franciam relinquere, & quo sors duceret proficisci. Qua in re bina exultationis causa Francis allata est. Vna, quòd beati Martyris Richardi mors pro Christo suscepta, ipso Domino reuelante, fideles non latuit: sed exhibita in lucem, credentibus materiam Deum laudandi præbuit, à quo iustorum labores, ineffabili mercede compensantur. Altera quòd Iudæorum fallaci contubernio, Francia liberata est, qui fidei Christianæ odio per fœnoris pressuram bonos malósque iuxta vexabant: quorum etiam frequentatione boni poterant deprauari. Cæterùm ad tumulum sancti Richardi, mox diuinæ enituerunt virtutes, quibus exciti plerique ad eius patrocinium concurrentes, morbis & maximè febribus extenuati, ipsius imploratione sanitatum solatia consecuti sunt. Postulabant siquidem vinum sibi vel aquam ministrari, qua pars aliqua feretri, vbi sanctum Martyris caput (iam inuectum in sanctorum Innocentium ædem) repositum colitur, fuisset abluta. Quem liquorem ebibentes sepulcro mox

ſe inſternebant, in quo fuerat beatus Martyr humatus: nec vana fide, domum reuertebantur incolumes. Quo ſanè miraculo adducti Angli (dum Francorum imperium, vi non tam quàm fraude, occuparent) inclyti Martyris corpus, cuius ope nonnulli eorum ſanati fuerant à febrium æſtu & contagio, de tumulo effoſſum in Angliam tranſtulerunt: vbi ſignis diuinis radiauit, donec tandem ab hæreticis in hac inſula tremendo Dei iudicio præualentibus, cum cæteris beatorum pignoribus exuſtum, nouam ab infida gente perſecutionem ſuſtinuit, ex qua nouam etiam retulit victoriæ coronam. In oſtio Ligeris Antro

HERMELANDVS. monaſterio S. HERMELANDI Abbatis primi huius loci & Cōfeſſoris, qui genere nobilis, ab ineūte ætate aulicus Regiſq. Pincerna, Paſcharij Epiſcopi Nannetenſis de mūdi vilitate & vitæ ſolitariæ præſtantia diſſerentis, prædicatione concuſſus, ſæculo valedicens Chriſti ſeſe obſequiis ex toto corde conſecrauit: fretúſque ipſius ſancti Præſulis benedictione, ipſo auſpice & duce, inſulâ luſtratâ, quam opportunam reperit, ibidem aſceteriolum conſtruxit: in quo ſacro ſodalitio aggregato virtutum miro odore florens, velut vitis fructifera palmites copioſos botróſque vberes diuinitus inſitæ gratiæ & ſanctitatis emiſit. Miraculis etiam maximis emicuit, nam ſigno crucis extinctum lumen accendit, vinum auxit, oratione erucarum infeſtum agmen repreſſit, zelo iuſtitiæ quædam, ſcelera, pœnæ repentinæ mira inflictione, vltus eſt. Spiritu prophetico multa reſerauit occulta, plurima prænuntiauit futura, in híſque ſuum diem extremum præcognouit, ac fratribus prædixit. Illo igitur die quo ſe exceſſurum dixerat, pium parentem diſcipuli adeuntes, rogauerunt vt quemadmodum eis in terris magiſter fuiſſet iuſtitiæ, ita in cœlis perpetuus gratiæ procurator, ac patronus apud Chriſtum eſſe dignaretur. Quos ille omnes vt in ſancto permanerent propoſito hortatus: deinde corporis & ſanguinis Domini ſalutiferis myſteriis religiosè ſuſceptis, inter verba orationis & benedictionis, puriſſimum ſpiritum in benigniſſimi Redemptoris manus efflauit. Cuius corpus animæ immaculatæ odorib. imbutum, in ſepulchro eximiā ſpirauit ſuauitatem, ſigníſq. ſtu-

HVMBERTVS. pēdis coruſcauit. Eodem die in Belgio S. HVMBERTI Epiſcopi & Cōfeſſoris, qui ex claris Francorū procerib. natus, aſpirante diuina gratia ipſa in iuuētute abdicatis opib. & contēpta ſæculi vmbratili gloria, Lauduni habitu religioſo ſuſcepto dominicæ ſeruitutis tirociniū iniit ac peregit. Deinde diuinæ benedictionis decoratus inſigniis fundato Cœnobio Maricolēſi in Hanonia, Romam profectus ad ſanctorum Apoſtolorum veneranda veſtigia:

repertúſque idoneus (quo opus erat) Euangelij diſſeminator, ab Adeodato Pontifice Epiſcopus conſecratus, atque ad fidem gentibus prædicandam, in Germaniam Belgicámque Galliam nondum ethnicis ſuperſtitionibus planè expurgatam miſſus eſt: vbi ſuſcepti muneris Apoſtolici partes, cum zelo & pietate incredibili, tum doctrina admirabili, nec minus fructuoſo ſucceſſu adimpleuit. Sícque felici curſu conſummato, ſupernam quam labore ſtrenuo promeruerat peruenit ad patriam. Corpus eius in Maricolenſi cœnobio quod extruxerat ſepultum, diuinæ gloriæ emicuit ſplendoribus, vnde dignis honoribus excultum etiamnum in magna illic veneratione habetur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

OBIIT piæ memoriæ IOANNES Abbas Ciſtercienſis XXV. qui non melius Cœnobium ſuum muris cinxit, quàm moribus exornauit: ſanctóque fine quieſcens, miraculis etiam illuſtrauit. *Ioannes.*

Septimo Kalend. Aprilis. Luna

26 A V.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
27 28 29 30 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
t u A B C D E f F G H M N P
14 15 16 17 18 19 20 21 21 22 23 24 25 26

TOLOSÆ feſtiua eleuatio corporum ſanctorum PAPVLI, SILVII, HILARII, HONORATI, & GILBERTI in Eccleſia ſancti Saturnini. Pithiueris in territorio Aurelianenſi depoſitio S. GREGORII Nicopolitani in Armenia Archiepiſcopi & Confeſſoris: qui ea gente religioſis parentibus ortus, ſub viri venerabilis ac diuinorum dogmatum ſcientiſſimi conſtitutus diſciplina, in tantum profecit, vt vix adhuc ex ephœbis egreſſus, vetus nouúmque teſtamentum didicerit, fideíque orthodoxæ vniuerſa penè arcana cœleſti gratia præuentus imbiberit. Morum verò probitate decorus, omnium in ſe affectus pellexerit. Sobrietate & continentia, malorum fuga, bonorum cultu, deuotionis ſpiritu qua pollebat ſimul amabilis ac admirabilis, mox à parentum obitu conſumpto in pauperum ſolatia patrimonio, in Nicopolitanæ Eccleſiæ finibus ſe Deo ſeruiturum deuouit, ibíque comam deponens, clericali habitu quibuſdam cum piis aſſeclis degere inſtituit, ieiuniis, orationibus & vigiliis ad miraculum vſque inſiſtens. In omni enim vita ieiunium nunquam, niſi in Dominicis diebus & ſacris ſolemnitatibus ſoluit, vino ſemper abſtinuit. Poſt ſolis occaſum oc- *SS. Papvlvs, Silvivs, Hilarivs, Honoratvs, & Gilbertvs. Gregorivs.*

clusis sacris Ecclesiæ liminibus, solis custodibus consciis per totam noctem orationibus sedulo inhærens, ante Crucifixum toto corpore prostratus, solisque innixus articularibus digitis, centies in noctem adorabat, somni grauitatem perenni Dei laude à se repellere sic enitens, vt cùm corpus eius piis his exercitiis velut cadauer attritum vix spiritum retineret, æditui ad hæc stupentes, non hominem sed Angelum suspicere arbitrarentur. Tantæ sanctitatis diffusâ famâ, loci Metropolites senio confectus, Gregorium inuitum è cellula trahit, cuique vix spirandi vires supererant, collatis sacris ordinibus munus prædicationis iniungit. Quod sanctus vir diuina afflante aura feliciter administrans, discordes vnanimes reddidit, oppressos multiplici erexit solatio, peccatores ad meliorem frugem reuocauit, ethnicos innumerabiles melliflui oris dulcedine à simulachrorum ritibus ad fidem Christi conuertit. Interea Archiepiscopum lethifer morbus corripuit, qui Clerum ac populum dum imminere sibi diem supremum intimaret, vt de idoneo pastore sublegendo cogitarent, admonuit. In ipsum vt de re tanta decerneret omnes vota refuderunt. Præsul lætatus, Gregorium sanctissimi muneris iam participem, flagitat sibi successorem dari. Miris acclamationibus responsum est placere eiusdem designationem. Sic igitur imposito pastorali onere, infulis Gregorius decoratus est: demortuóque antecessori vbi iusta reddidisset, honoris augmentum, virtutis incrementis compensare studuit: officium Episcopale sic exequens, vt à diuino famulatu quem antea exercebat non cessaret. Sanctitatis tantæ meritum signo mirabili diuina bonitas propalauit, boni odoris aromata infundens eius corpori, quorum suaui spiramine, sanitatem quibusque ægrotis impertiret. Tantas per illum Dominus operabatur virtutes, vt non solùm omnes morbidi eius prece, attactu vel halitu curarentur, verùm etiam benedicens coronæ eius benignitatis, pace inter suos constituta, campos huius confinij vbertate repleret. Fatigabatur Dei seruus populi iactantia & applausu, veritúsque ne humani fauoris aura tandem in superbiam ipsum abriperet, mundi gloriam fugiens sumptis secum duobus fratribus, quos conscius piorum consiliorum habebat; celebris effugij iter arripuit, Alpium crepidines celeriter transiit, in Galliam pietate celebrem perrexit, peragratis plurib. ciuitatibus & oppidis illius regionis Pithiueris oppidum vbi deuenisset, cuiusdam religiosi viri Alfridi nomine, illius loci Archipresbyteri, hospitio exceptus est. Deniq. de more

oraret, nocte cœlitus admonitus est, vt gradum ibi figeret, séque in Ecclesiam sancti Martini non longè distantem ab omni hominum strepitu segregatam reciperet: futurum enim vt cætero vitæ decursu quietè diuinis obsequiis illic insistens, demum exactâ pia militiâ, sub bona confessione æternam spiritus eius in patriam commigraret, corpusculum verò terræ restitutum gloriosam immutationem præstolaretur. Qui diuinis iussionibus obtemperans, acceptáque à nobili Matrona Heloysia Dynasta loci illic commorandi licentia: tugurium ibidem modicum extruxit, in quo solitariam ducens vitam annos circiter septem transegit, tota mentis puritate, admirandáque carnis castigatione Deo seruiens. Haud exprimi potest quanta illic diuina virtus per eum miracula ediderit, quanta populis suæ benedictionis hoc fulgente sole contulerit munera, pauperibus solatia, infirmis remedia, ignaris documenta, exempla denique omnibus omnis virtutis, & salutis multiplicia subsidia, huius sui famuli opera ac obtentu Dominus impertiuerit. Denique oranti seruulo tertia noctis vigilia Sabbati Dominus apparens, luce quinta subsequenti, ipsum ad se transiturum, cœlestémque gloriam intraturum notificauit: vnde nimio gaudio exiliens Gregorius, febre correptus, corporis & sanguinis Domini pretiosa perceptione se muniens, præfixo diuinitus die, spiritum cœlo emisit. Corpus eius in ipsa sancti Martini Ecclesia decenti funere sepultum, cùm miraculorum quotidianis micaret fulgoribus, pia prælibatæ heroinæ Heloysiæ, matris Odolrici Episcopi Aurelianensis instantia, ad Ecclesiam sancti Salomonis Pithiueris translatum fuit, vbi opitulationis gratia coruscans, inhabitantis diuinæ virtutis iugiter prodit insignia. Eodem die Lobiis in Præsulatu Cameracensi Eleuatio sancti VRSMARI Episcopi, Theoraciæ Apostoli, cuius festa depositio agitur 14. Kalend. Maij. Eodem die sancti LVDGERI Episcopi & Confessoris, qui ex Frisia oriundus tum Francorum imperio subiecta, in monasterio Vltraiectensi, Gregorio discipulo sancti Bonifacij Martyris (qui post eum Presbyter Ecclesiam Vltraiectensem administrabat) à parentibus erudiendus traditus, multa futuræ sanctitatis illic, adhuc tirunculus, specimina edidit: vnde clericali ordini dignus qui adscriberetur censitus, crescente cùm ætate virtutum gratia, ad Diaconi gradum euectus est. Hinc Eboraci in Anglia docentem Alcuinum adiit ac audiuit, expletóque triennio sacræ Philosophiæ vniuersam inspexit, ac imbibit disciplinam. Mox patriæ opem laturus salutarem, suscepto sacerdotali ordine in

VRSMARVS.

LVDGERVS.

Frisiam rediit, Dauentriam perrexit, ac circumquaque discurrens, idololatriæ quæ illic adhuc vigebant germina extirpauit, Fana subuertit, verbóque ac opere potens gentem illam penitus Christo subdidit: cuius & curam, Doctoris Apostolici officio defungens, per triennium gessit assiduam. Tum Romam veneraturus Apostolorum limina profectus, atque à Leone Papa honorificè habitus, sacra ab eo munera, dignas admodum Sanctorum reliquias accepit: atque mox à Carolo Rege euocatus, vt collapsam per Saxonum incursum in Frisia pietatem resarciret, magno zelo suscepto muneri incumbens, omni ex parte expurgatâ ab impiæ superstitionis spurcitiis hac prouinciâ, perfectè illic Christianam religionem stabiliuit. Insuper & Foselandos ad Christi cultum conuertit. Porrò cùm victoriosissimus Carolus, Saxones partim beneficiis, partim iusta districtione ad Christiana sacra perduxisset, Ludgerum Apostolicis dotibus ornatum dignum præ cæteris censuit pius Princeps, quem genti adeo magnæ pastorem præficeret. Accersitum igitur Monasterij vt sedem figeret constituit. At ille erecta Ecclesia, illic sine ordine pontificali annis ferè duodecim permansit, quod oneris erat suscipiens, quod honoris declinans, se enim indignum asserobat Præsulatu, quod teste Apostolo, *Episcopum oporteat esse irreprehensibilem*: donec tandem Hildebaldo Metropolitano Colonensi respondente, Petrum ipsum fuisse reprehensibilem, ne populus dispendium sua ex trepidatione reciperet, Pontificium suscipere consensit. Quo culmine euectus, virtutum ampliora præstans in dies insignia, populo sibi commisso postquam diù gloriosissimè præfuisset, demum rerum diuinitus mirificéque gestarum laude ac merito clarus, miraculis etiam illustris ad æternæ beatitudinis gaudium pertransiuit. Lugduni S. SICARII Episcopi & Confessoris, qui ob doctrinæ & religionis merita beato Elpidio subrogatus exemplis & documentis salutaribus mirificè hanc Ecclesiam illustrauit, vitáque in omni sanctitate confecta quieuit in Domino. Eius corpus conditum est in proprio sacello basilicæ sancti Nicetij, vbi hodie sacris anniuersariis natalis eius colitur. Auenione sancti PONTII Abbatis sancti Andreæ, & Confessoris: qui imbres, tempore siccitatis, copiosos sua prece è cœlo impetrauit, nec magis miraculis quàm virtutibus insignis sanctissimo fine transiuit ad Dominum. Apud Macllouium memoria sanctorum Martyrum IRENÆI Diaconi & SERAPIONIS lectoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

SICARIVS. PONTIVS. IRENÆVS & SERAPION.

DAVENTRIÆ in Belgio ſub Traiectenſi Præſulatu, viam æternæ ſalutis ingreſſus eſt, piiſſimus Chriſti ſacerdos IOANNES Brinkerinck prædilectus Gerardi illius magni Leuitæ Euangelici, qui Belgicam Galliam Apoſtolicis fulgoribus zeli, doctrinæ pietatiſque repleuit, diſcipulus: necnon Florentij Dauentrienſis religioſiſſimi Preſbyteri, qui tot diuinis chariſmatibus fulſit, præcipuus obſeruator; per quam in diuerſis locis multorum corda peruerſas ſuas vias relinquentia, ad Dominum conuerſa ſunt. Vnde in agro Dominico virginei flores plurimi, viduarum caſtarum, & voluntariorum pauperum ſegetes, renuntiationes ſæculi, reſtitutio ablatorum, atque multi & varij Chriſtiani germinis fructus in Dei amantium oculis pullularunt: præſidente in Cathedra Traiectenſi venerabili Frederico Epiſcopo eximio religionis cultore, ducéque, auſpice ac fautore præcipuo piorum ſui æui hominum. *Ioannes.*

Sexto Kalend. Aprilis. Luna

27 B IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	22	23	24	25	26	27			

RESVRRECTIO Domini noſtri IESV CHRISTI. Sueſſione celebritas inuentionis ſanctorum Martyrum GERVASII & PROTASII, matricis Eccleſiæ patronorum. Ibidem, Dominica ſecunda poſt Paſcha, celebratur feſtum Dedicationis ipſius maioris Eccleſiæ. Eodem die ſancti RVPERTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui regio Francorum ſanguine editus, cùm tantam carnis nobilitatem, Angelica mentis ſublimitate ac puritate, eximiáque in Deum pietate illuſtraret, primum Vvormaciæ Epiſcopus, rem Chriſtianam diuini verbi prædicatione, & vitæ morúmque innocentia mirum in modum, apud hunc populum & vicinas gentes propagauit. Cùm autem apud Vvangionas nactus eſſet auditores omni vitiorum genere corruptos, adeóque à ſuæ vitæ ratione abhorrentes, ſuſcepta morum diſciplina, cœpit flagitia eorum increpare, legem Chriſti vrgere, virtutum ſementem facere, bonis cœli ſpem excitare, perditis æterna flammarum incendia minari: quam obeundi muneris diligentiam, zelúmque animarum feruentem, impij viri non ferentes, qui viuo Childerico Rege nihil in Epiſcopum ſanctiſſimum, ipſi & ſanguinis & amoris nexibus coniunctum, tentare auſi fuerant; defuncto, mox ſalutis curatorem arreptum, ſeruilem in modum flagris cæſum, pontificatu deiectum, ex vrbe ſumma ignominia eliminarunt. At hinc arcana Dei prouidentia, magnum gloriæ ſuæ eduxit incrementum. Nam Reginotrudis Theodoberti Francorum Regis nata, Theodoníſque Boiorum Principis coniux, fœmina pientiſ-

SS. Geruaſius & Protaſius.

Rupertus.

ſima, ſancto religionis Chriſtianæ amplificandæ propoſito intimè incenſa (quæ viri vt Chriſti legem amplectaretur ſollicitare animum non ceſſabat) pia inſtantia effecit, vt Theodo, de excellenti Ruperti virtute & doctrina admonitus, & cognoſcendæ veritatis deſiderio inflammatus, miſſo oratore, ſede eiectum ad ſe vt veniret Ratiſbonam inuitauerit. Ei porro accedenti cum nobiliſſimo comitatu Princeps occurrens, ipſum officioſiſſimè ſalutatum ſummo gaudio excepit, quem vir Dei ſuperno irradians lumine, dogmata primùm Euangelica docuit, & mox puriſſimo ſalutis fonte Chriſto regenerans, gentis ſimul caput & primitias conſecrauit: túmque non in Bauaria tantùm, ſed & Auſtria, Styria & toto Norico doctrinam de Chriſto Deo & homine, vero & ſolo generis humani liberatore, intrepida voce annuntians, egregiè propinauit: vnde totius Norici dici promeruit Apoſtolus. At cùm ſe vnum tanto labori ferendo non eſſe perſentiret, in Galliam patriam regreſſus, (quæ exteris gentibus ſatores æternæ ſalutis, ab ipſo ferè ortu Euangelici luminis, protulit) ſocios inde ſecum, quibuſcum onus partiretur vndecim adduxit, inter quos præter

Erentrvdis. ERENTRVDEM neptem ſanctiſſimam Virginem, præcipui

Chvnobaldvs & Gilisanvs. CHVNOBALDVS & GILISANVS Preſbyteri (quibus ſuperna demum patuit aula) extiterunt. His fretus copiis nobiliſſimum opus aggreſſus, inferorum delubra ſubruere cœpit, Chriſto templa excitare, populum condire, mores gentis ad Chriſtianam viuendi rationem componere. Iuuauiam deinde progreſſus (cui demum Saliſburgum nomen inditum) cùm plebs Chriſtianam doctrinam lubenter audiret, illic ſedem Epiſcopalem conſtituit, parthenonas Virginibus, aſceteria viris, Apoſtolorum Principi baſilicam egregiam cum monaſterio, cælitibus nonnullis aliis complures ædes ſacras conſtruxit. Poſteritatis verò pius parens ſollicitus, in monaſterio quod incolebat ſancti Petri, ſacras literas diligenter explicans; plurimos viros pios & doctos educauit, qui Eccleſiæ ſic vtilitatibus inſeruirent, vt non tantùm præeſſent, ſed prodeſſent. Quibus diuinè factis glorioſus, poſtquam annis quadraginta quatuor ſedi Epiſcopali præluxiſſet, vitam mortalem cum immortali commutauit, eodem die quo mortem, auctor vitæ ex infernis

Andragasina. rediuiuus, ſuperauerat. Ipſomet die Bellouaci ſanctæ ANDRAGASINÆ Abbatiſſæ, quæ à teneris vnguiculis Chriſti amore incenſa, florem illibatum ſuæ integritatis, illi, diuino afflatu irradiata, deuouit. cùm autem ætate adulta pulchritudine egregia præſtaret, atque à patre nubere cogeretur, ne virginea be-

nedictione excideret, precibus à cœlesti suo sponso impetrauit, vt tota hæc qua micabat species, in deformitatem verteretur. At decorem pristinum mox ac monasterium ingredi permissa est, diuino munere recepit: quem interna venustate adaugens, puritate, pietate ac humilitate admirabilis, omnique sanctitatis gloria adornata, ad desideratas demum superni Regis nuptias, diuinitus euocata perrexit. *Et alibi in Gallia, aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

OBIIT hoc ipso die Cistercij piæ memoriæ EVSTACHIVS Monachus, vir insigni deuotione & animi puritate: cui cùm mos fuisset quoties ante altare Virginis transibat, eius imaginem verbis Angelicis salutare: postquam defunctus in area domus iaceret, in lingua quam diuino nutu emittebat, salutatio Angelica aureis literis inscripta apparuit. Quæ innuebat ob præstitum sanctissimæ Deiparæ obsequium, amplam hanc apud Christum mercedem consecutum pium hunc cultorem, vt nomen suum libro vitæ in cœlo inscribi indelebili charactere promeruerit. Item felici funere ad æternam hæreditatem commigrauit venerandæ memoriæ PETRVS decimus quartus Abbas Cisterciensis, laude veræ prudentiæ & sanctitatis eximiæ clarus. *Eustachius.* *Petrus.*

Quinto Kalendas Aprilis. Luna

28 G III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28			

CABILONE in Æduis S. GONTRAMNI Francorum Regis pientissimi, qui in summo rerum culmine, sic actiones suas ad legis Dei præscriptum disposuit, vt perfectæ pietatis & iustitiæ typum, sanctissimis suis moribus, populo sibi subdito exhibuerit. Hic zelo diuini honoris intentissimo flagrans Ecclesias multas construxit, censúque & ornatu copioso ditauit & decorauit. Dignitatis ac disciplinæ Ecclesiasticæ vindex acerrimus, pauperum amator munificus, thesauros ingentes in eorum solatium & religionis augmentum profusis charitatis visceribus erogauit. Ad auertenda diuinæ iræ flagella, ieiunia, vigilias, rogationes indici curauit. Totus ipse pietatis officiis deditus, Dei furorem, peccatis populi excitatum, mentis puræ famulatu, non semel deliniuit: ipséque aliquando appetitus à sicario, dum ad altare deuotè communicaturus oraret, diuinitus seruatus est illæsus. Cuius meritis hoc etiam decus diuina bonitas addidit, vt gratia miraculorum insignis fieret: dum attactu fimbriæ ipsius vestimenti, puer à febre quartana sanatus est; ac per eius nominis inuocationem, diabolica præ- *SS. GONTRAMNVS.*

ſtigia ſoluta ſunt, laruæque ſæpiùs fugatæ. Cùm igitur eam ad ſanctitatem perueniſſet, quæ illum Deo amabilem, mundo admirabilem reddiderat, religioſiſſimus Rex terrena faſtidiens, cœleſtiáque toto affectu appetens, tandem carne ſolutus, ſanctiſſimum ſpiritum ad palatia ſuperna, cum Christo perpetim regnaturum, exceſſu placido tranſmiſit. In Eccleſia ſancti Marcelli quam in ſuburbio Cabilonenſi ſumptuoſo opere conſtruxerat, vt ſupremo edixerat voto ſepultus eſt, in qua optatam ſuis ſupplicib. dudum præſtitit opitulationem. In territorio Pariſienſi Kallæ Monaſterio tranſlatio corporis beatæ BATHILDIS Reginæ ſanctimonialis eiuſdem Cœnobij inſtauratricis. Item ipſo die depoſitio ſancti STEPHANI tertij Abbatis Ciſtercienſis viri conſpicuæ ſanctitatis, omniúmque virtutum gratia decorati: qui ſanctæ paupertatis æmulator feruentiſſimus, & eremi amator cupidiſſimus, feliciter exacta religioſæ profeſſionis militia, poſtquam multòs in Christi caſtra tirunculos, & in his aliorum ducem ſanctum Bernardum tranſcripſiſſet: ouans ad ſupernæ gloriæ euocatus eſt brauium. Cuius beata memoria ſacris Eccleſiæ tabulis inſcripta, fulget inter Sanctorum natalitia inſignis decimo quinto Kalend. Maij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

BATHILDIS. STEPHANVS.

Quarto Kalend. Aprilis. Luna

29																D II.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29			

SS. LIMINIVS.

CLAROMONTE Aruernorum ſancti LIMINII Martyris, qui fidei incredibili ardore accenſus, à Chroco Alemannorum duce impio Gallias inuadente, exquiſitiſſimis impetitus ſuppliciis, à Christi confeſſione nulla vi potuit auelli: ſed in pio propoſito conſtanter permanens, nobile martyrij certamen, veritatis extrema teſtificatione confecit. Cuius ſacratiſſimum corpus in baſilica ſancti Venerandi ſepultum, magno ſanè ſplendore decoratur: glorioſi autem capitis pignore ſacratiſſimo illuſtrata gloriatur aſceterioli Tureti Eccleſia, quæ feſta eius ſolemnia hodie peragit. In Veſontionenſi tractu Cœnobio Luxouienſi, depoſitio ſancti EVSTASII Abbatis diſcipuli ſancti Columbani, & ſucceſſoris digniſſimi, qui ex nobili

EVSTASIVS.

Burgundiorum genere procreatus, à puero Christi iugo salutari suscepto, tam miros in eius obsequio fecit progressus, vt sexcentorum monachorum optimus pater fieret, nec modò omni virtutum decore, sed etiam maximorum miraculorum splendore coruscaret. Is enim & sanctæ Pharæ Virgini Christo nuncupatæ, visum quem parentum suorum sæuitia amiserat restituit; febricantes signo crucis curauit, aliàque diuina virtute haud pauca effecit miranda, quæ qua præstabat sanctitatem maximè indicabant. Ad Boios profectus, quos in Christiana sacra propensos, magnámque iam partem Christum professos acceperat, illuc excurrens, sola oratione, impia simulachra destruxit, trophæa Christo erexit, Christianæ vitæ præcepta, verbo factísque tradidit, multos ab impio dæmonum cultu ad veram conditoris vnius cognitionem, traduxit: atque vt facta verbi diuini sementis prædicatio, idoneos haberet cultores, certos è suis delectos, disciplinæ sanctissimæ Doctores reliquit, quos Ecclesiis præfecit. Tum ad suum Monasterium regressus est, in quo pietatis officiis incumbens, virtutis & sanctimoniæ vberiores fructus edidit. Orando assiduus, diem noctémq. deuotionis illuminabat flammis, & precum odoramentis perfundebat. Peccatorum conuersioni insistens, pœnitentes qui ad ipsum veniebant, audita eorum exomologesi lachrymis irrorabat, eósque flere suo ipse fletu compellebat. Sacrarum literarum notitia, cœlestique eloquentia cùm præstaret, hoc illi imprimis studio fuit, vt multos sua façundia erudiret, ex quibus complures Ecclesiarum Galliæ Præsules extitêre, qui simul etiam sanctissimorum eius morum tincturam imbibentes, copiosos sapientiæ & pietatis imbres in populos emiserunt. Demum seruus Dei propagata plurimùm religione, calcata sæculi gloria, superatis dæmonis artibus, æmulorum insidiis, falsísque accusationibus; diuinæ visitationis exosculatis flagellis, impressis Gallico solo sanctissimæ vitæ vestigiis, sumpto viatico, ad cœlitum sempiternam quietem diuina euocatione commigrauit. Leodij & Suessione hoc ipso die colitur ex antiqua obseruatione, ordinatio S. GREGORII Papæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* GREGORIVS.

EODEM die mortem temporalem æterna vita commutauit piæ memoriæ HVGO Cameracensis Decanus, vir prudentia & sanctimonia illustris, qui cùm diuersarum Ecclesiarum Præsulatus recusasset, vacante Cameracensi Episcopatu, quòd ab omnibus se nosset expeti, factam de se electionem subire à Papa vel Legato ne cogeretur, clam se vrbe subducens, charis derelictis ci- *Hugo.*

uibus, vt Christum lucrifaceret, ad Valcellense Monasterium se contulit, vbi habitu religioso assumpto, Angelicam vitam agens sancto fine consummatus, feliciter è mortis ergastulo excessit.

Tertio Kalend. Aprilis. Luna

30 E I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30			

SS. PASTOR. REGVLVS. LEODII sancti PASTORIS Martyris. Arelatæ & Siluanecti sancti REGVLI Beati Ioannis Euangelistæ discipuli. Qui vir Apostolicus ciuis Nicenus è Græcia, suppetias ferendi caussa Dionysio Galliarum Apostolo, has in auras progrediens, Arelatæ vbi primùm ipse Dionysius post Trophimum à Paulo ordinatum consederat, asserendæ pietatis studio, subsistit; gregísque Dominici lupis obsessi truculentis, pastoralem curam assumens, illic salutis humanæ mysterium sedulo promouit: donec dum aliquando redemptionis hostiam ex pontificali munere immolaret, diuina reuelatione de Dionysij & sociorum agone qui ipso die completus fuerat admonitus, delecto sui vice Felicissimo, interiorem in Galliam pastore orbatam se contulit: Lutetiámque adueniens, oues Domini perterritas Apostolico sermone confirmans, ingenti solatio hanc Ecclesiam recreauit, cui & Episcopum Malonem præfecit: ædificatáque super Martyrum sepulchrum memoria, perrexit Siluanectum, oppidum sathanæ adhuc fascinamentis implicitum: vbi idolum Mercurij virga comminuens, Christúmque verum Deum Seruatorémque diuino planè spiritu deprædicans, necnon voce sola falsorum numinum simulachra demoliens, populum salutari præconio, ad Euangelicæ veritatis agnitionem cultúmque perduxit. Móxque in Virginis sanctissimæ honorem extructo sacrario, Christiana mysteria illic peregit, hæsítque ibidem nouellas plantationes verbo & opere irrigans, quoúsque tandem multo, talenti diuinitus suscepti fœnore comparato, fidelis seruus præmio cœlesti donandus, placido tranquillóque discessu, à Domino meruit ad coronam euocari.

VERO. Ipso die Lambecæ in Hanonia transitus sancti VERONIS nepotis Ludouici Pij Imperatoris, qui relictis sæculi pompis, monasterio à se extructo se inclusit, vbi egregiis effulgens virtutibus, æternæ beatitudinis munera consecutus est. Cuius corpus cùm sanctæ Veronæ sororis & eiusdem propositi religiosi

gioſi conſortis primo Lambecæ ſepultum, poſt ad montes Hanoniæ tranſlatum eſt. Eodem die Aureliis S. PASTORIS Epiſcopi & Confeſſoris, qui ibidem poſt curſus religioſè exacti conſummationem, hominem exuens ad ſupernorum ciuium conſortium, immortaliſque vitæ delicium pertranſiuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. Pastor.

Ipso die limitem piæ conuerſationis attigit RAYNALDVS, primum ſancti Amandi in Tornacenſi agro Monachus, deinde ſancti Bernardi ſectator ac imitator egregius, qui adhuc mortalis, cœleſtis vitæ gaudia, diuinis ſæpè viſionibus honoratus prælibauit. Obiit ipſomet die in Traiectenſi diœceſi piæ memoriæ DODO Canonicus horti ſanctæ Mariæ ordinis Præmonſtratenſis, qui prædicatione ſedula, quam inſignis pietas commendabat, tantum in ſua Friſionum gente profecit, vt eam à ferocitate ſua plurimùm mitigaret, moribúſque Chriſtianis exornaret. *Raynaldus.* *Dodo.*

Pridie Kalend. Aprilis. Luna

31 F *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21.	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1			

AMBLAVÆ in Arduenna paſſio ſancti AGILOLPHI Epiſcopi Colonienſis & Martyris, qui ſancti Bonifacij fidus ac ſtrenuus cooperarius, ibi dum Chriſti fidem prædicaret ab impiis interemptus eſt. Malmundaui autem cùm fuiſſet ſepultus, inde micantibus ſignis tranſlatus eſt Coloniam. Apud Maclouium ſanctæ CORNELIÆ Virginis, quæ hodie in Africa cum ſociis coronata, ſacrorum pignorum deuota diſtractione, natalem illic conſecuta eſt celebrem. Trecis S. HOYLDIS Virginis, quæ illuſtri proſapia edita, vtpote patre Signaro Comite Pertenſi, viro æquè pio ac nobili: matréque Leutrade non inferiori ſtemmate & virtute: ab ipſis ferè cunabulis Dei amore feruens & puritatis ſtudioſa eluxit. Nec cum ætate minori virtutum decore, quàm corporis pulchritudine floruit, doctrinis fidei inſuper & pietatis diſciplinis erudita, ſic profecit; vt cum morum ſanitate, Deo grata, & bonis eſſet quibuſque amabilis: ſuperno afflatu irradiata, vna cum MANEHILDE ſorore, ſæculi inquinamenta vt fugeret, conſtituit, ſpretis carnalibus nuptiis, ſoli Chriſto adhærens fideliter ſeruire, eíque ſacrum dedicare virginitatis florem. A Sancto igitur Alpino Epiſcopo Cathalaunenſi ambæ ex pio voto conſecratæ & velatæ, Angelicæ puritatis ſtudia æmulantes, vitam in terra planè cœleſtem inſtituerunt: ſícque in deuoto Chriſti famulatu

SS. Agilolphi. Corneliæ. Hoyldis. Manehildis.

Q.

perſeuerantes, cum luce & oleo, prudentes virgines obuiam ſponſo proceſsêre. At S. Hoyldis maiora meritorum fœnora, quæ conſecuta ſunt ad eius tumulum ſigna diuina propalârunt. Ob quæ ab Henrico Campaniæ Comite Trecas ſacrum eius corpus tranſuectum, ad ſancti Stephani baſilicam quam extruxerat pius Princeps, miris diuinæ virtutis coruſcationibus refulſit. *Avdoenvs.* Eodem die Rotomagi tranſlatio ſancti AVDOENI Archiepiſcopi eiuſdem ciuitatis & Confeſſoris; cuius depoſitio, ſacro anniuerſario colitur 9. Kalendas Septembris. Item in Blandinio eleuatio ac repoſitio corporum ſanctorum *Ansbertvs. Vvlfrannvs. Vandregesilvs.* ANSBERTI eiuſdem vrbis Archipræſulis, VVLFRANNI Archiepiſcopi Senonenſis, necnon VANDREGESILLI Abbatis Fontanellæ præfati ſancti Audoëni diſcipuli: quæ à Bolonia (vbi metu Normanorùm primùm depoſita fuerant, Gandauum tranſlata anno 944. 3. Nonas Septembris) in antedicti monaſterij ſacrario, ſummo honore tandem collocata ſunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

Guido. MORTALIVM hodie conſortio exceſſit piæ memoriæ GVIDO Canonicus ſancti Martini Laudunenſis ſub beato Vvalrero Abbate; fundator cœnobij Vicomienſis, pœnitentiæ cultor, terræ ſanctæ luſtrator, ordinis ſui ſtudioſus prouector, egregius pauperum conſolator. Tranſiit eodem die ad ſempiternam requiem apud Præmonſtratenſes beata *Agnes.* AGNES ex Branenſi Dynaſta, humilis monialis eiuſdem inſtituti: quæ à ſancto Norberto velata, magnificis enituit ſanctitatis indiciis. Item beatus *Vulphandus.* VVLPHANDVS Epiſcopus Bituricenſis, qui in ſancti Laurentij æde ſepultus, ſuæ beatitudinis permulta prodidit lumina.



APRILIS.

Kalendis Aprilis. Luna

I															G	XXIX.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	f
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2			



LVGDVNI ſancti NICETII Epiſcopi & Confeſſoris; qui patre Florentio Senatore ; matre Artemia progenitus, ſancti Martini meritis, à morbo, adhuc infantulus, grauiſſimo curatus eſt : exactáque optima in literis inſtitutione, inferiori ætate, quam morum plurima honeſtate religioníſque ardenti ſtudio decorauerat, clericali militiæ adſcriptus, ſacræ doctrinæ & pietatis officiis totus incubuit. Ob quæ præſtantis animi ſpecimina, ſacerdotio ætatis ſuæ anno trigeſimo initiatus, ſuſceptum tantæ dignitatis gradum, multarum virtutum augmentis cohoneſtauit. Caſtitatis præſertim amore, quam cum ſtudioſiſſimè coleret, aliis vt colerent auctor erat: & charitatis quam circa paruulos ad Chriſtum trahendos, (curando vt per literas quas inſtillabat, religionis affectum ac cultum vnà influeret,) indefeſſo labore exercebat. Iuuabat idem propenſus in miſericordiam, inopes; corripiebat peccantes; morum grauitate inſignis, atque ab omni verborum profuſione abhorrens, ſpiritualibus colloquiis proximos inſtruebat. Cùm tanta diuinorum chariſmatum affluentia Nicetius niteret, vtque ſpecioſum lilium, virtutum omnium fragrantia Lugdunenſem Eccleſiam perfunderet, contigit vt ſanctus Sacerdos eiuſdem ſedis Antiſtes, Lutetiam profectus, ibi extremo morbo corriperetur : quem cùm lectulo decumbentem pietatis officio viſitaret Rex Chriſtianiſſimus Childebertus; ſanctus Epiſcopus fiduciam ex tanta dignitate capiens, obnixè deprecatus eſt optimum Principem, vt Nicetium nepotem ætate maturum, ſibi deligi ſucceſſorem præciperet, non quòd vlli indulgeret carnali affectui: ſed quòd

SS. NICETIVS.

is vnus omnibus aptior videretur; vt qui amator castimoniæ, dilector Ecclesiarum, eleemosynis valde deditus, quæcunque seruos Dei decent, operibus & moribus gereret. Extremis sancti Præsulis votis vltro Rex annuit, Clerúsque & populus Lugdunensis vno consensu suffragatus est. Itaque cùm decessor ad superos migrasset, sacris infulis Nicetius redimitus, huius Ecclesiæ administrationem suscipiens, quem beatus Paulus cœlesti calamo Episcopum expressit, sanctissima conuersatione, flagranti implendi ministerij studio, perfectè imitatus est: sícque viginti duobus annis in omni vigilantia, solicitudine, abstinentia, mansuetudine, iustitia, religione, doctrina, omníque pontificali virtute, & pastoralis officij exemplis gloriosè transactis, quieta morte obdormiens, vitæ æternæ adeptus est repromissæ fidelis dispensationis mercedem. Quique in vita miris etiam operibus clarucrat, post transitum ampliori miraculorum gloria emicuit: cuius gratiæ præsertim energumeni, & vincti, opem eius fideliter implorantes, vt energiam persenserunt; sic & memoriæ eius contemptores, condigna percussi vltione, experti sunt virtutem. Gratianopoli sancti HVGONIS Episcopi & Confessoris. Hic è Castro nouo super Isaram, piis ac generosis parentibus natus est, quem cùm in vtero adhuc gestaret mater, visa est sibi in spiritu, elegantem se paruulum genuisse, quem sistendum Dei conspectibus sanctissimus Apostolorum princeps, cum nonnullis beatis in cœlum inferret. Magna igitur de futura prole opinione concepta, postquam fœtum enixa est, ac deinde, cùm ab vberibus abstracto puero ætas primæua succreuisset, expoliendum literis Valentiam illum destinauit. Qui scientia & pietate cum omnibus sociis antecelleret: mox in sacra deprehensus propensior, Canonicus maioris Ecclesiæ effectus; ibi dum integerrimis moribus & admiranda sapientia floreret, Gratianopolitana orbata Præsule Cathedra Episcopali, consonis Cleri suffragiis, magnóque populi applausu in Antistitem electus est. Sed cùm poscentibus assentiri renueret, Romam profectus, vt tanto onere, cui se ferendo imparem asserebat, eximi impetraret, à summo Pontifice Gregorio septimo: (quem vt liber ab electione fieret fusis lachrymis obsecrauit) graui adhortatione confortatus, atque demum tandem acquiescens Apostolicis monitis, summo honore remissus est ad sedem: vbi corruptissimos Cleri & populi mores reperiens, ad iustitiæ & pietatis tramitem vtrumque reuocare, quà voce, quà opere institit bonus Pastor, adeo vt tandem

HVGO.

post impensos copiosos sudores & gemitus, tenebrosam huius Ecclesiæ faciem, in eximiam splendoris gloriam subliméque religionis decus commutauerit. Cùm eo status decore, sanctus Antistes florentem Ecclesiam regeret, eius tractus fragranti odore Bruno, cum quibusdam sodalibus locum eremiticæ vitæ congruum quærens, ad eum venit: quos cœlesti septem stellarum sibi præmonstratos indicio, beatus Episcopus gratanter suscepit, votique compotes fecit, assignato eis in Carthusiæ solitudine domicilio, in quo Carthusiani ordinis Bruno ipse, duce & auspice Hugone, fundamenta collocauit. His aliisque meritis ditatus innumeris Dei seruus, postquam annos supra quinquaginta Ecclesiæ sibi creditæ omni laude præfuisset, multásque etiam schismaticorum persecutiones insigni animi robore, ac sapientia superasset, ad cœlos, ferens manipulos iustitiæ, tandem feliciter euolauit: quem miraculis à Deo post mortem magnificatum, cùm Innocentius II. Pontifex fideli relatione percepisset, præuia authentica sanctæ eius conuersationis approbatione, in plenario Ecclesiæ consessu Pisis solemni declaratione pronuntiauit, Sanctis in gloria annumeratum, debiróque mandauit amico Dei honore, à fidelibus prosequendum. Eodem die in Ambianis pago Vinnoensi, translatio sancti VALERICI Abbatis & Confessoris, miraculis gloriosi, cuius & depositio est celebris pridie Idus Decembris. Ipso die in Viennensi tractu transitus S. HVGONIS Abbatis Bonæuallis, S. Bernardi discipuli, sanctitate & doctrina conspicui: qui eo tempore quo Octauianus Antipapa, tunicam Domini inconsutilem discerpere satagebat, furori eius & asseclarum intrepidè sese opponens, vnitatem Ecclesiæ illibatam vt seruaret, magnanimiter decertauit, summísque exantlatis laboribus pacem sedi Apostolicæ procuratam tandem asseruit. Nec modò militanti Ecclesiæ subsidio, sed & patienti solatio fuit: nam animas è purgatorio plurimas piis officiis liberauit, quæ vt opem eius implorauerant, gratias etiam ipsimet, ob præstita chara Deo suffragia, rependerunt. Spiritu etiam prophetico effulsit: variisque miraculis, cùm in vita, tum post mortem cœlesti munere clarificatus, æternum in terra sanctitatis decus reliquit, præmiúmque in cœlo cum beatis, præstitæ cum Deo seruituris, tum Ecclesiæ operæ, indeficientis gloriæ consecutus est. In agro Parisiensi Cœnobio Sandionysiano, eleuatio corporis sanctæ OSMANNÆ Virginis & Martyris, cuius triumphus colitur die 9. Septembris. Lutetiæ memoria S. MARIÆ Ægyptiæ in propria Ecclesiola celebris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum*, &c.

VALERICVS. HVGO. OSMANNA. MARIA.

OCTAVA Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis hac die fuit pridem in Galliis piè obseruata.

Quarto Nonas Aprilis. Luna

2															A XXVIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3			

SS. FRANCISCVS. TVRONIS felix ad æterna tranſitio, S. FRANCISCI de Paula Confeſſoris, qui Ordinis fratrum Minimorum Patriarcha, Eccleſiam, ſtupenda vitæ ſanctimonia, miráque apud Deum gratia magnificè illuſtrando, ſobole etiam quam reliquit copioſa fœcundauit, ope multiplici ſuffulſit, beneficiis locupletauit perpetuis. Cuius felici præſentia dum vixit Gallia honorata, exemplíſque irradiata præclaris; poſtquam mortalis eſſe deſiit, venerabile corpus, ceu firmum ſuæ incolumitatis præſidium, ſuo ſinu diù lætabunda recondidit. At vipereo ſubinde hæreticorum dente dilacerata, qui verenda Sanctorum ſepulchra, innata Dei hoſtibus rabie, euertere, oſſaque Sanctorum à ſe refoſſa feralibus flammis exurere calamitoſis his nouiſſimus temporibus, auſu ſtupendo aggreſſi ſunt: pretioſiſſimo hoc pignore orbata ac exuta eſt. Verumtamen quæ adeo luctuoſo caſu, ſacratiſſimis tanti tutelaris exuuiis nudata fuit: eius tamen non deſtituta credenda eſt (quod impij illi tetro ſuo facinore ſatagebant) perpetuis præſidiis. Paſſa eſt enim in hac clade iacturam, iniuriam Dei amico non intulit: ſed in eius deſpectu, ignominiam ſuſtinuit, grauémque ex ea admodum perpeſſa eſt dolorem. Confidit igitur, quod ſicut ſanctiſſimo cadaueri illata vis, beati ſpiritus cum Chriſto regnantis felicitatem nec concuſſit, nec minuit, ſed magis auxit gloriam: adeo vt qui dum inter mortales verſabatur, teſtimonio eximiæ ſanctitatis approbatus, in Confeſſorum inſignium deinde albo meruerit cenſeri: nunc poſtquam ad ſuperos abiit, atq. inter cœlites cooptatus beatus Deo fruitur; nouo miróque honoris accremento, ludibria incendiáque in Domini contemptum, & ſanctè exactæ vitæ odium, in oſſibus paſſus, Martyrum choro dignus qui conſociaretur effectus eſt: ſic duplicata iam ex tam felici detrimento gloria, venerationíſque etiam apud nos aucto affectu, opem quoque vberiorem rependet, atque ampliorem præſtabit aſſiduæ apud Deum clientelæ ac pa-

trocinij ſuffragationem. Lingonis ordinatio ſancti VRBANI VRBANVS.
Epiſcopi & Confeſſoris, ſanctè actorum ac mirabilium operum gratia glorioſi, qui ſuo apud Deum patrocinio, vineas ſæpiùs à pruina & ruinâ defendit. Eius depoſitio feſto colitur die vigeſima tertia Ianuarij. Item Leodij celebratio Natalis ſanctæ THEODOSIÆ Virginis, quæ ſæuiente Diocletia- THEODOSIA.
no ſe Chriſti Confeſſoribus zelo fidei & amore Martyrij adiungens, Cæſareæ in Palæſtina in cuſtodiam detruſa, equuleo cruciata, & à vinculis, etiámque à beſtiis quibus dilanianda obiecta fuerat, diuina virtute erepta, tandem percuſſa gladio, duplici ornata corona Virginitatis & Martyrij, ouans euolauit ad Dominum. Cuius ſacrarum reliquiarum portio ab Oriente, nonnullis cum Sanctorum pretioſis pignoribus aduecta, ſummóque honore tempore Notgerij Præſulis pientiſſimi excepta, ibidem cultum ſanctæ ipſius Chriſti athletæ propagauit. At vt tota demum patrocinio Galliæ beata Virgo adiceretur: quicquid reſiduum erat ſacratiſsimi eius corporis, diuino beneficio intimum in Galliæ ſinum deportatum: in Deruenſi monaſterio Trecenſis diœceſis, magna veneratione ſeruatur & colitur. Item ibidem ſancti NOTKERI NOTKERVS.
Monachi ſancti Galli cognomento Balbuli, qui magna virtute & ſapientia præſtans, nec minus religione illuſtris, plenus dierum & meritis ſancto fine quieuit. Hic & viuens, Eccleſiæ, actis & ſcriptis, multa decora contulit; mortuúſque plurimis eam lætificauit miraculis. Lobiis commemoratio meritorum ſanctorum Antiſtitum VRSMARI & HERMINI, quan- VRSMARVS & HERMINVS.
do ipſorum opitulatione Lobienſes ciues, ab Hunnorum incurſu liberati ſunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

IBIDEM commemoratio Victoriæ contra Hungaros obtentæ: qui terrore diuinitus immiſſo, cùm hoc cœnobium & oppidum dura obſidione premerent, repulſi, pluuiáque prægrandi magna ex parte deleti ſunt. Claræuallis obitus piæ memoriæ GERARDI Monachi, ſancto Bernardo chari, vitæque inno- *Gerardus.*
centia inſignis. Obiit feliciter beata GENOVEFA Palatina, pudicitia, pa- *Genouefa.*
tientia & ſingulari Deiparæ cultu inſignis.

Tertio Nonas Aprilis. Luna

3 B XXVII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21
t u A B C D E f F G H M N P
22 23 24 25 26 27 28 29 29 30 1 2 3 4

SS. VRBICVS. CLAROMONTE in Aruernis ſancti VRBICI Epiſcopi illius municipij & Confeſſoris, qui vir magnæ virtutis & gloriæ S. Auſtremonio Apoſtolorum auditori, primóque Aruernorum Epiſcopo, longum poſt interpontificium ſucceſſit. Inuitus verò ad Præſulatum euectus, vxorem quam ante ſacerdotium nobilem duxerat, ipſe genere illuſtris & ex Senatoribus primis, Chriſti amore dimiſit, omnémque ſolitudinem conuertit in Eccleſiæ creditæ vtilitatem; quam, ex ſqualida ſpecioſam reddidit ſanctiſſimæ gubernationis fomentis, & pigmentis totius gratiæ & virtutis. At liuidus dæmon hanc gloriam fideli Chriſti ſeruo inuidens, in lapſum eum grauem impulit. Cùm illecebris vxoris ad congreſſum inductus carnis deſideria fecit complere. Ex qua copula Vrbicus prolem fœmellam tulit vnicam, quam reatus pœnitens, virginem Chriſto adultam dedicauit. Lapſum ſuum multo gemitu & dura caſtigatione etiam expiauit, ſicque purgatus à labe, expleto piè Epiſcopatu, purus migrauit ad Dominum. Cum vxore & filia in crypta Cantobennenſi iuxta aggerem publicum ſepultus, inde in Illidianam baſilicam tranſlatus eſt. Apud Maclouium veneratio ſancti PANCRATII Martyris, quando Roma in Gallias primùm ſacræ eius reliquiæ delatæ ſunt. In territorio Remenſi Altovillari Cœnobio, tranſlatio ſacri corporis beati MADELVPI, Sacerdotis miraculis conſpicui. In agro Meldenſi Eboriacenſi Monaſterio, eleuatio corporis S. PHARÆ Virginis primæ huius Parthenonæ Abbatiſſæ, miraculis etiamnum illuſtris, cuius felix tranſitus annua memoria ab Eccleſia honoratur 7. Decembris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

PANCRATIVS. MADELVPVS. PHARA.

Hermannus. IN Namurcenſi Præſulatu Villarienſi Cœnobio, obitus piæ memoriæ HERMANNI conuerſi, operibus charitatis & miſericordiæ inſignis, qui ob mentis puritatem eximiúmque deuotionis feruorem, ea diuinitus gratia donatus eſt, vt altiſſimæ contemplationis acumine cœleſtia conſpiceret, miróque internæ cogitationis intuitu, hominum ſecreta penetraret. Exceſſus mentis raptúſque ſæpè meditando habuit, ſanctiſſimæque Dei genitricis apparitionibus, non ſemel honoratus eſt; demúmque multis cœli chariſmatibus plenus beatum Deo reddidit ſpiritum.

Pridie Nonas Aprilis. Luna

4 C 25.XXVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	1	30	1	2	3	4	5			

GANDAVI, in priſcæ Remorum Metropoleos finibus, paſſio ſancti HILDEBERTI Abbatis Cœnobij ſancti Bauonis & Martyris: qui pietate & virtutibus florens, ob cultum ſacrarum imaginum, ab impiis earum exturbatoribus, tempore Conſtantini Iconoclaſtæ, trucidatus, prælij pro pietate ſuſcepti, coronam accepit immarceſſibilem. Eodem die vbique in Gallia excolitur maiorũ religioſo more, glorioſa depoſitio S. AMBROSII Epiſcopi & Confeſſoris, præcipui Spiritus ſancti organi, melliflui Eccleſiæ Catholicæ Doctoris: qui in coronario liliorum horto, hoc eſt ſpecioſo Galliæ ſinu, patre Galliæ præfecto ortus, vt decus immortale natali ſolo indidit, ſic niueo candore ſapientiæ, & odore fragrantiſſimo ſanctitatis, vniuerſum exornans & perfundens orbem, promeruit, vt incomparabilis Epiſcopi, Oratoris Catholici, fidei vindicis, virtutum Antiſtitis, ſplendidiſſimæ veritatis lucernæ, nomen apud primarios Patres indelebile conſequeretur. Binchij ex monaſterio Laubienſi tranſlatio Epiſcoporum & Abbatum Laubienſium. Eodem die migratio ſanctæ ALEYDIS ſancti Bernardi genitricis, quæ in profeſſione coniugali monaſticam vitam æmulata, delicias, pompas & nugas ſæculares à ſe abdicando, inſiſtendo ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, & diuerſis operibus miſericordiæ, ſobolem etiam, quam diuina benedictione copioſam tulit, in Dei timore ac amore educando: propriiſque manibus ſupernæ eius maieſtatis obſequiis offerendo (in cuius famulatus, ſex quos genuit filij, & filia vnica, ſub ſacra profeſſione, æterna præmia promeruerunt) ad tantam peruenit perfectionem, vt ſui ſæculi lumina clariora, profuſis ſanctitatis ſplendoribus coæquaret. Quæ cùm ſancto Ambroſio eſſet peculiari propenſione deuota: hancque conſuetudinem induxiſſet, vt per ſingulos annos in ſolemnitate ſancti ipſius Doctoris, vniuerſos quos congregare poterat Clericos, ad Dei, beatiſſimæ Virginis, & eiuſdem glorioſi Antiſtitis honorem, conuiuio ſolemni reficeret: Deus pium hoc in dilecti ſerui memoriam officium cultúmque præſtitum, digna mercede compenſans, voluit vt in

SS. HILDEBERTVS.

AMBROSIVS.

ALEYDIS.

ipſius feſtiuitate, debito mortis exempta, vitæ æternæ præmium reciperet: háncque inſuper detulit gratiam, vt ipſam exceſſus ſui qui in proximo ſancti Confeſſoris feſto futurus erat, faceret præſciam. In cuius peruigilio febre leui correpta eſt, luce verò ipſa feſtiuitatis, congregatis ex more Clericis, & ad ſe poſt conſuetam agapen euocatis, ſacratiſſimo viatico, extremáque vnctione præmunita, dum Litaniam recitarent, atque ad illa verba deueniſſent, *per paſsionem & crucem tuam libera eam Domine*, ſanctæ crucis ſe ſignaculo muniens, in pace, ſpiritum Deo gratiſſimum efflauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Nonis Aprilis. Luna

5 D 25.XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6			

SS. VINCENTIVS. IN Armorica Britannia, ciuitate Venetenſi, felix ad gloriam æternam commigratio ſancti VINCENTII Confeſſoris cognomento Ferrerij, qui ab ineunte ætate mundi illecebras declinans, in religionem ſe Deo dicauit: ſuſceptóque ſancti Dominici habitu, vt religioſæ vitæ exercitatione, ſic Theologiæ ſcientia progreſſus, multis Euangelij cauſa Dei inſpiratione peragratis prouinciis, ſpiritu Apoſtolico præditus, ſignı́ſque & prodigiis coruſcans, circiter triginta millia Iudæorum ac Maurorum ad Chriſtum conuertit. Ex Chriſtianis perditis, ſupra centum millia, ad meliorem frugem ſua prædicatione reuocauit: In hoc vbique admirabilis, quod dum materna ſemper & vbique lingua vteretur, omnes eius ſermonem ex quauis natione perciperent. Paupertatem humilitatémque in deliciis ſic habuit, vt & tot regiones quot fere Europa complectitur, pedes diſcurrerit, & oblatos duos inſignes Epiſcopatus, ipſúmque Cardinalatum ſtrenuè recuſauerit. Cæterùm pacis Eccleſiæ cupidiſſimus, quam ſchiſma diuturnum perturbabat, plurimùm inſudauit, vt vnitas tam dirè diſciſſa, tandem felici concordiæ nexu, ſolidè compacta, reſtitueretur: quibus piis affectibus & actibus ſtrenuis, Deo fauente, ſchiſma paulò pòſt ſublatum eſt. Demum verò cùm vir Apoſtolicus gloriæ Dei amplificandæ ſtudio ſemper intentus, in Britanniam Gallicam appuliſſet, atque Veneti aliquandiu, regnum Dei, eo quo flagra-

bat zelo promouens, resedisset, illic eo die, eâque ferme horâ qua Christus in ara Crucis lumina clauserat, placido consopitus somno mortis, ad immortalis vitæ gaudia pertransiuit. Qui sicut in vita multis claruit miraculis, ita & post obitum, gloriam qua apud Deum fruitur, plurimis supernæ virtutis indiciis declarauit. Siquidem innumeri homines aut sacrarum reliquiarum corporis, aut vestium contactu, aut sepulchri osculo, ingentia sanitatis beneficia, ipso opitulante impetrarunt; cuius sanctitate & magnitudine miraculorum cognita, Calixtus III. Christi Vicarius illum in Sanctorum numero adscripsit.

In Ciuitate Diensi sub Viennensi Metropoli, sancti MARCELLI Episcopi & Confessoris, qui primus illic sedens Antistes, magnifica virtute emicuit, decedénsque gloriosis in tumulo claruit, probatæ à Deo sanctitatis testimoniis; vt sanctus Gregorius Turonensis prodidit præclara asseueratione. MARCELLVS.

In Aquitania secunda solo Burdegalensi transitus sancti GERARDI Abbatis & Confessoris, sancti Arnulphi Episcopi Suessionum discipuli: qui natus Corbeïæ in Ambianorum finibus haud ignobili prosapia, à puero se totum ad Dei cultum conuertit, factúsque in prædicto Asceterio Monachus sub sancti ipsius Arnulphi ductu, doctrina, pietate, virtutúmque omni decore adeo conspicuus euasit, vt ipso beato Arnulpho cedente regulari præfectura, dignus eius iudicio & ascetarum omnium suffragio censitus sit, qui ipsi subleg[illegible]tur. Quem tamen cum ambitione tumens Pontius quidam vi potestatis sæcularis expulisset: is loco motus, iniuriam patienter ferens, in Aquitaniam concessit, vbi à Duce humaniter susceptus, in sylua Maiori Monasterium construxit, in quo ad finem vsque vitæ Deo sanctissimè seruiens beato fine quieuit: signísque tam in vita quàm post mortem plurimis refulsit. GERARDVS.

Apud Laudunum prima translatio sanctæ CILINIÆ matris sancti Remigij Episcopi Remensis Francorum Apostoli. CILINIA.

Ibidem sanctæ SILVIÆ Virginis, quæ corpore & spiritu diuinis obsequiis consecrata, in exercitio pietatis vsque ad felicem vitæ consummationem perseuerauit. SILVIA.

Eodem die Leodij commemoratio natalis S. EGESIPPI Martyris, qui nece pro testificatione pietatis fortiter obita, triumphantibus Christi athletarum choris, in cœlesti gloria, pro munere victoriæ meruit consociari. EGESIPPVS.

Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.

EODEM Præsulatu hoc ipso die sanctam efflauit animam in monte Cornelion beata Virgo IVLIANA Sanctimonialis virtutibus, visionibus, propheticiis *Iuliana.*

insignis, meritisque ditissima, quæ celebritatem sanctissimi sacramenti eximio deuotionis æstu, prima instituit & optauit & curauit. Huius tertia die postquam felici exitu migrauit, corpus, puritatis balsamum redolens, ad Cœnobium Villariense Sanctorum splendoribus ac odoribus plenum, translatum, inter corpora sacra conditum est. Claræuallis obitus sanctæ memoriæ ANDREÆ Monachi, fratris ac præcipui asseclæ sancti Bernardi.

Andreas.

Octauo Idus Aprilis. Luna

6																E XXIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	s
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7			

SS. PRVDENTIVS.

AVGVSTÆ Trecarum sancti PRVDENTII Episcopi & Confessoris. Hic ex Hispanicis oris ortus, diuinisque ornamentis præditus, maximéque religionis zelo & doctrinarum sacrarum scientia illustris, cùm in Galliam, à Saracenis pulsus, perfugisset, omnium amorem ac admirationem in se traxit. Vnde defuncto Adalberto Trecensi Præsule, consonis Cleri ac populi votis, apud quos tum degens claruerat, in illius locum Antistes electus, atque ordinatus est. Quo suscepto onere, sicut lucerna super candelabrum euecta, hanc Ecclesiam, imo & Galliam vniuersam, sanctissimæ vitæ exemplis, diuinæque sapientiæ fulgoribus irradiauit. Episcoporum sui temporis decus atque delicium, puræ fidei vindex, atque vnicum sacræ Sophiæ oraculum fuit. Ex qua existimatione ductus Guenilo Senonensis Metropolita, librum Ioannis Scoti, erroribus Origenianis, Gothescalcique nuperi hæretici deliriis scatentem, examinandum ac refellendum transmisit, quem ipse, pro data sibi diuinitus sapientia, aculeatis rationibus validisque auctoritatum præsidiis, maximè verò Hieronymi, Augustini, Fulgentij atque Gregorij sanctissimorum Patrum testimoniis confutauit. Pia etiam poëmata in Christi laudem perscripsit. Synodis Parisiensi & Suessionensi, restituendæ Ecclesiasticæ disciplinæ studio, atque sopiendæ discordiæ, serendæque pacis amore, summa cum Ecclesiæ vtilitate interfuit. His cùm clareret meritis sanctus Antistes, à Leone IV. Pontifice Maximo rescriptis etiam honoratus est Apostolicis: cuius Papæ iussu, Ademarense Cœnobium recens constructum in sanctæ Trinitatis honorem, Apostolorúmque Petri & Pauli, ac sancti Leonis Papæ magni memoriam, consecrauit. Multa alia exegit in Præsulatu, tum officij Pontificalis, tum vitæ, tum doctrinæ præclara facinora: demúmque cùm Ecclesiam diù ac feliciter administrasset,

straſſet, diebus & piis fœnoribus plenus, ad æternam conſcendit beatitudinem. Cuius corpus ob gratæ Deo ſeruitutis teſtimonium, gloriæque qua potitur cœleſtis crebreſcentia inſignia, dudum è tumulo elatum, & in capſula collocatum in maiori Eccleſia Trecenſi honorificè aſſeruatur, vbi ex auita deuotione ac diœceſana lege, hodie beata eius memoria, ſub celebri officio percolitur. Eodem die ibidem ſancti VVINEBAVDI Abbatis, qui ob ſanctæ vitæ merita charus Clotario Francorum Regi, piis efflagitationibus, ſanctum Lupum Senonenſem Archiepiſcopum ab exilio reuocauit, ſedíque è qua iniuſtè fuerat eiectus condigno honore reſtituit: nec minùs virtutibus quàm miraculis clarus, vita in Dei famulatu conſumpta migrauit ad præmium. Ipſomet die ſancti GVILIELMI Abbatis, qui origine Pariſinus, primùm Canonicus ſæcularis in baſilica S. Petri, quæ nunc S. Genouefæ dicitur, extitit. Deinde inſtitutâ illic auctoritate Eugenij Papæ III. regulari congregatione, ibidem ſanctæ huius diſciplinæ aſſumpto habitu, hauſtóque ſpiritu flagrantiſſimo pietatis, poſt multos miróſque in palæſtra obedientiæ, humilitatis ac patientiæ editos progreſſus, in Daniam propagandi religioſi inſtituti cauſa miſſus, illic procera vt arbor non modò altas radices emiſit, ſed & copioſos fructus protulit. Conſtructo ſiquidem Rochildenſi monaſterio, magnam ſui inſtituti progenuit ſobolem; quam lacte paternæ ſolicitudinis, atque vino ſolidæ doctrinæ, melléque omnimodæ virtutis poſtquam feliciter educaſſet, in ſumma ſpiritus puritate meritorúmque affluentia conquieuit, ſícque plenam benè conſummati curſus obtinuit à Rege gloriæ, quem ſuper omnia dilexerat, mercedem. Auguſtoduni in Æduis memoria S. SIXTI Papæ & Martyris. Eodem die in Villarienſi Cœnobio diœceſis Namurcenſis depoſitio S. HENRICI Monachi viri admirandæ pietatis & charitatis ardentiſſimæ, qui ſæculi vanitatem adeo deteſtatus eſt, vt paſſim inimicus mundi (verus ideo Dei amicus) appellaretur. Cuius ſacrum corpus illic inter vindicatorum cœlitum veneranda cadauera, ob ſanctitatis euidentiam, reconditum congruo meritis honore aſſeruatur. Trecis oſtenſio & repoſitio pretioſi capitis ſancti LVPI Epiſcopi & Confeſſoris: quod ad ſupplicationem Nicolai Abbatis eius monaſterij, Iacobus ſeptuageſimus (ab ipſo beato) Trecenſis Antiſtes, ex veteri ſcrinio in vaſculum tranſtulit magnificum, auro gemmíſque decoratum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

VVINEBAVDVS. GVILIELMVS. SIXTVS. HENRICVS. LVPVS.

Septimo Idus Aprilis. Luna

7															F XXII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
26	27	28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8

SS. LAZARVS. MASSILIÆ inuentio corporis ſancti LAZARI Pontificis & Martyris Chriſto dilecti, cuius agoni ſacrata dies agitur decimo ſexto Kal. Ianuarij. Dionani in Leodij finibus PERPETVVS. tranſlatio ſancti PERPETVI Epiſcopi Leodienſis & Confeſſoris, quando ab Eccleſia ſancti Vincentij in qua ſepultus fuerat, (cùm ex eius tumulo oleum manaret) maioris honorificentiæ cauſa, ad baſilicam ſanctæ Virginis euectus, ibique in feretro pretioſo decenter collocatus eſt: vbi à ciuibus reuerenter frequentatus, deuotæ inuocationis, multa miráque piis cultoribus impendit, ex diuinæ beneficentiæ fonte, quo in cœlis plenè fruitur delibata ſtipendia. Natalis eius ſolemniter peragitur die 4. Nouembris. In Monaſterio Criſpinienſi, territorij Cameracenſis depoſitio ſancti AIBERTVS. AIBERTI monachi recluſi, egregiarum virtutum viri, qui cùm eſſet ſacerdos, accepta facultate à Paſchali Pontifice peccatorum confeſſiones audiendi, innumeras animas Chriſto lucratus, clarus miraculis & ſanctæ vitæ exemplis, ipſo die Paſchæ ad gaudia cœleſtia migrauit. Ipſo die Cluniaci VVALTERVS. ſancti VVALTERI beati Odilonis diſcipuli, qui ſtatura puſillus, virtute magnus, humilitate, ſimplicitate ac innocentia præcellens, religioniſque ſtudiis toto ex corde intentus, incipiente nocte Sabbati reſurrectionis Dominicæ vitam cum morte, imo mortem cum immortalitate feliciter commutauit. Cùm autem ſpiritum ad æthera tranſmitteret, columna lucis ignea à culmine Monaſterij ad cœlum vſque pertingens, innumerabilibus perſonis apparuit, quibus hoc ſigno innotuit, diuinæ gratiæ munere factum, vt qui ſpiritu humilis, omnium in oculis puſillus viſus fuerat, ſublimis religionis extiterit columna, quæ nixa humilitate, vſque ad cœleſtis gloriæ celſitudinem, ſui ipſius contemptu ac demiſſione peruenerit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Ermentrudis.
Hermanus cognominatus Ioseph.

EODEM die obiit apud Leodienſes in monte Cornelij beata Virgo ERMENTRVDIS, beatæ Iulianæ indiuidua comes & præcipua imitatrix, quæ accenſa caſtitatis & charitatis lampade, cum ſapientum Virginum choro, obuiam ſponſo properans, ad æternas nuptias læta peruenit. Exiit è ſæculo beatæ memoriæ HERMANVS Preſbyter, & Confeſſor ordinis Præmonſtratenſis, qui ob miram ſimplicitatem, & ſingularem erga Deiparam Virginem deuotionis affectum, IOSEPH cognominatus eſt. Cuius corpus ob fulgorem beatitatis eleuatum cernitur & colitur in Abbatia Stemfeldenſi diœceſis Colonienſis.

Sexto Idus Aprilis. Luna

8 G XXI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9			

SS. Perpetui.

TVRONIS ſancti PERPETVI Epiſcopi & Confeſſoris, qui genere Senatorio ortus, ſancto Euſtochio ob morum integritatem, ſpectatámque ſanctimoniam & doctrinam ſuccedens, gregi ſuo verbo & opere, omníque paſtoralis vigilantiæ cura, & religionis amore, glorioſè præluxit: piíſque ſemper officiis, ſuſceptæ Eccleſiæ decora prouexit & commoda. Is enim ſacræ politiæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtituendæ cauſa, Turonis Concilium ſolemne habuit, in quo præclara multa conſtituit ſubmota Eccleſia quam Beatus Briccius nuper ſancti Martini tumulum ædificauerat, aliam ampliorem nobili ſtupendóque opere extruxit. In cuius abſide corpus ipſius venerabilis Confeſſoris, aſſiſtentibus Epiſcopis qui Synodo prædictæ interfuerant, magna honorificentia tranſtulit: ſed & in huius nouæ ædis parietibus Epigrammata in honorem ipſius ſancti Martini, ſuo rogatu edita à Beato Sidonio Epiſcopo Aruernenſi & Fortunato Pictauienſi inſcripſit. Ieiunia inſuper & vigilias qualiter per circulum anni in ſua Eccleſia celebrari deceret, ſcripta ſerie ordinauit. Sancti Petri ædificauit baſilicam, necnon ſancti Laurentij Eccleſiam in monte Laudiaco conſtruxit. Bibliothecam etiam tuendæ Catholicæ fidei præſidio inſtruxit copioſam. In Eccleſias munificus, & pauperum ſollicitus, teſtamentum diu ante mortem condidit, quo patrimonium quod opulentum habebat, in pia ſubſidia diſpertiens, per ſingulas ciuitates vicinas quod poſſidebat delegauit. At cùm Eccleſiis cuiuſque loci ſuæ diœceſis multa contuliſſet, Turonicæ tamen matrici potiora erogauit donatiua. Deinde cùm annis triginta, ſummo cum decore ſapientiæ & pietatis ſediſſet, *Succeſſor*, vt ſcribit ipſe Sidonius, *ſancti*

Martini dignissimus, priuilegióque charitatis maximè insignis, omníque meritorum laude prædicandus, *eximius*, vt canit sanctus Paulinus; *Dei cultor*, hominem exuens, vt gloriæ indumenta reciperet, ad æterna tabernacula conscendit. Cuius corpus in basilica sancti Martini (quam ait sanctus Gregorius Turonensis) *sagaci insistens studio mirificè extruxerat*, sepultum est: sícque beatus Episcopus sancti cuius honorem excoluerat, moré sque optimè fuerat imitatus, consortium vt in cœlo sic in solo feliciter adeptus est. In agro Parisiensi sancti Dionysij famoso monasterio, celebritas Natalis sancti DIONYSII Corinthiorum Episcopi doctrina & rebus piè gestis insignis, cuius præclaræ Epistolæ quas ad Ecclesias exarauit, permultum vtilitatis rebus Christianis attulerunt; sacrum verò corpus ab Oriente Romam aduectum, atque ab Innocentio Papa III. datum Emerico Priori, inde ab eo in Gallias delatum ad prædictum Cœnobium, augustóque feretro conditum, editiori loco, proprio in altari quiescit, hodiéque cum magna reuerentia piis visitatoribus exhibetur, quibus & præfatus Pontifex, ad tanti cœlitis ampliorem honorificationem, indulgentiarum munera in perpetuum concessit copiosa. In agro Atrebatensi cœnobio Marcianensi eleuatio sancti IONATI Confessoris discipuli sancti Amandi, & primi eius loci Abbatis, qui cùm esset multarum virtutum decore adornatus, exemplis & orationibus multos ad Christum adduxit. Eius depositio ibidem colitur Kalend. Aprilis, qua die & felix eius ad cœlum transitus contigit. Leodij commemoratio septem sanctarum VIRGINVM, IN SYRMIO ab impiis interemptarum, quarum palmas vniuersalis Ecclesia die sequenti veneratur: hodie verò merita colit, ob pignora quædam dudum recepta, ipsa Ecclesia Leodiensis. Eodem die obiit in carcere sanctæ memoriæ GVILIELMVS Abbas Claræuallensis, captus à Frederico Imperatore, Sedem Apostolicam & cultores eius cæco furore persequente. Cuius sancti viri Ecclesiasticæ vnitatis ac Pontificatus Christiani egregij assertoris, corpus exinde Claræuallis relatum, ibidem multis miraculis refulsit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

DIONYSIVS.

IONATVS.

Septē VIRGINES SYRMIENSES.

GVILIELMVS.

Quinto Idus Aprilis. Luna

9 A xx.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27
t u A B C D E f F G H M N P
28 29 1 2 3 4 5 6 5 6 7 8 9 10

ROTOMAGI ſancti HVGONIS, prædictæ Metropolis Epiſcopi & Confeſſoris, viri profundæ humilitatis, ſummæ deuotionis & intemeratæ conuerſationis: qui diuina inſpiratione illuſtratus, depoſitis Epiſcopatus infulis, à ſancto Aichardo excellentiſſimæ ſanctitatis Abbate, in Gemeticenſi Monaſterio inſtanter ſuſcepto regularis profeſſionis ſchemate, omnem huius diſciplinæ rationem complexus, maxima exemplorum lumina, cœnobitis omnibus exhibuit, demúmque poſtquam multo tempore diuinæ Maieſtatis obſequiis ſtrenuè inſtitiſſet, meritis ſanctiſſimæ vitæ locupletiſſimus, beatitatis æternæ perrexit ad præmium. Cuius ſacratiſſimum corpus, cùm ethnici Nortmani Gallias deuaſtarent, maturè ex Neuſtria ſublatum, cum ſancti ipſius Aichardi pretioſis exuuiis, in Belgium prope Cameracum tranſuectum, in oppiduli Haſprenſis collegiata ſancti Vedaſti Eccleſia repoſitum eſt, vbi ad vtriuſque inuocationem diuina virtus multa operatur ſuæ magnificentiæ inſignia. In Caſtromonte tranſitus ſanctæ VVALTRVDIS, quæ Vvalberti & Bertiliæ Comitum Hanoniæ filia, ſanctíque Vincentij Comitis itidem coniux, ſacra prole in matrimonio fœcundata, vitæ ſanctioris deſiderio feruens, de mariti beneplacito abiectis opibus ac honoribus, ſacrum velamen à ſancto Autberto Cameracenſi Antiſtite accepit, ſéque Deo conſecrando, in Monaſterio Caſtriloci quod pia munificentia extruxerat, cum maxima cordis iubilatione incluſit: vbi adunata ſanctarum Virginum copioſa militia, vſque ad vitæ conſummationem, in perfecta mundi deſpicientia, carnis maceratione & ſpiritus puritate perſeuerans, Chriſto cui placere ſoli deſiderauerat gratam reddidit animam. Lemouicis ſancti GAVCHERII Confeſſoris, qui genere nobilis è Rotomagenſi ſolo, affectu pietatis liberius excolendæ, ad has partes ſecedens: communicato cum ſancto Leonardo virtutibus & miraculis apud Nobiliacum coruſcante, religioſo conſilio, ſe in finitimos ſaltus Cauanaci coniecit, vbi extructo tuguriolo per triennium hæſit, in rerum cœleſtium contemplatione defixus, ſalutis mo-

SS. HVGO. VVALTRVDIS. GAVCHERIVS.

nita multis ad ſe confluentibus impertiendo. At concurſus frequentioris pertæſus, Saluaticum agellum petiit ſub columbæ ductu, quæ auulſam roſtro è tecto tugurioli ſtipulam, in locum vbi fixam ei Deus præparauerat ſedem pertulit. Illic igitur vir Dei impetrato à Clero Matricis Eccleſiæ (in cuius ditione locus erat) conſenſu Monaſterium condidit, ad quod multi ſanctitatis eius illecti odoramentis, mox quaſi ad hortum floriferum apes, conuolarunt, ſe in diſciplinam eius tradentes; quibus regulam ſancti Auguſtini præfigens, ſemet in normam totius obſeruantiæ regularis, formámque perfectæ vitæ, ſanctis moribus ac documentis præſtitit. Cúmque ſumma cum prudentia & manſuetudine, tenellum gregem parens optimus gubernaſſet, demum ſenio confectus, caſu delapſus in lapidem caput alliſit, ex quo vulnere ſibi diem ſupremum imminere ſentiens, petita ſuſceptáque cum ingenti deuotione cœleſti alimonia, mortis ſarcina ſolutus, ad beatam proceſſit veræ vitæ fruitionem. Cuius cùm ſacrum cadauer Gerardus Epiſcopus Lemouicenſis, condigna ſepultura cohoneſtaſſet, miraculis deinde crebris coruſcans, Sebrandus eiuſdem municipij Præſul, Cœleſtini III. Papæ mandato, è terra ſuſtulit, decentíque capſula recondens venerandum, congruo Dei amico cultu, in ſacrario Eccleſiæ collocauit: vbi hodie ſacris officiis, felix eius ad Dominum tranſitio celebratur.

GVILIELMVS. In tractu Toloſano, Monaſterio Grandisſiluæ tranſitus itidem ſancti GVILIELMI, qui ex Domino Montiſpeſſulani, factus illic humilis Chriſti ſeruus, admirabili pietate emicuit, póſtque varia humilitatis exercitia æternam euocatus ad gloriam, iudicio etiam Eccleſiæ albo ſanctorum inſcribi demeruit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Petrus. HODIE in beatorum album relatus eſt beatus PETRVS de Luxemburgo, à Clemente VII. legitimo Apoſtolorum Principis ſucceſſore. Ipſo die placida *Hugo.* morte obiit beatæ memoriæ HVGO Archiepiſcopus Biſontinus cognomento Salinarius, Eccleſiæ ſancti Anatholij Salinenſis inſtaurator, collegiíque Canonicorum illius fundator, atque amplificator munificus Abbatiæ ſancti Pauli: vbi quieſcit fama ſanctitatis conſpicuus.

Quarto Idus Aprilis. Luna

10 B XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	1	2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11			

AVTISSIODORI ſancti PALLADII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex Abbate ſancti Germani, vbi ſanctioris diſciplinæ exempla ac documenta prodiderat, ſancto Deſiderio in Epiſcopatu ob præcellentes dotes ſubrogatus, mox vt pontificatum ſuum exorſus eſt, ab vitiorum extirpatione, quorum fœdiſſimam maculam ab ouibus ſuis aboleret, initium fecit, nec vllam quietis partem ſibi permiſit, quominus diuinæ legis & ſacræ politiæ iura plenè vindicaſſet. Quod ſtudium vt in cæteros Galliæ populos propagaret, ſtrenuus pietatis cultor & aſſertor, Remenſi ſub Sonantio Metropolita ſecundæ Belgicæ, necnon Cabilonenſi ſub Gauderico Lugdunenſi Celticæ primate, coactis Conciliis interfuit, quibus præſentia ſua & ſapientia multum decus attulit. Hinc ad Eccleſiæ ſuæ cultum, omnem ſollicitudinem conuertens, ædes ſacras in priſtinum aut maiorem etiam ſplendorem reſtituit; Eccleſiam ſancti Germani in oppido Varziaco, & ſancti Iuliani Martyris non longè ab vrbe, ſanctique Euſebij in ipſo ſinu Epiſcopatus conſtruxit. Atque cùm in dies domus Dei decorem piis præclariſque operibus amplificaret, demum ex laboribus & præſentis vitæ fluctibus, quos in diuturno Pontificatu ſæpè perpeſſus, at ſemper prætergreſſus eſt, ad æternæ quietis portum optatiſſimum perueniens, in ipſa ſancti Euſebij quam extruxerat baſilica conditus eſt, vbi ſacris anniuerſariis merita eius ab incolis honorantur, ac patrocinia ipſe ſupplicibus impertit exoptata. In Iotrenſi Monaſterio Meldenſis Præſulatus tranſlatio ſancti CLAVDII Martyris ex vrbe Trecenſi, vbi cùm poſt agonem feliciter expletum cum Sancta Iulia Virgine eius in Chriſto parente, in ædiculæ ſancti Martini area ſepultum ſacratiſſimum eius corpus, diù, ſine cultu condigno iacuiſſet: tandem diuinæ bonitatis diſpoſitione, piáque Ioannis Canonici Remenſis & Thomæ aſcetæ ſancti Dominici, hinc ſublatum, atque debita honorificatione, ad prædictum virginale cœnobium (ad quod iam S. Iuliæ pretioſa pignora aduecta fuerant,) magno fidelium concurſu & ſolemnitatis apparatu, fe-

SS. PALLADIVS.

CLAVDIVS.

liciter allatum, summóque gaudio exceptum; in hunc vsque diem eximio cultu asseruatur, in sacrario, cælitum pretiosis exuuiis ditissimo. Ipso die Gandaui depositio S. MACARII Antiocheni Patriarchæ sanctissimi. Hic genere Armenus post multa in cura pastorali præstita egregiæ virtutis facinora, atque miracula edita, vt plausibili se aura populi subduceret, se præsulatu abdicans, Eleutherio viro probitate insigni regendam Ecclesiam reliquit. Atque Hierosolymam inde voti causa profectus, sub Ioanne Patriarcha, multa ibi ab infidelibus ludibria passus, detrusúsque etiam in carcerem (è quo diuina virtute ereptus est,) ex his nonnullos stupendæ patientiæ & sanctimoniæ exemplis ad fidem pertraxit. Sed cùm fama longè latéque sui nominis differretur, latere cupiens clarum pietatis sidus in Orientem migrauit: Borealésque lustrans Ecclesias, splendorem miraculorum vbique quamuis inuitus peruehens, in Boiatia, hospitio ab Adalberto viro magnæ dignitatis ac prædiuite officiosè exceptus, annóque integro detentus est: cuius vxorem grauissimo morbo tabescentem, ita vt à medicis pro desperata vita eius haberetur, fusis precibus ab ipso mortis decliui retrahens, plenæ incolumitati restituit. Hinc Moguntiam progrediens, cædis reum, ex hostium manibus signo cœlesti eripuit. Inde ad Vbios, à quibus Mechliniam, Malbodium, Cameracum, Tornacum, petiit ac demum vbique per omnem viam impressis miraculorum vestigiis, Gandaui ad sancti Bauonis Cœnobium admissus, multa ibi præclara opera in profligandis corporum morbis, pacandis dissidentium accolarum odiis, compescendis furentium flammarum incendiis, proscribenda sæuissima pestilitate designauit: qua tamen lue ictus ipse demum veluti victima pro gente concidit: sícque peregrinationem finiens, à Patre cœlesti, in patriam illam sibi omnibúsque iustis ab omni æternitate destinatam, inuitatus; perennem, post tot sudores, adeptus est beatificationem. Cuius sacratissimum corpus in eiusdem Monasterij crypta ante altare sancti Petri Apostoli sepultum, diuinis postea virtutibus coruscauit. Duaci susceptio sacratissimorum corporum sancti TERENTIANI & sociorum Martyrum, qui Romani milites ob fidei Christianæ confessionem capite plexi, gloriæ coronam promeruerunt. Horum pretiosa cadauera ex vrbe in Belgium delata, in Patrum societatis Iesu sacrario Duacensi, religiosè recondita seruantur. Leodij transitus sanctæ memoriæ NOTGERI Episcopi viri Dei. Is in Sueuia natus, nobilitatem generis sic scientia & moribus illustrauit, vt

MACARIVS.

TERENTIANVS & socij.

NOTGERVS.

defuncto Heraclio, ob honestatis & religionis prærogatiuam, de regali Palatio (vbi propter raras animi dotes inter sapientes Consiliarios ascitus fuerat) ad regimen tantæ Ecclesiæ, petitione populi, Cleri suffragiis, & Principis inexpetito fauore transierit. Creatus verò Antistes spem de se habitam administrationis gloria ac felicitate plurimùm superauit. Omnia tam circa muros quàm circa mores in melius prouexit. Libertatem ac dignitatem Ecclesiæ restituit illibatam, vrbísque etiam ambitum aditúsque muniuit. Porro in Dei cultum potissimum animarúmque salutem studia, vt dignum erat, intendens, nihil quod huc conferre posset penitus prætermisit. Cùm videret summam ædem S. Lamberti vetustate labantem, diruit, & nouam construxit ac capaciorem. Sodalitium Canonicorum auxit, quos in ea sexaginta, diuinis obsequiis perpetim insistere, decreuit. Templum sanctæ Mariæ quod ad gradus dicitur, fundauit. Ecclesiam in S. Ioannis Euangelistæ, & alteram in honorem sancti Dionysij Areopagitæ Apostoli Galliarum ædificauit & dotauit. Laurentianum absoluitquod decessor inchoauerat, asceterium. Collegia & Monasteria instituit ac dotauit plurima. Tot lumina dum proderet clarum Ecclesiæ sydus, omnium procerum sententia, Ottoni (qui nomine tertius fuit exinde Imperator) tutor delectus est, quem optimis moribus instituit, nec verò Reipublicæ modò hunc Principem optimum præstitit, sed & Ecclesiæ, Præsules eximios sua ex disciplina peperit, qui doctrina ac virtute præstantes, magna Ecclesiis quibus postmodum præfuere decora ac commoda indiderunt. Cæterùm ipse sicut oliua fructifera in domo Dei plantatus, vberiori semper frugum copia, Ecclesiam propriam cumulauit: quam non tam censu, quàm religionis splendore curauit illustrandam. Eam igitur præclaris institutis ornauit. Siquidem consuetudinem orandi pro defunctis postridie festi omnium Sanctorum, ab Odilone Abbate Cluniacensi non ita diù introductam, per totam suam diœcesim iussit obseruari. Ritus alios sanctissimos induxit, officiísque Ecclesiasticis multam addidit maiestatem. Ecclesiis dignos sacerdotes præficiens, populus vt ex legis diuinæ præscripto erudiretur: pueri etiam vt piè instituerentur curauit. Bona non solùm vt se viuente florerent solerter instuduit, sed & scandalis ne postea emergerent aditum præclusit. Tot quibus afficiebatur curæ, sublimem, à Deo, mentem, cui intimè coniunctus erat, non auellebant; at pietatem vt foueret feriatus à grauioribus negotiis (quæ omnia in Diuinum beneplacitum referebat) orationi,

lectioni, ſcriptioni, ſedulò vacabat. Cæterùm tot támque præclara opera cùm patraret Deo gratiſſimus Epiſcopus, miraculis etiam, quæ ſanctitatis indicio erant plurimis effulſit. Ferunt anathematis ab eo ſpiculo percuſſos, ob induratam proteruiam, pœnas etiam temporales, diuina vltione luiſſe. Ipſum verò tempore famis, annonam de cœlo precibus impetraſſe. Oratione ſua maxima auertiſſe pericula: multa verò à Deo beneficia pia efflagitatione gregi ſuo conciliaſſe. Qui demum tot ornamentis vitæ decorus, tot vigilantiæ paſtoralis muneribus conſpicuus, tot ſanctitatis teſtimoniis illuſtris; poſtquam triginta ſex annos abſolutum Epiſcopum viuo virtutis & pietatis ſimulachro expreſſiſſet, placido mortis ſopore potitus, debitam lucis percepit vſuram. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Eſchillus, Ipso die, obiit ſanctæ memoriæ ESCHILLVS Archiepiſcopus Lundenſis, & totius Daciæ Primas ac Sueciæ, qui cùm de ſtirpe regia oriundus, tam ſublimem ſtirpem, pontificalium virtutum gloria obſcuraret, ſui deſpector, humilitatis cultor, Chriſtique impenſioris famulatus cupidus, abdicato Eccleſiaſtico ſæcularique Principatu, ad ſanctum Bernardum perlucidum hoc tempore toto orbe religionis ſidus, ſe conferens, Claræualle ſe in eius diſciplinam tradidit, à quo accepta regularis militiæ chlamyde, tanta humilitate & honeſtate enituit, vt ſpeculum totius perfectionis omnibus fieret: ſicque poſt multa meritorum inſignia, in pace obiens, deſtinata humilibus & puro corde præmia, à Rege gloriæ accipere demereretur. Eodem die obiit in Monaſterio
Bertrandus. Firmitatis in agro Cabilonenſi, piæ memoriæ BERTRANDVS primus illius Cœnobij pater, vir Dei amore feruens omniúmque virtutum titulis glorioſus.

Tertio Idus Aprilis. Luna

-II C XVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
1	2	3	4	5	6	7	8	7	8	9	10	11	12			

SS. LEODEGARIVS & PRINCIPINVS. IN Bronio Monaſterio aduentus ſancti LEODEGARII Epiſcopi Æduenſis & Martyris, cuius ſacrum corpus deinde in Galliam relatum maximis fulgens virtutibus, cum exuuiis ſancti PRINCIPINI itidem Martyris, ad Siluiniacenſe Cœnobium ordinis Cluniacenſis, in Aruernia peruectum, ſummóque quo decuit honore, cum corporibus ſanctorum Confeſſorum Maioli & Odilonis præfati ordinis coryphæorum, in ſacrario collocatum eſt: quorum piis cultoribus, qui congrua deuotione eadem ſacroſancta pignora venerantur, Clemens Papa VI. Apoſtolico diplomate vberrima Eccleſiæ theſauri impertiuit

donatiua. Eodem die Turonis ſancti AGERICI Abbatis, egregia ſanctimonia præclari. Lodeuæ decimo quinto die poſt Paſcha, fit in maiori Eccleſia feſtum tranſlationis ſancti GENESII Martyris eiuſdem Eccleſiæ patroni. Lugduni ſancti SICARII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancto Elpidio (omnium digniſſimus tantæ vrbis Epiſcopatu) diuina aſpiratione ſuffectus, Clerum ſanctitate & doctrina, populum iuſtitiæ & pietatis moribus informauit. Auctiſque ad cumulum paſtoralis vigilantiæ meritis, ad laborum euocatus eſt mercedem repoſitam. Ipſomet die Nouionii ſanctæ GODEBERTÆ Virginis, quæ in ſolo Ambianenſi nata à primis virentis ætatis annis, ſtudiis cœleſtibus dedita: ac demum à ſancto Eligio, Chriſto in ſponſam dicata, aſſiduis ſponſo officiis famulando, in templo ſancti Georgij Martyris in ſuburbiis recluſa conſtitit, ibique extremos vitæ annos peragens, in ſumma ſanctitate floréque cum illibato pudoris, æternam conſcendit ad gloriam. In cuius honorem Eccleſia cum Monaſterio poſtea ædificata eſt, vbi ſacræ Virgines adunatæ, tramitem eius pulcherrimum conſectando, per longa temporum curricula, Chriſto Domino puræ mentis odoramenta obtulerunt. Eodem die facta eſt tranſlatio prima ſanctæ ipſius Godebertæ miracnlis illuſtris. Ipſo die in Gallia Narbonenſi oppido ſancti Ægidij, paſſio ſancti STEPHANI Abbatis Elnenſis, qui habito cum legatis Apoſtolicis colloquio de rebus Eccleſiæ, cùm ad dictum oppidum rediret, interceptus à Guilielmo Rupefortio Albigenſium hæreticorum ſignifero, & crudeliſſimo cultorum Catholicæ fidei inſectatore, triginta ſex vulneribus confoſſus lauream felicis agonis promeruit. Cæſus eſt cum eo ILDEBRANDVS Monachus viginti quatuor plagis, quibus confectus ad idem peruenit glorioſi certaminis præmium. *Et alibi in Gallia aliorum*, &c.

Agericus. Genesius. Sicarius. Godeberta. Stephanus. Ildebrandus.

AVENIONE Canonizatio ſancti LVDOVICI Epiſcopi Toloſani & Confeſſoris ex ordine Minorum, facta ſolemniter per Ioannem XXII. Pontificem Maximum anno 1317. *Ludouicus.*

Pridie Idus Aprilis. Luna

12																	D XVII.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1
	t	u	A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P			
	2	3	4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13			

IN Narbonenſi ſecunda, Ciuitate Vapicenſi ſancti CONSTANTII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſub Symmacho

SS. Constantius.

Papa & Clodouæo Francorum Protochristiano Rege, primus ea in vrbe, quam Christo totam subegit, Pontificatum gessit, sapientiæque cœlestis præstantia, & morum innocentia florens, ætatem cum summa religione transegit, sicque sibi ad regnum æternum aditum sternens, è pastorali specula, ad arcem beatitatis euectus est. Cuius nomen in benedictione apud incolas permansit, perennémque obtinuit ob meritorum cumulum, & opitulationis beneficia, venerationem. Eodem die

ERKEMBOLDVS. in Morinis sancti ERKEMBOLDI Episcopi, qui Reuengerum in ordine sequens, quam in religioso secessu, sub sancto Bertino imbiberat pietatem & doctrinam, affluenti virtutis ac solertiæ copia eructauit. Sic enim in salutem gregis incubuit, vt verbis & exemplis in iustitiæ & salutis tramitem planè deduxerit. Deíque timoris pariter ac amoris, intingens piis affectibus oues, Christi charactere consignauerit. Vnde caduceator æternæ pacis & gloriæ, ob fidelis dispensationis studium, cœlestis repromissionis munera acquisiuit. Obiit in Sithiuensi Cœnobio Antistes gloriosus, súbque sanctæ Dei genitricis auspiciis, in æde, quam sanctus Audomarus tertius eiusdem sedis Antistes consecrauerat, humatus est. Leodij commemoratio

ZENO. sancti ZENONIS Episcopi, laboribus quos in magnis Ecclesiæ perturbationum fluctibus pertulit, ac egregiis quæ reliquit puræ fidei documentis, necnon glorioso demum martyrio insignis. Qui cùm Veronæ quidem sedens coronatus sit: sacrorum pignorum felici distractione, vt patrocinia multis populis præbuit opulenta, sic & profusa cultus deuoti obsequia apud eos obtinuit. Hócque iure obstricta Ecclesia Leodicensis, eidem hodie ex auito more sacra anniuersaria exoluit. Arelatæ sancti

FLORENTINVS. FLORENTINI Abbatis & Confessoris. Hic libro vitæ indelebiliter adscriptus, iam à tenera ætate, faustum æternitatis iter capessiuit. Cùm Christi amore incensus, vexilla eius, sub ductu sancti Cæsarij iunioris Episcopi Arelatensis, tum magna religionis gloria conspicui secutus est. Cuius exemplo & monitu factus ordinis sancti Benedicti monachus, iis mox diuinæ multiformis gratiæ donis, ac virtutum studiis actibúsque inclaruit, vt non tam discipulus quàm magister absolutissimus, omnis obseruantiæ, pietatis & cœlestis doctrinæ à quibusque sinceris Dei cultoribus censeretur. Quamobrem à sancto ipsomet Cæsario, nouo asceterio quod in suburbio vereri construxerat, sub triumphali titulo sanctæ Crucis Abbas præfectus, odore flagrantissimo sanctitatis, & splendore signorum quibus gloriæ iam æternæ candidatus renidebat: innumeros ad se traxit

xit discipulos, quibus & cœli desiderium, & Dei scientiam ac obsequium, non tam verbis quàm factis indidit. Qua ex schola Hilarianus & Ianuarinus, viri tam pietate quàm sapientia præclari feliciter edocti prodierunt. Qui diuini sui magistri sanctimoniæ inspectores non solùm, at imitatores præcipui, etiam encomyastæ fuerunt dignissimi. Postquam enim vir Dei Florentinus, sanctissimæ conuersationis cursum absoluit: hi memoriam eius quam mirabiliter illustrabant, etiam elogiis sculptis in marmore, versibus scilicet heroicis & acrosticis decorârunt. Humatus quidem fuit beatus Confessor in veteri monasterio Arelatensi, cuius etiam in postrema ætate curam habuit: vnde anno ab transitu trigesimo tertio ob fulgentia signa beatitatis, ad cœnobium sanctæ Crucis, reuectum fuit sacratissimum eius corpus, quod nunc vsque ibidem colitur magna populi veneratione, præsertim 10. Kalend. Iulij, quo eius festiuitas celebratur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

CAPTA hodie haud sine diuina ope Constantinopoli per Francos, Græca Ecclesia ad Romanæ omnium matris sinum & gremium reducta est per BALDVINVM Flandriæ Comitem, Orientis Imperatorem à victoribus creatum anno salutis 1204.

Idibus Aprilis. Luna

13 E XVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14			

AVRELIIS susceptio capitis sancti QVIRIACI Martyris. SS. QVIRIACVS. Metis sancti ROMANI Episcopi illius ciuitatis & Confessoris. ROMANVS. Qui post Attilæ feralem incursum, miserandámque ciuitatis illius vastationem regimen pastorale nece Gosselini desertum, obeundum suscepit. Solatiáque populo præstans paterna, Ecclesiæ & ciuitatis casum egregia qua cura, qua opera resarciuit. Demum statu vtroque non mediocriter instaurato, plenus diebus & meritis, ad æternæ patriæ amœna euectus est: noménque suum inter sanctos huius Ecclesiæ Pontifices ab hinc conscriptum, posteris perenni recolendum veneratione reliquit. Aruernis in suburbiis sancti MARTII MARTIVS. Abbatis & Confessoris, qui eiusdem loci indigena, vt Deo

purè seruiret, haud procul ab vrbe secedens, cellam sibi in monte saxeo condidit lapideámque supellectilem, ibíque degit nihil habens proprium nisi Dei cultum. In quo indeficiens sub rudi amictu, ac gratuita victus alimonia, vsque ad obitum permansit, Dei virtute armatus, diabolo infestus, hominibus reuerendus. Ad cuius famam cùm multi pergerent cupientes eius instrui disciplinis, Domini vt talenta ampliaret seruus fidelis & strenuus, collegit viros, effecit Monachos, reddidit perfectos. Non autem diuinis tantùm moribus, sed & virtutibus clarus emicuit. Nam curationum dono cœlitus dotatus, crucis signaculo dæmones profligauit, benedicti liquoris infusione restinxit febres, oratione hydropisim siccauit, multáque orando impendit afflictis diuinæ virtutis ac pietatis subsidia. Cùm verò iam ætate nonagenaria militiam bonam prorogaret, laborum vocatus ad mercedem, iustitiæ coronam quieto fine percepit: gratiámque opitulationis qua in carne claruerat, in tumulo retinuit, exercuítque indutus gloria ampliorem. Quæ omnia & luculentiora egregius testis sanctus Gregorius Turonensis de eo veraci stylo descripta, posteris prodidit memoranda. Apud Macloujum memoria sanctæ EVPHEMIÆ Virginis & Martyris, ob recepta illic aliquot eius pignora sacrosancta, quorum & insignis portio Lutetiæ Parisiorum asseruatur in celebri toto orbe Sorbonæ Gymnasio, ab Equitibus Melitensibus seu Rhodiensibus pretioso munere transmissa, & solemni excepta Academiæ concursu die 28. Decembris anno salutis 1606. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

EVPHEMIA.

EODEM die in Cœnobio Vallirtosatum in secunda Belgica prope Machliniam felici dissolutione excessit sanctæ memoriæ IDA monialis, quæ ab ipsa pueritia cœlestibus præuenta benedictionibus: atque diuinis visionibus irradiata: totáque in Christi amorem transfusa, miræ eius in se dilectionis insignia percipere ac perferre meruit. Cuius ad conspectum aliquando rapta, arcana ineffabilia vidit: póstque tot gratiæ dotes, ad gloriæ fontem ditata meritis, sponso euocante migrauit. Ipso die pio fine quieuit Venerabilis IDA Comitissa Boloniensis, mater Godefridi Bullonij I. è Francis Hierosolymæ Regis, fœmina religiosissima, & in sacras domos, plurimùm munifica. Cuius merita Deus editis ad eius tumulum, in Vvastensi monasterio, miraculis plurimis honorauit.

Ida.

Ida.

Decimo octauo Kalend. Maij. Luna

14 F XV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15			

LVGDVNI ſancti LAMBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui primum religioſa inſtituta ſecutus, in Fontanella Monaſterio agri Rotomagenſis ſancti Vvandregeſili ad ſuperos abeuntis, ob præclara morum ornamenta delectus ſucceſſor fuit. Erat ſiquidem religioſa grauitate venerandus, charitate plenus, fide firmus, prudentia ſupereminens, conſiliis prouidus, in colloquiis amabilis, in bonitate ſingularis, vultu & ſtatura decorus, & in Chriſti religione feruentiſſimus. Quæ cùm longè lateque promicarent perfectæ virtutis lumina, defuncto Geneſio celebris ſanctimoniæ Epiſcopo Lugdunenſi, à populo in Præſulem expetitus, à Clero electus, à Theodorico Rege acceptatus, pro innata ſpectabili modeſtia diutiſſimè repugnauit, nec niſi ægrè, votis vt comprouincialium Antiſtitum, iuſſioni regiæ, ac ordinis populique ſuffragationibus cederet, tandem inductus eſt. Sicque ſummo ſacerdotio nobilis huius Metropolis condigno honore initiatus, ſuſcepta ſuorum cura, nihil priùs habuit, quàm vt ouilia paſcuis cœleſtibus ſaginaret, verbóque & factis ad cœlum deduceret. Quibus inſiſtens ſtudiis, cùm Eccleſiam ſuam ſedulo moderamine irreprehenſibiliter rexiſſet: ſanctúmque Auſbertum, quem optimè ſuis diſciplinis imbuerat, iiſdem gradibus ad Epiſcopatum Rotomagenſem prouectum, vt Timotheum Paulus ſacratiſſima manuum impoſitione, ac pontificali ordinatione conſecraſſet, vinculis corruptionis exutus, ad gaudia æterna pertranſiuit. In Catalaunenſi territorio Monaſterio S. Vrbani feſtiuitas ſancti TIBVRTII, cuius hac die Romæ laureati, ſacrum corpus cum præfati VRBANI ſanctiſſimi Pontificis & Martyris pretioſis exuuiis, munere Nicolai I. Papæ, inde in Galliam delatum ad Carolum Caluum Regem Chriſtianiſſimum, eo in Cœnobio honorificè repoſitum eſt, vbi & hodie incolarum pio concurſu honoratur. In Agaunenſi cœnobio S. VILICARII Epiſcopi Viennenſis & Confeſſoris. Hic Carolo Martello res Gallicas moderante, poſt Auſtrebertum nobilis huius ſedis Antiſtitem nullo ambitu, at meritorum gratia creatus: ſanctiſſimorum quotquot præſederant Pon-

SS. LAMBERTVS. TIBVRTIVS. VRBANVS. VILICARIVS.

tificum egregiè facta, sedula imitatione æmulatus, rem sacram miris accessionibus ampliauit. Clerum ad doctrinæ & pietatis studia, populum ad obseruantiam diuinorum præceptorum assiduo hortatu & exemplo reuocauit. Dirutaà Saracenis basilica suburbicaria, quam vltra Rhodanum S. Mamertus ædificauerat, ossa beati Martyris Ferreoli, necnon caput S. Iuliani, intra Viennam transtulit. Deinde tædio affectus, quòd Carolus præfatus Viennensis Ecclesiæ patrimonium, profanos in vsus vindicasset, abdicato Præsulatu Agaunum petiit, vbi ex monacho factus Abbas demum sancto fine quieuit. In Monasterio Tyronensi transitus beati BERNARDI primi eius loci Abbatis, egregiis virtutibus & spiritu prophetiæ ac dono miraculorum gloriosi. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

BERNARDVS.

Liduina. PVRA hodie lumina clausit in oppido Schidamensi sanctæ memoriæ LIDVINA Virgo, admirabilis patientiæ & puritatis, donóque diuinarum reuelationum conspicua; cuius sacræ glebæ portio præcipua non modico ornatu transuecta, Bruxellas in Brabantia, in sacello Ducali digno cultu conseruatur.

Decimo septimo Kalend. Maij. Luna

15 G XIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16			

SS. SILVESTER.

IN Burgundia Cœnobio Reomensi diœcesis Lingonensis sancti SILVESTRI Confessoris, beati Ioannis viri Dei primi huius loci Abbatis, discipuli ac successoris. Hic cùm vix ex ephœbis excessisset, diuino afflatu præsentia fastidiens, cœlúmque toto pectore anhelans, sub sancti illius Patris disciplina tyrocinium religionis iniit: sub quo ingentes virtutum faciens progressus, eius in se vt sanctimoniæ sensim actus transfudit: sic & eo ad supernas sedes euocato, dignus qui vicem eius obiret habitus, Cœnobium illud eodem spiritu, parique virtute gubernauit: quin & sacri cœtus numerosiori caterua, religiosarúmque institutionum vberiori decore, ac proprij nominis fama & meritorum accumulatione ampliauit plurimùm, & ditauit. Sícque decursa feliciter sanctæ professionis palæstra, cœlitis cuius mores in carne imitatus fuerat, consortium in superna patria, demeruit felicissimum. Maclouiopoli in Armorica, necnon Legiæ Eburonum veneratio sanctorum Martyrum OLYMPIADIS & MAXIMI, qui genere clari, at fide magis illustres in Hispania iussu Decij,

OLYMPIAS & MAXIMVS.

virgis cæsi, plumbatis contusi, demúmque securibus in capite collisi, beatas animas in Christi glorificatione efflauerunt. Horum pignora diu in honore conseruata, postea sub Saracenorum incursione in Gallias traducta, ac dispersa, variis in locis, maximè autem in præsignatis vrbibus cultum condignum receperunt. Trecis reseratio sacri MEMORII Leuitæ & Martyris: qui cum sociis sex passus est septimo Idus Septembris in vico Brolio, nunc Martyris ipsius trophæo ac patrocinio insigni. Ibidem ostensio capitis sancti LEBAVDI eadem in hierotheca cum ossibus & capite prælibati Martyris, conditi. Ipso die in Monasterio sancti Amandi ad Elnonem fluuium in Neruiis susceptio portionis non modica vitalis ligni sacrosanctæ crucis Dominicæ, quam Vvalterus nobilis miles, de sancta ciuitate adferens, insigni munere obtulit, Abbásque & ascetæ cum solemni pompa ac eximia deuotione susceptam, in Ecclesia eiusdem Cœnobij adorantes collocauerunt. Claræuallis sacræ memoriæ GAVDVVINI Monachi, quem sanctus Bernardus paterno amore complexus, in suum sodalitium recepit, & sanctimoniæ meritis clarum, viuentem admiratus, & mortuum sanctitatis præconio ac cultu veneratus est. Eodem die Antuerpiæ depositio sancti VVALTMANI primi Abbatis sancti Michaëlis, primariique sancti Norberti discipuli, viri altissimæ humilitatis, diuinæ sapientiæ, & eximiæ pietatis, quibus philtris Apostolicis Antuerpiensem populum, vicinásque ciuitates Tanchelina hæresi delusum sanæ menti restituens, ad fidei Orthodoxæ cultum & matris Ecclesiæ Catholicæ sinum feliciter reduxit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

MEMORIVS. LEBAVDVS. GAVDVVINVS. VVALTMANVS.

IN ordine Guillelmirarum obiit hodie beatæ memoriæ REYNALDVS Monachus Gallus, vir sanctissimæ conuersationis, qui nascentes ipsius ordinis cunabula, zelo mirifico prouexit, ac multiplici virtutis splendore decorauit. Quibus præclaris dotibus præstans, iter æternitatis capessiuit. Cuius ab hinc memoria in benedictione habita est: nam & hodierna die sacris est officiis apud suos celebratus. Abiit etiam ad cœlum hodie beata CHRISTINA, Virgo Angelicæ puritatis ac seraphici feruoris, ordinis Cisterciensis stella perlucida.

Reynaldus. Christina.

Decimo sexto Kalend. Maij. Luna

16																A XIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17			

SS. THVRIBIVS. IN tertia Lugdunenſi, Ciuitate Cenomanenſi, S. THVRIBII illius municipij Epiſcopi, ſancti Iuliani viri Apoſtolici initiatoris illius ſedis aſſeclæ ac ſucceſſoris. Is ciuis Romanus, à ſancto Clemente Apoſtolorum Principis hærede, ipſimet Iuliano, cùm deſignatam in prouinciam proficiſceretur comes ac adiuua, datus, ab eo poſtquam Cenomani ſedem fixit, nouellæ Eccleſiæ Archipreſbyter conſtitutus eſt. Quo in munere adeo ſe feliciter geſſit, vt beatus Iulianus, ſtabilita religione, cùm ſe vrbe ſubduceret, ad orationi & contemplationi attentius incumbendum; quietiorem in locum ſecedens, totum paſtoralis curæ onus in fidelem Symmyſtam coniiceret. Vnde factum, vt virtus viri odorem ſuum latè diſpergens, omnium excitaret exiſtimationem & amorem: Iulianóque ipſi deſiderium ingereret, vt in eum qui oneri ferendo, tam ſtrenuus auxiliarius extiterat, munus integrum poſt ſe obeundum tranſmitteretur. Cuius votis, Deo auſpice, res ita ſucceſſit: vt ipſi euocato ad præmium, Thuribius, omnium conſonis ſuffragiis ſublegeretur. Factus Antiſtes, Epiſcopalis officij partes omni ſanctitate expleuit, prædicatione, orationibus, vigiliis, omníſque pietatis exemplis deditus, quibus plebis creditæ mentes ad ſuperna euexit, ſibíque fidelis diſpenſationis dignè exactis excurſibus, æterni præmij acquiſiuit deſignatam lauream. PATERNVS. Eodem die Abrincæ in Normania ſancti PATERNI Epiſcopi & Confeſſoris. Is in Pictauienſi ſolo equeſtri ſtirpe editus, ab ætatis flore diuino afflatu religioſæ vitæ frænos ſibi ſponte iniecit in Monaſterio Enixionenſi, vbi vitæ & morum decore florens in illo ipſo ſuæ profeſſionis ingreſſu, non obſcura futuræ coram Deo magnitudinis dedit indicia. In ipſa autem adoleſcentia, ad ſublimiora ſanctæ vitæ ſtudia aſpirans, cùm non fideret ſibi propter ætatis teneritudinem, cum Scubilione eiuſdem loci Monacho (cui optata patefecit) captandæ Deo gratæ ſolitudinis cauſa diſcedens, nihil præter Pſalterium accepit. Igitur extra natale ſolum profectus, in Neuſtriam ad pagum Conſtantium ſeceſſit, ſed cùm populi frequentia ſibi inquie-

tudinem cieret, in insulam à concursu remotam transire dispo-
suit. At à viro religioso detentus est, admonente, vt vicinum in fanum cui Scisciacum nomen, se recipiens, vnà cum socio, monitis, precibus & sanctæ vitæ exemplis, homines implicitos ethnicismi erroribus, à dæmonum cultu ad salutarem Christi religionem reuocare studeret. Tam diuino hortamento acquieuit Dei gloriæ studiosus Paternus, prædicationéque frustra proteruos Idololatras, miraculóque quo scipione fontem è rupe eruit, à tenebris ad lucem, Christíque cultum, omnes sic pellexit, vt fanum profani cultus in porcorum stabula redactum sit. Hac porro Christo acquisitâ plebe, latibulum petiit. At paulò pòst ab Abbate Generoso quæsitus & inuentus, itidem increpatus est, quod solitudinis cupidior, in victu & vestitu etiam ac conuersatione sibi rigidior, metas canonis monastici transiliret. Non enim præter panem & aquam vel olera sale conspersa, aliud pabulum admittebat, omniúmque ferè hominum deuitabat aspectus, aspero tectus cilicio, vestéque molesta, nudo pauimento incubabat. Modum igitur tanto feruori Abbas imposuit, reuocatóque secum, Scubilone, Paternum in optata solitudine dimissum, abiens Leuciano Episcopo commendauit, qui eius virtutum fragrantia commotus, inuitum Diaconum, postea etiam renitentem presbyterum ordinauit. Creuerunt cum sacri honoris signaculo, etiam sancti viri virtutum insignia, sub cuius etiam in spelunca degentis disciplinam multi concurrentes, religionis sub eius magisterio theoremata didicerunt, à quibus postea non pauca apud Constantienses ipsos, quin & Baiocenses, Cenomanos, Rhedones in Armorica excitata sunt Monasticæ institutionis Gymnasia. Interim Childebertus Rex, visendi tantæ sanctitatis viri incensus affectu, seruum Dei Lutetiam Parisiorum euocatus. Quem cùm maligni spiritus in vrbem aduentare senserunt, ex obsessis corporibus mox aufugêre. Febres ipsius accessu correptæ, infirmi plerique facti sunt incolumes. Rex virum Dei adeo reueritus est, vt quicquid pietatis intuitu posceret, vltrò concesserit. Reuersus paulò pòst ad optatam cellulam Paternus, ipsimet noctu quiescenti magno cum fulgore apparuêre sancti Episcopi, Leucianus & Beor, qui Pontificem, septuagenarium iam senem ordinare visi sunt. Nec multum intercessit temporis, cùm decedenti Perpetuo Episcopo Abrincensi, successor diuini muneris delectus est. Impositum onus diuina dispensatione, cuius præscius fuerat, recusare nefas duxit. At suscepta administratione, talem se præbuit in ouium sollicitudine, vt si-

mul in singulis esset admirabilis, in omnibus singularis. Cùm autem Concilio etiam Parisiensi interfuisset, in quo præclaræ constitutiones pro vindicanda Ecclesiastica libertate ac sanctitate editæ sunt: vir Deo gratissimus, summa cum laude tertio decimo anno Pontificatus, ætatis octogesimo tertio expletis, altero Paschatis die ad sedes supernas vitæque immortalis, quam Christus resurgens initiauit, gaudia feliciter translatus est. Corpus honorifico funere sepultum, prodigiis vitæ prioris sanctimoniam ostendit, demúmque Danicæ deprædationi ne pateret, in Aquitaniam transuectum, Eolduni Biturigum conditum est, in proprij nominis basilica, in qua hodie, quemadmodum toto in Abrincensi Præsulatu, sacra eius memoria celebris cultu debito condecoratur. Eodem die in eandem con-

SCVBILIO. cessit gloriam beatus SCVBILIO, eiusdem beati Confessoris comes, qui de Abbatis licentia ad eum reuersus, séque quamuis ætate maiorem in illius disciplinam committens, apud Mandanenses eius suasione in cellula se reclusit, vbi dum diuinis fruitur commerciis eodem quo Paternus ipse momento in extremum morbum incidit. Cúmque misissent vtrinque nuntios, qui mutuum experi vicissim significarent aspectum: Deo seruorum vota præuertente, ambo eadem omnino hora, animas sibi inuicem occurrentes, ad cœlestia regna nobili tripudio transmiserunt. Sed & cùm Paterni exequias celebraret Laudo Constantiensis Episcopus, qui ante dies octo eius inuisendi causa eò venerat: illiúsque corpus ad sacram ædiculam, quam ambo prope primam cellulam construxerant, deportaret: Itémque Lanscius Episcopus sancti Scubilionis glebam ad eandem Ecclesiam adduceret: ambo Pontifices, concinnente psallentium choro, præter omnem expectationem sibi inuicem, occurrerunt: venerandáque cadauera eodem funere prosequentes, eodem loco consepeliêrunt, adeout in his duobus Dei famulis rursus illud impletum sit fidelis societatis elogium, quod sicut in vita dilexerunt se, ita in morte non fuerint separati.

Remis in sancti Remigij Archimonasterio, translatio sancti

GEBRIANVS. GEBRIANI Confessoris, cuius ibidem solemnis est depositio 8. Idus Maij. Apud Valencenas in Cameracensi territorio, sancti

DROGO. DROGONIS Confessoris admiranda sanctitate clari, & opitulationum gratia gloriosi, cuius pretiosæ intercessionis subsidio, calculosi & rupti desiderata solatia percipiunt. Prope Castrum

AIGVLPHVS. Rodulfi translatio S. AIGVLPHI Episcopi Bituricensis & Martyris, cuius natalis agitur 11. Kal. Iunij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

VOCATUS perrexit ad præmium fidelis Christi seruus ALANUS ordinis sancti Dominici, patria Armoricus, vir cùm doctrinæ, tum sanctimoniæ laude præclarus. Cui beatissima Virgo apparens, prædicationem sacratissimi Rosarij reuelauit & mandauit. Is tam viuus quàm defunctus crebris miraculis claruit. *Alanus.*
Eodem die felix transitus GVARINI Archiepiscopi Bituricensis LXVI. qui sancti Bernardi alumnus ex eius disciplina ad hanc Cathedram conscendit, Ecclesiámque suam spectabilis sanctimoniæ ac munificentiæ ornans, insignis, religioso exitu migrauit ad æternam requiem. *Guarinus.*

Decimo quinto Kalend. Maij. Luna

17																B xii.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	13	14	15	16	17	18			

IN Aquitania ciuitate Santonensi Natalis sancti VASII Martyris, qui inclyta ortus prosapia iuuenis parentibus orbatus, suæ potestati relictus, cùm sacros conuentus fidelium frequentaret, audito in Ecclesia Apostoli, *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt, quoniam qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo*: cuncta quæ pretiosa habebat, in pauperum subsidia erogauit; seruósque manumissos, vinculo mancipij, ob Redemptoris amorem absoluit, multísque auxit beneficiis. Quod molestè ferentes eius cognati, qui ei ab intestato successuri erant, capitali in eum odio incensi, in eius vitam conspirárunt, atque per conductos iniquitatis mercede siccarios trucidauerunt. Sicque pius ac ingenuus adolescens, crudeliter necatus, at feliciter laureatus, charitatis suæ amplissima fœnora recepit: nam abiecta terrena, quam Christi amore distraxerat, possessione, cœlestis regni consecutus est hæreditatem. *SS. Vasius.* Aureliis translatio S. POTENTIANI Episcopi & Martyris. *Potentianus.* Viennæ sancti PANTHAGATI Episcopi & Confessoris, qui (quod nomen præfert) Omnibonus reipsa fuit, summa enim cum prudentia ac pietate docendo, concionando, gubernando, prouinciam sibi commissam administrauit. Et in summa integritate commendabilis, postquam Concilio tertio Aurelianensi inter præclara Galliæ sidera, verum religionis lumen ac columen interfuisset, lætus abiit ad Dominum. *Panthagatus.* Item Sonegiis sancti LANDRICI Episcopi Meldensis & Confessoris, sanctorum actorum etiam gloria conspicui. *Landricus.* Is beati Vincentij & sanctæ Vualdetrudis Comitum Hanoniæ filius, sanctíque Ebregesilli successor in prædicto Præsulatu, eo sanctitatis splendore emicuit, quo clara & pia natalia, vicémque sanctam quam diuino

nutu fortitus erat, coæquaret. Demúmque pro Christi gloria & ouium salute magnis laboribus perfunctus, meritísque plenus æternæ remunerationis adeptus est stipendium. Cuius sacratissimæ exuuiæ in feretro argenteo conditæ, Sonegiis debita veneratione in collegiata Ecclesia asseruantur. Eodem die

GERVINVS. in Aldeburgensi Cœnobio depositio sancti GERVINI eiusdem loci Abbatis secundi & Confessoris, viri religiosæ vitæ exemplis, ac prophetiæ spiritu clarissimi. Eodem die apud Cisterciu m festum

STEPHANVS. sancti STEPHANI Abbatis, qui efflorentem Cistercij ordinem, copioso benefactorum imbre irrigauit, & sanctum Bernardum præcipuum totius ordinis decus suscipiens cum triginta sociis, habitu monastico induit: Sicque vt alter Elias, demisso nouo huic Eliseo, pallio cum spiritu, ad cœlestia placido excessu translatus est habitacula. Eodem die claret in præ-

BERNARDVS. dicto ordine memoria beati BERNARDI monachi dono patientiæ insignis, ob quam post obitum apparens Abundo sanctæ vitæ Monacho, se choro Martyrum cœlesti associatum insinuauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Conf ssorum, atque Sanctarum Virginum.*

Rabodo. OBIIT hodie pio fine RABODO monachus Parci prope Louanium sanctis moribus clarus.

Decimo quarto Kalend. Maij. Luna

18 C XI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K*	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19			

S. AGNES. LVTETIÆ Parisiorum susceptio reliquiarum S. AGNETIS Virginis & Martyris, ex cœnobio Brolij Benedicti diœcesis Ebroicensis: facta anno salutis 1545. in Abbatiali Ecclesia sancti Maglorij Parisiensis per Carolum Episcopum Maigarensem Abbatem Maglorianum, auctoritate Pauli Papæ III. & consensu Ioannis Parisiensis Episcopi, magno cum pompæ Ecclesiasticæ triumpho. In Cameracensi diœcesi depositio S.

VRSMARVS. VRSMARI Episcopi & Confessoris, qui in Hannonia genitus prope Afuenas primum ætatis florem in sanctæ vitæ ac salutaris doctrinæ tyrocinio exegit. Inde à Pipino domus regiæ Maiore accersitus, Laubacum monasterium regendum suscepit: Et ad barbaricæ gentis conuersionem Episcopus, Constantini Papæ mandato, consecratus, in Theoracia aliisque finitimis locis

Remensis prouinciæ, multos ad Christi fidem cultúmque perduxit, ibique Ecclesias multas construxit. Inde ad prædicandum Flandris contulit se versus Menapum fines, qui adhuc vanis superstitionibus detinebantur: apud quos ea egit vitæ integritate, vt omnes illum tanquam virtutum è cœlo delapsum sidus suspicerent: adeo enim Christi mores & Apostolorum expressit, vt nemo non iudicaret spiritum primorum Euangelij præconum in ipsum commigrasse. Vnde incolæ tanto perculsi lumine sanctitatis & sapientiæ, facilè eius salutari prædicatione ad Christianam legem amplectendam inducti sunt, pióque affectu in religionem incensi, opes multas instruendis Christo templis viro Dei contulerunt. Cui etiam Aldo Dynasta, vicum Aldemburgum donauit, in quo ille, beati Petri, quem Patronum Flandris & Menapibus delegit, Ecclesiam ædificauit & sacrauit. Cæterùm vir sanctissimus Apostolico prædicationis munere feliciter expleto, purissimæ vitæ exemplis ac rerum quas magnificè gessit magnitudine inclytus, ad Monasterium Laubiense rediens, obiit sanctè in Domino, ínque beatæ Mariæ oratorio, cui semper impensè deuotus fuerat, ex voto sepultus est condigno honore, vbi magnis postea receptæ in cœlis gloriæ coruscationibus effulsit. Item in Montibus Hannoniæ, tum sub præsulatu Nouiomensi, depositio sanctæ AIÆ Comitissæ, admirandæ pietatis & charitatis fœminæ: quæ beati Hidulphi Toparchæ Laubiensis coniux, inito cum eo Christo se dedicandi consilio, cùm is vitæ religiosæ institutа professus, meritorum splendore micans Abbas Episcopúsque eiusdem loci factus esset: Ipsa Monasterium Castrilocense quod consobrina beata Vvaldetrudis condiderat ingressa, non modò censu auxit, sed & virtutis eximiæ ornamentis illustrauit: síque piis operibus intenta, & in sancto religionis proposito perseuerans, immaculatam ab hoc sæculo Deo reddidit animam. Cuius memoriam Montensis Ecclesia colit: opémque inuocare consueuit in Litaniis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. Aia.

Hoc ipso die Autissiodori celebrata est dedicatio altaris senioris Ecclesiæ Protomartyris Stephani. Obiit Parisiis piæ memoriæ REGINALDVS de sancto Ægidio ord. Prædicat. Cui infirmanti Beatiss. Deigenitrix sancti Dominici precibus apparuit, factáque vnctione tecteato habitum sanctæ religionis contulit. Sepultus est in Ecclesia sanctæ Mariæ de Campis, quia tunc ordo nouus in vrbe nō habebat ius sepulturæ. Obiit eodem die piæ memoriæ IACOBVS Abbas Cisterciēsis, qui verus pacis filius, abdicata præfectura, in humilitate & patientia animam suam possidens, æternam ad requiem pertransiuit. In Morinis decessit etiam sancto exitu beatus IDESBALDVS Abbas Dunensis, Monachorum plusquam trecentorum Pater, quos tanta concordia rexit, tanta charitatis *Reginaldus* *Iacobus.* *Idesbaldus.*

& puritatis deuotione instruxit, vt primitiuæ Ecclesiæ facies eo in conuentu sub ipso reluceret. Demum post sanctissimam vitam, miraculis etiam clarus, abiit ad beatam requiem. Ipso die apud Pontesiam beato fine quieuit sanctæ memoriæ soror MARIA de Incarnatione ex vidua nobili, monialis conuersa ordinis sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, eiusdémque in Francia fundatrix. Quæ in connubio castitate, pietate, prudentia, innocentiáque ac charitate insignis: in cœnobio, humilitate, patientia, obedientia, simplicitate, austeritate, deuotione præcellens; vt horrore peccati, cultu iustitiæ, amore puritatis, obseruantia diuinæ voluntatis, Deique ac proximi perfecta dilectione prædita fuit: sic diuinis charismatibus pro munere sanctitatis ornata, supereminenti scientia salutis, prophetiæ spiritu, orationis dono singulari, raptibus crebris & extaticæ contemplationis sublimitate euecta, quin & Christi stigmatibus intimè impressis cœlitus decorata, cum odore suauissimo animam sanctissimam efflauit: vitámque admirabilem morte gloriosa coronans, etiam prodigiis innumeris quæ obitum eius subsecuta sunt impensius illustrauit.

Maria, dicta de Incarnatione.

Decimo tertio Kalend. Maij. Luna

19 DX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20			

SS. BRVNO, qui & Leo IX. PP.

TVLLI in Lotharingia sancti BRVNONIS Episcopi, qui illustri genere ortus, atque in Cleri huius album ab ineunte ætate cooptatus, mox ipsius matricis ædis Canonicus, tum etiam Præpositus sancti Theodorici, ac subinde cùm in paucis eruditus esset, iurísque omnis diuini & humani prudentissimus, ac omni virtutum gratia præcellens, Herimanno à carnis hospitio abstracto, concordi electione, magnáque omnium lætitia, subrogatus est. Quo in munere cùm virtus eius clarescens velut flamma longè latéque micaret: post Damasi II. Pontificis decessum, Dei solius impulsu, absens, à sacris Ecclesiæ proceribus, successor illius renuntiatus, atque ab Henrico III. Romanorum Cæsare lubenter acceptus, Romam vbi profectus esset priuato habitu, Pontificatum sub Leonis IX. nuncupatione, diuinis etiam præuiis vocibus quæ faustum ipsius aduentum nunriabant, auditis, exorsus; in suscepta Ecclesiæ vniuersalis præfectura, talem se præbuit, vt Leonem I. in eo rediuiuum omnes putarent, tanta sapientiæ gloria, & pietatis magnitudine Rempublicam Christianam administrauit. Cor eius neque prospera emollierunt, nec deiecerunt aduersa. Nullum apud eum locum odium, nullum fauor indiscretus inuenit. Benignum senserunt boni, districtum mali cognouerunt. Insontem apud eum culpabilem, mala suggestio non effecit. Nocentem gratia non excusauit. Fuit in eo boni pastoris dulcedo,

dulcedo, & æqui Iudicis correctio. Sic enim vindex malorum extitit, vt iram clementiæ moderamine deliniret. Sic censuræ disciplina vsus est, vt culpas feriens, à dilectione personarum quas corripiebat non discederet. Nullius faciem contra iustitiam accepit, nullum iustitiam exigentem despexit. Oppressis defensionem præbuit, opprimentibus æneum se murum obiecit. Misericordiam pauperibus exhibuit & vberem & perennem. Fidei Catholicæ strenuus cultor & assertor, sacramenti pietatis temeratorem Berengarium Diaconum Andegauensem, in Conciliis Romano & Vercellensi hæreseos damnauit. In Simoniacos etiam & fornicarios zelum exerens iustitiæ, anathemata fulminauit. Maiestatem Sedis Apostolicæ aduersus Michaëlis Constantinopolitani Patriarchæ ambitiosa molimina, magnanimiter tutatus est, ad quem etiam librum de Primatu Romanæ Ecclesiæ perscripsit. Errores itidem Græcorum proprio confutauit volumine. Necnon de omnium hæreseωn extirpatione alium tractatum texuit. Sarciendæ fidei disciplinæ causa, ad Africæ & Ægypti Episcopos Apostolica etiam monita direxit, quæ vno libro complexus est. Epistolia etiam vbique terrarum misit conciliandi studio decoris Ecclesiæ plurima. His insistens Pontificiis studiis ac moribus Leo Maximus Pontifex, miraculis etiam diuinitus clarificari promeruit. In quibus illud insigne fuit, quod extra sacram ædiculam existens, crucis duntaxat efformato signaculo encenyarum mysteria, Angelis intus sibi suffragantibus peregerit: Ratisbona enim Noribergam proficiscenti semel cùm occurrissent quidam duo viri illustres ex Schuuarzeburgiorum Dynastarum gente, supplices rogauêre, vti paululum flecteret iter in latus, vbi in conspectu ædiculam sanctæ Cruci construxerant, & sacellum Christo crucifixò dedicaret. Vir Dei non digressus loco, sed protensa manu, signum crucis expressit, abséńsque locum consecrauit. Qua re haud contenti conditores, instabant, ne grauaretur ipse accedere, & sacras aras initiàre. Tum deinde Pontifex: Ite inquit, & nisi ritè lustratæ ædis signa expressa deprehenderitis, reuersi me reuocate. Abierunt. ædem sacro oleo delibutam offendêre, cruces, literas in puluere scriptas, & alia lustrationis peractæ certissima argumenta. Nec dubitauêre quin Vicario Christi Angeli subministrârint. Celebrant omnes ferè scriptores singularem eius erga miseros benignitatem, quibus solitus ērat quotidie mensam apponere. Fœdæ lepræ scabie horrentem olim in suum ipse lectum deduxit, & postea requisitum nullum inuenit,

ſed ex odoris relicti fragrantia, Chriſtum fuiſſe ipſum, quem in ærumnoſi hominis effigie exceperat, facilè coniectatus eſt. Qui demum cùm terrarum orbem nominis ſui gloria famáque ſanctitatis impleuiſſet, diuina præmonitione euocatus ad præmium, ſpiritum ſalutis pignoribus præmunitum, inter verba orationis exhalauit. Et Romæ quidem carne ſolutus obiit: vnde eius depoſitio fuerat, illic, iure ipſo beati tranſitus, conſignanda. At quia, poſtquam Pontifex ſummus factus eſt, ſic perſeuerauit in primam Eccleſiam affectus, vt & titulum eius, & ſpecialem tutelam retinuerit, & has in partes eam viſitandi cauſa redierit, vbi profuſæ dilectionis extrema circumquaque impendit indicia: nam matricem ipſam Eccleſiam Tullenſem, præclaris priuilegiis decorauit; cuius anteceſſorem Epiſcopum Gerardum Sanctorum inſcripſit tabulis. Hincque Remos progreſſus ſancti Remigij conſecrauit Eccleſiam, in qua numeroſam ſynodum celebrauit: & ſancti ipſius Francorum Apoſtoli veneranda pignora magnificè repoſuit. Ideo non Romæ modò, ſed Tulli quoque (quarum vrbium ſimul gerere voluit Pontificia) natalis eius debet dies veneranda adcenſeri: imò Remis, & tota in Gallia (cuius generoſus alumnus adeo amans fuit,) ſacra eius memoria dignis efferenda eſt præconiis, cultúque quo Sancti tutelares honorantur meritò proſequenda. Ipſo die facta eſt Claræuallis tranſlatio corporis

ALETHA. beatæ ALEYDIS, ſeu ALETHÆ matris ſancti Bernardi, quod ex æde Benigniana Diuionenſi vbi primùm ſepulta fuerat, illuc aducctum, à Stephano Abbate Claræuallenſi anno ſalutis 1250. in cœnobitica Eccleſia ante altare Saluatoris honorificè reconditum eſt. Item Gandaui in ſancti Petri Mona-

FLORIBERTVS. ſterio quod Blandinium dicitur, eleuatio corporis ſancti FLORIBERTI primi eiuſdem cœnobij Abbatis, cuius depoſitio incidit in Kalendas Nouembris. In Morinis Cœnobio

BERNARDVS. Bertinienſi felix tranſitus ſanctæ memoriæ BERNARDI pœnitentis, magnæ auſteritatis viri, qui patria Narbonenſis ex diœceſi Magalonenſi, intenſo ſcelerum dolore concepto, vniuerſum pene orbem deuotione incenſus peragrauit: Tertiò Hieroſolymam adiit, deinde ad ſancti Audomari fanum veniens, ibi (vt procul à patria quietior noxas elueret) pœnitentiæ cauſa ſedem fixit. Continuum ieiunium ſibi indixit, tribus in qualibet hebdomada diebus pane & aqua contentus. Quam parcimoniam ſingulis ſextis feriis & Apoſtolorum profeſtis religioſè ſeruauit. Stans ferè ſemper

orabat, pedibus nudis incedebat, vinculis quinque ferreis ſtringebatur. Cilicio & lorica (ſuperpoſitis veſtibus) carnem macerabat, lectulo ſaxeo vtebatur. Cùm autem totus ferè in ſpiritum tranſiiſſet, diuina reuelatione de inſtanti exitu præmonitus, in Cœnobio ſancti Bertini cucullam induit, ſicque perfecto ſui Deo gratiſſimo holocauſto, ſæculo moriens, cœlo viuere exorſus eſt. Cuius mortalitatis ſpolia in ſacello ſanctæ Catharinæ ſepulta ſunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

OBIIT eodem die in Burgundia beatus BVRCHARDVS Abbas de Balerua, vir multæ religionis & gratiæ. *Burchardus.* Hoc ipſo die ſtadio mortalitatis exceſſit piæ memoriæ ANNAS Scarſius S. R. E. Cardinalis tituli ſanctæ Suſannæ de Giury nuncupatus, *Annas.* Epiſcopus Metenſis, vir ſua ætate in omni virtute præcipuus: qui natus Lutetiæ, Diuione in Benigniano cœnobio inſtitutus, Abbáſque eiuſdem factus, tum Lexouienſis delectus Antiſtes tota Gallia dilectus, Romam publico patriæ bono profectus, intérque Cardines orbis ob rara animi inſignia cooptatus. demum vocatus ad Metenſis Eccleſiæ gubernacula: cùm Pontificatum feliciſſimè iniuſſet, ſpectabilis ſenio, inſignis religione, ſtupendus caſtitate, amabilis charitate, innata ſimul grauitate & lenitate admirandus: poſt non exilem amplificationem iuris ac decoris Eccleſiaſtici, cultus diuini virilem vindicationem, egregiam paſtoralis vigilantiæ perfunctionem, ætatis anno 78. placido mortis ſopore obdormiens, ad vitam quæ Chriſtus eſt emigrauit.

Duodecimo Kalend. Maij. Luna

20 E IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21			

LVTETIÆ Pariſiorum in populoſa S. Euſtachij parœcia, tranſlatio præcipuæ partis corporis B. AGNETIS Virginis & Martyris, *S. Agnes.* antiquæ eiuſdem ſacræ ædis tutelaris, ex Brolij Benedicti monaſterio, Ebroicenſis diœceſis, auctoritate Pauli III. Pontificis Maximi peracta, cum magna celebritate à Carolo Epiſcopo Margareno Abbate Magloriano: qui ſuſcepta nudiuſtertius venerandaglorioſæ ipſius Chriſti athletæ pignora, populo ſpectanti oſtendit in ipſa S. Maglorij æde: deferendáque ſolemni ſupplicatione ad S. Euſtachij Eccleſiam tradidit multa dignitate, Paſtori, Clero, & populo ipſius parœciæ confluenti, anno à ſalute inſtaurata 1545. Ebreduni in quarta Viennenſi S. MARCELLINI primi illius vrbis Epiſcopi. *Marcellinus. Vincentius & Domninus.* Hic ex Africa Dei monitu vnà cũ ſociis VINCENTIO & DOMNINO cò proficiſcens, Euangelica prædicatione, vitæ ſanctiſſimæ exemplis, ac miraculorum cœleſti virtute mentes irradians, cordáq. incolarum Chri-

ſti amore incendens. Deletis ethnicis ſuperſtitionibus, comminutis ſimulachris, magnam partem Alpium maritimarum ad Chriſti cultum pertraxit. Denique ſede Epiſcopali Ebreduni collocata, inque ſanctæ Deigenitricis honorem extructa principe baſilica, myſterio ſalutis egregiè propagato, repoſitam villico fideli à Domino, recepit cum adiutoribus ſuis ſempiternæ gloriæ coronam. Hic fungens Pontificio, inter cætera ſuæ ſanctitatis indicia, à Deo obtinuit, vt baptiſterium, quod ipſe in ciuitate Ebredunenſi condiderat, ſingulis annis, in Sabbato ſancto aquis vitalibus repleretur, & per ſeptem dies Paſchæ vnda exuberante plenum remaneret: quod miraculum Ado Viennenſis ſuo adhuc æuo perſeueraſſe graui aſſertione teſtatus eſt. Subiiciens beatorum cooperariorum S. Marcellini corpora, poſt inclytum eorum tranſitum, ad Dinienſium oppidũ delata, ibidem condigno cultu quieſcere, ſigniſque micare glorióſis. Eodem die Autiſſiodori Sanctorum Martiani & Mammertini preſbyterorum, qui naſcẽtis huius Eccleſiæ cunabula, ſanctis prædicationibus, ac cæteris ſacerdotalibus officiis promouentes, genita Chriſto copioſa credentium ſobole, demum beato fine ad gloriam properarunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Oda. Migravit ad Superos beatæ memoriæ Oda Virgo monialis Præmonſtratenſis in Hannonia, quæ Vmberto & Theſrelina nobilibus parentibus nata, & per Odonem Abbatem Bonæ ſpei in propoſito ſeruandæ virginitatis confirmata, cùm à patre traheretur ad nuptias, ſtupendo puritatis amore, naſum ſibi ipſa præſcidit: veſtémque monaſticam à dicto Odone accipiens in cœnobio huius inſtituti Virginum, Chriſto caſti propoſiti auctori, ac purarum mentium amatori, corpore ſe & ſpiritu mancipauit: deinde ob raras virtutum dotes Prioriſſa conſtituta, poſt felicis regiminis perfunctionem, placido mortis ſomno obdormiuit in Domino.

Vndecimo Kalend. Maij. Luna

21 F VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22			

IN ſuburbio Pariſienſi dedicatio baſilicæ ſancti Germani Pratenſis, facta ab Alexandro Papa III. ad ſupplicationem Hugonis II. huius nominis Abbatis. Leodij ſancti VVOLBODONIS eiuſdem vrbis Epiſcopi ſanctiſſimi, qui vbi in Eccleſia S. Martini ſub religioſis admodum Patribus in Eccleſiaſticis adoleuiſſet diſciplinis, poſtea magiſter virtutũ effectus, cùm decore ſapiẽtiæ ac ſanctimoniæ floreret, poſt Baldrici deceſſum, eam in ſedem euectus, ſuſcepta in regiminis cura ſic ſe geſſit,

SS. VVOLBODO.

vt ſuauiſſimo Chriſti iugo ſeipſum ſubiiciens, alios ſecum intra anguſtæ illius viæ quæ ducit ad vitam oras, tam exemplis quàm documentis coarctauerit. Tantæ inſuper charitatis fuit, vt non habens quod pauperibus largiretur, Eccleſiæ tapetia, aliámque myſticam ſupellectilem diſtribueret: feruentis adeo deuotionis, vt ſæpè in oratione, nudis pedibus, licet aſpera hyeme pernoctans, frequenti genuflexione grandes genibus callos obduceret. Pſalterium manu propria ſibi deſcripſit, & ad ſingulos pſalmos orationes adiunxit, quas cum toto Pſalterio quotidie ante ſacrificium recitabat, vtque in orationibus & pietatis officiis Clerus eſſet cum populo frequentior, proceſſiones ſolemnes vrbis Eccleſiarum ad matricem baſilicam inſtituit: ſuæque exemplo pietatis, multos ad vitæ emendationem adduxit: tantis ornato meritis Dei famulo, beatus Laurentius quem ſpecialiter colebat apparuit, eíque diem inſtare prænuntiauit extremum. Igitur poſt Paſchalia peracta ſolemnia, ad perennis Paſchæ gaudia inuitatus, lethalem incidit in morbum, quo vrgente ſpiritum Deo ſemper intentum habens, pſalmodia & oratione roborabat, vilibus ſtramentis & ſuperiecto nudus incumbens cilicio, fratres ſibi aſſiſtentes ſaluberrima exhortatione conteſtabatur, quatenus & Dei iudicium & præſentem vbique mortis horam reformidare diſcerent. Cui diabolus inſidias ſtruens prope veſtigia iacentis aſtitit. At tetrum hoſtem, mox orando, aquæ benedictæ aſperſione Dei famulus propulit, eidem hac fiduciæ plena voce inſultans. Nequaquam ô ſceleratiſsime tenebrarum accola, Deo fauente tibi præda ero: nullam habiturus ſum partem in ſiniſtris, lucis manſione fruiturum me confido in dextris. Túmque in amplexum Crucifixi irruens, puram ad Chriſtum animam tranſmiſit. In Eccleſia ſancti Laurentij quam inſtaurauerat ſepultus eſt, ad cuius reliquias multas virtutes curationum factæ ſunt. Sæpè autem poſt felicem migrationem, viſus eſt ad altare ſancti Laurentij tremenda myſteria celebrare. Cúmque hanc baſilicam crebra miraculorum coruſcatione impleret, ad petitionem Stephani Abbatis cui concurſus frequentior populi cœnobitis importunus videbatur, ab edendis, vt quietè Deo ſeruirent aſcetæ, temperauit miraculis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Veneratio ſancti EVGENII Symmyſtæ, ſancti Dionyſij Toletaníque Protopræſulis ac Martyris Pariſienſi in agro laureati: cuius dextrum brachium cùm à Ludouico VII. Rege Chriſtianiſſimo pretioſo munere miſſum fuiſſet pridie Idus Februarij ad Alfonſum Caſtellæ Regem, è ſancti Dionyſij prope Augu- *Eugenius.*

ſtam Lutetiam Mauſoleo; perhonorificè ſuſceptum hac die ab ipſo Rege Alfonſo, atque inſigni pompa in Eccleſiam primatialem Toletanam inuectum eſt. Venerandum pignus Rege ipſo cum duobus filiis piè ſubiectis humeris vectitante: proceribus ac ſacris ordinibus ſolemni ſupplicatione procedentibus, cum magna confluentis populi turba. Moritur Pariſiis beatus FASTRADVS Abbas Ciſtercienſis miræ humilitatis & ſanctimoniæ, cui defungenti extremam vnctionem Alexander Papa III. præſente Ludouico VII. Rege miniſtrauit. Eius corpus Ciſtercium delatum, ibidem communi Abbatum tumulo conditum eſt, vbi ſanctitatis cultu pollet beata eius memoria.

Faſtradus.

Decimo Kalend. Maij. Luna

22 G VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
12	13	14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23			

SS. DIONYSIUS, RVSTICVS, & ELEVTHERIVS.

IN agro Pariſienſi vico Catullano, Reuelatio ſacratiſſimorum corporum beati DIONYSII Epiſcopi, RVSTICI Preſbyteri, & ELEVTHERII Diaconi, Chriſti inſignium agoniſtarum, qui flumine, flamine & ſanguine Lutetiam Pariſiorum interiorémque Galliam, ſalutiferæ fidei ſubigentes, Chriſti regno perenniter adiunxerunt. Super horum ſanctiſsimorum Martyrum ſepulchra, ſanctus Regulus ædificatam à Catulla vidua ædiculam conſecrauerat, quam fideles præcipua veneratione habentes, diuinis officiis frequentabant, donec Barbarorum incurſibus, Galliis deuaſtatis, cultus etiam & concurſus eiuſdem nonnihil remiſſior eſſe cœpit. Ipſáque ædicula lapſu temporis & accolarum incuria, ruinæ propinqua erat: cum ſanctæ Genouefæ deuotione, quæ Martyrum obſeruantiſſima, ad memoriam eorum venerabunda ſæpè ſæpiùs pernoctabat, rediuiuo lapide auguſtiorique forma inſtructa eſt. Tunc enim tepeſcens Chriſtiana religio, ardorem priſtinum recepit. Crebreſcentibúſque illic diuinæ virtutis in ſupplicum gratiam inſigniis, locus cœpit ſanctior haberi. Maximè poſtquam ceruus à Dagoberti filij Clotarij Regis venatoribus agitatus, curſúque fractus, canum latratus, morſúſque vt effugeret, ſe quaſi in aſylum ibi recipiens, Sanctorum patrocinio ſeruatus, excidium euaſerat. Huius enim rei memor Dagobertus, piiſsimum in beatos loci tutelares affectum, magnámque fiduciam ex eorum tutela concepit. Hincque factum eſt, vt cùm ipſe aliquando in patris indignationem incidiſſet, furorem eius pertimeſcens, illuc perfugium petierit. Vbi cùm ingreſſus, aduocatâ Martyrum ope obdormiſſet, tres viri & fa-

ciei ſplendore & veſtium nitore conſpicui ipſi apparuerunt. Cúmque in eos ſtupefactus adoleſcens intenderet, vnus eorum qui ſociis præſtare veneranda canitie & auctoritate videbatur, ſui & ſociorum nomina ac ſepulchra eidem indicans, blando affatu patrocinium pollicitus eſt, ſi honeſtare eorum memorias, cùm ad regnum peruenerit ſpondere velit. Annuens Dagobertus expergefactus eſt. Móxque Sanctorum patrocinium ſibi dum eorum viſu & alloquiis frueretur, aſtitiſſe comperit. Nam milites à patre miſſi, ſemel & iterum, ipſéque pater ab ingreſſu ædiculæ repulſus eſt. Qui diuinæ virtuti & Sanctorum præſidiis cedens, filium in gratiam recepit. Is deinde rerum potitus & voti & beneficij memor promiſſa impleuit, & leuata Sanctorum corpora ſummo honore in alterum capaciorem eiuſdem vici locum tranſtulit, ædificata regio ſumptu & cultu baſilica, quam Dominus IESVS CHRISTVS maxima cœlitum ſtipatus corona conſecrare, miraculi perenni relicto monimento dignatus eſt. Hæc Regibus Chriſtianiſſimis ſepulchrum inde præbuit, in qua ſe innumeris miraculis ſancti Martyres & Deo viuere, & Francorum regnum ſuo tueri patrocinio iugiter oſtenderunt. Lugduni ſancti EPIPODII Martyris, Epipodius. qui eiuſdem vrbis indigena, ætate adoleſcens, ſed virtute maturus in perſecutione Antonini Veri, proditus à domeſticis, cùm nec blanditiis molliri, nec minis frangi & dimoueri de ſententia poſſet, multáque in idolorum vanitatem & idolorum ſpurcitias prolocutus eſſet, oris primùm contuſionem perpeſſus, tum effractis dentibus, iuſſu truculenti Iudicis in equuleo ſuſpenſus cùm eſſet, circunſtantibus hinc inde lictoribus, vt latera eius ſulcarent: ſuperſtitioſo autem populo per ſupplicij tarditatem in rabiem acto, & fortius conclamante in ſanctum iuuenem, vt blaſphemus numinum ſubſannator, abſque mora vel ſaxis obtereretur, vel membratim concideretur, acriorem furentis populi in ſe impetum veritus impius iudex, eductum extra tribunal Chriſti athletam, gladio raptim feriri & capite truncari iuſſit. Qui ſic confeſſione fidei, & agonis fortitudine nobilis, laurea cœleſti donatus ad gloriam euolauit. Eodem die Senonis ſancti LEONIS Epiſcopi & Confeſſoris, qui vir Leo. miſericordiæ ſancto Paulo ſuffectus, ſerie XVII. ea in Cathedra ſedit, ſermonéque & opere potens poſtquam diuerſis Galliæ Conciliis interfuiſſet, Childeberto Regi ſibi in ſacris rebus poteſtatem aliquam minus licitè vſurpanti, & prudenter & fortiter obſtitiſſet: ſanctum Aſpaſium Melodunenſibus, qui Epiſcopum proprium modis omnibus appetebant Corepiſco-

pum præfeciſſet, per cuius ſubſidiariam operam, reliqua quæ erant ibi impietatis ſemina penitus euulſit, & totum oppidum Chriſti placitis & obſequiis ſubdidit. Demùm ætate in omni ſanctitate confecta, Eccleſiâ feliciter adminiſtratâ, tranſiit ad præmium. Mortuum miraculorum gloria, qua in vita emicuerat comitata eſt. Sepulturæ etenim traditus in Eccleſia ſanctorum Geruaſij & Protaſij, ad eius inuocationem multæ morborum curationes cœlitus ſunt peractæ, ob quarum gratiam ea Eccleſia ipſius nomine demum fuit appellata: quæ quondam Monachorum habitationi ceſſit, nunc verò in parœcialem titulum euaſit, ipſius ſancti Confeſſoris & tutelam retinens & nuncupationem.

BODINVS. Trecis ſancti BODINI, Epiſcopi & Confeſſoris. Hic ortu Aquitanus ex Monacho Cellenſi ad infulas euectus, huius ſedis gubernacula poſt Cenſardum ſuſcepit, eáque morum puritate & ſanctimoniæ decore geſſit, vt & viuens fuerit iuſtus, & poſt mortem beatus. Eius corporis reliquiæ in ipſo Cellenſi Monaſterio ſeruantur, vbi hodie felix eius memoria condigno colitur honore.

OPORTVNA. In Normania monaſterio Almenechio diœceſis Saienſis, depoſitio ſanctæ OPORTVNÆ Virginis eiuſdem Cœnobij Abbatiſſæ: quæ nobili genere nata, ſancti Godegrandi Epiſcopi Saienſis & Martyris ſoror, à primis annis Chriſto virginitatem deſpondit, annóque ætatis duodecimo ſpretis mundi illecebris, præuio lucis Angelo illam in domum ingreſſa, pij propoſiti complexa eſt diſciplinam. Vbi mox ſcientiæ diuino dono repleta, Scripturæ ſacræ doctrina prædita, at magis humilitatis ac obedientiæ perfectæ gratia enituit. Deinde Abbatiſſæ impoſito munere, ad tantam ſanctitatis excellentiam aſcendit, vt totius pietatis ac religionis exemplar fieret. Parcimoniæ ita dedita fuit, vt præter dies ab Eccleſia præſcriptos, ſingulis quartis & ſextis feriis ieiunaret. Cæteris diebus, excepta Dominica, pane hordeaceo vix ad ſaturitatem veſcebatur. Cilicio etiam occulto carnem attriuit. Nullus eam vnquam vidit iratam, ſed ſemper tranquillam, & mitem. Sorores delinquentes, mira arte Virgo prudens corripiebat: nempe potiùs propoſita ſancta imitatione, quàm dura adhibita verborum caſtigatione, quas ſi pertinaciores eſſent fuſis ad Deum precibus ad emendationem perducebat: ea enim fuit meritorum gratia, qua ſi quid à Deo poſceret continuò conſequeretur. Hinc etiam ſanitatum ſolatia, orationis ope, plurimis infirmis impertita eſt. Cæterùm Virgo beata ſponſo vt iungeretur ſuperno, cùm diſſolutionem expeteret, leui febre correpta eſt: quam ægrotantem ſanctus Adelinus Epiſcopus

Sagienſis viſitauit, diuinóque corporis Domini refocillauit ſacramento. Quin & eidem extremum agenti ſpiritum, ſanctæ Virgines Lucia & Cecilia apparuerunt, quarum viſitatione ac conſolatione lætificata, at magis ſanctiſſimæ ipſius Deigenitricis viſu beato & ſuaui colloquio recreata, in ſinum eius felicem animam efflauit: ſícque ouans in regis cœleſtis palatium admiſſa, agni immortalis nuptiarum, quas diù deſiderauerat, & puri cordis iugi ſacrificio emeruerat, compos tandem effecta eſt. Cuius corpus in ipſo cui præfuerat monaſterio humatum, ac diuinis ſubinde micans virtutibus, ab Hildebrando Epiſcopo Saiorum religioſiſſimo, timore perſecutionis Normanicæ, in tutiorem locum cui Montiacus nomen medio Clericorum choro tranſlatum eſt, vnde poſtea cranium ad præfatum aſceterium Virginale reuectum, alterum etiam brachiorum cum vna ex coſtis caſtiſſimis Lutetiam Pariſiorum delatum fuit, vbi religiosè conditum ſeruatur, in collegiata ac parœciali Eccleſia, quam in huius honorē Virginis, maiorū pietas ædificauit. Cuius Clerus & incolæ hodie ipſius ſuæ tutelaris gloriosè agunt ſolēnia. Suſceptionis autem reliquiarū quotannis etiam memoriam colunt Dominica infra Octauas Epiphaniæ. In Saienſi verò vniuerſa diœceſi, feſta eius depoſitio ritu celebri hodie peragitur ex auito more. Cluniaci depoſitio S. THEOGERI Epiſcopi Metenſis viri incomparabilis ſanctitatis, qui præcepto Sedis Apoſtolicæ ad hanc Cathedram ſublimatus, atque à Legato Chunone, Præneſtinæ Eccleſiæ Epiſcopo Cardinale conſecratus, annis decem inſigni felicíque Pontificio eam Eccleſiam gubernauit: at ſtatus humilioris appetens, Chriſtóque ſoli obſequendi cupidus, abdicato Præſulatu Monachum in Cluniacenſi Cœnobio profeſſus, ibi tanta virtutum fecit incrementa, vt Angelica fere puritate acquiſita, prophetiæque ſpiritu ac miraculorum dono cœlitus nobilitatus, perceperit æternæ gloriæ donatiuum. Dononij tranſlatio ſancti Aldeberti Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* THEOGERVS.

Nono Kalend. Maij. Luna

23																	A VI.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	13	14	15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24			

SS. FELIX, FORTVNATVS & ACHILLEVS.

VALENTIÆ Segalaunorum, ſub Metropoli Viennenſi, Natalis Sanctorum Martyrum FELICIS Preſbyteri, FORTVNATIque & ACHILLEI diaconorum, qui natione Galli, ortu Lugdunenſes, à ſancto Irenæo Lugdunenſium Epiſcopo ad prædicandum Euangelium eò miſſi, exiguo tugurio quod ad Orientem erat prope ciuitatem orationis gratia extructo, vnde ad ciuitatem excurrere, & viciſſim à ciuibus adiri poſſent: magnam ciuitatis partem ab impio cultu abductam ſacro lauacro expiârunt. Felix verò de certaminis ſibi ſuiſque ſodalibus obeundi laurea à Domino præparata, cœlitus admonitus (quod itidem Ferreolo & Ferutioni ab eodem Irenæo Veſontionem directis, per quinque diademata gemmis coruſcantia è cœlis, reuelatum fuerat) Valentiam cum Fortunato & Achilleo publicè dimicaturus ingreſſus eſt. Cúmque (madente adhuc Lugduno cæſorum Chriſtianorum cruore) per vrbem magna fidelis populi frequentia circumſeptus incederet, diuinas modulationes concinens, à Cornelio Duce qui Seueri dira mandata exequebatur comprehenſus, atque horridum in carcerem cum fidis ſymmyſtis detruſus eſt. Inde tres Chriſti athletas ſæuus iudex eductos, vbi in Chriſti gloriæ aſſertione perſiſtentes comperiiſſet, neruis diutiſſimè cædi iuſsit. At hæc cùm tormenta nihil eorum conſtantiam concuterent, carcere eoſdem denuo fecit includi. Vnde noctu ab Angelo erepti, cœleſti iuſſione ad templa progredientes, ſtatuam Iouis electrinam; Mercuriique & Saturni ſimulacra confregerunt. Re ad Cornelium delatâ tertio comprehenſi ſunt. Iterúmque Chriſti fidem magnificè profeſsi, cùm Tyrannus eos nullis potuiſſet blanditiis nec terroribus à veritatis prædicatione abducere: in furorem erumpens, iuſſit eoſdem atrocioribus ſuppliciis cruciari: reuinctis igitur poſt tergum manibus, renibus cruribúſque confractis, circa rotarum vertiginem aſtricti, ignem, fumum, equuleum die noctéque perpeſſi, ad extremum gladiis cæſi, glorioſi certaminis agonem prope ciuitatem, eo ipſo loco vbi tugurium ad orandum extruxerant conſummârunt. Cor-

pora, Christianorum studio, noctu sublata atque sepulta, multis diuinæ gloriæ & virtutis coruscationibus claruêre. Quorum portio non modica, Valentia demum Arelatum translata, atque omni reuerentiæ testificatione à Ioanne Archiepiscopo suscepta, in æde sanctissimæ Trinitatis, ordinis Redemptionis Captiuorum, eximio cultu collocata est: vnde contigit vt Martyres isti inter Arelatensis etiam diœcesis tutelares connumerentur: iisque debitus hodie, celebris Liturgiæ in matrice ipsa Ecclesia peractione, & gloriosi natalitij sacro per totam diœcesim anniuersario, venerationis cultus rependatur. Tulli Leucorum sancti GERARDI Episcopi & Confessoris, qui ex Colonia Agripina, patre Comite Imperiali ortus, sancti Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, ideóque & Othonis Imperatoris eius fratris consanguineus (sub quo, concessu Ansegisi Antistitis, sancti Patroeli Martyris reliquiæ, Trecis Coloniam traductæ sunt) ob raræ eruditionis & purioris vitæ insignia, consonis Cleri suffragiis, ipsiúsque sancti Brunonis auspiciis, Præsul huius Ecclesiæ delectus: susceptum pastorale munus, ea sanctimonia gessit, vt documentorum vi ac exemplorum maiestate, laxioris subditorum vitæ luxum coërcuerit, eósque ad religionis sacratissimæ cultum reuocauerit. Quo tamen in studio diras adeo nonnullorum iras expertus est: vt ab his interceptus & pene interemptus, Dei tamen præsidio euaserit illæsus. Horum autem malitiam, insigni patientia & misericordia deuicit, qua in admirationem suæ pietatis inductos, de hostibus amicos reddidit, lupósque in agnos conuertit. Tum pacis & iustitiæ cultor, ciuitatem optimis legibus muniuit: Ecclesiásque eximiis ornamentis decorauit, ac beneficiis cumulauit innumeris. Dotauit sancti Mansueti cœnobium. Sancti Gengulphi Canoniam auxit. Othonis Imperatoris imploratâ munificentiâ; sancti Deodati Abbatiam censu ferè destitutam, noua vberioríque facultatum copia suffulsit. Parthenonas Monialium aliquas extruxit: aliquas ditauit, nec modò iuuit opibus, sed & sanctis disciplinis instruxit. Sícque vitam institutionis Apostolicæ præceptis mirificè excultam, & virtutum rerúmque admirabilium laude insignem pius Antistes exercens, post annos triginta & vnum suæ sedis piis curis perfunctus, ad cœlitum beatum consortium migrauit. Quem Leo IX. eius ante summum Pontificatum successor, miraculis in tumulo emicantem, ibidem cùm patriam inuiseret, de sepulchro sacros eius artus eleuans, Sanctorum in album solemniter retulit anno Christi 1052. Tolosæ hodie celebris est Natalis sancti GEORGII Martyris: cuius

GERARDVS.

GEORGIVS.

brachium dextrum ab Oriente cum aliis pretiosis spoliis aduectum, à Roberto Comite Flandriæ, sancti Saturnini sacrario, cœlitum pignoribus ornatissimo oblatum est. At corpus ipsum sacratissimum ibi postea allatum: altaríque sanctæ Margaritæ impositum, in argenteo feretro ibidem honorificè requiescit. Sed & huius inclyti Christi pugilis alterum brachium Caroli Magni munere, apud regale Monasterium sancti Dionysij in Francia repositum, ibidem digna veneratione habetur, suáque effecit felici consecutione, vt non modò eo in Cœnobio regali, sed & in vniuersa diœcesi Parisiensi æquè clara sit ac chara tanti Martyris memoria, quæ etiam colenda notatur anniuersariis sacris in Maioris Ecclesiæ diptychis. Eodem die Senonis ordinatio S. ARTHEMII Episcopi & Confessoris, qui huic Ecclesiæ diutissimè & sanctissimè præfuit, multísque Galliæ Synodis pro Dei gloria & populi salute interfuit, demúmque obiit titulo sanctitatis illustris. Ibidem in Monasterio S. Columbæ, eleuatio & translatio sancti LVPI Episcopi eiusdem Merropolis & Confessoris, quando ex atrio Ecclesiæ, vbi sicut iusserat subtus stillicidium fuerat humatus, leuata sacratissima eius gleba, miraculis fulgens, intus basilicam deportata, & decenti loculo inclusa, inter veneranda pignora beatorum, quorum in cœlis gloriosus Præsul est particeps, reposita fuit condecenti honore. Eodem die Corbeiæ S. PVSINNÆ Virginis Deo sacratæ, quæ ex pago Partensi Catalaunensis diœcesis, claris parentibus orta, patre Sigmaro, matre Lutrude, à tenera ætate florem suæ integritatis, cum sorore Lutrude Christo dedicauit: à qua post parentum obitum loco non voto seiuncta, in monasterio vici Basionensis qui Corbeiæ vicinus erat, velamen sacrum assumpsit, & tanto spiritus ardore sponso cœlesti studuit complacere: vt carne nondum exuta, beatarum Virginum quæ in cœlo sequuntur agnum, puritatem ac perfectum amorem æmulata sit. Quo igne diuinæ dilectionis demum consumpta, inter brachia & amplexus dilectissimæ sororis, quæ extrema ei officia redditum venerat, feliciter expirauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

(Margin notes: Arthemius. Lupus. Pusinna.)

Gerardus. EODEM die obiit Figiaci beatæ memoriæ GERARDVS Monachus in vita miro religionis amore, & pòst, insigni miraculorum gratia conspicuus. Item in Cœnobio Trium fontium Catalaunensis diœcesis eodem die, pura clausit lumina *Rogerus.* ROGERVS primus eiusdem Cœnobij Abbas, ac percharus sancti Bernardi discipulus.

Octauo Kalend. Maij. Luna

24 B v.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
26 27 28 29 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
t u A B C D E f F G H M N P
14 15 16 17 18 19 20 21 20 21 22 23 24 25

LVGDVNI Natalis ſancti ALEXANDRI Martyris, qui natione Græcus illuſtribus parentibus, nec ſanguine tantum, ſed & fide ac Chriſtiana pietate claris editus: promouendæ Chriſti gloriæ affectu, in Galliam veniens, Lugduni vbi & præcipua Agoniſtarum palæſtra, & ſæuior carnificina aperta erat, aſſociatus Epipodio reſedit. Póſtque illam ſtragem quæ Chriſtianos quamplurimos in Antonini perſecutione deleuit, cùm ethnici extinctum Chriſtianum ibi nomen putabant, à domeſticis proditus, ac Chriſtianæ religionis apud Præſidem inſimulatus eſt. Ad cuius tribunal cum ſocio Epipodio adductus, palam liberéque cùm ſe profeſſus eſſet Chriſtianum, à conſortio commilitonis ſegregatus, ne eius monitis & exemplo fulciretur, ſqualidum in carcerem primùm coniectus fuit. Hinc tortorum verberibus, ita horribilem in modum dilaniatus, vt laterum commiſſurâ diuulsâ, viſceribus patefactis, ipſa inteſtina apparerent. Demum cùm à Chriſti præconiis non ceſſaret, crucis affixus patibulo, beatam efflauit animam. Cum eo prætereà ſimul alij QVATVOR ET TRIGINTA, fidem Chriſti cõſtanter profeſſi, crudeliſſimè itidem cruciati, confecto demum fortiſſimo agone, ouantes in cœlum commigrarunt. Alexandri venerandum cadauer occultè à Chriſtianis ſubductum: primò in vallem multis vepribus obſitam, ſub colle ciuitati ſuperpoſito, ad modum ſpeluncæ vepretis illis quaſi concameratam, coniectum eſt. Tum miraculis frequentibus clarum, reddita Eccleſiæ pace, magnæ venerationi apud maiores fuit, & cum collegæ Epipodij corpore, ex vtroque S. Irenæi altaris latere, in ſiniſtro ſacello cryptæ, quæ in eodem colle antiquo opere extructa eſt, tumulum accepit. Cuius & ſocij præconia, ſanctus Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, luculenta homilia celebrauit. Bleſis in Carnotenſi Præſulatu, ſancti DEODATI Abbatis & Leuitæ, qui Chriſto fideliter militans, feliciter æterna præmia acquiſiuit. Item in territorio Aruernenſi Monaſterio Caſæ Dei, depoſitio S. ROBERTI eiuſdem cœnobij fundatoris & Abbatis, qui cùm infantulus à lacte impudicæ nutricis abhorruiſſet,

SS. ALEXANDER.

TRIGINTA QVATVOR MARTYRES.

DEODATVS.

crescente ætate mundi etiam inquinamenta fugiens, loca solitaria expetiit, egregiúsque euasit eremiticæ vitæ cultor, sanctis operibus se exercens. Cùm autem ad Raconis Præsulis Claromontani notitiam, fragranti pietatis odore peruenisset, eius præsidio non tam fultus, quàm persuasione impulsus, eodem loco vbi solitarius vixerat, fratres aliquot, quos sanctæ disciplinæ sequaces faceret aggregauit: Monasterium condidit, atque ad sanctum Leonem Papam IX. Henricúmque I. Regem Christianissimum profectus, necessaria loci sacri institutioni ac protectioni munimina, priuilegiáque etiam præclara impetrauit. Inque ipso triumphali die Virginis, quem Assumptionem nominant, ab ipso Antistite piorum suorum votorum prouectore consecrato asceterio, primus ab eodem, illius Cœnobiarcha solemni benedictione constitutus est: vbi collecto ouili sic pastor optimus, verbis & operibus sanctis præfuit, vt decurso mortalitatis stadio, diebus & meritis plenus, à cœlesti munerario, fidelis vilicationis mercedem adeptus sit copiosam. Cui DVRANDVS discipulus tanto Magistro dignus succedens, inde ob præcellentem scientiam ac religionem, ad ipsius Ecclesiæ Claromontensis sedem euectus, fœnora susceptæ ab eo sanctissimæ institutionis, óptima Episcopatus administratione & sancta admodum conuersatione rependit. Demúmque pio exitu ad æternam requiem proficiscens, eo tempore quo Vrbanus II. eius amore virtutis illectus, sacra Ecclesiæ vniuersalis comitia in vrbe ipsa Claromontana indixit ac tenuit: Papæ ipsius & trecentorum Prælatorum præsentia, in funere suo, ob meritorum claritudinem, honoratus est. Eodem die Remis sanctarum BOVÆ & DODÆ Virginum. Quarum altera Boua, Baldrici sanctissimi presbyteri soror, cùm à pueritia diuinæ benedictionis dotibus prædita præfulgeret, à Sigeberto Rege Metensi in filiam adoptata, eius munificentia Remis Virginum Monasterium insigne construxit: quod Niuardus Præsul Remensis beatissimus, eius deprecatione Deo in honorem sanctissimæ Deiparæ virginum Reginæ, ac beati Petri Apostolorum principis consecrauit: Bouámque instituit sodalitij huius nouelli Virginum sacrarum, primiceriam. In quo munere obeundo, ipsa ieiuniis & orationibus, sanctísque religiosæ disciplinæ studiis vacans, commissis sibi ouiculis, illustre vt Christianæ perfectionis iubar præluxit: demúmque vita in omni pietate transacta, impressis viæ cœlestis vestigiis, ad perpetuas lucis æternitates, lucis filia properauit. Altera verò, Doda, eius neptis, cùm à teneris annis, in

BOVA & DODA.

Dei fuiſſet amore ac timore, mundique contemptu & faſtus ac illecebræ odio ab ea erudita; nulla ratione adhuc potuit, vt nobiliſſimi iuuenis cui eam parentes deſpondebant nuptiis conſentiret. Chriſti igitur incenſa amore, integritatis ſuæ florem, purique ac perennis famulatus fructum, eidem deuouens conſecrauit. Quam ad Monaſterium propero greſſu, quaſi in aſylum caſtitatis, vt ſe reciperet, perfugientem, cùm iuuenis ille ſpecie eius captus perſequeretur, equo lapſus, fractis ceruicibus interiit. Ipſa igitur ex voto, cum ſponſo Virginum, conciliato ſacratiſſimo fœdere, ſic in eius obſequiis, vitæque religioſæ cultu deuota & inſignis euaſit, vt amita ſua ad cœlos abeunte, pro meritorum gratia omnium votis ad domus ſacræ regimen vocata fuerit ac prouecta. Itaque ſicut lucerna ſuper candelabrum poſita, mirificos ſplendores pietatis & caſtimoniæ, humilitatis, patientiæ & charitatis edidit: ſicque decurſo ſanctiſsimæ vitæ curriculo ad beatæ ſuæ inſtitutricis & ſpiritualis parentis, meritis non impar, peruenit deſideratiſſimum ac feliciſſimum conſortium. Quarum corpora in Eccleſia extra muros tumulata, diù ibi quieuerunt, donec quibuſdam reuelationibus præuiis, hinc in nouam Eccleſiam ſunt delatæ, vbi continua Deo famulantium puellarum reuerentia, magiſque aſsidua imitatione honorantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

VENERABILIS CONRADVS Vltraiectinus Antiſtes, vir amplificandi diuini honoris affatim cupidus, atque animarum ſalutis ſedulus curator poſt Miſſarum ſolemnia, cùm domi ſolus orationes priuatas perageret à Plebero Friſione Architecto, cui ædificium baſilicæ collegialis in occidua vrbis parte commiſerat, impiè cultro confoſſus, piam animam exhalauit feria quarta Paſchæ: & in eadem æde à ſe ædificata à Clero & populo multas lachrymas ob chari omnium patris indignam necem profundenre, honorificè tumulatus eſt. Claræuallis obitus piæ memoriæ HONORATI conuerſi, Angelica puritate; & diuinis viſionibus ac chariſmatibus inſignis: *Conradus.* *Honoratus.*

Septimo Kalend. Maij. Luna

25 C IV:

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26			

LITANIA maior, & Natalis ſancti MARCI Euangeliſtæ, cuius corpus Venetiis: brachium verò cum oſſibus aliquot in parœciali Eccleſia de Limorio Pariſienſis diœceſis, in- *SS. MARCVS.*

de allatum, religioso cultu asseruatur: cranium Suessionem è Constantinopoli pridem aduectum, in summo templo congrua honorificentia repositum est. Viennæ Allobrogum sancti CLARENTII Episcopi & Confessoris, qui tempore Dagoberti Regis huius Ecclesiæ solio præsedit, Beato Ætherio & ordine & merito proximus, quem etiam dignè officio pastorali perfunctus, ad superna gaudia pio excessu secutus est. Lugduni sancti RVSTICI Episcopi eiusdem vrbis & Confessoris. Is vt alter Ambrosius, à sæculari tribunali ad Pontificalem Cathedram conscendens, miris virtutum fulgoribus Ecclesiam suam impleuit. Sapientia, pietate & charitate præcellens, sanctis coæuus Episcopis admirationi fuit. Ipsum siquidem sanctus Epiphanius Ticinensis Episcopus, missus à Leone Imperatore ad Gundibaldum Burgundiæ Regem legatus, officiosè salutans, & eius in redimendis captiuis charitate, & in negotiis obeundis consilio atque etiam hospitio potitus, eximio amore coluit. Beatus autem Sidonius Apollinaris, & dum ille adhuc in magistratu esset in charis habuit: & postquam infulas sacras induit, altis præconiis extulit. Ennodius verò Ticinensis honorifica commendatione prosecutus est, *Sacerdotem ante initum Sacerdotium*, ob vitæ integritatem, iustitiæ zelum & pietatis cultum fuisse nobili ac insigni encomio deprædicans. Quam laudem si dignè ante præsulatum demeruit: longè ipso in Episcopatu transcendit præclaris sanctimoniæ incrementis. Quibus cùm semper nouos cumulos adderet, salutis ministerio ad Dei gloriam feliciter adimpleto, tandem carne solutus, spiritum ad æthera transmisit. Cuius venerandum corpus ad Apostolorum basilicam quæ nunc sancti Nicetij dicitur delatum, conditúmque honorifica inscriptione quæ sanctitatem eius testatur decoratum est: memoria verò Ecclesiæ cui præfuit fastis adscripta, in perpetua benedictione permansit, cultúque sanctis Pontificibus proprio, in hunc vsque diem celebratur. Autissiodori S. HERBALDI Episcopi itidem & Confessoris, qui post S. Angelelmum, pedum Episcopale tenuit, moribúsque doctrina ac pietate præstans, cùm charus esset Carolo Caluo Francorum Regi, Ecclesiæ suæ magna contulit subsidia & decora. Ablatas enim possessiones, ad ius Ecclesiasticum reuocauit, amplioráque etiam addidit beneficia. Ecclesiam S. Stephani matricem parietibus & laquearibus renouauit, vitreis ac picturis optimis decorauit. Coronas quatuor argenteas in sacrario eiusdem apposuit. Sanctorum Martyrum Alexandri & Crysanti pignora ab vrbe Roma aduecta ibidem collocauit, cancellisque

Clarentius. Rusticus. Herbaldus.

circumsepsit speciosis. Insuper eiusdem Regis præcepto, corpus sancti Germani ex loco vbi primùm conditum fuerat, incorruptum eóque habitu quo à Placidia Augusta decenter fuerat compositum, efferens ad digniorem transtulit, deposuitque cum summa reuerentia & decore. Denique vigilantiæ pastoralis, sanctæque conuersationis ornamentis præclarus, Christo cui fideliter seruierat, beatum spiritum reddidit. Corpus eius in Cœnobitica Ecclesia sancti Germani, cui ante Episcopatum Abbas præfuerat, sepultum, titulo sanctitatis cuius emicuit donis, honoratum est. Eodem die Laubiis ad Scaldim fluuium in agro Leodiensi, depositio sancti ERMINI Episcopi & Abbatis Laubiensis. Hic de Laudunensi agro oriundus, sub sancti Vrsmari magisterio salutis scientiam delibauit: qui eum magna virtute florere conspiciens, iam ætate maturum & sacerdotio insignitum, monasterij primò rectorem, & cùm diem vocationis sibi imminere præsentisceret, officio sibi supparem & comministrum, quam dicunt suffraganeum, instituit. In functione igitur vicaria subrogatus, totum se in diuinis cultibus propensiùs mancipauit, suíque Magistri forma instructus, de creditis sibi ouibus curam gessit sollicitam. Vrsmaro autem postmodum solo & solio penitus cedente, quin non diu post æternas in sedes euocato, Erminus absoluti Antistitis sic munus exegit, vt tandem felicissimo consummatus exitu, eamdem cum illo cuius & vicem & locum perdignè tenuerat, consequeretur beatitudinem. Ambo autem cùm in parœciali Ecclesia Laubiensi tumulati fuissent, inde demum Binchium cum Canonicorum cœtu translati, incolarum perenni deuotione honorantur. Crypta etiam, in qua primùm humati fuerant Laubiis, in qua vtriusque sepulchra cernuntur, magno hodie teritur fidelium supplicum concursu. Eodem die Leodij sancti FLORIBERTI Episcopi & Confessoris, sancti Huberti successoris dignissimi: qui ex sancti Remacli in Monasterio Stabulensi disciplina, cùm ad sancti ipsius Huberti notitiam peruenisset, ob rara virtutis & pietatis specimina ea beneuolentiæ gratia apud eum viguit, vt quod ab ipso paterno quasi amore foueretur, filij nomen consecutus, etiam sacri muneris hæreditatem, non tam illius dispositione, quàm arcana diuini consilij dispensatione, per meritorum gradus sit adeptus. Ipso enim ad Christum abeunte, profusis omnium votis, ad Episcopalem hanc præfecturam subuectus est, quam tanto sidere orbatam, nouo suo splendore exornauit. Porro adeo se illi similem præbuit, vt

ERMINVS. FLORIBERTVS.

Patris non nomen visus sit exprimere, sed faciem. Quamquam verò omnium virtutum viuum simulachrum, perfectæ pietatis studio, sanctæque imitationis affectu præstiterit: ab his tamen potissimùm pontificiis dotibus se exhibuit commendabilem, quod humilitate fuerit præcipuus, ab honorum appetentia alienus, doctrinæ sacræ assiduus, correctioni subditorum intentus, zelo feruens, deuotione plenus, Christóque semper famulandi cupidus. Hi fuerunt purpurei ascensus quibus Cathedram Christi sacerdos promeruit, quibus animas cœlo euexit, quibus ipse post diutinos sudores, ad cœlestes patriæ aureum reclinatorium processit. Corpus eius illatum tumulo in Ecclesia sancti Lamberti, vt gemma in auro rutilans, eximios gloriæ quam consecutus est in cœlo, exeruit opitulationum fulgores. Quamobrem de sepulchro leuatum, in theca argentea cum sacris exuuiis Sanctorum Martyrum Petri & Andoleti sociorum sancti Lamberti, repositum vsque in hodiernum diem digna clientum fruitur veneratione: memoriáque eius annua, quæ agitur hodie, celebritate.

GRAMATIVS. Metis sancti GRAMATII Episcopi & Confessoris, qui sanctum Firminum vt ordine sic meritò sequens, Ecclesiam illam miro cum sanctimoniæ splendore annis viginti tribus administrauit: diebúsque non tam quàm gratiæ fructibus plenus, suaui somno mortis consopitus, æternam euectus est ad requiem.

Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.

IN territorio Pictauiensi prima consecratio Archimonasterij Frontis-Ebrardi per Ioffredum de Meduana Episcopum Andegauensem XLV. qui ad supplicationem Roberti d'Abriceel fundatoris, benedixit cœmeterium Monialiū; summúmque basilicæ altare consecrauit, in honorem gloriosissimæ Virginis Mariæ & S. Ioannis Euangelistæ ministri eius 7. Kalend. Maij, in Lirania maiore, anno salutis 1098. Obiit eadem die sanctæ memoriæ BENEDICTVS Papa XII. qui

Benedictus. rerum in Sede Apostolica à se gestarum pietate ac magnificentia, & patriam, & vniuersam Ecclesiam adeo mirificè illustrauit, vt verè de ipso dici possit, eum fuisse quem feliciter Gallia peperit, quem Lutetia aluit, quem Roma coluit, quem Sion cœlestis coronauit. Inchoauit Lutetiæ Parisiorum sumptuoso opere Ecclesiam Gymnasij Cisterciensis cuius alumnus fuerat. Aliam Baionæ construxit, in qua habitum huius ordinis & spiritum induerat. Aliam Tolosæ, vbi delectâ sepulturâ quiescit. Quæstionem is ipse Pontifex diremit de sanctarum animarum post obitum statu, declarauitque animas quæ purgatione non indigent, statim post mortem Dei faciem videre, cuius ipse beatum conspectum desiderans, pio fine vt frueretur discessit.

Sexto Kalend. Maij. Luna

26 D III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27			

LINGONIS tranſlatio ſacratiſſimi corporis beati BENIGNI Preſbyteri & Martyris Burgundiæ Apoſtoli: quando ob metum Normanorum Diuione ad ipſam Epiſcopatus ſedem, à Lanterio Abbate delatum eſt: atque ab Algrino Epiſcopo digno honore ſuſceptum, tuta ſub clientela ibi hæſit, donec poſtea Deo procellam in auram vertente, ad deſtinatæ cœlitus quietis locum, titulúmque triumphalem, decenti comitatu fuit reuectum. SS. BENIGNVS. Rotomagi in cœnobio ſancti Audoëni veneratio reliquiarum S. MARCELLINI Papæ & Martyris, qui Romæ hodie ſub Diocletiano cum Claudio, Cyrino & Antonio pro fide Chriſti capite truncatus æternam vitæ coronam adeptus eſt. MARCELLINVS. Eodem die Lutetiæ Pariſiorum Conſecratio Palatinæ baſilicæ ſeu ſanctæ Capellæ, in quam ſancti Ludouici Regis eiuſdem ſacræ ædis fundatoris munifica pietate, adoranda noſtræ redemptionis monimenta, paulò pòſt honorificentiſsimè inuecta ſunt. Facta autem eſt hæc inſignis dedicatio anno Domini 1248. hac ipſa quæ recurrit die. Cæterũ quia baſilica ipſa eſt gemina, ſuperior conſecrata fuit ab Odone Tuſculanenſi Epiſcopo Apoſtolicæ ſedis Legato, in honorẽ ſacroſanctæ coronæ ſpineæ Domini, & eius viuificæ crucis. Inferior autem luſtrata eodem die à Philippo Bituricenſi Archiepiſcopo, in honorẽ glorioſiſſimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ. In Ambianis Pago Pontiuienſi depoſitio ſancti RICHARII Preſbyteri & Confeſſoris, qui zelo Dei feruens, prædicationis Euangelicæ lumine, Belgicæ Galliæ non modicam partem, ſed & Britanniæ maioris plurimas ciuitates mirificè illuſtrauit. RICHARIVS. Reuerſus autem manipulis collectæ ſegetis diues, Abbas in Centulæ Monaſterio reſedit, vbi mirabili vitæ ſanctimonia clarus ita illuxit, vt Dagobertus Rex, ſeſe regnúmque ſuum eius precibus deuotè commendaret: deinde & viſendi pij adeo abſtinentiæ portenti ac virtutum perlucidi ſpeculi voto ad ſe honorificè accerſeret: qui liberè eum de peccatorum grauitate corripuit, deinde correctum ſua benedictione ſacerdotali muniuit. Hinc verò oſor gloriæ, latebræque amator, ſeceſſum repetens in ſylua Monaſterium conſtruxit, vbi adſcito vno

duntaxat commilitone, huic ſanctiſſimæ diſciplinæ inſtituta tradidit, & exempla præbuit, ſicque clarus operibus, clarus miraculis, obitus ſui prænunciata die, orans & glorificans Deum placido felicíque obdormiuit ſopore. Cuius corpus, ibidem vbi Seruatori militauerat, ſicut iuſſerat à diſcipulo conditum, inde virtutibus refulgens, ad Centulæ cœnobium digna honorificentia ab aſcetis relatum eſt, vbi in hunc vſque diem congrua ſeruatur veneratione. Trecis ſanctæ EXVPERANTIÆ Virginis quæ diuinis rebus intenta, Chriſtóque per amorem & puritatem adhærens, ſancto fine quieuit, beatarúmque Virginum in cœlis conſecuta eſt ſocietatem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Exvperantia.

Joannes. VALENTIÆ obiit beatæ memoriæ IOANNES Epiſcopus ſerie trigeſimus ſextus, qui ex Bonæuallis Abbate, huius Eccleſiæ factus ob dignas dotes Antiſtes, multis aduerſitatibus pro iuſtitiæ defenſione & iurium Eccleſiæ aſſertione toleratis, meritis & miraculis clarus quieuit in pace. Cuius ſanctitatem ſequentia ſigna comprobârunt.

Quinto Kalend. Maij. Luna

27 E II.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
27	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28			

DIVIONE conſecratio baſilicæ ſancti Stephani Protomartyris facta per Godefridum Lingonenſem, & Galterum Cabilonenſem Epiſcopos, hoc die, quo Dominica *Cantate* occurrebat Indict. 4. anno 1141. Herberto Abbate primo viro ſummæ religionis. Lemouicis beati ALPINIANI, qui origine Romanus in Gallias ferendæ ſalutis cauſa, cum beato Martiale proficiſcens, eidem in variis laboribus & periculis, quæ pro Chriſti aſſerenda Maieſtate fidéque propaganda perpeſſus eſt, indiuiduus comes adhæſit. Poſtquam verò vir ille Apoſtolicus terris excedens, cœlo receptus eſt: præcepta vitæ quæ à tanto magiſtro acceperat, piè ac inſtanter tradidit; puriſſima conuerſatione doctrinam, miraculíſque etiam ſtupendis confirmans. Cui cùm ſtrenuè munus Apoſtolicum obiret, ſanctus Martialis apparens, valuas cœleſtis gloriæ ipſi apertas, patere reuelauit. Ipſe igitur denunciato fidelibus ſuo inſtanti diſceſſu, mœrentes filios conſolatus, & benedictione eos in fidei conſtantia corroborans, ad laborum meſſem, beatorúmque operariorum mercedem euolauit. Eodem die Nouiomi translatio ſanctæ

SS. Alpinianus.

GODEBERTÆ Virginis, cuius hoc ipſo menſe die duodecimo ibidem glorioſus tranſitus celebratur. Leodij veneratio ſancti TORPETIS Martyris, qui pro fide Chriſti ſub Nerone Piſis in Tuſcia alapis cæſus, verberibus dilaniatus, deinde beſtiis traditus, ſed minimè læſus, demum gladio percuſſus, diadema decoris de manu Dei recepit. Cuius aliqua pignora pridem Leodium delata, illic celebrem hodie eius memoriam reddiderunt, quam ob natalis meritum 16. Kalend. Iunij vniuerſa colit Eccleſia. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, & Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* GODEBERTA. TORPES.

IN Præſulatu Laudunenſi tranſitus beati RAYNALDI Abbatis eius loci, quem ſanctus Bernardus habuit diſcipulum & comitem chariſſimum, imò vt perneceſſarium ſibi fuiſſe memorat in negotiis ita obedientiſſimum in agendis, ſtudioſiſſimum in inquirendis, in conferendis verò vriliſſimum. A quo tamen pro maiori Dei gloria, vt à Paulo quondam Timotheus diſiunctus, vberem in vinea Dominica fecit fructificationem, indéque æſtu & ſudore ſuperato, remunerationem à cœleſti Patrefamilias accepit repromiſſam. *Raynaldus*

Quarto Kalend. Maij. Luna

28	.															F I.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	24	25	26	27	28	29			

INSVLIS in agro Tornacenſi ſub antiqua Remorum Metropoli veneratio ſanctiſſimi capitis beati VITALIS Martyris, cuius hodie coronati Rauennæ, Catholica Eccleſia vbique celebrat glorioſa merita & trophæa. Ipſo die Metis depoſitio ſeu tranſitus ſancti ADELPHI Epiſcopi & Confeſſoris, qui temporibus Apoſtolorum vicinus, Apoſtolicis moribus & doctrinis gregem ſibi creditum rexit ac inſtruxit. Diuinæque virtutis operationibus præditus, ethnicos furentes in Chriſti cauſas alios deterruit à feritate, alios cœleſti luce irradians ad fidelium numerum adiunxit. Clarus denique incruentæ victoriæ trophæis, ad cœleſtes palmas poſt exactum quindecim annorum Præſulatum euolauit: hiſque in tumulo micuit prodigiis, quæ integro libro vix potuerunt recenſeri. Decora cuius beatiſſimi Antiſtitis eo ſermone celebraſſe beatum Petrum Chryſologum nonnulli autumant, qui in Adelphi Epiſcopi laudationem ab ipſo inſcriptus eſt. Eodem die Leodij tranſlatio ſancti LAMBERTI Epiſcopi & Martyris glorioſiſſimi, à beato Huberto facta, qui ſacratiſſimum eiuſdem Martyris SS. VITALIS. ADELPHVS. LAMBERTVS.

corpus, ex Eccleſia ſancti Petri apud Traiectum vbi poſt peractum agonem, humili loco propter perſequentium metum, in paterno tumulo ſepultum fuerat: ad villam Legiam, quæ nunc Leodium vbi paſſus fuerat glorioſus Pontifex euexit in magnificam ædem à ſe in eius honorem conſtructam, poſt multa diuinæ pietatis, quæ id fieri indicârant miraculoſa inſignia: quæ & in delatione venerandæ ſarcinæ toto itinere coruſcârunt, continuóque fulgore effecerunt, vt ſedes Epiſcopalis è Traiecto illuc migraret, ſícque ſancti Martyris præſentia & meritis, Legia ignobilis vicus Lotharingiæ, in ampliſſimam vrbem, ac nobiliſsimi præſulatus cathedram prouecta, decus immenſum cum tanti cœlitis patrocinio, recepit. Ipſo die Senonis depoſitio ſancti ARTHEMII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancti Lupi deceſſor, eidem, mira morum ſanctimonia præluxit: Eccleſiámque ſuam decorans cœleſtis conuerſationis inſigniis, per egregias virtutes viam ſibi ad cœlum muniuit. Cuius nomen inter Patres Gallicanæ Eccleſiæ qui in I. Matiſconenſi Synodo conſederunt, claret conſignatum: memoria verò, ob præcelſa ſanctæ vitæ merita, hodie apud ſuos Senonenſes ſacris colitur officiis.

ARTHEMIVS.

AMATVS. Eodem die Duaci eleuatio corporis ſancti AMATI Senonenſis Archiepiſcopi, in collegiata ſui nominis Eccleſia: in qua ſub eadem elatione, diuinæ magnificentiæ opera itidem glorioſè refulſerunt. In Lotharingia pago Neouillarenſi, tranſlatio & eleuatio prænominati ſancti ADELPHI Metenſis Epiſcopi & Confeſſoris collegiatæ Eccleſiæ eiuſdem loci tutelaris. Qui tametſi hodie mortuus ſit, ab vniuerſali Eccleſia colendus conſignatur ſacris in diptychis die 29. Auguſti. Item apud Laudunum Clauatum tranſlatio ſanctæ PROBÆ Virginis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ADELPHVS iterum.

PROBA.

OBIIT hoc ipſo die Romæ piæ memoriæ IOANNES Barrerius Toloſanus, Abbas Fulienſis diœceſis Riuenſis in Aquitania: Inſtitutor congregationis ſanctæ Mariæ quæ ab originis loco Fulienſis hactenus nuncupata, longè latéque diffuſa floret eximia religionis puritate ac pietate inſignis.

Tertio Kalend. Maij. *Luna*

29 G *.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
t u A B C D E f F G H M N P
19 20 21 22 23 24 25 26 25 26 27 28 29 1

IN Cluniacenſi Cœnobio, depoſitio ſancti HVGONIS Abbatis, qui origine Æduenſis generoſa ortus ſtirpe, patre Gotfrido Semuri Domino, matre Alelaide nata Balduini Guinæ Comitis, ſancto Odiloni ob eximiam morum puritatem & animi præſtantiam ſuffectus, arduum tanti regiminis munus ea prudentiæ & ſanctimoniæ laude peregit, vt Monachorum Archangelus eſſe dicique promeruerit. Nam re vera magni viri ſub illius ductu atque inſtitutione florentes, eam in altitudinem, quæ cœli cedris proxima eſt excreuerunt: nempe Gregorius VII. & Vrbanus II. Pontifices ſummi, Albericus Epiſcopus Cardinalis Hoſtienſis, Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis doctiſſimus, qui omnes ex eius diſciplinæ & imitationis fonte, ſpiritum haurientes religionis & ſalutaris ſcientiæ, Eccleſiæ magnum decus & fructum vberem felicis opitulationis contulerunt. Vti & Hugo Burgundiæ Dux, ipſius beati Hugonis exceptitius ſacro è lauacro filius, qui abdicato principatu, ſub eo factus Monachus, de mundo calcato triumphum immortalem reuexit. Nec iis modò, ſed innumeris quos Chriſto vir ſanctiſſimus peperit, ac educauit, forma fuit pietatis, exemplar virtutis, & ſidus perfectæ vitæ. Sub eo plurimæ Sanctorum phalanges conſtiterunt, ac monaſticus ordo maximum ſplendorem, ſeu, *ſpeciale decus*, vt ſcribit quiſpiam non nuperus, recepit. Cluniacus vt ſpiritualibus augmentis ditatus, materialibus etiam incrementis decoratus emicuit. Nam illius conuentus baſilicam glorioſus cœnobiarcha conſtruxit, ſtructuræ magnificentia ac amplitudine admirabilem, quam Apoſtolorum Petri & Pauli titulo ac patrocinio inſigniuit. Diuinorum officiorum theoriam præclaris inſtitutis exornauit: in quibus illud ad vniuerſa Eccleſia iampridem approbatum, vſu receptum eſt, vt in die Pentecoſtes, hymnus *Veni Creator*, ſolemniter ad horam Tertiam decantetur. Multa fecit, docuit, ſtatuit alia præclara vir planè magnus & ſanctus, qui demum plenus dierum, ferax meritorum, ac omnium virtutum ornamentis pollens, miraculiſque etiam coruſcans, & prophetiæ ſpiritu illuſtris, exuta

SS. Hvgo.

mortalitatis ſarcina, ad vitæ perennis cuius fluenta diù exſitierat, gaudia feliciter pertranſiuit: inque beatorum Apoſtolorum baſilica ſepultus, perpetuæ venerationis iura, totius Eccleſiæ iudicio, pro meritorum excellentia obtinuit. Eòdem die in Lingonenſi tractu monaſterio Moliſmenſi, glorioſus tranſitus ſancti ROBERTI Abbatis & Confeſſoris, ordinis Ciſtercienſis Patriarchæ. Hic in Campania inſigni ortus genere, & ſacratiſſimæ Deiparæ, prægnanti matri apparentis dilectione præuentus, quæ puerulum nondum in lucem editum, iam tunc ſibi in ſponſum deſtinabat, annnm agens vndecimum in Cella cœnobio, inſulæ dictæ Germanicæ Trecenſis diœceſis, habitum religioſum ſuſcepit: cúmque ætatis augmento, gratia & virtute ſuccreſcens, tantam ad religionis peruenit peritiam ac morum ſanctimoniam, vt penè ex ephœbis egreſſus, iam in exemplar & regulam cæteris cœnobij alumnis proponeretur. Factus mox prior ſancti Aygulphi, deinde Abbas ſancti Michaëlis Tornodori: poſtea creſcente fama, Moliſmenſis inſignis apud Lingones Cœnobij, vir ſuis in oculis puſillus, in omnium exiſtimatione magnus, Abbas primus creatus eſt. Cuius etiam Aſceterij (à quibuſdam piis viris exoratus, qui ſub eius regimine Chriſto in cordis ſinceritate militare cupiebant) auctor fuit. Poſtmodum diuino afflatu, Ciſtercienſis ſolitudinis ſeceſſum petens, ſacri ordinis qui inde ſumpſit nomen fundamenta iecit. Cui poſtquam ſumma ſollicitudine & paterno affectu aliquandiu præfuiſſet, omnibus ad obſeruantiam regulæ ſancti Benedicti ibidem bene ordinatis, & Alberico in Abbatem conſtituto Moliſmum rediit, cœnobitarum excitus perpeti efflagitatione. vbi cum ſingulari ſanctitate ad extremum vſque perſeuerans, prænuntiata ſui obitus die, anno ætatis nonageſimo tertio ad lucis æternæ fruitionem emigrauit: quem ante & poſt tranſitum, permultis Deus clarificauit gratiæ & gloriæ teſtimoniis Eccleſia verò Catholica ſacris diptychis inſcripſit & anniuerſario cultu honorauit. Leodij in Monaſterio S. LAVRENTII, ſuſceptio ſanctarum reliquiarum beati ipſius Martyris, quas ſanguine eius velut recenti perfuſas Cœleſtinus Papa III. Alberto Leodicenſi Epiſcopo dono miſit: poſt cuius obitum hac die in ædem glorioſi ipſius Martyris, Othone Abbate ſatagente, multa cum reuerentia illata ſunt. Eodem die depoſitio ſancti MARIANI Monachi, qui à partibus Bituricenſium Autiſſiodorum adueniens, ob religionis amorem, regente Monaſterium ſancti Germani viro venerabili *Mamertino*, aſcetarum ſodalitio ſe poſtulauit ſociari, quia idem Monaſterinm

ROBERTVS.

LAVRENTIVS.

MARIANVS.

ſterium antiquæ beatitudinis retinens ſtatum odorem ſuauiſſimum redolebat. Vbi ſumma charitate ſuſceptus, arbor frugifera ſoli fœcunditatem compenſans, ſanctitatis eximiæ flores & fructus vberrimos emiſit: ac demum vitæ præſentis curſu ad Dei beneplacitum conſummato, aulæ cœleſtis adita penetrauit, beatiſque annumeratus, clara ſuæ ſanctitatis & gloriæ reliquit monimenta. Inter quæ nobile eſt cœnobium, quod prope vrbis mœnia eius in honorem conditum, & nomine & ſacris eius pignoribus hactenus gloriatur. Ipſo die Dononij ſanctæ AVÆ Virginis ſanctimonialis, quæ Pipini Regis proneptis, cùm eſſet cæca ad ſepulchrum B. Regenfredis Abbatiſſæ Dononienſis viſum recepit, & vt gratam ſe teſtaretur, omnia prædia ſua, ſeruos & ancillas medicæ ſuæ obtulit: ſéque ipſam diuinis conſecrauit obſequiis, quibus intenta & virginitatis decore, & ſanctitatis opibus micans, animam puriſſimam reddidit creatori. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.* Avæ.

EODEM die ſancto fine quieuit ROBERTVS de Brugis, qui primus fuit Abbas Dunenſis, deinde ſancti Bernardi apud Claramuallem ſucceſſor, ac ſedulus imitator. *Robertus.*

Pridie Kalend. Maij. Luna

30 A XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19.
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	20			

IN Aquitania apud Santonas Natalis ſancti EVTROPII primi illius ciuitatis Epiſcopi & Martyris glorioſiſſimi, quem ex Græcia Romam profectum ſanctus Clemens Apoſtolicus Pontifex, ob chariſmata quibus affluebat benignè ſuſcipiens: Euangelicæ prædicationis muneri dedicatum à ſéque ordinatum Epiſcopum, in Gallias, ad illam vrbem direxit. At primo conatu cùm is parum efficeret, duritiæ plebis incredulæ pertæſus, Romam aliquandiu pòſt reuerſus eſt. Quem Clemens ipſe Apoſtolico ſpiritu confortans ſancto Dionyſio, quem Apoſtolum Galliarum creauerat, in comitem dedit. Sic igitur felicioribus auſpiciis Gallias repetens, poſtquam Arelati aliquot diebus cum ipſo beato Dionyſio conſediſſet, in Aquitaniam ad ipſam Santonum, cuius ſalutem deſperauerat, vrbem, cum augurio triumphi remiſſus eſt. Vbi myſte- SS. Evtropivs.

X

rium gratiæ validiori manu aggressus, cùm vitæ sanctitate, tum miraculis & doctrina Apostolica conspicuus plurimos, ab impio idolorum cultu, ad Christi agnitionem & obsequium abduxit: inter quos Eustillam Præfecti vrbis filiam salutari lauacro tinctam, virginitatis etiam sponso cœlesti deuouendæ, sacro proposito inflammauit. Qua de re commotus pater, cum in iram exarsit, vt missis carnificum manibus, in tugurio extra vrbem degentem Eutropium ceu inductæ cum numinum contemptu exitiosæ superstitionis reum, iusserit comprehendi: qui ab illis, furentéque simul rabida ethnicorum turba, primùm dirè lapidibus impetitus, deinde fustibus ac cæstibus lorísque plumbatis contusus, postremò illisa in caput securi, geminam prædicationis atque Martyrij palmam triumphans in cœlos detulit. Agonem eius sanctus Dionysius postquam ex serie resciuisset, encomio nobili descriptum Græcis literis ad sanctum Anacletum Clementis successorem Romam misit. dehinc etiam in Græciam vt athletæ Christi consanguinei, illius victoriali corona lætificarentur. Sed tam magnifici panegyristæ lucubratio iam pridem per atros persecutionum turbines deleta excidit è fidelium manibus, at non itidem nomen Martyris ex horum memoria. Post multos enim annos Palladio Santonum Episcopo, qui basilicam in eius honorem construxerat (vt eius memoriæ iustum cultum ferè obsoletum redderet:) duobúsque Abbatibus qui ab ædis dedicationem conuenerant; Martyr, gloriosus apparuit, & quo mortis genere consummasset agonem retulit (sicut Gregorius Turonensis in suo de Martyrum gloria libello, luculento prodidit monimento:) Deinde inclytus Christi testis, condigno apud suos honore potitus est, donec erumpente ab orco, non ita diu, hagiomachorum hæreticorum furore, direpta basilica in qua quiescebat, veneranda eius pignora de sacrario & feretro immaniter eruta, multísque contumeliis indignissimè affecta, incendio addicta sunt: quo impiissimo facinore, nequaquam Santonum ciuitas sui opitulatoris præsidio orbata est, quinimo validioris propugnaculi munimen recepit. Eutropius enim bis pro Christo congressus, vt duplicis initi certaminis palmam retulit: sic aucti honoris ex illato ab hostibus pietatis opprobrio, copiosa fœnora in clientes suos quotidie rependit. Eodem die Remis translatio S. MATERNIANI Episcopi, qui Materni Mediolanensis Antistitis frater & meritis suppar, propter excellentiam morum & doctrinæ

MATERNIANVS.

præstantiam, Metropolicæ huius sedis, quæ Apri obitu vidua erat, Pontifex consecratus iam senex à sancto Iulio Pontifice maximo: eam Ecclesiam viuido optimi pastoris actu & affectu per annos nouem gubernauit, multísque perfuncti dignè muneris cumulatis lucris, Dei gloriæ studiosus cultor, indefessus sacratissimæ legis assertor, gregísque curator peroptimus, quieto fine æternum transiit ad præmium. Cuius felix quidem depositio septimo Iulij contigit: at memoria tamen hoc die magis apud oppidanos suos celebris est: quo Hincmarus eiusdem ædis Antistes, ex Ecclesia sancti Agricolæ vbi primùm iacuerat, corpus eius leuatum, ad Ludouicum Germaniæ Regem, pretioso munere transmisit. Ipso die in Monasterio Fontanellæ sancti EREMBERTI Tolosani Episcopi & Confessoris, meritis sanctitatis conspicui. Hic territorio Pinnacensi ERMBERTVS. in Trecensi Præsulatu ortus, tempore Clodouæi II. Francorum Regis, spretis sæculi pompis, ad Fontanellæ cœnobium pennis columbæ fretus supernæ conuolauit: vbi sancto Vandregesilo, Sanctorum nutritio plurimorum, opera vsus, eam in sanctitatem euasit, vt orbata Ecclesia Tolosana Præsule, votis omnium expetitus, ad eam regendam inuitus sit euectus. Quo in gradu miros cùm edidisset iustitiæ & religionis progressus; visitandi cœnobij in quo Christum induerat cupido illum incessit, in quo demum portum reperit exoptatum, illic enim feliciter obdormiens beato fine quieuit: cœlestísque gloriæ fulgoribus in tumulo mirificatus refulsit. Cabilone in Æduis Sanctorum Confessorum SILVESTRI & TRANQVILLI, illius Sedis Episcoporum: quorum hic illius mediatus suc- SILVESTER & TRANQVILLVS. cessor fuit: vterque verò præclaris in Episcopali regimine emicuit pietatis ac probitatis exemplis, quibus ad Dei gloriam informato grege, ambo in sempiterna pace quiescentes, suique perennis patrocinij ouile munientes, opem supplicibus in dies impendunt salutarem. Eodem die Iuliomagi Andegauorum depositio sancti BRIOCI Episcopi & Confessoris, qui patria BRIOCVS. Anglus è prouincia Corticiana, nobili editus stirpe, à sancto Germano Autissiodorensi, fidem ibi disseminante orthodoxam, in Galliam abductus, ínque pietatis disciplinis feliciter institutus, postquam altè documenta salutis imbiberat, patrios ad lares rediit, parentes suos vera fide informauit, quam circumquaque prædicans plurimùm propagauit. Hinc Dominici talenti amplius multiplicandi cupidus, concessit in Armoricam; Conanum Trecorensem Comitem affinem suum irradiando superno Euangelicæ veritatis lumine, diuino la-

uacto abluit: adunatísque religiósæ vitæ cultoribus cœnobium construxit, sedísque Pontificalis illic crepundia conferente Conano fundamenta collocauit: vbi à Metropolita Turonensi suscepto Pontificalis ordinis honore, maximo virtutum splendore præfuit annis fermè triginta. Deinde Andegauum profectus, ob rei sacræ incrementa, ibidem puram exhalauit animam. Vnde sacrum eius cadauer reuectum, in Ecclesia quam construxerat conditum decenti honore, crebrescentibus ad lipsana eius miraculis, & cœnobio & oppido, matricíque Episcopatûs ædi, vt nomen indidit, sic & opitulationem prætendit perpetuam. Iotro Monasterio S. SABINÆ Virginis testimonio sanctimoniæ singularis, quæ ob Angelicam puritatem visionibus diuinis assuefacta, à beatissima Virgine Deipara sibi cum copioso beatorum agmine apparente, de hora transitus S. Hugonis Cluniacensis Abbatis certior facta, eodem quo obiit momento sodalibus indicauit, multísque charismatibus pollens, eum ad gloriam subsecuta est. Apud Vernonium ad Sequanam sub Præsulatu Ebroicensi in Lugdunensi secunda, depositio S. ADIVTORIS Confessoris, admirandæ sanctitatis testificationibus præclari. Qui illo ex oppido stirpe nobili progenitus, patre Ioanne, loci illius Dynasta, matre Rosemunda femina pientissima, teneris ab vnguiculis diuinæ maiestatis obsequiis affatim deditus emicuit. Futuræque sanctitatis vix ex ephœbis egressus, eximia edidit specimina. Ea enim ætate qua in decliuia homo pronior esse solet, carnem spiritui, vigiliis, ieiuniis ac orationibus assiduis subiugabat, tantóque rigore extenuabat corpusculum, vt pellis ossibus pressè agglutinata hæreret. Iam statura quidem erat procera, sed castus carne, mansuetus corde, eloquio affabilis, amabilis aspectu, prudentia singularis, pietate insignis, omníque florens virtute: cum classicum toto Occidente belli sacri, aduersus impios locorum nostræ redemptionis inuasores, personuit. Cui expeditioni Seruatoris amore feruens Adiutor, cruce signatus sese accinxit: ducentos circiter secum ducens strenuos fidei pugiles. Appulsus in Syriam, rectà Antiochiam contendens, insigni solatio acies Christianas, dura obsidione oppressas recreauit. At non diù pôst, æstu pietatis incensus, cùm agmen paulo remotiùs extra vrbem ductaret, in hostium infestos incidit cuneos, à quibus circumquaque cinctus & constrictus, cùm salutis nulla spes in viribus vel fuga suppeteret: supplex ad supernum auxilium conuersus est. Memor siquidem crebræ opitulationis, quam sancta Maria Magdalena

Sabina. Adivtor.

deuotis clientibus, apud suos Vernonenses impertiebat: votum ex intimis emisit præcordiis, quo implorato cœlitis huius beatæ præsidio pollicebatur, si à præsenti immunis abiret cum sociis discrimine, domum suam de Monte cum possessionibus, se daturum in eleemosynam cœnobitis de Tyron (quorum tum magna religio, sub *Bernardi* sanctissimi eorum Abbatis pia institutione elucebat:) Illicque se capellam erecturum ad perpetuam ipsius beatæ venerationem. Quâ editâ deuota sponsione statim opem gloriosæ tutelaris pius interpellator persensit. Turbo enim repente atrox exortus est, qui infidas phalanges, cum grandine, tum fulmine ictas magna strage prostrauit, obruit, dissipauit. Redux igitur in vrbem Adiutor cum sociis illæsus, diuinæ maiestati, suæque opitulatrici vberes grates rependit, sed cùm sæpè postea infestas in acies pio excitus zelo, irrumperet, diuino consilio factum est, vt tandem post annos septemdecim in Christi militia feliciter expletos, ab hostibus Christianus Samson comprehenderetur. Quod in magnam cessit Dei gloriam, & illius vtilitatem. Durè siquidem ab iis fœdis Ismaëlitis in vincula coniectus, dirísque impetitus pressuris vt Christi nomen eiuraret, fortior perstitit in fide asserenda, quam feroces illi acrésque in oppugnanda eius pietate & constantia quiduis nitendo se præstiterint. Interim vir religiosissimus opem diuinam, tutelarísque suæ Magdalenæ suffragium, quo hac ex miseria aliquando liberararetur afsiduè flagitabat: donec quadam nocte in visu adfuit ipsi beatissima illa sæpè inuocata auxiliatrix, quæ asſistente sibi Bernardo illo Tyronensi Abbate nuper glorificato, supplicem ex ergastulo, vi superna educens, vna cum vinculis eo ex loco in patriam pernici transmeatu reuexit, solutúmque nexibus, qui disrupti pone eum parebant, statuit prope Vernonium ad Sequanæ ripam, vbi postea ad tanti beneficij commendationem ædicula sacra ab eo extructa est. Sic ereptus è ferali impiorum iugo Adiutor lætus ad vrbem perrexit, vincula sua quasi trophæa gestans: eáque cum debitis præconiis in basilica sanctissimæ Deigenitricis perpetuum in monimentum appendit. Tum gratiæ fœnora sedulus exoluit vberiora promissis. Nec enim modò latifundia sua opésque quas copiosas habebat, in ius cœnobij Tyronensis transcripsit: verùm, semetipsum illic Christi iugo mancipauit, assumpto è manibus Guillelmi Ætheriarchæ tesseræ religiosæ indumento. Insuper voti tenax memórque, in fundo à se destinato, eodem loco vbi diuinitus liberatus, vinculis excussis primùm tranquillos gressus defixerat: sanctæ Mariæ Magdalenæ suæ liberatricis sacram construxit

ædem, quam ad eius petitionem Hugo Archiepiscopus Rotomagensis solenni ritu dedicauit. Hanc prope capellam de Abbatis sui Præsulísque licentia vir diuinus, suam postremam stationem collocauit, vbi totus à Deo pendens, miris refulsit sanctitatis insigniis. Haud vllo enim alio quàm olerum pabulo, quæ modico sale condiebat, haustúque profluentis aquæ vitam sustentabat. Indutus sub religioso schemate aspero cilicio. Humi cubabat pone sacelli altare: manuum opere se quotidie exercitabat: vigiliis nihilominus orationibúsque sedulo intentus, quas profuso cum lachrymarum imbre, deuotæq. mentis thymiamate, Domino, pro vniuersæ Ecclesiæ vtilitatibus, priuatisq. fideliũ commodis iugiter offerebat. His Angelicæ conuersationis officiis, diuinitus inditæ ipsi miraculorum gratiæ fulgor accessit. Fretus enim beatæ suæ aduocatæ præsidiis, diuináque præditus virtute, sæuum cacodæmonem abegit ab Hilgodi cuiusdã energumeni corpore; gurgitem horrendum in sinu Sequanæ patentem, mercésq. in dies sorbentem ac homines, iniecta vinculorum suorum portiuncula, in abyssi hiatum, cum æterni numinis inuocatione, & B. Mariæ Magdalenæ supplicatione, penitus obstruxit, placida Sequanæ illic reddens fluenta. Etiam & cæcis permultis lumina optata restituit. Surdis aperuit auriũ meatus: Vigorem languidis duobus plenum redintegrauit, multáq. alia diuinè, in solatium afflictorum operatus est. Demúmque in omni sanctitate perfectus, Deo gratam efflauit animam: sepultúsque, sicut supremo optatu expetierat, sub ipso B. Mariæ Magdalenæ quod incoluerat patrocinio, retro primariũ altare, præclariora suæ supernæ beatitudinis exeruit testimonia, quã viuens in carne prodiderat indicia sanctitatis. Ob quæ, præeuntibus Episcopis à Clero & populo iam tunc sacris excultus honoribus, claram hactenus meritorum perennauit celebritatem: patriæque quam viuens sanctis actibus illustrauit sedulam apud Dominum curam gerens: sese re vt nomine perpetuum ostendit Adiutorem. Commendat affatim hoc in sancto viro Hugo Archiepiscopus prælibatus in insigni (cuius apographe superstat) diplomate; patientiæ robur, contemptum sæculi, zelum animarum, sacrarum ædium reparationem, cœnobiorum augmentum, monachorum fomentum, studium Ecclesiasticæ pacis, concordiæ Regum affectum, viarum Dei custodiam, placitorum Domini obseruantiam, assiduitatem vigiliarum, instantiam orationum. Húncque attollens veris non minùs quàm speciosis præconiis agnominat, solatium pauperum, speculum iuuenum, senum decus, castum virginum delicium, continentium gaudium, piorum

viuidum sidus, virtutum denique omnium animatum domicilium. Quæquidem encomia tametsi maxima, ad tanti tamen viri absolutam commendationem exilia sunt: longè enim illius meritis impares sunt laudes, quas disertissimus quisque mortalium exquisito possit stylo vel eloquio expromere. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

IN agro Cameracensi Cœnobio Affligemio, hodie ad sapientiæ æternæ fontem pertransiit beatus RADVLPHVS Monachus silentarius. Obiit hoc ipso die Sauiniaci in Abrincensi agro beatus AYMO vir diuinarum scripturarum scientia & puritate morum præcellentissimus: qui patria Armoricus, per mundi contemptum, ad Christi iugum, suauéque obsequium progrediens, facultatibus in egenorum solatia dispertitis, in eius loci cœnobio, sacræ militiæ tesseram suscepit, dieíque mortis suæ præscius, post edita sanctissimæ vitæ monimenta, ad æternæ felicitatis conscendit fruitionem. In cœnobio Valciodorensi mortem temporalem æterna cum vita commutauit sanctæ memoriæ FORANNANVS Episcopus, qui ex Scotia patria Angelico monitu ductúque mirabili Galliam transmeans, Lomacum in Belgio venit: exceptúsque ab Eilberto Comite cum sociis loco præsignato ad Christo famulandum donatus est. Quo cum Dynasta Romam postea peregrinatus à Benedicto VII. Pontifice Maximo & cœnobij ius & titulum Abbatis recepit. Gotsiam inde contendens cum symmystis, tessera monachali insignitus, rediit ad domum Valciodorensem: vbi Eilbertus ipse fundator post erogatas multas largitiones, pio fine defunctus est. Sanctus autem Episcopus & Abbas, pastor noui gregis vigilantissimus, pater pauperum, omniúmque virtutum possessor ac magister egregius, quinto post Eilbertum anno finem laborum compleuit; inque leua basilicæ suæ depositus, beatitudinis receptæ testificationibus admirandis clarificatus est. Item beata OILDIS Virgo Gallica, instituti Cisterciensis Angelica puritate nitens, ad Liliorum cœlicorum, hortum translata est coronarium.

Radulphus. *Aymo.* *Forannanus.* *Oildis.*



MAIVS.

Kalendis Maij.

I																E XXVIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3			

SS. Philippvs & Iacobvs Apostoli.



OLOSÆ veneratio ſanctiſſimorum corporum beatiſsimorum Apoſtolorum PHILIPPI ac IACOBI, in baſilica ſancti Saturnini quieſcentium. Philippi caput à corpore diuulſum, hinc Lutetiam Pariſiorum tranſlatum fuit ad ſummum beatiſſimæ Virginis templum, vbi religiosè aſſeruatur, percolendúmque hodie exhibetur in lipſanotheca argentea auro illita. At in aurea pridem id incluſum obtulit votiuo munere Ioannes Dux Bituricenſis Prorex Volcarum ſeu Landgothiæ. Porro ſancti Iacobi brachium vnum Lingonis in maiori templo, ante ſeptingentos annos repoſitum, ibidem ea qua decet veneratione colitur. Eodem die in territorio Viuarienſi, ſub Viennenſi Metropoli ſancti ANDEOLI ſubdiaconi, quem vnà cum beato Benigno & Andochio preſbyteris, Tyrſóque Diacono, ſanctus Polycarpus ab Oriente miſit in Galliam ad prædicandum verbum Dei. In hunc igitur tractum conceſſit, vbi proſcripto fœdo dæmonum cultu, cùm multos ad Chriſti diſciplinam traduxiſſet: Imperator Seuerus eius prædicatione comperta, ſpinoſis fuſtibus crudeliſſimè flagellatum, in carcerem trudi præcepit, & alia die productum cùm ſuperari non poſſet, iuſſit ad ſimilitudinem gladij enſem de ligno duriſſimo fieri, & in crucis modum caput eius diſſecari: ſicque inuictus Chriſti aſſertor, effuſo in terram cerebro, glorioſa morte occumbens, immortalis triumphi, cœleſtem conſecutus eſt lauream. Ambianis beatorum Martyrum ACII & ACIOLI, qui poſt nobile fidei certamen, ibi multarum opitulationum gloria coruſcarunt. In agro Aurelianenſi vico ſancti Petri de aue

(Margin: Andeolvs. — Acivs & Aciolvs.)

columba, natalis sancti SIGISMVNDI Burgundiæ Regis, qui captus ab hostibus, cum vigiliis, ieiuniis ac orationibus diu noctúque vacaret, vnà cum vxore & filiis, in puteum demersus, innocentiæ & patientiæ merito, de terreno regno ad cœleste, vera sine felle columba euolauit. Post pium autem occubitum diuinæ virtutis magnalibus clarificatus ipso in loco refulsit: vbi in eius honorem Ecclesiâ ædificatâ, cùm multo tempore quieuisset, miraculis semper enitens, tandem à Carolo IV. Imperatore & Boëmiæ Rege, cùm in Galliam venit, sacratissimum eius corpus pretioso munere acceptum, ínque Boëmiam transuectum, Pragæ in æde Metropolitana eximia deuotione & reuerentia collocatum est. In finibus Tungrensium sancti ERVERMARI Martyris, qui ab iniustis crudeliter impetitus, & cùm innoxius esset interemptus est. Hic enim nobilis Friso, succrescentibus cum ætate virtutibus ad sancta loca deuotus, ob cultum cœlitum peregrinabatur. Cúmque aliquando Traiectum iret ad sanctum Seruatium, diuertit in territorium Tungrorum cum septem suis comitibus, sícque in Haconem quendam tyrannum eiúsque sicarios, in sylua Harsclapia incidit, à quo interceptus, dirè cum sociis in odium piæ peregrinationis trucidatus est. Quem Deus sic postea mirificauit, vt crebrescentibus signis, ad eius patrocinium multi confugerent, solatiáque consequerentur expetita. Cultu deinde obsolescente, corpus eius, quod in sancti Martini Ecclesia conditum fuerat, ab Angelo, eius Ecclesiæ sacerdoti reuelatum fuit, qua re Heraclio Episcopo Leodiensi reserata, is ad locum cum sacro comitatu accedens, solemniter pretiosam gemmam de puluere colligens, sacrario inuexit & inclusit eo quo decebat decore asseruandam. Hócque modo beatissimi cœlitis pretiosa gleba cultum suum recepit. Honoratur igitur B. Euermarus inter Martyres à Rathensi Ecclesia & à vicina Tungrensi, ad quam singulis annis venerandum eius feretrum solemni supplicatione defertur. Suessione, veneratio sanctæ RESTITVTÆ Virginis & Martyris, cuius corpus in Arciensi Ecclesia eiusdem diœcesis fulgens miraculis quiescit. Natalis verò festis Catholicæ Ecclesiæ pridem inscriptus, claret annuo cultu celebris sexto Kalend. Iunij. Ipso die Augustæ Ausciorum sancti ORIENTII Archiepiscopi & Confessoris, qui Oschæ in Hispania natus, Proconsulis filius, primò sæcularibus studiis operam dedit, Magistratúque etiam omni integritate functus est. At mundi nugarum pertæsus, dispersis in pauperes opibus, totum se ad Dei cultum conuertit: séque cœlesti directus indicio in desertum locum

SIGISMVNDVS.

ERVERMARVS.

RESTITVTA.

ORIENTIVS.

recepit, vt puriùs ſupernæ maieſtati deuoti famulatus obſequia referret. At multis ad eum confluentibus, cùm orationum gratia diuina qua flagitabat beneficia impetraret : longiùs abſcedendum ratus, in Vaſconiam fugiens perrexit ad Bigorræ vallem, ibi in deuexo montis latere, qui dicitur Leuitania, oratorium conſtruxit, hæſitque diù Deo ſeruiens in oratione, ieiuniis & vigiliis, eáque viuendi ratione quæ ad Angelicam potiùs quàm humanam virtutem pertingebat. Quo tempore, Vrſiniano Præſule Auſcienſi defuncto, Clerus plébſque orbata paſtore, indicto ieiunio triduano, ſupplex apud Deum inſiſtebat, vt ſibi de idoneo Antiſtite prouideret. Audita orantibus vox eſt præcipiens, Orientium in ſpelunca latentem, ſibi vt deligerent Epiſcopum. Quem cùm adiiſſent, vir Dei, honoris potiùs quàm oneris abhorrens, à Deo perdiſcere voluit, ſi verbum ab ipſo egreſſum fuiſſet. Fuſa igitur prece virgam quam in manu geſtabat in terram defixit, quæ ſubitò frondens effloruit. Vocatum ſe igitur vt pridem Aaron intelligens, gregis cœlitus ſibi tutelam curámque demandatam ſuſcepit. Atque zelo ardens diuinæ gloriæ, bene conſtituta Eccleſia in Vaſconiam excurrit, ſyluam idolomaniæ vepretis adhuc horridam: quam ſic aratro crucis excoluit, vt deletis ſimulachris, fugatis dæmonibus, illuminatis incolis Chriſto totam ſubegerit. Viſitur adhuc in monte, in quo tetra phantaſmata homines illudebant, Eccleſia ab eo extructa ſub beati Cyrici & Iulitæ titulò, quaſi pro victoriæ trophæo, vbi Corneliam Principis gentis filiam à diabolo vexatam liberauit. Deinde inclytus Chriſti præco ad ſuam Eccleſiam regreſſus, illam doctrinis, exemplis, meritis ac orationibus multipliciter fœcundauit. His autem dum ſalutaribus intendit officiis, ſeneſcente demum corpore, ſibi diem extremum ſentiens impendere, petito, reuerentérque recepto immortali viatico, Chriſtum quem vera in carne ſuſcepit, ſpiritu etiam conſpexit ſe ad cœleſtia præmia inuitantem: cuius conſortium deſiderans, totus in amorem dilecti Domini liquefactus, puriſſimum ſpiritum in eius manus efflauit, pontificatus ſui anno quadrageſimo primo anno nono Siricij Papæ. Sepultus eſt in baſilica ſancti Ioannis Baptiſtæ cum ſanctis deceſſoribus ſuis PATERNO, SERVANDO, OPTATO & POMPODIANO: vbi ad eius tumulum ingentia paſſim miracula refulſerunt. Autiſſiodori ſancti AMATORIS Epiſcopi & Confeſſoris. Hic ex Æduenſibus proceribus Patre Produlio, matre Eſiciola, inſtructus à ſancto Valeriano Autiſſiodori vbi degebat Præſule, cùm à parentibus cogeretur quamdam Virginem no-

PATERNVS, SERVANDVS, OPTATVS & POMPODIANVS.

AMATOR.

bilem desponsare Martham nomine; annuere quidem his visus est. Sed cùm iam tempus copulationis vrgeret, vterque sese mutuò adhortantes, illibatum virginitatis florem Christo, mutuo consensu deuouerunt. Affuit mox Angelus, qui duas his coronas attulit, laudans propositum atque eosdem ad perseuerandum exhortans. Igitur Martha velamine sacro amicta, religiosóque more initiata, se in agro, cui nomen Ariaco, parentum suorum subiacenti dominio, in tractu Lingonensi reclusit: ibíque degit sponso cœlesti puro famulatu adhærens. Amator autem clericali militiæ ascriptus, cùm demum diuinorum munerum charismatibus ornatissimis polleret: in sancti Eladij locum, Dei vocatione & Cleri ac populi feruenti desiderio, substitutus Antistes, magno pietatis doctrinæque cœlestis ac miraculorum splendore, eidem Ecclesiæ præfuit, cuius basilicam sub sancti Stephani patrocinio construxit magnificam. Quo sedente tanto in honore, MARTHA quondam sponsa, at iampridem Deo sacrata virgo, Angelica puritate nitens, absque vlla ægritudine, diem extremum peregit, suúmque ad sponsum supernum, spiritum transmisit coronandum. Cuius immaculatum corpusculum, Amator, secum comitantibus populis, religiosissimo funere redimitum collegit, & iuxta Victricum in conspectu ciuitatis tumulauit. Denique cœlesti nuntio, diei felicis exitus præmonitus, allecto in Christi iugum Germano viro illustrissimo, cui Episcopatum fore prædixit post se obeundum, in Ecclesiam deportari, senio fractus voluit, póstque sumpta æternæ vitæ pignora, pontificalem in thronum conscendens, vt populo benediceret, feria sexta hora diei tertia Deo gratum spiritum emisit: quem videntibus multis, chorus Sanctorum, in columbarum specie cum laudibus & hymnis, vehebat in cœlum. Corpus tam puræ animæ domicilium, tótque gratiarum organum sepultum est iuxta tumulum sanctissimæ puellæ Marthæ, vt qui nuptiali thalamo Christi amore disiuncti fuerant, communi tumulo, ceu trophæo communis victoriæ fruerentur: & in terris consopita membra, eodem in reclinatorio quiescerent, quorum immortales spiritus in cœlis simul emeritæ gloriæ liliis coronati, eiusdem felicitatis potiuntur consortio. Eodem die in territorio Ruthenensi sancti AFRICANI Episcopi Lugdunensis & Confessoris. Hic virtute quàm sanguine nobilior (tametsi patre Sequanorum Principe ortus prodatur) adolescens sancto Patienti Lugdunensi Episcopo erudiendus traditus est. Cuius vitam morésque felici annisu imitatus, dignus tandem habitus est qui in tantæ Eccle-

Martha.

Africanus.

siæ regimine eidem subrogaretur. Deinde cùm Ariana perfidia adhuc per Galliæ oras virus suum spargeret, maximéque Ruthenæ grassaretur, vindex Christi gloriæ insurgens, animarúmque salutis zelo flagrans sanctus Præsul eò proficiscitur: túmque doctissimis concionibus hæreticos aggressus, tum fortissimis concertationibus palàm cum eisdem congressus, orthodoxæ asserta fidei veritate, impietatis propalauit spurcitiam. Sícque copiosam populi multitudinem ab Arianismo abductam, in Catholicæ Ecclesiæ sinum feliciter reuexit. Qua de re exciti peruicaces hæretici, falsis criminationibus sanctum Episcopum onerantes in carcerem etiam coniecerunt, variisque opprobriis & conuiciis affecerunt. At vir Dei vt columna immobilis persistens, facile hos flatus ac fluctus infracto animo retudit, solutúsque ergastulo, maiori libertate ac feruore Dei veritatem aduersus impios contestatus est. Nec verbis modò, sed & miraculis pietatem propugnauit: quin & sanctitatis eius testimonium diuina Maiestas reddidit conspicuum. Ei enim tremenda mysteria in sancti Saturnini Ecclesia à se consecrata celebranti, eo temporis articulo quo sacrosanctam sumebat Eucharistiam, igneus circulus super caput eius effulsit in modum coronæ, quam qui sanctissimæ synaxis digni erant, (indignis haud aspectabilem,) conspexerunt. Multa alia in eo & per eum Dominus admiranda patrauit, ex quibus ingentia, Ecclesia recepit solatia & decora. Tandem egregius Antistes tot trophæis clarus, ad æternos triumphos, vocatus à Rege gloriæ, migrauit. Cuius memoria, oppido eiusdem diœcesis vbi efflauit animam, nomen indidit: vbi hodie in basilica quam pignoribus sacris & tutela illustrat, beata depositionis eiusdem solemnia celebrantur. Ipso die in Armorica sancti CORENTINI Episcopi I. Corisopitensis, à sancto Martino Turonensi Archiepiscopo consecrati: qui Christi gloriam semper suspirans, semper promouere studuit, eámque Ecclesiam cuius simul parens fuit & sponsus, & viuens illuminauit exemplis, & moriens meritis ditauit; beatúsque sic suo insigniuit vrbem ipsam nomine, perpetua vt etiam opitulatione tueatur. In Normania agro Constantiensi transitus sancti MARCVLPHI presbyteri & Abbatis, qui Confessor gloriosissimus, Regibus Christianissimis, cœleste perennéque munus gratiæ, infectos morbo strumæ curandi, meritis suis impetrauit; assiduísque apud Deum, regnum Francorum fouet ac promouet suffragiis. Hic beatus vir sub Childeberto I. florens, ad quem etiam diuino monitu perrexit, ex Baiocensi vrbe, non ignobili stirpe progenitus, pusillus statura,

CORENTINVS.

MARCVLPHVS.

tura, virtute adeo sublimis extitit, vt sanctis quorum coæuus fuit, magnam suæ sanctitatis incusserit admirationem. Dæmonibus autem tanto fuit terrori, vt ad eius præsentiam, (quòd vel mero nutu eos abigeret) dicto citius ab obsessis corporibus aufugerent. Angelis sic conuersatione propinquus, vt frequenti eorum aspectu affatúq. frueretur: quorũ & purissimum candorẽ, ipso vultu castissimo præferebat. Corpore illibatus, sermone preclarus, opere sanctus, integer fide, spe erectus, charitate diffusus: feruens Christi amator & cultor assiduus. Nullum momentum otiosus excurrebat, sed aut legens, aut meditans, aut retia texens puncta vel minutissima temporis expendebat. vllum nusquam diem præteriit, quo non salutis subsidia Dei populo, præstiterit, quotidianis exhortationibus populũ admonens. Vnde cùm magna dicendi ac docendi gratia præpolleret, à sancto Possessore Constantinæ vrbis Episcopo ordinatus sacerdos, Cleri & populi communi efflagitatione, etiam munus prædicationis vice Præsulis obire, eiusdem iussione obstrictus est. Quod sic exegit, vt non esset, qui non eum ex affectu diligeret, & hunc esse verum Dei famulum acclamaret. His actuosis intendens studiis, seruus Dei ferè semper ieiunabat: pane tãtùm hordeaceo, & crudis herbis victitans, toto quadragesimæ tempore solitarius permanebat. Cilicinum saccum pro tunica gerebat, pro veste verò Vetuccinis pellibus vtebatur. Multis ad eum confluentibus, religiosæ institutionis theoremata tradidit, hísque etiam cœnobia construxit plurima. At subinde amantissimus solitudinis, in insulam transmisit minoris Britanniæ: in qua sanctissimus Helibertus Anachoreticam vitam agebat. Hunc in tugurio inuisit, atque cum Domardo, quem solum comitem asciuerat, eidem adhæsit cœlesti speculationi defixus. Demúmque insula ipsa, ad cuius oras pauperculi incolæ degebant, suis precibus ac meritis ab excidio præseruata, clarus miraculis, operibúsque sanctis plenus, felicissimo excessu, ad sedes supernas commigrauit. Quem sanctus Laudus Episcopus senem, vltimúmque ferè trahentem spiritum, summo beneuolentiæ affectu visitauit. Angeli verò ad æterna gaudia transeuntem canticis lætitiæ ouantes exceperunt. Huius beati viri pretiosa pignora ob Normanicos incursus, interiorem in Galliam, cum Domardi socij sacris ossibus tralata, Meduntæ reposita sunt. Constructa in honorem tanti cœlitis basilica, quæ nunc vsque eius patrocinio & venerandis lipsanis est insignis. Cæterùm quòd beati ipsius cœlitis meritis acceptum ferant Reges Christianissimi perpetuum

miraculi donum quo morbo strumæ infectos signo crucis consignando diuinè curant, ab hoc putido exitiosóque tumore: Ideo imperium auspicantes, post cœlestis vnctionis percepta solemni ritu subsidia: supplices adeunt sancti ipsius Confessoris sacram ædem quæ in Remensi agro sita pignoribus eiusdem nonnullis insignita est: solutísque votis ex auito more, sibi hunc beatum, fieri apud Deum perpetuum suffragatorem, promerentur. Eodem die Peronæ sancti VLTANI Abbatis cœnobij eiusdem loci & Confessoris, fratris & successoris sancti Fursei, necnon beati Foilliani Martyris gloriosi. Qui religionis mirificus cultor, constructo etiam subsidiis sanctæ Gertrudis Niuellensis, Fossensi in Leodicensi tractu asceterio, alumnis eiusdem præceptis salutaribus traditis; ad dictum Peronæ monasterium rediens (cui post fratris obitum præfectus fuerat) sanctum Amatum Senonensem Episcopum, pro iustitiæ zelo in exilium pulsum ibidem & honorificè excepit, & diù paternè fouit: póstque vitæ sanctissimæ transacta curricula, illum ad emeritæ beatitudinis præmia euocatum subsecutus est. Cuius sacratissimorum pignorum pars altera Peronæ, altera Fossis, condecenti honore conseruatur. Auenæ Cœnobio Catalaunensis diœcesis sanctæ BERTHÆ Abbatissæ & Martyris, vxoris sancti Guntberti itidem Martyris: à quo ex Christi deuotione, mutuo consensu separata, prædictum monasterium in loco quem sibi designauerat Angelus construxit: in quem, fontem duobus ferè milliaribus dissitum, vi orationis largitor fluentem deduxit. Priuigni denique ipsius contra eam æstu auaritiæ insurgentes, ipsam interfecerunt, qui omnes in rabiem conuersi teterrimo fine periêre. GVNTBERTVS etiam in loca maritima secedens in monasterio à se condito à Barbaris trucidatus est. Vtriusque mortem in conspectu suo pretiosam Dominus indicauit. Nam corpore Guntberti ad tumulum Berthæ vxoris cœlesti dispositione reuecto, amborum coniugum merita, multis paruerunt miraculis. Ipso die Gandaui consecratio basilicæ primæ Blandinij Cœnobij, peracta à beato Amando Pontifice sanctissimo Leodiensi. Et ibidem translatio corporis sanctæ Virginis AMALBERGÆ. Item Aldemburgi in Flandria in monasterio sancti Petri eleuatio sanctissimi corporis beati Arnulphi Episcopi Suessionensis. Furnis itidem in Flandria translatio reliquiarum VVILLEBALDI Episcopi, & VVINEBALDI Abbatis, necnon sanctæ VVALBVRGÆ Abbatissæ

Margin notes: Vltanvs. Bertha. Gvntbertvs. Amalberga. Vvillebaldvs & Vvinebaldvs, ac Vvalbvrga.

eorum sororis. Item Remis depositio sancti THEODVLPHI Presbyteri & Confessoris, Abbatis sancti Theodorici, multæ sanctitatis viri: cuius ob splendidiorem Apostolorum coronam, transitus ibidem colitur die sequenti. In territorio Abrincensi eleuatio sanctorum Sauiniacensis Cœnobij, GAVFREDI & GVILLELMI Abbatum, necnon PETRI & AMONIS Monachorum. Apud Montem Albanum sancti THEODARDI Episcopi Narbonensis, cuius vita fuit sanctitatis exemplum, eloquentiæ stupor, & doctrinæ miraculum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

THEODVLPHVS. GAVFREDVS & GVILLELMVS necnon PETRVS & AMON. TAEODARDVS.

QVIEVIT ipso die piæ memoriæ BERNARDVS Cardinalis Sanctorum Cosmæ & Damiani: qui non quidem Presbyter, sed Diaconus fuit multæ sanctitatis. Item in Brabantia diem piissimè clausit SAPIENTIA monialis ordinis Cisterciensis, diuinis alloquiis ac visionibus clara. *Bernardus.* *Sapientia.*

Sexto Nonas Maij. Luna

2 C XXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4			

AVRELIIS Dedicatio I. Basilicæ sanctæ Crucis à sancto EVVRTIO Episcopo: concurrente insigni Episcoporum conuentu celebrata: in qua nubes candida apparuit super caput eius, & manus Domini porrectis digitis tertiò oblata benedicens. Claromonte Aruernorum, S. FLAMINÆ Virginis & Martyris, quæ meritis coram Deo præcelsa, fide plena, signis etiam quibus eam propagaret maximis refulsit: morbo enim plurimos curauit; Balderio exoculato lumina redintegrauit: misericordiæ etiam sacro feruore incensa, copiosas quas habebat opes in egenorum subsidia effudit. Vnde cùm tantæ pietatis fama increbuisset Eulalius Præses Christianis aduersissimus, ipsam ad se adduci iussit, tentatámq. cùm nec precibus nec minis à fidei confessione dimouere posset, coniecit in vincula. At Virgo constantissimè carcerem & plagas pertulit. Quamobrem educta, cùm in ipso prætorio gloriam Christi Seruatoris magnificentiori fidei præconio efferret: per ignominiam detonsa, demum capitis abscissione, gloriosum martyrium peregit. Passa est quidem in Nicomedia sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. At sacratissimæ eius exuuiæ hinc in Aruerniam,

SS. EVVRTIVS. FLAMINA.

vt acta testantur transuectæ, atque Dauaiaci repositæ; & natalem eius Claromonte in sancti Hilarij Ecclesia hodie insignem, & illic translationem celebrem Nonis Augusti, præstiterunt. In
Florentius. territorio Andegauensi sancti FLORENTII Presbyteri & Confessoris, qui cœlesti disciplina imbutus, exempla omnibus præbuit admirandæ sanctitatis; cuius etiam copiosis insignibus clarus migrauit in cœlum. Ad cuius tumulum nobile Cœnobium exinde ædificatum est: quod dirutum à Menenoio Britone, Elias Abbas prope Salmurium ope munifica Theobaldi Comitis instaurauit, atque sancti Florentij corpus è priori situ deductum, in noua nuperi huius Asceterij basilica, debito cum honore reposuit, adductis è Floriaco Monachis, qui locum piè
Vvalbertus. & prosperè incoluerunt. Meldis sancti VVALBERTI Episcopi & Confessoris. Hic Hagnerici Comitis filius, beatíque Pharonis sui successoris frater: in agro Meldensi loco qui Nantolium dicitur genitus, ab ineunte ætate pietati deditus enituit. Primúmque sæculari professioni alligatus, vnico quem susceperat ex vnica coniuge filio, sanctum Bertinum Sithiuensem Abbatem dedit in sancto lauacro susceptorem. Quem ob puros piósque mores sic dilexit & coluit vt Comitatum Arquensem & Poperingam in Flandria Dynastiam, in vsus Monachorum tradiderit. Hinc defuncta vxore paulatim rebus caducis se exuens, cum filio suo Sithiuensibus asceris se adiunxit. Inde Luxouium in Burgundiam missus, beato Eustachio vita functo successit. At postea sanctitatis vbique diffusâ famâ, obeunte diem, Gundoaldo Episcopo Meldensi, eius in locum electus, atque ad natale solum sic Dei dispositione reuocatus, pontificalem huius Ecclesiæ cathedram (quam tamen non nisi inuitus conscendit) sanctimoniæ singularis actibus decorauit: ac denium in suscepto regimine copiosa cum piorum laborum messe octo annis exactis, felici discessu, ad pastorum Principis optatissimum conspectum, sanctorúmque Præsulum beatum consortium profectus est. Eodem die in ipsomet Monasterio Sithiuensi Eleuatio corporis præfati bea-
Bertinus. ti Abbatis BERTINI. In Cameracensi tractu, depositio bea-
Aibertus. ti AIBERTI Presbyteri, qui de licentia Abbatis Crispiniensis, cuius loci monachus erat, cœlestis speculationis affectu in cella paulisper à cœnobio remota se inclusit: vbi orationibus & diuinis meditationibus intentus, totúsque in Christi amorem conuersus, admirabilis sanctitatis lumina edidit, ac plenus gratia & meritis beato fine quieuit: ipso Christi resurgentis triumphali die, qui tūc occurrebat die 7. Aprilis. Verumtamen ob Paschalia

solemnia, quæ hæc tempora sæpè præpediunt, festa eius commemoratio in diem hanc differtur, quæ proximè sequitur dedicationis eiusdem cœnobij vbi quiescit celebritatem. In Brabantia apud Merbeccam in collegiata Ecclesia eleuatio corporum sanctæ BERLENDIS, sancti Amandi neptis, necnon CELSÆ & NONÆ beatarum Virginum facta per Autbertum Præsulem Cameracensem. BERLENDIS. CELSA & NONA. Hodie Remis in Cœnobio sancti Remigij fit officium depositionis sancti MARCVLPHI Abbatis, MARCVLPHVS. cuius transitus fuit heri. Antuerpiæ S. VVALBVRGIS Virginis, VVALBVRGIS. ex cuius tumulo manat olei liquor, qui plerisque beatæ ipsius opem poscentibus medelam confert salutarem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

CVLTV digna hodie apud Præmonstratenses recolitur postrema translatio sancti NORBERTI non ita diù peracta, ex vrbe Magdeburgensi lue hæreseos infecta ad Pragam Bohemiæ Metropolim, vbi sacrum eius corpus multo honore fuit repositum, in montis Sion Cœnobio prædicti ordinis per Ernestum Cardinalem ab Harach Archiepiscopum Pragensem, pijs auspiciis Ferdinandi II. electi Rom. Imper. & Bohemiæ Regis. *Norbertus.* Metis hac ipsa die translatum est corpus S. CLEMENTIS primi illius ciuitatis Episcopi à domino Herimanno venerabili Episcopo eiusdem vrbis, qui sacrum tanti cœlitis cadauer exhumatum, ad venerationem perpetuam in basilicam sancti Felicis multa cum honorificentia inuexit. *Clemens.* Quæ sacra ædes postea ob miros splendores beati sui hospitis, ampliorem in structuram prouecta, sancti ipsius Clementis nomine cœpit insigniri.

Quinto Nonas Maij. Luna

3 D XXVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5			

INVENTIO sanctæ Crucis Domini, cuius potior pars postea in Gallias delata, à S. Ludouico Rege in basilica Palatina Parisiis cum spinea corona, ac cæteris sacrosanctis redemptionis nostræ pignoribus, summo honore reposita est. Brugis in Flandria memoria cruoris miraculosi, qui ex imagine Christi profluxit, Beryti in Syria: vnde per Theodoricum Alsatium Flandriæ Comitem allatus, eiúsque iussu per Leonium Bertinensem Abbatem, in basilica sancti Basilij collocatus est, vbi hodie publicæ venerationi exhibetur. Ibidem translatio sancti ISDEBALDI primi Abbatis Dunensis ordinis Cistercienfis. SS. ISDEBALDVS. Eodem die sancti AVFRIDI Vltraiectini Episcopi, qui de sæculari Comite Clericus attonsus, cùm esset sanctimoniæ speculum, post Balduinum Episcopus huius sedis creatus est. AVFRIDVS. Pater hic in pri-

mis venerabilis, deuotione insignis, omnibúsque mirum in modum amabilis, omnia quæ luculenta habebat prædia, Ecclesiæ dilectissimæ suæ sponsæ, in vsum Clericorum & fomentum pauperum resignauit: cúmque à Deo vt dilectionis filius visitatus oculorum lumine orbatus fuisset, patientissimè non modò hoc grauissimum incommodum pertulit, sed & maiori intus lumine irradiatus, intensiorique in Christum verum vitæ lumen amore incensus, abdicato præsulatu, quem quatuordecim annis sanctissimè administrauerat, vt se totum dilectissimi Domini seruituti manciparet, in constructum à se in honorem Beatissimæ Mariæ Deigenitricis cœnobium se recepit, vbi religionis habitu suscepto, in diuinis obsequiis vsque ad vitæ terminum perstitit: è qua feliciter excedens, ad lucis supernæ gaudium sempiternæque gloriæ fruitionem pertransiuit. Eodem die adoratur Traiecti ad Mosam Crux gemina è vitali ligno Seruatoris, quam Martinus Abbas S. Maglorij Parisiensis, (qui Constantinopoli aderat quando vrbe illa à Francis expugnata, imperiale sacrarium victoribus dispertitum fuit) hinc attulit, Philippóque Germaniæ Imperatori dedit. Is verò perpetuo venerandam illic in collegiata Ecclesia Deiparæ Virginis collocauit. Bellouaci Inuentio corporis sancti HILDEMANI Episcopi & Confessoris, in qua tot miracula refulserunt, vt his indiciis, sanctitate eius tanquam diuinis testificationibus propalata: iam tunc Abbas & ascetæ monasterij sancti Luciani vbi quiescebat, nomen eius è necrologio expungentes, sacros cœlitis honores ipsi detulerint: quem postea Ecclesia publico iudicio suis fastis ascribens, colendum condigno exploratæ sanctitatis cultu præcepit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

HILDEMANVS.

RESERATIO sacratissimi corporis sancti ODILONIS Abbatis Cluniacensis, facta solemniter per Ioannem Præsulem Tolosanum. I

Quarto Nonas Maij. Luna

4 E XXV. 25.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6			

SS. IVSTVS.

VIENNÆ sancti IVSTI Episcopi & Martyris, qui quintus ordine à S. Crescente, quem Paulus Apostolus illic pri-

mum Præsulem constituit, sedens, huius Ecclesiæ cunabula, visceralí amore, ac paterna sollicitudine fouit: & in magnis persecutionibus fidem prædicans & astruens verbo & opere, illustrissimus in Christi confessione refulsit. Vnde à sancto Pio Papa & Martyre Apostolicis rescriptis honorari, quasique Gallicanæ Ecclesiæ coryphæus de rebus magnis regni Christi, déque illi imminente Martyrio promeruit commonefieri. Demum ipse fidem Christi dum strenuè propagaret, gregémque Christi vndique lupis obsessum intrepidè tueretur: violenter è sua specula eiectus longóque exilio maceratus est. Sed cùm fortè epistolis oues desolatas confirmaret, reuocatus in vrbem cum SEVERINO, EXVPERIO & FELICIANO, primariis suis adiutoribus omni ferocitate impetitur. Verùm in pietatis defensione ad extremum spiritum perseuerans, glorioso occubuit Martyrio, in persecutione quarta sub Antonino. Cuius gloriosi Antistitis & inclytorum commilitonum corpora, in Rhodani profluentem proiecta, at è fluctibus à pio viro erepta, in loco Brenione dicto condita fuerunt: vbi inculta diù delituere, donec tandem diuina reuelatione excitus beatus Barnardus Archiepiscopus Viennensis, è latibulo eduxit, atq. condecenti honore inde translata, in sancti Romani quam ædificauerat Ecclesia reposuit: sed amplioris conciliandi splendoris studio, hinc etiam paulò pòst elata, ad Monasterium Romanum quod ad Isaram ipse extruxerat euexit, in quo in hunc vsque diem religiosè asseruantur, perpetuísque coruscant diuinæ virtutis & gloriæ monimentis. Ipso die Autissiodori Natalis beatorum Martyrum CARCODEMI Diaconi, ANTONII, COELESTINI & aliorum Clericorum, qui diuina virtute pleni, dum verbum Dei diuulgarent, & salutis ministerium sibi iniunctum, pio feruore exequerentur, ab impiis comprehensi, suscepto forti pro Christi causa certamine, moriendo triumphantes, nobile Martyrium peregerunt. Horum corpora diù in ædicula quam super eorum tumulum fidelium pietas condiderat abdita iacuere, & tandem insigni reuelatione designata, à beato Germano sanctissimo Episcopo, debitæ venerationis iura recuperarunt. Turonis sancti ANTONII Confessoris beatitudinis gloria conspicui. Apud Virodunum translatio eiusdem ciuitatis Episcoporum beatorum Confessorum POLYCHRONII, POSSESSORIS, & FIRMINI: inter quos Polychronius vt ordine prior sic potior meritis & gestis præclarior fuit. Is enim perdignus sancti Lupi Trecensis Episcopi discipulus, Aratorísque beatissimi Præsulis Virdunensis successor, cùm

Seuerinus, Exuperius, & Felicianus.

Carcodemus, Antonius, Coelestinus & alij.

Antonius.

Polychronius, Possessor & Firminus.

sanctitatis gloria, tum curationum tanta gratia præfulsit, vt religatis post tergum energumenorum furentium manibus, dæmonibus corpora vexantibus velocem adeo exitum imperaret, citius vt sensum perciperent obsessi, quàm corporum collisionem. Maxima sanctus is Pontifex in sanctissimam Dei Genitricem Virginem deuotione flagrauit. Cuius, cùm Episcopalem sedem ab æde suburbana beatorum Apostolorum Petri & Pauli, in Ecclesiam ipsius beatissimæ Virginis, quam in vrbe construxerat transtulisset: imaginem in eminentiori templi aditu collocauit, serpentem pedibus conculcantem: vt innueret ipsius Deiparæ aduersarios hæreticos, quos Ecclesia in Chalcedonensi Concilio (cui interfuit) solemni iudicio damnauerat: præsidio ipsius sanctissimæ Virginis fuisse protritos, futurósque omnes, cum tota Satanæ caterua, eiusdem potenti apud Deum interuentu, etiam semper & vbique fore proculcandos.

SENERICVS. Eodem die apud Castrum Theodorici sancti SENERICI, cuius corpus ibidem in arcis Ecclesia cœnobitica quiescit: vbi hodie festiuitas eius fit magna solemnitate. Eodem die Fusniaci transitus sanctæ memoriæ

ALEXANDER. ALEXANDRI Principis Scotiæ, qui pro Christi amore relicto regno, ignotus, Conuersorum ibidem humiliter induit habitum: & in spontanea sui demissione ac spiritus puritate perseuerans: regnum cœleste pro terreno comparauit, miraculisque clarificatus est plurimis. In Brabantia Parco Cœnobio agri Louaniensis transitus sanctæ

CATHARINA. CATHARINÆ, quæ genere Iudæa, à beata Virgine Maria, ad fidem vocata, intérque huius Cœnobij Virgines cooptata, admirandis virtutibus & miraculis claruit: póstque Angelicæ conuersationis decursum, ad cœleste beatorum domicilium euolauit. Ipsomet die facta est consecratio basilicæ Præmonstratensis, Christi apparitione insignis. Trecis sanctæ

HELENA. HELENÆ Virginis, quæ in Græcia nata regali stirpe, diuinis actionibus splendores gratiæ quam à cœlesti sponso acceperat mirabiles exeruit: felicique funere consummata agni æterni cupitis tandem nuptiis, pro merito castitatis & fidei potita est. Huius pretiosum corpus postea in Galliam aduectum Trecis in summo templo honorificè repositum est: ad quod venerandum, hodie ex tota diœcesi confluit populus deuoto admodum concursu. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Franchildis. TRANSLATIO beatæ FRANCHILDIS viduæ: cuius corpus pridem à Balduino Episcopo Ambianensi eleuatum; partímque in Ecclesia sanctæ Mariæ

Marconensi, partim in basilica sanctæ Austrebertæ apud Monasterium collocatum, per Nicolaum Episcopum Ebroicensem Francisci Episcopi Ambianensis Suffraganeum: totum in eadem capsula ipsa in Ecclesia sanctæ Austrebertæ reconditum est.

Tertio Nonas Maij. Luna

5																F XXIV.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7			

HAC die in Monte Olineti facta est Ascensio Domini nostri IESV CHRISTI. Lodeuæ feria quinta ante ipsa dominicæ Ascensionis solemnia fit festum trãslationis reliquiarum sancti FVLCRANNI Episcopi eiusdem Ecclesiæ & Confessoris. SS. FVLCRANNVS. Bituricis dedicatio Maioris Basilicæ, quæ sub sancti Stephani Protomartyris patrocinio consecrata est. Eodem die Lemouicis sancti SACERDOTIS Episcopi & Confessoris. SACERDOS. Hic Calabri in finibus Caturcorum & Petracoricensium genere natus non ignobili, adhuc puerulus sancto Capuano Caturcenii Episcopo, vni inter Aquitaniæ Præsules præcellenti, traditus est præceptis exemplísque ad omnem honestatem instituendus. Transactis denique annis puerilibus, dum doctrinæ salutari insisteret, & pubescentes annos maturitate præteriret, cœpit cunctos coætaneos suos etiam virtutum præconiis antecedere. In ipsa autem feruenti ætate cùm compertus esset castitatis amorem prodere, mundíque delectamenta aspernari: Deo gratum sanctissimum iuuenem, Capuanus, Angelico admonitu Leuitam ordinauit: post quam consecrationem, is magis virtutum splendore inclarescens, Calabrum rediit vitam amplexùtus religiosam. Miris illis pietatis & diuinæ sapientiæ radiis cùm niteret; post transactum septennium Abbas in defuncti locum suffectus est. Quo tempore parentes, ad mundi contemptum suo exemplo pelliciens, ad perfectæ vitæ cultum, erogatis in pauperes & sacras ædes opibus adduxit, sanctitatis etiam perspicua indicia edidit. Nam leprosum mirabiliter sanauit. Patri qui absque diuino viatico obierat, vitæ vt restitueretur quoadusque beatæ pignus æternitatis percepisset, precibus impetrauit. Quâ erumpente virtutum & miraculorum gloria, Lemouicensi Ecclesiæ Episcopo, Aggetici obitu orbatæ, præficitur Antistes, susceptúmque pastorale munus omni pietate ac vigilantia executus, vita sanctè acta, & multis dignè exacti sa-

cerdotij (quod re non minùs quàm nomine prætulit) cumulatis meritis, ad æternæ hæreditatis fruitionem lætanter perrexit, Argentaci: vnde corpus, vt supremo voto edixerat, ad natale solum Calabrum delatum, ibidem funere honorifico tumulatum est, in Cœnobio, cui deinde Sarlatum nomen, vbi Abbas fuerat. At crescente sanctitatis post felicem excessum fama, miraculísque etiam illic ad eius inuocationem coruscantibus: sacratissimum corpus è sepulchro elatum, tantis opitulationum incolas aduenásque affecit beneficiis, tutelam vt sibi & Ecclesiæ & oppidi vindicârit perennem. Vnde & hodie ipsa cœnobitica ædes in Cathedraticam euecta, hunc cœlitem cuius pretiosa lipsana possidet, patronum præcipuum reueretur, sacráque eius multa religione hodie celebrat natalitia. Ipso die

HILARIVS. Arelati sancti HILARII Episcopi & Confessoris præclarissimi. Is cum nobilitate natalium, eximia corporis forma, summo ingenij acumine, omni denique virtutum genere esset ornatus, vsque adeo charitate flagrauit, vt pro reficiendis pauperibus, rusticationem, homo longè aliter educatus contra vires suas exercuerit. Sed & fidei ardentissimus cultor, pro eius sinceritate tuenda aduersus Pelagianos, sancti Augustini cuius discipulus fuerat scripta canino ore corrodentes, multo labore desudauit, doctrinámque quam Augustinus ipse directis ad ipsum Hilarium ac Prosperum, de Sanctorum prædestinatione & eorũdem perseuerantia, admirandis libris, tradiderat, strenuè propugnauit. Tantam in dicendo gratiam habuit, vt concionantem, ceu delapsum de cœlo Paulum omnes suspicerent atque reuererentur. Nulla etenim personarum acceptione habita, castigatum opus prædicationis præstitit, scriptis etiam præclaris, præsertim eximia symboli expositione, luculentis homiliis ac epistolis, sacrísque etiam poëmatibus, rem Ecclesiasticam mirificè illustrauit: è quibus illud maximè insigne fuit, quod de Historia Geneseos texens, beato Leoni Papæ nuncupauit: in cuius tamen ob prorogata paulo ardentius Ecclesiæ suæ iura, aliquam incidit offensionem: quem vir humilis obsequiosa deinde satisfactione, ac memorabili pietatis exemplo deliniuit. Multa demum sanctitate refulgens, omnibúsque Episcopalis muneris numeris absolutis, anno ætatis duntaxat quadragesimo octauo gloriosus Antistes mortalitatis cursum consummauit, atque debitam tot meritis adeptus est æternitatis lauream. Cœlitis huius decora sancti plerique qui viuentis fuerant admirati: defuncti etiam præconia profusè celebrârunt: inter quos sanctus Honoratus Massiliensis Episcopus res eius gestas,

plenè profecutus, eleganti quod adhuc fuperest monimento prodidit. Eodem die Viennæ fancti NICETII Epifcopi ac Confefforis, qui infignis omnino quà virtutibus, quà fanctiore literatura Antiftes, hanc Ecclefiam proximè poft fanctum Nectarium rexit, eximiis cum vigilantiæ paftoralis officiis, tum fanctiffimæ vitæ exemplis, ac mirificis operibus illuftrauit. Deinde cùm Concilio Valentino clarum Galliæ fidus interfuiffet, vt in perpetuas æternitates luceret feliciter ad fupernas axes, inter patriæ cœleftis lumina euectus eft. Eodem die Autiffiodori Natalis fancti IOVIANI Lectoris beati Peregrini Epifcopi & Martyris. Hic vir cùm plenus effet fide, ac in facrarum literarum doctrina eloquentiffimus: à fancto Sixto Papa & Martyre ordinatus Lector, fancto Peregrino, cùm ab ipfo Pontifice Autifsiodorum mitteretur, in facræ legationis fubfidiarium cum Marfo presbytero, Corcodemo Diacono, aliifque viris Ecclefiafticis datus eft. Sicque demandatum obeundo minifterium fefe gefsit, vt dum gentium à fidei factis alienarum peftiferam fuperftitionem, forti animo oppugnaret, ab illis comprehenfus diréque excruciatus, quam Chrifti publicauerat gloriam, inclyto occumbens Martyrio, magnificè illuftrauerit. Duaci fancti MAVRONTI Abbatis & Confefforis. Is beati Adalbaldi Ducis, & fanctæ Rictrudis filius, aulicam primùm vitam fecutus in Theodorici Regis I. Aula clarus fuit, nobilifsimæque puellæ matrimonio iunctus, eam pietatis impenfius colendæ defiderio, at affentientem, pari voto, reliquit. Factúfque in Hamatico cœnobio Monachus, deinde & Abbas Broyli prope Leodium (quod ex propriis facultatibus ædificauerat) fanctis moribus ac difciplinis infiftens, poft vitæ religiofifsimæ excurfum, Marcianis pio fine quieuit. Cuius facra carnis farcina hinc Duacum peruecta, in collegiata Ecclefia fancti Amati, cuius exulis præcipuus folator fuerat, & quem fuo in Monafterio extrema obeuntem fepelierat, honorificè repofita eft, vbi nunc vfque afferuatur. Metis depofitio fanctæ VVALDRADÆ Virginis & Abbatiffæ miraculis claræ. Viennæ Canonizatio fancti Petri de Murone, quondam Cœleftini Papæ V. facta per Clementem V. Pontificem maximum natione Gallum, anno Domini 1313. qui etiam Pontifex vitam eius defcripfit. Auguftæ Trecarum Dominica die intra feftum Afcenfionis Domini fit celebratio fanctarum reliquiarum ibidem conditarum in facrario bafilicæ fancti Petri. Nempe de fanguine & capillis D.N. IESV CHRISTI. de ipfius inconfutili tunica; de fancto ipfius fudario & fandaliis: de facrofancta eiufdem corona fpi-

NICETIVS.

IOVIANVS.

MAVRONTIVS.

VVALDRADA.

nea, de cruce in qua passus salutem nostram operatus est. de spongia, qua acetum cum felle mixtum ei propinatum fuit; de arundine qua illusus & percussus est: de lapide sanctissimi eius sepulchri; de pane sacratissimæ cœnæ eiusdem. Item illic seruatur paropsis ex iaspide in qua Paschalem agnum in cœna cum discipulis comedit. Capilli aliquot sanctissimæ eius genitricis. Pollex dexter sancti eius præcursoris, cum quibusdam ossibus & vilosæ eius vestis portione. Vnus dentium sancti Petri Apostolorum coryphæi illius ædis patroni. Necnon vertex S. Philippi Apostoli. Portio crucis S. Andreæ Apostoli, & de eius ac Sanctorum Apostolorum Thomæ & Bartholomæi reliquiis. Totum corpus sancti Sauiniani Martyris: costæ aliquot sancti Sauiniani Senonensium Apostoli, & Potentiani eius socij Trecensis Ecclesiæ parentis. Pars colli sancti Altini eorum synmystæ. Costa vna sancti Laurentij. Rochetum sancti Thomæ Cantuariensis, quo indutus erat cùm pro Ecclesiæ Dei libertate Martyr occubuit. Ossa quædam sancti Stephani Protomartyris, sancti Stephani Papæ & Martyris, Sociorum sancti Mauricij; Sanctorum Martyrum Galli, Eustachij, Agapiti, Theopisti, Theopistæ, Eutropij, Christophori, Pantaleonis, Ferrucij, Firmini, Cosmæ & Damiani; dens sancti Blasij, pars brachij sancti Georgij. Insuper corpora veneranda Sanctorum Episcoporum Trecensium Vrsi, Cameliani, Prudentij & Pauli, in eadem Ecclesia quiescentium. Item sacratissima corpora sanctarum Virginum Mastidiæ & Helenæ, quibus integris ipsa Ecclesia potitur. Pes quoque & ossicula quædam sanctæ Margaritæ Virginis & Martyris. Item reliquiæ aliquot sanctæ Helenæ Crucis Dominicæ inuentricis: necnon gloriosum Christi Antistitum Nicolai, Martini, Amandi & Vvlbiani: beatorúmque eiusdem Confessoris Theobaldi, Helyni & Maculphi: aliorúmque plurimorum Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum pignora gloriosa, quibus vt stellis micat firmamentum, Trecensis Ecclesia mirè attollitur & coruscat; perpetúque non modò illorum possessione gaudet, sed & veneratione exultat, inuiolabilibúsq. nititur felicis clientelæ præsidiis. In territorio Bellouacensi Dominica prima post Ascensionem speciali celebritate recolitur eleuatio beatarum Virginum & Martyrum MAVRÆ & BRIGIDÆ earúmque asseclarum, facta iussu Vrbani Papæ III. ab Archiepiscopo Remensi, coëpiscopísque eius Bellouacensi ac Siluanectensi: qui munera spiritualia fidelibus qui sacras ipsarum reliquias deuotè visitauerint, ab hac die vsque ad festum Ioannis Baptistæ ex

Mavra & Brigida.

thesauro

[illegible]uro Eccleliæ impertierunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c*

Dedicatio maioris Ecclesiæ Bituricensis in honorem sancti Protomartyris Stephani. In agro Louaniensi transitus beatæ Aleydis primæ Abbatissæ Vallis Ducis, magnæ pietatis fœminæ, & admirandæ virtutis. *Aleydis*

Pridie Nonas Maij. Luna

6 [illegible]XIII

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8			

AVTISSIODORI Natalis Sanctorum FELICIS & VALERII Martyrum, qui ibi pro fidei Christi dissеminatione, multos labores subeuntes, deinde etiam & Martyrium pro constanti Christianæ pietatis assertione perpessi sunt. *SS. Felix & Valerius.* In ordine Cisterciensi insignis est hodie memoria plusquam CENTVM MONACHORVM eiusdem ordinis, qui variis in locis diuerso rempore, vno tamen spiritu paríque constantia, diuersis quoque tormentorum generibus, propter fidei confessionem gloriosè occubuerunt. *C[illegible]m plus [illegible] Mo[illegible] Marty[illegible] ord. C[illegible].* Item in Hanonia depositio sanctæ memoriæ HENRICI, qui diuina visione perterritus, abdicato Præsulatu, sæculum derelinquens, apud Camberonum cœnobium eiusdem ordinis religiosum habitum suscepit, Christíque seruituti totus deditus, in ea feliciter conquieuit. *Henric[illegible].* Hodie in vniuersis ferè Galliæ Ecclesiis celebratur triumphalis egressus S. IOANNIS Apostoli è dolio olei feruentis, in quod immissus fuit Romæ ante portam Latinam: tum ob claram tanti Apostoli victoriam: tum ob charam Galliæ eius venerandámque memoriam, qui ipsius in Christo vix adultæ & pubescentis, sed adhuc paruulæ & vbera sugentis, præcipuam post Petrum & Paulum curam gessit fouendíque eam in cunabulis ac educandi studium, Polycarpo suorum discipulorum principi, vt assumeret ad Christum abeundo præcepit. *Tr[illegible] S. Ioannis Ap[illegible] & [illegible]gelistæ.* Lutetiæ Parisiorum feria quarta post Dominicam infra octauas Ascensionis celebratur festum translationis capitis sancti LVDOVICI Regis & Confessoris, è Cœnobio S. Dionysij ad sacrosanctum sacellum Palatinum, pio voto Philippi Regis cognomento speciosi. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Nonis Maij. Luna

7 A XXII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26
t u A B C D E f F G H M N P
27 28 29 30 1 2 3 4 4 5 6 7 8 9

SS. STEPHANVS. GVILIELMVS.

TOLOSÆ & Lemouicis tranſlatio ſancti STEPHANI protomartyris vtriuſque illius Epiſcopalis Eccleſiæ Patroni. Ipſo die Bituricis eleuatio & repoſitio ſancti GVILIELMI eiuſdem ſedis Archiepiſcopi & Confeſſoris glorioſi: quam peregit de mandato ſummi Pontificis ſolemniter Geroldus Bituricenſis quoque Præſul, eiuſdem beati viri dum vixit Archidiaconus.

DOMITIANVS.

Traiecti ad Moſam S. DOMITIANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui tempore Childeberti I. Regis, Euchario ſuccedens, admiranda virtutum lumina ea in ſede prodidit: Synodis Galliæ duabus nempe Aruernenſi I. & V. Aurelianenſi, magno rei ſacræ incremento interfuit, póſtque multa ſanctitatis inſignia prorogato per multos annos Epiſcopatu, vitæ æternæ præmia adeptus eſt. De hoc legitur quod cùm in prædicta Synodo Aurelianenſi, contra hæreticos qui aduenerant diſputaret erectus, terra in modum puluinatis viſibiliter aſſurgens ei ſedile præparauerit. Cùm autem illi conuicti ſanis monitis non cederent, vir Dei, plenus Spiritu ſancto, leuans manum contra eos, per diuinam potentiam eoſdem obcæcauerit. Poſt tranſitum etiam maximis refulſit ſuæ beatitudinis teſtimoniis: quæ Theoduinum Epiſcopum compulerunt, vt de veteri ædicula ſanctæ Mariæ Huienſis oppidi, in qua ſepultus fuerat, veneranda eius pignora ad nouam elegantiorémque baſilicam ibidem conſtructam transferret: deinde leuatum, Radulphus itidem Antiſtes in loculo argenteo collocaret. Ad cuius feretrum cæca mulier viſum recepit: quod aliquando pro ſolemni ſupplicatione Leodium ad matricem aduectum Eccleſiam, non potuit inde moueri, donec omnes oblationes ſuas feciſſent. Eodem die apud Santon[illegible] Oct[illegible]a

EVTROPIVS. CERENICVS.

Natalis ſancti EVTROPII Epiſcopi & Martyris. In territorio Sagienſi ſancti CERENICI Abbatis & Confeſſoris, qui tempore Mileardi Sagiorum Epiſcopi, ſacram Chriſto militiam aggregauit, Cœnobiumque conſtruxit in quo cum religioſo cœtu multa puritate ac deuotione Domino ſeruiens, vitæ curſu beatè peracto, [illegible] fine quieuit. Treci[illegible] Inu[illegible]o

ſanctæ MASTIDIÆ Virginis Deo dicatæ, cuius corpus à Milo- MASTIDIA.
ne Præſule diù poſt felicem tranſitum inuentum eſt in ſepul-
chro incorruptum: martyriíque indicio nempe purpureo col-
lobio conſpicuum. Auguſtoduni ſancti PLACITI Epiſcopi & PLACITVS.
Confeſſoris, diuinæ gratiæ diſpenſatoris egregij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Octauo Idus Maij. Luna

8 B XXI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10			

AVTISSIODORI ſancti ELADII Epiſcopi & Confeſſoris, SS. ELADIVS.
ad quem Valeriani ſucceſſorem, ſanctus Amator, poſtea
ſacri & muneris hæres, ſponſáque eius venientes, ſe virgini-
tatis propoſitum ſeruare velle profeſſi ſunt: quorum vota col-
laudans, alterum ſacrarum Chriſto Virginum numero, alte-
rum Clericatus officio aſſignauit. Bituricis ſancti DESIDE- DESIDERATVS.
RATI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic ex oppido Sauciaco nobili
ſtemmate editus, frater Deodati Monachi & Martyris, primùm
in aula Clotarij Regis ætatis florem expandit. Cui charus adeo
fuit, vt ob ingenij ſolertiam morúmq. candorem, annuli rega-
lis cuſtos factus ſit: quo in munere maxima regni negotia, ſum-
ma integritate & prudentia adminiſtrauit. Deinde cùm in ma-
giſtratu tanto pietatem impensè coleret (vt qui in Dei timo-
re à prima pueritia fuerat eruditus,) defuncto beato Arcadio
Bituricenſi Archiepiſcopo, ad ſubeundum huius Pontificatus
officium, Regis, Cleri ac populi inſtantia compulſus eſt. Cui
annis tantùm nouem, vt prædixerat, religioſiſſimè præfuit, iiſ-
que magna cum gregis vtilitate emenſis die Dominica ad Chri-
ſtum glorificandum perrexit, immenſíſque coruſcauit poſt de-
ceſſum miraculis. Eodem die ſancti VIRONIS Epiſcopi & VIRO.
Confeſſoris, qui Scotus genere, ad prædicandum Gallobelgis
populis Euangelium, in Franciam venit cum ſociis Plechelmo
Coëpiſcopo & Orgero Diacono: vbi cùm verbum vitæ diſſemi-
nando, multam Chriſto ſementis gratiæ ſegetem excitaſſet, à
Pipino Duce Francorum audita ſuæ ſanctitatis fama accitus eſt,
& vnà cum ſociis honorificè ſuſceptus. Qui eum inter ſuos pri-
mùm coluit, deinde locum à mundi ſtrepitu in ſyluis remotum
ad Ruram fluuium tribuit, vt liberiùs illic (quod ipſe viro ma-

ximè optabat cœlestium contemplationi vacaret. Illic igitur constructo Dei genitricis oratorio; cœnobióque exiguo quod Mons sancti Petri, deinde sanctæ Odiliæ dictum fuit: admirandum se omnibus veræ pietatis speculum exhibuit, Christum in corde, Christum in ore proferens, vigiliis, precibus, ieiuniis se macerans, sibi parcus, aliis largus & benignus, humilitate & charitate fulgens, vita, doctrina populo circumposito præluxit. Vnde & Pipinus eum in tantum veneratus est, vt non modò ab hoc vno tanquam animæ suæ Præsule, salutis præcepta, præcipuáque consilia peteret: sed etiam detractis calceis sua illi peccata confiteretur. Tandem verò multis fractus laboribus, à Domino miles emeritus in regnum cœleleste, febre modica correptus euocatus est. Sacrum cuius corpus intra prædictum sanctæ Deiparæ oratorium asseclæ piissimi condiderunt. Vnde ob signorum coruscationes, maiori habitum veneratione, delatum est Traiectum ad primariam basilicam. Postea sub Danorum incursione, Canonici hinc profligati, ad pristinum locum reuexerunt, præsidia Lothario Rege tribuente, vbi continuis illuxit gloriosæ opitulationis insigniis. In monasterio Hederensi, agri Parisiensis festiuitas sancti PETRI Tarentasiensis Episcopi & Confessoris, qui cùm esset Sedis Apostolicæ in Gallia ad cohibendum schisma, Legatus: (stetit enim vir Dei murus fortitudinis inconcussus, pro Innocentio II. vero Christi Vicario, contra Petrum Leonis Romanæ Ecclesiæ inuasorem) Lutetiæ multa miranda edidit: ac eo in monasterio: (collegio Virginum insigni) curationum dono magnificè ornatus emicuit. Ibi enim sicut gesta eius habent, iussu Lucij Papæ descripta, per sanctum Præsulem *duobus reddidit Dominus surdis auditum, & viro media corporis parte præmortuo, aridæ manus & pedis restituit sospitatem.* Altæ-Bruerięæ etiam Cœnobium monialium ordinis Fontis-Ebraldi eodem in tractu vrbico, idem Antistes sanctissimus adiit, vbi ad Reginæ deprecationem nouum altare consecrauit, atque ibidem per signum Crucis cæcam illuminauit puellam. Deinde vir beatus cùm ad sedem suam rediret, in Bellæuallis asceterio agri Vesuntionensis, febris ardore inuasus, at magis Christi incensus amore, in ipsis Inuentionis Crucis solemniis, crucis indefessus baiulator & cultor, quietem ac beatitudinem inuenit sempiternam. Quem tamen Ecclesia Catholica aliis solemniis præpedita, non ipso die, sed isto quo commemoramus sacris ascripsit tabulis digna veneratione prosequendum. Remis sancti GIBRIANI Presbyteri &

PETRVS Tarentasiensis.

GIBRIANVS.

Confessoris, qui contempto nobilissimi sui generis item natc, neglectis propinquorum affectibus, mundi spretis honoribus, ex Hibernia in Gallias cum sociis T[illegible]A[illegible]O, TRESANO, GERMANO, VERANO, ABRANO, PETRANO; ac tribus sororibus FRAVDA, PROMPTIA ac POSSENA proficiscens vt Christum nudus sequeretur, ad agrum Catalaunensem, religiosissimo hoc stipatus comitatu aduolauit: delectoque sibi ad Matronam fluuium loco apto ad rebus diuinis vacandum, assignata sororibus propria statione, prope locum qui dicitur Colla, cum sociis subsistit, deinde & tuguriolum fixit, vbi Christi obsequiis insistens, piéque, iustè & sobriè viuens, peractis plurimorum annorum curriculis, veteranus Christi miles in filiorum Dei pace feliciter requieuit. Cuius corpus iuxta publicum aggerem sepultum est. Cùm autem diuinis virtutibus coruscaret, super eius tumulum constructa est orationis ædicula, ad quam maximè in festo eius depositionis populi confluentes, deuotionis suæ vberrima stipendia, per ipsius beati Confessoris intercessionem perceperunt. Hinc tamen corpus sanctissimum, tempore Fulconis Archiepiscopi leuatum, Remigij asportatum est: vbi post multas rerum vicissitudines in hunc vsque diem permanet, debitóque fruitur honore. Apud Senones beati MARTINI Confessoris cognomento Viatoris. Metis Sanctorum Confessorum paritérque Pontificum GODONIS atque GLODVLPHI: qui vicibus alternis huic Ecclesiæ præsidentes, vt pari Christi amore ouile sibi commissum curauerunt: sic exactæ fideliter pastoralis vilicationis, eodem præmio meruerunt à cœlesti ipso munerario cum beatis coronari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Tresanus, Tre[illegible], Geramanus, Veranus, Abranus, & Petranus: cum non Frauda, Promptia & Possena.

Martinus.

Godo & Glodulphus.

EODEM die Niuelliæ sub eadem prisca Remorum Metropoli commemoratio beatæ ITTÆ, seu IDVBERGÆ, sanctæ Gertrudis matris, coniugisque beati Pipini Laudensis Dynastæ, seu Ducis Brabantiæ, & domus Regiæ Francorum in Regno Austrasiæ Principis: post cuius obitum Niuellense Monasterium beati Amandi hortatu fundauit, cui beatam ipsam Gertrudem præfecit Abbatissam, initoque castitatis voto, domo sua in Ecclesiam consecrata, sacrum velamen ab ipso sancto Pontifice accepit. Aggregati deinde ibidem cœtû Deo seruientium mulierum, facta omnibus humilitatis & obedientiæ exemplum, placido fine, a Christo glorificanda, obdormiuit. Claræuallis obitus piæ memoriæ GALTERI Conuersi, viri miræ innocentiæ ac humilitatis. Eodem die Aurelis commemoratio liberationis vrbis, diuina prorsus virtute factæ. Etenim non virili brachio, at puellæ manu, tantum patratum est opus, seculis omnibus admirandum.

Ita. seu Iduberga.

Galterus.

Septimo Idus Maij. Luna

9 C x

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	30	1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11			

SS. ANDREAS. FESTIVITAS ſancti ANDREÆ Apoſtoli, quando ſacratiſsimum eius corpus ex Achaia vnà cum oſſibus Sanctorum Lucæ Euangeliſtæ ac Timothei ſancti Pauli diſcipuli (apud quæ, vt ſcribit ſanctus Hieronymus, dæmones rugiebant) Conſtantinopolim, ſub Conſtantio Imperatore tranſlatum eſt. Cuius celebris aduectionis memoria, iampridem in Eccleſiaſticis tabulis conſignata: cum toto orbe, cum maximè in Galliis eſt annuo cultu admodum illuſtris: potiſsimum verò Burdigalæ, Agathæ & Abrincis, vbi S. Andreas Epiſcopalium ædium ac ſedium proprius tutelaris colitur. Quæ Eccleſiæ vt pignoribus eius ſacratiſsimis etiam decoratæ ſunt, ſic huius tranſlationis, qua primùm diſtrahi cœperunt veneranda eius ſpolia, eo quo par eſt honore ſolemnia exequuntur: quæ & Carnuti in Eccleſia S. Petri de Valle cœnobitica, vbi vnum ſancti ipſius Apoſtoli brachium religioſè aſſeruatur, etiam ex priſco vſu & felicis oppignerationis iure, digna honorificentia celebrantur.

DIONYSIUS. Viennæ ſancti DIONYSII Epiſcopi & Confeſſoris, qui Apoſtolicæ vicinus ætati, Iuſti illuſtriſsimi Chriſti præconis ea in ſede ſucceſſor, in ſalutis ſcientia eruditiſsimus, ac omni Epiſcopali ornatu (cœleſti vtique præſtans virtute) copioſè inſtructus illuxit: vndique verò cùm Chriſtiana religio eiúſque aſſertores omnibus machinis impeterentur, vigilantiſſimus commiſſæ ſibi nauiculæ proreta, frementes impietatis procellas, admirabili cùm fidei vigore, tum animi conſtantia, tum incredibili labore ſuperauit: deinde felici remigatione, in ſalutis portum ratem ſartam tectam, mercéſque, nempe animas ſibi creditas ſaluas deduxit ac prouexit: ſicque demum vita & munere optimè perfunctus, æternæ accepit remunerationis lauream.

MACHARIUS. Gandaui eleuatio ſancti MACHARII Antiocheni Archiepiſcopi.

BEATUS. In Caſtro Vindocinenſi Epiſcopatus Carnutenſis ſancti BEATI Confeſſoris.

NICOLAUS. In agro Tullenſi in celebri Eccl[illegible]a ſancti NICOLAI de portu, f[illegible]ti[illegible]ita[illegible] primæ t[illegible]lationi[illegible] ei[illegible]iſdem [illegible] C[illegible]nfeſſ[illegible]ris, qu[illegible]a ex Myra Lyciæ ciuitate, Barium Apuliæ [illegible] umeiu [illegible] corp[illegible] tra[illegible]latu[illegible] fu[illegible]t [illegible] q[illegible]

decer[illegible]ta aliqua veneranda ossa (in quibus dexteræ manus index digitus, ad idem oppidum de portu deportatus) nobili Ecclesiæ in qua hodie quiescunt & coluntur ædificandæ, causam pio adu[illegible]ctori sacræ arculæ præstiterunt : in qua diuinæ gloriæ mirabilia postmodum emicuerunt plurima. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ITEM in Villariensi Cœnobio pia emigrat[illegible]o GERARDI, ex milite strenuo religiosissimi Monachi, suique & sæculi victoris gloriosi. *Gerardus.*

Sexto Idus Maij Luna

D XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	s
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
30	1	2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12			

BITVRICIS sancti PALLADII Episcopi & Confessoris IX. ordine in hac Metropolitica sede. Qui assiduè Deo in suscepto seu potiùs demandato officio seruiens, populúmque spirituali & temporali alimonia reficiens, septem annis huic Ecclesiæ maxima cum animarnm vtilitate præfuit : demúmque meritis diues feliciter ad cœlum euocatus est. *SS. Palladii.* Vesuntione depositio sancti SILVESTRI beati Aniani successoris. Qui ante præsulatum, nuptiis à parentibus implexus, virginem sibi despondit. *Silvester.* At eius amplexibus cùm præferret illibatos thoros, eò sponsam adduxit, vt æternæ virginitatis voto vterque se Deo obstrinxerit. Orantibus adfuit destinatus è cœlo nuntius, qui gemina proposita corona, iisdem ingentes animos addidit, quo datam Deo fidem fortiter piéque seruarent. Puella igitur cœtui Virginum, Siluester Clericis se adiunxit : eáque enituit sensim virtutis præcellentis laude ; vt Aniano in cœlos abeunte, ad Episcopatus apicem eueheretur. Id officij ita gessit, vt eius operâ sepulto ferè Idolorum cultu, & Ariana impietate repressa, magna fieret in dies ad pium gregem accessio. Insuper vir sanctus cœlitum amator, sancto Mauricio & sociis basilicam Vesuntione dedicauit. Diuinorum operum patrator, cæcos illuminauit ; erexit paralyticos, mortuos etiam vitæ restituit. Ad extremum morbo ipse correptus, cum vitæ metam proximam cerneret, euocato sacerdotio & plebe thronum Pontificalem ascendit, & medio in grege beatam Dei resignauit animam. Corpus verò prope Anianum decessorem suum iussit sepeliri, quo cum Nonis Iulij translatus memoratur. Hoc ipso die ibidem sancti

FROMINII successoris ipsius beati Siluestri. Hic pietatis & religionis absolutissimum exemplar: totus in carne spiritus, Angelica conuersatione populo suo illuxit, orationibus, ieiuniis, eleemosynis addictissimus. Sancti Stephani cultor deuotissimus, in cuius honorem cœptam a decessoribus basilicam absoluit, in qua post beatum finem ad dextram altaris sepultus est, testimonio sanctitatis insignis. Ipso die translatio sanctorum Martyrum COSMÆ & DAMIANI, quorum sacra pignora in Collegiata ipsorum Ecclesiâ de Luzarchiis diœcesis Parisiensis, in pretiosis antiqui operis hierothecis, potiori parte cōdita, ingenti fidelium deuotione coluntur. Pars verò altera Parisiis in maxima basilica sanctissimæ Deigenitricis duobus in feretris argenteis auro obductis reposita asseruatur, & quotannis in ipsorum Natali exhibetur piis clientibus honoranda. In Marciliacensi cœnobio Cadurcensis diœcesis S. alterius PALLADII Bituricensis Episcopi, qui serie Pontificali XIII. S. Leonij successit: clarusque sanctitatis testimoniis decimo tertio anno Episcopatus abiit ad præmium. Eodem die apud Senones translatio sancti MATVRINI Presbyteri & Confessoris, cuius depositio clara est sacris in diptychis ipsis Kalend. Nouembris: quamquam ob maiora omnium Sanctorum solemnia facta remotior, colatur Lutetiæ, vbi insignem habet Ecclesiam 5. Idus eiusdem mensis. Iterum Bituricis sanctæ EVSTADIÆ Deo sacratæ Virginis, fundatricis medij monasterij, ac primæ eiusdem Abbatissæ, quæ columbina puritate nitens, relictis suis virginibus perfectæ sanctitatis exemplis, immaculatam animam Deo reddidit, honorificóque funere a Rochono Archiepiscopo Bituricensi, in æde sancti Pauli virginum Christi paranymphi, sepulta est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

EODEM die transitus beatæ memoriæ PETRI Conuersi Claræuall. qui balteo militari deposito, fallacesque mundi diuitias ac delitias flocci pendens, habitum religiosum manibus sancti Bernardi suscepit, cuius vt disciplinæ studiosus obseruator, sic & gloriæ inspector meritissimus particépsque deinum effectus est. Ipso die in Villariensi Cœnobio felix obdormitio IOANNIS Monachi meritis sanctimoniæ insignis.

Quinto Idus Maij. Luna

11 E XVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
1	2	3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13			

APVD Varennas beati GANDVLPHI Martyris : qui vir SS. GANDVL-
nobiliſſimus ſub Pipino Rege ſic ſtrenuè militauit, vt PHVS.
Dei cultus & iuſtitiæ nihilominus præcipuum in omnibus ſtu-
dium proderet. Vnde cùm relicta vxore adultera, quæ eius pie-
tatem irridebat, & monita eius ſalutaria aſpernabatur: ad præ-
dium Aualenſe ſe recepiſſet, vbi deuotioni & operibus miſeri-
cordiæ vacabat, ab adultero ſuggeſtione ipſius deteſtabilis mu-
lieris proditoriè ac impiè gladio confoſſus eſt, antequam ta-
men expiraret, corpus Domini religiosè recepit. Poſt obitum
verò miraculis claruit innumeris, in loco Varennas vbi ſepul-
tus eſt, quo loco Gaugericus Cameracenſis Antiſtes inſignem
Abbatiam conſtruxit. Vltio autem diuina adulteros paulò pòſt
extrema ſecuta eſt. Eodem die Remis feſtum beatarum MA- MARIÆ
RIÆ IACOBI & SALOME. Viennæ Allobrogum ſancti MA- IACOBI & MARIA
MERTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui poſt ſanctum Simplicium SALOME.
ſedis huius ſolium conſcendens, ſanctimoniæ ſingularis ac di- MAMER-
uinæ doctrinæ radiis, non modò ſuſceptam ad regendum de- TVS.
corauit Eccleſiam, ſed Galliam quoque vniuerſam illuminauit.
Imo & pietatis ſuæ & ſapientiæ lumina totum per orbem edi-
tis claris inſtitutionibus diffudit : in quibus ea nunc quoque,
iampridem ab omni Eccleſia comprobata eſt vbique celebris,
qua ad auertenda diuinæ iræ flagella ſolemnes ante Domini
Aſcenſionem Litanias inſtituit. Deinde ſui æui Epiſcoporum
Pater, ac typus, abſoluto egregij Pontificatus decurſu, emeritæ
beatitudinis coronam aſſecutus eſt perennem. Metis Sancto-
rum Confeſſorum pariterque Pontificum RVFFI & AGA- RVFFVS &
TIMBRI. Quorum ille nonus, iſte viceſimus ſecundus ſerie E- AGATIM-
piſcopi ſedentes, etſi tempore diſpares, æquales tamen vt di- BRVS.
gnitate ſic meritis Eccleſiam illam magna cum religionis glo-
ria gubernârunt. Ruffus quidem ea tempeſtate præfuit qua
ethnicorum ſub Seuero furentium aduerſus Chriſtianos im-
pietas, dirius quàm vnquam antea ſæuiebat: eáque ſtetit men-
tis in grege tuendo firmitudine, vt nullis terroribus à prædica-
tione & paſtoralis vigilantiæ officiis potuerit auerti. Quin aſſi-

milatus palmæ victoriali arbori, quo auris vehementioribus petebatur: maiori robore nixus, animos efferebat: qui cùm in epiſtola quam ſcripſit ad Metropolitam ſuum etiamnum elucent, tum in auctæ ſub eo religionis Chriſtianæ monimentis perſpicui ſuppetunt. Quibus trophæis nobilitatus, in cœlos ad ouationem euectus eſt ſempiternam. Fulſit autem in tumulo diuinæ gloriæ radiis: coruſcúmque miris virtutibus eius corpus venerandum demum concedente Drogone Præſule ad villam Oternheim diœceſis Vvormatienſis tranſlatum fuit ſeptima Nouembris multa cum honorificatione: vbi prodigiis coruſcat perpetuis. At verò Agatimbrus, Græcus natione, cùm in Italiam pietatis ergo tranſmeaſſet: hinc Theodorico Vvisigothorum Rege Ariano, fidei orthodoxæ cultores exagitante, in Galliam pulſus, Metis conceſſit, ſúbque Gramacij Præſulis, gentilis ſui præſidio, eximios edidit, ſuæ cùm pietatis, tum doctrinæ præcellentis ſplendores. Mortuo igitur Gramacio omnium votis eius in locum ſublectus, Apoſtolicæ virtutis ſeſe virum actibus glorioſis, quibus Cathedram ornauit, & direxit gregem, exhibuit. Demúmque in omni ſanctitate expleto munere Epiſcopali fine beato defunctus, cum ipſo ſancto Ruffo in crypta ſancti Clementis ſepultus fuit. Vnde cum ipſo ad venerationem eductus, communem obtinuit meritorum celebritatem. Apud Siluiniacum depoſitio ſancti MAIOLI Abbatis Cluniacenſis, qui nobili admodum proſapia in Prouincia natus, procedente pueritiæ tempore addictus liberalibus ac Eccleſiaſticis inſtitutis: potiora tamen in diuinis ſtudia exercens, à Matiſcenſi Epiſcopo, qui præcelſas piæ mentis dotes in eo ſuſpiciebat, Archidiaconus conſtitutus eſt. At inde creſcente religionis feruore, ad militiam monaſticam, purius Deo famulandi deſiderio ſe conferens, cùm in dies mirè in ſuperna aſſurgeret, omnium amorem ac admirationem excitauit. Vnde Aymardo Cluniacenſi Abbate, ob hominum obſcurationem, ſe ſponte Præſulatu monaſtico abdicante, in eius locum maximo omnium aſcetarum inſignis illius Cœnobij conſenſu, ſexto anno poſtquam valedixit ſæculo inuitus electus eſt: quem ſacrum cœtum circiter annos quadraginta cum omni ſanctitate direxit: hic vultu fuit Angelicus, inceſſu grauis, ore facundus, in omni motu vel actu corporis honeſtus: firmus fide, ſpe erectus; gemina refertus charitate. Cui ſemper caſtitas præluxit in actione, ſobrietas in conſuetudine, humilitas in proſperitate, patientia in aduerſitate. Ab infimis nunquam fuit habitu diuerſus, actu nuſquam viſus eſt confuſus: fuit in rerum adminiſtratio-

MAIOLVS.

ne p[illegible] cum debuit, diffusus vbi decuit: sic placere sciens hominibus, vt Deo, quem primùm in omnibus intendebat, neutiquam displiceret. Obedientiam quamquam superior is plurimùm coluit: cuius etiam exemplo & monitu, Monachus Cluniacensis ex inobediente factus obediens, leprosum osculo sanauit. Alia mira prorsus in Cœnobij proprij regimine, in ordinis dilatatione, in monasteriorum nouorum extructione, in veterum instauratione ac reformatione: in Ecclesiæ vniuersalis procurandis vtilitatibus, Domini que credito multiplicis gratiæ talento, augendo fidelis negotiator operatus est. Quibus meritis gloriosus, & miraculis etiam conspicuus, Siluiniaci in Christo feliciter obdormiuit feria sexta post celebrationem Dominicæ Ascensionis: sepultus in basilica S. Petri, in qua ad testificanda eius merita, maxima postmodum diuinæ bonitatis & gloria flumina exundarunt, fulmina emicuerunt. In Viennensi diœcesi ad Furanium fluuium translatio S. ANTONII inclyti Confessoris Anachoretarum Patriarchæ, quando sacrum eius corpus è Constantinopoli (vbi ex Alexandria sub Iustiniano Imperatore, ne in Saracenorum manus incideret aduectum fuerat) à Iocelino Gallico equite illustri, sublatum, cum ex Oriente rediret anno salutis 1089. prope Viennam, in Ecclesiam, quæ cum sacris lipsanis, gloriosam eius nuncupationem recepit, magno honore illatum est. Ad quam mox ob affluentia omnis generis curationum, per eius Deo gratissimam interuentionem, beneficia, admirabilis fieri cœpit hominum infirmorum concursus, maximè eorum quorum corpora sacer depascit ignis: hi siquidem religioso sancti Confessoris reliquiarum contactu, præsentissimum remedium aduersus serpens incendium percipiunt. In Armorica tractu Venetensi inuentio sancti Gildæ Abbatis & Confessoris: cuius depositio proprio in Cœnobio colitur 4. Kalend. Februarij. Martiauis vigilia sanctæ Rictrudis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

IN Blandinio Dedicatio Paradisi in honorem sancti Andreæ Apostoli. Pontiniaci felix migratio beati GVIDONIS sancti Bernardi fratris primogeniti, imitatoris itidem & adiuuæ primatij: qui derelictâ pro Christo vxore, diuitiis & militiâ, sanctissimæ in religionis cultu consenuit, humilitatique, modestiæ & vitæ innocentis exemplis promicans, placido sopore dissolutus, Christo vti diu concupierat coniunctus est. Cuius & beatum transitum & gloriam consequentem, beatus Bernardus diuino irradiatus lumine conspexit.

Quarto Idus Maij. Luna

F XVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14			

IN inſigni Cœnobio ſancti Dionyſij commemoratio delationis ſacratiſſimi corporis beati Martyris HIPPOLYTI: cùm regnante Carolo ſexto, peſtilentiam quæ Galliam totam depaſcebat, eiuſdem cœlitis feretrum, in ſolemni ſupplicatione deportatum, non modò repreſſit, ſed penitus extinxit. In cuius rei perenne monimentum, quotannis hac die in ſacello vbi ſanctus hic Martyr quieſcit, ſolemnis celebratur Liturgia. Item & eodem die Sueſſione, (vbi primùm ſancti ipſius Hippolyti corpus Roma aduectum quieuit, in Cœnobio ſancti Medardi: è quo poſtmodum ad præfatum regale monaſterium S. Dionyſij tranſlatum eſt:) Commemoratio primæ eiuſdem tranſlationis, in qua, venerando ipſius Martyris corpore per vrbem circumuecto, ceſſauit vaſtæ mortalitatis tempeſtas. Eodem die Natalis ſancti PANCRATII Martyris, cuius reliquiæ aliquot dono Pelagij Papæ, cum multis aliis Sanctorum Martyrum pignoribus in Gallias Maſſiliam, miraculorum coruſcante fulgore pridem delatæ ſunt: ſicut ſanctus Gregorius Turonenſis in libro ſuo de gloria Martyrum graui relatione commemorat. At verò ipſius Martyris cætera quæ Romæ permanſerant oſſa: inde in Gallias tempore Ioannis Papæ XV. tranſlata partim Vltraiecti; partim Gandaui repoſita fuerunt decenti cum honore. Treuiris Galliæ primæ Belgicæ Metropoli, ſancti MODOALDI Epiſcopi & Confeſſoris, ſanctæ Gertrudis auunculi: qui in paſtorali officio omni cœleſti virtute eluxit, ita vt doctrinæ quam prædicabat Euangelicæ, vita reſponderet religione & ſanctitate. In qua abſoluto Pontificatu quieſcens, in ſancti Symphoriani baſilica, quam extruxerat, ſepultus eſt: deinde ad ſancti Pauli in Eccleſiam tranſlatus; vtrobique fulgens miraculis. Marcianis in Præſulatu Attrebatenſi depoſitio ſanctæ RICTRVDIS viduæ & Abbatiſſæ. Hæc cùm poſt mortem S. Adalb[illegible] viri ſui, quem [illegible] impij in Vaſc[illegible]nia neca-uerunt [illegible], ſuaſu ſanc[illegible] A-m[illegible] Mo[illegible] [illegible] in [illegible] Da-goberto R[illegible] Op[illegible]matib[illegible] [illegible]

[illegible]t

vt iniret connubium enixè sollicitabant, sacro velo se obnu-psit, sacramentúmque Deo & cœlesti sponso per votum dixit: móxque Marcianis struxit monasterium, in quo collectis Sanctimonialibus sic præluxit virtute & religione, vt ab his etiam in Antistitam lecta, assumptis quamquam renitens regiminis habenis, munus suum omni prudentia ac pietate impleuerit. totáque in reliqua vita ita se gessit, vt ab exequiis (quæ anno eius ætatis septuagesimo quarto contigerunt) cœlitum fastos auxerit, cœtúsque ornarit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Eodem die Cuissiaci in Laudunensi Præsulatu sancto fine quieuit B. Ermingardis sancti Norberti discipula, illius cœnobij fundatrix, quæ cœlestis patriæ desiderio ardens, inter psallendum tam vehementi deuotionis feruore exardescebat, vt rutilantes flammas suo è pectore emittere videretur.

Tertio Idus Maij. Luna

13																G XVI.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2
r	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15			

AVTISSIODORI sancti MARCELLIANI Episcopi & Confessoris, qui post sancti Peregrini gloriosum agonem, dispersi gregis curam suscipens, imperterritus in tantis perturbationibus, quibus Ecclesia impetebatur perstitit: afflictísque fidelibus ea solatia ac subsidia præstitit, quibus consternatos ferè eorum animos erexit, ínque fidei forti perseuerantíque confessione, dictis & factis prorsus Apostolicis obfirmauit. Quibus clarus meritis, vir beatus morte solutus, vitæ possessor æternæ effectus est. Ipso die sancti SERVATII Tungrensis Episcopi præcellentis meriti ac gloriæ Confessoris, qui pace parta Ecclesiæ per Constantinum Augustum primus propriúsque Tungrensis vrbis Episcopus sedit: eo spiritus ardore ac sanctimoniæ decore & signorum magnificentia, vt sanctos quorum Christus adorandis manibus vestigia tersit, viuo quasi simulacro exprimeret. Quorum doctrinæ cœlestis studiosus cultor, ac vindex egregius, aduersus Euphratem Coloniensem Episcopum Arianam impietatem profitentem, ac propagare nitentem, Concilium Agripinense vt conueniret auctor fuit, in quo versipellis hæreticus detectus, conuictus, omniúmque Patrum calculo, pontificali honore exutus est. Antea gloriosus

SS. Marcellianus. Servatius.

Antistes Sardicensi Concilio in Græcia, ac intra Gallias Arelatensi interfuerat, vbi fidei sarciendæ & disciplinæ constituendæ edendis decretis suffragium, editis pondus ferè præcipuum, addidit. Hinc Alexandriam, cum Maximo Treuirensi & duobus palatinis Comitibus Clemente & Valente, à Magnentio Galliarum inuasore, ad Constantium Orientis Augustum delegatus, veniæ & pacis conciliandæ causa, à sancto Athanasio (qui eiusdem suis in scriptis honorificè meminit) magna charitatis significatione exceptus fuit. adfuitque anno sequenti Ariminensi Concilio, in quo pietatis suscepto patrocinio, Arianorum perfidiæ, magna virtute obstitit, astutiámque, qua Præsules deceperunt, prodidit. At vir Dei quamquam sagacior & infractior non præualuit: technis hæreticorum (viginti exceptis duntaxat qui ab orthodoxa sententia steterunt) delusis infeliciter Episcopis. Ad sedem cùm rediisset, fraudes hæreticorum expertus, ac fidelium pericula animaduertens, reliquum vitæ tempus ouiculas pascendo, tuendo; in intima cum Deo familiaritate procuranda, sanctissimè traduxit. Hunnorum imminente procella, alter Hieremias paternè affectus in populum, obnixè Deum deprecatus est, ne Gallias ab his deuastari permitteret. Cúmque pro votis non impetraret, Romam iuit ad beati Petri tumulum, vt adiunctis sibi Apostolicæ virtutis patrociniis, quæ flagitabat faciliùs patriæ solatia consequeretur. Vbi multos in dies oratione prorogatâ, quam crebro perfundebat lachrymarum imbre, responsum ipso Apostoli ore accepit, diuino decreto sancitum esse, debere Hunnos Gallias depopulari: ipsius autem oculos, mala quæ illaturi erant non visuros. Quo responso suscepto, celeriter rediit ad vrbem Tungrorum, valedicénsque Clericis ac reliquis ciuibus denuntiauit illis cum fletu, sicut pridem Paulus Ephesiis, quod faciem suam deinceps non essent conspecturi. Quo verbo multo excitato eiulatu, cùm tamen mœrentium fidelium fletibus reuocari non posset, benedictionem extremam dilectis deprecatoribus impertitus est. Hincque ad Traiectensem vrbem deueniens, modica pulsatus febre, quam mœrore contraxerat, recessit à corpore, sublatúsq. à fidelibus in medio publici aggeris est sepultus. Ad cuius meritum declarandum tempore hyemis cùm omnia nix repleret, nunquam sepulchrum eius illa operuit. deinde industria ciuium basilica super eius tumulum ædificata est, quam Hunnorũ exinde ferali turbine dirutam, Agricolaus Traiectensis post eum Antistes, restituit. Beatus autem Monulphus insigniori structura instauratam erexit, in qua diuinæ

maiestatis mirabilia, per succedentia temporum curricula refulserunt. quibus incitatus Christianus populus, deuotus in tanti cœlitis memoriam etiamnum perseuerat. Suessione S. ONESIMI Episcopi & Confessoris, qui sub S. Siricio Papa, huius Ecclesiæ post Mercorium gubernacula suscipiens, magna suarum virtutum claritate, ardentes ciuibus suis pietatis amores excitauit. De eo autem absque iniuria Sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere licet, longum in suis membris perferendo sine ferro martyrium: partem magnam corporalis martyrij assiduis macerationibus compleuisse. Sic enim carnem afflixit, opes neglexit, libidinem vicit, vt abiens, de mundo gloriosè triumphârit. Cuius corpus miraculis glorificatum, ex vrbe Suessionensi ad Duacum oppidum, cum venerando sancti GVRDINELI cadauere, translatum ibidem quiescit, in collegiata Ecclesia sancti Amati, vbi etiam debito cultu potitur. Apud Lingonas eleuatio reliquiarum S. GENDVLPHI Martyris & S. GREGORII Episcopi facta per Guidonem Episcopum in basilica sancti Mammetis, in parte posteriori summi altaris. Eodem die Cluniaci repositio sancti HVGONIS Abbatis propè maius altare basilicæ Apostolorum Petri & Pauli. Aruernis translatio capitis sancti LIMINII Martyris in Prioratu Thureti. Remis sanctæ BALSAMIÆ nutricis sancti Remigij Francorum Apostoli: quæ ibidem habet sacram ædem collegio Canonicorum insignem. In Brabantia sub veteri Remorum Metropoli, apud Gelam populosum pagum prope Thenas: Natalis S. DIMPNÆ Virginis Regis Hiberniæ filiæ, quæ pro fide Christi & virginitatis proposito à patre iussa est decolari: quod sicarij ab eo directi, in Cameracensi agro, vbi eam fugientem reperêre, impiè perpetrârunt, Carolo Martello res Gallicas administrante. Interemptus est simul cum ea GEREBERNVS Presbyter sanctissimus, qui Virginem sacris Christianis & castitatis proposito, pro Christi amore imbuerat. Ambos diuina maiestas signis post agonem immensis mirificauit. Nam Gereberni corpus Gelâ Sorisberam ditionis Cliuiensis oppidum, delatum, ibidem perenni fulget opitulationis virtute, annulis sub eius patrocinio sacratis, qui contra chiragram & febres à fidelibus gestari solent. Dimpnæ verò reliquiæ, in parœciali Ecclesia Gelanensi repositæ, energumenis perpetua conferunt præsidia: ad has enim obsessi à dæmonibus aduehi solent, qui huius Virginis meritis ab hac tribulatione liberantur. Quo in loco id contigisse Germanici Scriptores literis memorabilè prodiderunt. Quod eo die quo mortuus est Lutherus: cùm multi ad sanctæ huius opitulatricis

Onesimus. Gurdinelus. Gendulphus & Gregorius. Hugo. Liminius. Balsamia. Dimpna. Gerebernus.

ædẽ adducti de more Energumeni, leuamen præstolarentur. Subitò omnes ab infestatione liberati custodibus visi sunt. Mirari tum omnes. At ecce post horam dæmones reuersi singuli vasa sua repetierunt. Quæsiuit exorcista vir non modicæ fidei & probitatis: vbinam fuissent, & cur omnes eodem momento rediissent, responderunt se ex sui principis mandato, Lutheri qui eadem obierat horá exequiis interfuisse, eiúsque animam perduxisse eum ad locum, vbi diuitis epulonis contùbernium, cuius mores impios fuerat imitatus, possidebat, æternæ gehennæ mancipatus. Ita falsi Prophetæ qui Sanctorum cum Christo regnantium gloriam obscurare nisus est, dedecus sempiternum, beatæ huius Virginis meritis fuit Deo iudice ac vindice propalatum. ROLENDIS. Gerpiniæ in agro Leodiensi sanctæ ROLENDIS Virginis, quæ nobilis genere, forma rara, sed adeo pudica, vt ab omni societate viri vehementer ob cœlestis sponsi cui se deuouerat amorem, abhorreret: cùm in coniugem expeteretur à Regis Scotiæ filio, fugæ consilium cœpit, & Coloniam tendens Gerpiniæ, Christo vocante, quem solum quærebat, summam mortalis vitæ breuem peregit: atque ad immortalem euolauit beatitudinem. Ad cuius tumulum plurimi sanantur calculo, stranguria & illiaca passione laborantes. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Thomas Cantaprisensis. EODEM die obiit piæ memoriæ THOMAS cognomine CANTAPRITENSIS, ex Canonico regulari huius nominis cœnobij prope Bruxellam, ordinis Prædicatorum professor, Alberti magni auditor, & sancti Thomæ Aquinatis condiscipulus: ac demum Antistitis Cameracensis Episcopus suffraganeus. De quo iure dubitari potest an magis scientia, pietate præcelluerit: tanta enim literis prodidit copiosæ suæ eruditionis monimenta, vt ætatis suæ doctores insigniores scriptores ea in re exæquârit: tanta verò fulsit sanctimonia, vt beatorum quorum plurimorum res gestas luculenter descripsit, non tam trophæa præconiis celebrasse, quàm merita piis studiis videatur proximè fuisse imitatus. *Petrus.* Eodem die obiit Caduini piæ etiam recordationis PETRVS Monachus Cisterciensis, opinione sanctitatis celebris.

Pridie Idus Maij. Luna

14																	A xv.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	s
	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	4	5	6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16			

SS. PONTIVS. APVD Cimellum oppidum in Gallia Narbonensi, natalis S. PONTII Episcopi & Martyris, qui à Pontiano Pôtifice Romæ baptizatus, Marcum patrem idola colentem, duósq. deinde

Philippos Cæsares ad Christi fidem perduxit. Vnde exagitatus ab ethnici cultus vindicibus, recepto a Christi vicario Episcopali honore in Galliam disseminandi Euangelij causa profectus, multis cum ibi Christo trophæa erigeret, Claudij Præsidis iussu in carcerem detrusus est. Sed cùm in tuenda religione se constantem admodum præberet, equuleo est distentus, pòst vrsis expositus. Tum igne circumiecto vt flammis absumeretur; partem in summam amphitheatri incendium combussit. E flammis igitur, vt e ferarum faucibus mirabiliter ereptus, demum præcisis cruicibus nobilissimi agonis cursum confecit, sub Valeriano & Galieno Imperatoribus, truculentis hostibus Christiani nominis. Pòst præclarum martyrium sacrosancta eius morticinia, ibidem fuerunt à fidelibus sub aceruo testimonij condita: at deinde pace Ecclesiæ diuinitus concessa, ad monasterium Tomeriarum, quod Pontius Tolosæ Comes coronæ tanti Christi athletæ eximius venerator, in eius honorem inter Pezennatum, & Carcassonem ædificauerat, plurima religione deportatum ac condecenti situ repositum est: vbi tanta patuerunt huius cœlitis opitulantis lumina: vt confluentibus ad eius patrocinia vndique clientibus sensim ad cœnobium, oppidum adeo populosum coaluerit, vt Ioanni XXII. Pontifici Maximo dignum visum sit, quod ad Episcopalis sedis decus attolleret. Cui tanti Martyris venerandam memoriam titulum, *sancti Pontij Tomeriarum*, nomen indidit: quo etiamnum ipsa in qua quiescit beatus Ecclesia, vbique quam meritis tuetur, vt præcipuo decore magnopere gloriantur. Claromonte Aruernorum sancti APRVNCVLI Episcopi & Confessoris, qui primùm ob Apostolica decora factus Episcopus Lingonensis, cum gregem Domini in omni pietate regeret, à Burgundis qui ipsum, Francorum expetere dominationem criminabantur, sede expulsus, eo tempore ad Atuernos se contulit, quo B. Sidonius mortalitatis stramen abruperat, ex cuius vaticinio, in vacuam Cathedram euectus, lumen quod occasu tanti sideris extinctum putabatur, sanctitatis suæ & diuinæ sapientiæ radiis reparauit: eáque afflictæ Ecclesiæ solatia attulit, quibus omnem excussit nuperæ orbationis mœrorem. Tantùm enim moribus & doctrinis se Aprunculus præbuit, vt defuncti religionem, vigilantiam, misericordiam, doctrinam, castimoniam genuine referret: præconiaque præcellentium quorumque mystarum, viuus ac mortuus demereretur. Sepultus fuit vir beatus in basilica sancti Stephani suburbana, vt moriens desiderare prodiderat. Bituricis octaua eleuationis sancti Guilielmi Episcopi & Confes- APRVNCVLVS.

ſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Idus May. Luna

15																B. At.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	12	13	14	15	16	17			

Cassius & Victorinus. Maximus, Anatholianus & Austremonius cum aliis mille ducentis sexaginta tribus.

CLAROMONTE Aruernorum Natalis Sanctorum CASSII & VICTORINI, qui in Chriſti dilectione fraterno affectu ſociati, per effuſionem cruoris proprij cœlorum regna pariter ſunt adepti. Quibuſcum MAXIMVS, ANATHOLIANVS & AVSTREMONIVS, aliiq. ſex mille ducenti tres ſexaginta (quorum nomina Deus ſcit) hac truculenta ſtrage proſtrati, præclara pro Chriſti fide & gloria, concertatione, nec ſpiritu nec corpore ſeiuncti occubuerunt. Quorũ memoranda trophæa B. Proiectus Epiſcopus literarum monimentis conſignauit: Sacra vero cadauera, partim in loco vbi nunc cernitur ſancti Caſſij Eccleſia, partim vbi poſtea conſtructa facta fuit ſancti Venerandi ædes conſepulta, Deus mirificis gloriæ qua beatos horum ſpiritus in cœlo coronauit, ornauit, clarificauitque inſignijs.

Robert. Bingæ depoſitio ſancti ROBERTI Confeſſoris, è Lotharingiæ inclyto ſtemmate oriundi. Hic ethnico patre Roboldo, matre verò Bertha pientiſſima fœmina, tempore Caroli Magni natus eſt. Cumque multa proderet iam puerulus inſitæ diuinitus gratiæ ſpecimina, a patre dure habitus, à matre vero, quæ Chriſto illum adoleſcere cupiebat, miro amore ac cura educatus, & in Dei timore ac cultu fuit ab infantia eruditus. Semina pietatis mater in agrum infrugiferum non ſparſit. Nam puer euaſit deuotiſſimus, miſericors in pauperes, omninoque in iuſtitiæ & pietatis opera propenſus. Adhuc ſeptennis literas didicit. Duodenis religioſa matris monita (iam orbatus patre) præſtantiſſima adhortatione & virtute anteceſſit. Viſionibus diuinis illuſtratus eſt. Pauperes aluit, eorúmq. pedes lauit, lectulis ſtrauit: nec modò humilitatis cultor, ſed & egregius amator puritatis. Chriſto cum integritatem conſecraſſet, imitandum ſibi ſanctum Alexium propoſuit. Vir igitur ex ephœbis egreſſus Romam imploratum Apoſtolorum præſidia peregrinatus eſt. Reuerſus Eccleſias condere, ditare, exornare cœpit. Facultates quæ copioſiſſimæ erant (quarum Bingæ Toparcha erat) perfectæ

vitæ amore, prorsus deserere cogitauit: at cùm per ætatem non liceret, in egenos curauit profundere. His cùm intenderet piissimis affectibus sanctissimus adolescens, in benedictionibus dulcedinis à Deo præuentus est. Cœlestique nuntio de propera emigratione factus præscius, in ipso ætatis flore, præcisa tela mortalis excursus, ad æternæ, quæ iam demeruerat, felicitatis euocatus est præmia, Angelorúmque quorum puritatem omni mentis enixu æmulatus fuerat, desideratissima consortia. Eius gesta gloriosa B. Hildegardis virginico nitore descripsit. Sacra verò spolia, fulgentia circumquaque signa cohonestarunt: quæ diu emicuerunt Bingæ, vbi in propriæ illius nuncupationis Ecclesia piè ac deuotè conseruantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

FRATER N[illegible]OLAVS ord. Dominicanorum Apostolicus fidei Prædicator, ab hæreticis in Tolosano agro excoriatus, & stolam [illegible] & iustitiæ coronam, strenuo pietatis certamine percipere Domino promeruit. Apud Cistercium dep[illegible] beatæ memoriæ RAYNALDI Abbatis quarti, sanctitatis testimo-nio [illegible]. In agro Cam[illegible]acensi Vallis [illegible] Cœnobio prope Mac[illegible] felix [illegible] MARGARITÆ sanctimonialis, virtutibus insignis, & spiritu prophetico admirandæ. *Nicolaus.* *Raynaldus.* *Margarita.*

Decimo septimo Kalend. Iunij. Luna

16 C XIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18			

AVTISSIODORI sancti PEREGRINI Episcopi & Martyris illustrissimi, qui ciuis Romanus, Beato Sixto Papa & Martyre, ex Romanæ Ecclesiæ Presbytero assumptus, ac Episcopus ordinatus, in Gallias vna cum Marso Presbytero, Corcodemo Diacono, Alexandro & Iouiniano subdiaconis, Iouianoque lectore ad prædicandum Dei verbum directus est. Naualique tramite cum sociis Massiliam petens, Lugdunum inde adiit, semine salutis cum magno signorum lumine vbique transeundo dispergens. Hinc Autissiodorum profectus, vbi falsorum numinum maximè vigebat cultura: insignísque Nobilium residebat decuria, publica voce Christi gloriam annuntiare aggressus, tam vi Euangelicæ prædicationis, quam signorum editione, quicquid primorum ea in vrbe erat sic concussit, vt ad Christi agnitionem & cultum omnes, baptismique gratiam, conuolarint. Mox igitur beatissimus Antistes, factis *SS. Peregrinus.*

obeundis Ecclesiam construxit, Deique Seruatoris adorationi dedicauit. Repentino lumine veritatis, tota ciuitas primum attonita, deinde & illecta, ambitioso quasi concursu, hanc ad ædiculam confluxit, flagitans & doctrina salutis & vitæ lauachro initiari. Omni igitur ferè idolomaniæ illic spurcitiá deletâ, Peregrinus aliò cogitatus vertens, vt festæ cœlitibúsque gratæ adeo expeditionis trophæa propagaret, Clericis suis ibi, ad gregis nouelli caulis prætendendas excubias, relictis, Interannum pagum populosum eiusdem tractus expetiit, captata ea occasione, qua tunc gentiles ad festa Iouis celebranda, affluenti turba concurrebant. Quibus misera obcæcatione exprobrata, Deíque veri prædicata maiestate & gratia, dum nonnullos afficit salutari præconio, dæmon tanti fœnoris inuidus, in fidelem gratiæ Dei dispensatorem, iudicem suis præstigiis delusum commouit. A quo vir Dei dirè impetitus, atque post tumultuosas fori disquisitiones, variis cruciamentis affectus, denuum in vico adductus Baiaco extremo damnatus supplicio, venerabilis capitis præcisione, lauream accepit extremi agonis immortalem. Cuius corpus feris expositum, cum diù permansisset intactum, Angelico monitu à quodam rustico Christiano pro modulo curatum est, deinde Autissiodorum postquam procellam in auram Deus conuertit, summo honore delatum. Tandem regali præcepto, vt sacrarium Galliæ præcipuum sua oppigneratione ditaret, ad inclytum sancti Dionysij monasterium transuectum fuit: vbi cum ipso Galliarum Apostolo & sociis quiescens, condecenti decore asseruatur, perennique fruitur suis debita meritis veneratione. Eodem die in agro Carnotensi, pago Illiriensi, sancti alterius PEREGRINI Martyris & EMANI eius socij, qui ab infidelibus comprehensi, multiplicique affecti cruciatu, fidem præclara testificatione profitentes, in eius confessione, fortiter pro Christi nomine extremum supplicium subiêrunt. Eodémque loco quo de spurcissima superstitione triumphauêre, à piis quibusdam tumulati maiestatem superni Regis pro cuius gloria occubuêre, editis eius munere magnis signorum virtutibus magis ac magis clarificauerunt. Vnde purissima religione Christi stabilita, Ecclesia illic ædificata est, in quam delata pretiosa eorum pignora, condignis honoribus a fidelibus, ob frequentium opitulationum beneficia, quæ in clientes operabantur, exculta: inde ad maiorem venerationem Carnutum transuecta, in Ecclesia collegiata sancti Mauritij Martyris suburbana, cum aliis pretiosis sanctorum lipsanis congruo collocata decore, ibidem magna honorificentia requiescunt. Ce-

PEREGRINVS alter & EMANVS.

nomanis ordinatio sancti DOMNOLI Episcopi & Confessoris. DOMNOLVS.
Hic post sancti Innocentij beatam migrationem, ob pietatis & sapientiæ præstantiam (cuius eximios fulgores, dum Parisiis esset Cœnobij sancti Laurentij præfectus, ediderat:) electus vrbis Cenomanorum Antistes, nonnisi inuitus & compulsus, solium Pontificale ascendit: susceptúmque potiùs vt prodesset quàm præesset pastorale munus, in spiritus humilitate, Dei inuocato adiutorio exordiens, ea puritate, vigilantia & charitate executus est, qua & Dei honorem & crediti gregis salutem mirum in modum prouexit. Abstinentia rigidissimus, orationibus & vigiliis admodum assiduus, in præstandis eleemosynis impensè profusus: amplificandi monastici ordinis, promouendi Ecclesiastici decoris, Sanctorum memoriæ & venerationis exornandæ ac amplificandæ cupidissimus fuit. Quo incensus studio in suburbiis suæ ciuitatis monasterium insigne in honorem Sanctorum Martyrum Vincentij & Laurentij condidit ac sacrauit: cuius enceniis voluit sanctum Germanum Parisiensem Antistitem sibi amicissimum interesse, quò dedicatio ipsa præclarior fieret. In qua noua basilica sancti Vincentij caput, magnámque craticulæ partem in qua sanctus Laurentius exustus fuerat, condigno honore reposuit. Sancti Iuliani etiam Cenomanorum Apostoli, cellam in qua corpore quiescebat amplificans, in Cœnobium euexit, vbi monachos quinquaginta collocauit. Extruxit quoque in honorem sanctissimæ Dei genitricis monasteriolum cum xenodochio, constituens vt illic peregrini egentésque omnes, qui intra vrbem admitti non possent, susciperentur, charitatísque Christianæ fouerentur officiis. His verò aliísque externis operibus paterna cura intendens vir beatus, internæ nihilominus sanctitatis studiis perpetim insistebat: diuiníque quo feruebat amoris, viuas sæpè prodebat scintillas. Cùm equitaret in itinere de Deo semper aut loquebatur aut canebat. Cursum Ecclesiasticum per horas legitimas persoluens, reliquò diei tempore meditationi, orationi incumbebat, quantum officij negotia permittebant. Ad mensam ipso accedente, mox aderat Lector sobrias condiens epulas spiritualibus alimoniis. Beatus siquidem Antistes nullum omninò sibi tempus effluere sinebat, quo non prodesset aliis, aut ad suos profectus aliquid adiiceret. His cùm eniteret sanctissimæ vitæ insignibus, magnis etiam diuinæ virtutis meruit clarificari testimoniis: siquidem oleo benedicto & crucis signaculo cæcum illuminauit, dæmonia eiecit. saliuæ eius linitione homo vlcere in maxilla laborans curatus est. orbatus lumine alius perfusio-

ne aquæ qua vir Dei manus lauerat visum recepit. Sacrilegi eius monita contemnentes, repentinis flagellis diuinæ in se iræ signa experti sunt: quos tamen fusis precibus mitis Dei amicus, pœnis eruens gratiæ correptos restituit. Carceres, vi orationis, vinctis aperuit. Eóque diuini luminis acumine emicuit vir diuinus, vt etiam hominum intima penetrans occulta peccata pernosceret, quæ infectis hac lue referans, eos ad lachrymas & pœnitentiæ actus persæpè excitauit. Vix quisquam tam ferreo pectore erat, quem eius conciones ad pios gemitus non mouerent: quæ plerumque adeo humanam dicendi vim excedebant, vt ab Angelo proferri viderentur. Tandem gloriosus Episcopus postquam Turonensi Concilio sub Eufronio Metropolita interfuisset, animarum lucris ditissimus, meritorum copia affluens, miraculis præclarus, graduum cantico concinnè in Dei famulatu decantato, ad fastigium perfectæ sanctitatis progressus, cœlestis patriæ quam diù expetierat montem feliciter conscendit, ínque sancti Vincentij basilica à se extructa, à discipulis quibus diù antea obitum prædixerat, congrua reuerentia humatus, immensis signorum clarificationibus diuinitus illustratus est. Nam eo in loco meritis & precibus eius multi morbidi sanitatum solatia obtinuerunt. Et abiit quidem vir diuinus ad superos Kalendis Decembris, quo die & in sacris Cenomanensis Ecclesiæ tabulis memoria eius fulget proprio cultu consignata. verùm Romana omnium mater Ecclesia hodie sacram eius coronam veneratur: tanti Antistitis ordinationem, ob egregia quibus fulsit in Episcopatu merita, depositioni qua præmia recepit, peculiaris censens honorificationis indicio præferendam. Eodem die Ambianis sancti HONORATI Episcopi & Confessoris, qui post Beatum octauus ordine huic Ecclesiæ præfuit: sed iis virtutibus nitens ac meritis, quibus celebres Maiores suos, ipse nonnihil illustrârit. Tantæ enim fuit sanctitatis vt ad Apostolicum decus proximè accederet. Hic dum aliquando Missam celebraret, & corpus Christi super altare sanctissimæ Virginis, cui dedicata est Pontificia ædes consecrasset, vidit manum siue palmam Christi Domini, sacram hostiam tenentem, sibíque communicaturo diuina munera porrigentem: quæ sanctus Episcopus de ipsa manu reuerenter sumens, ab omni deinceps inquinamento carnis illæsus permansit; demúmque benè exacto purissimæ vitæ decursu, quieta morte, ad vitæ æternæ gaudia processit. Ipso die Sagij sancti ALNOBERTI Episcopi itidem & Confessoris, admirandæ virtutis: qui sanctitatis & doctrinæ charismatibus refulgens,

Marginal notes: HONORATVS. — ALNOBERTVS.

Concilio Rotomagensi sub sancto Ausberto huius Metropolis Antistite adfuit: piorúmque laborum æstu ac sudore decoctus, compos quietis æternæ, in aula cœlesti effectus est. Baiocis sub eadem Metropoli sancti RENOBERTI Episcopi & Confessoris, qui sancti Exuperij exceptius è sacro lauacro filius, hæres etiam, ob præstantis sanctimoniæ dotes, Pontificatus fieri promeruit: diuinísque muneris executione, multorum animos ad piè agendum inflammauit, denique vitæ religiosè actæ insigniis nobilis, post multa pietatis opera longæuus quieuit in Domino. Cuius sacra spolia in sancti ipsius Exuperij templo condita, postea irruentibus in Neustriam Danis, Oringeium in Vesuntionis Sequanorum Metropolis finibus translata, diem 14. Octobris ipsa translatione insignem illic reddiderunt. Metis sancti ABBONIS Episcopi & Confessoris, qui hac cathedra post transitum sancti Glodulphi sublimatus, sanctitatis eam plurimo decore exornauit: factísque & documentis populum in viam iustitiæ dirigens, præmium tandem fidelis dispensationis percepit à Domino. Augustæ Trecarum sancti FIDOLI Abbatis & Confessoris. Hic sub Clodouæo magno clarens Aruernicæ vrbis indigena, ex spectabili genere, arcano Dei consilio inde Trecas abreptus, sub sancti Auentini Abbatis magisterio adhuc iuuenis, purissimæ institutionis documenta percepit: magnísque virtutum editis exemplis, post illum demortuum consono ascetarum præconio sacram Cœnobij ipsius præfecturam sortitus, miros omnis sanctimoniæ, ex puri cordis piæque mentis sactario, efflauit odores, quibus Dei domum, incolásque omnes, quibus præerat perfudit: fide præcelsus, spe gaudens, charitate feruens, corde humilis, spiritu pauper, at donis gratiæ locupletissimus, cuius virtute, immensa etiam miracula patrauit. Nam in Redemptoris nomine impresso crucis signaculo, cæcos duos illuminauit: puerum erexit claudum, rabidum sanæ menti restituit: suspensum liberauit à morte, aliáque stupenda edidit opera, quæ magna quibus apud Deum pollebat merita affatim prodiderunt: à quo etiam, felici dissolutione consumptus, præstitæ gratissimæ seruitutis, plenam in palatio gloriæ tandem recepit mercedem. Sacra eius spolia in Cellensi monasterio ad muros vrbis Tricassinæ pridem condita: illic etiamnum in sacratio asseruantur: ceu pignora opitulationis & beatæ immortalitatis semina. Eodem die Burdigalæ sancti SIMEONIS STOK Confessoris ex Carmelitarum ordine, eiusdémque sextus in Latinorum serie Generalis, mentis puritate, vitæque sanctitate, & mira in sanctissimam Virginem deuo-

RENOBERTVS.

ABBO.

FIDOLVS.

SIMEON.

tione signorúmque gloria illustris. Constantiæ in Normania sancti BRANDANI Abbatis, vigiliis, orationibus, prædicatione, mysticæque sobolis copiosa procreatione: supernis insuper reuelationibus, præclaris institutis, & exemplis sanctissimis, miraculísque etiam maximis, conspicui. Apud Lerinum cœnobium susceptio pretiosorum corporum S. AIGVLPHI Martyris & sociorum eius ex insula Amatana vbi passi sunt die 3. Septembris: qua in translatione diuinæ virtutis mirabilia coruscârunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

BRANDANVS. AIGVLPHVS & socij.

Sexto Kalend. Iunij. Luna

17																DXII,
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	7	8	9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19			

ARELATÆ dedicatio maioris Basilicæ in honorem sancti Trophimi viri Apostolici, primi eiusdem Ecclesiæ Antistitis. Nouioduni Niuernensium, Sanctorum HERACLII, PAVLI & AQVILINI, aliorúmque duorum, qui in Diocletiani persecutione, fidei certamen ineuntes, cùm diis adolere negarent, Christúmque vnicum verum Deum omniúmque Seruatorem in cruce pro humana salute passum, solùm adorandum profiterentur; variis cruciatib. impetiti: at immobiliter in pio proposito persistentes, in præclara veritatis testificatione animas efflauerunt. Rotnaci in Flandria S. COELESTINI Martyris, qui pacis filius, gladio vitam innocenter finiens, ad æternos triumphos euolauit: repromissáque innocentibus & mundo corde præmia cœlesti in regno consecutus, quibus apud Deum polleat meritis, deuotis in dies clientibus ostendit, multiplici subsidiorum quæ expetunt sub eius patrocinio impetratione. Apud Laudunum Clauatum translatio corporis sancti MONTANI reclusi, prophetiæ spiritu & conuersationis sanctissimæ gratia præclari: qui sanctæ Ciliniæ matri sancti Remigij Apostoli Francorum, eiusdem natiuitatem prædixit: cúmque esset cæcus vaticinij vt fructum perciperet, post sacræ prolis ortum, materno lacte oculos liniens suos, visum recepit: póstque temporalis luminis fruitionem, addita meritis coronide, ad sempiternæ lucis gaudia ouans profectus est. In agro Tornacensi ad Elnonem fluuium, cœnobio sancti Amandi, illatio corporum trium

SS. HERACLIVS, PAVLVS & AQVILINVS, & alij duo. COELESTINVS. MONTANVS.

trium VIRGINVM è ſanctæ VRSVLÆ ſodalitio, Coloniâ ad- Tres Virgines ſociæ S. Vrſulæ.
uectorum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

IANVAM æternæ patriæ ingreſſa eſt B. FRANCHILDIS mater S. Auſtrebertæ virginis, Abbatiſſæ Pauliacenſis. Vidua cuius pietas, ipſáque quam infundit filiæ educatio, & aſſiduus Chriſto complacendi affectus, laudem apud homines gloriámque apud Dominum meruit ſempiternam. Villarij in Brabantia, hodie pio fine quieuit beatus LAVRENTIVS, primus eiuſdem loci Archimandrita, vir raræ ſanctitatis & doctrinæ. *Franchildis.* *Laurentius.*

Decimo quinto Kalend. Junij. Luna

18 E xi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20			

REMIS ſancti MEROLILANI Martyris. Hic Scotus natione, aliquandiu in Belgio ſtudia ſalutis perſecutus, cùm Romam ad Apoſtolorum limina pio voto proficiſceretur, in ipſo itinere à latronibus interceptus, ſuper Axonam fluuium occiſus eſt, Remóſque à ſociis corpus eius euectum, in cœmeterio Eccleſiæ S. Hilarij ſepultum, tādiu ibi iacuit ac latuit, quoaduſq. ſupernis reuelationibus indicatum, in Eccleſiam illatum fuit Sanctorum Apoſtolorum ac B. Symphoriani Martyris, ſícque condigno cultu, quo eum diuina Maieſtas voluit decorare honoratum eſt, vbi & hodie Natalis eius celebritas agitur. Eodem die Maricolis, Querceti, & Lætiæ in Cameracenſi Præſulatu annua veneratione colitur depoſitio S. QVINIBERTI Monachi & Confeſſoris, qui Saleſij quondam aſceterioli moderator, magna ibidem edidit ſanctæ conuerſationis monimenta, at poſtquam abiit ad gloriam, in Serleſchenſi vico tumulatus, crebra ſanitatum ſuis ſupplicibus præſtitit dudum, pretioſa ſua apud Deum interceſſione, beneficia. Leodij commemoratio Natalis ſancti DIOSCORI Lectoris, hodie martyrio laureati in Ægypto: ex antiqua obſeruatione ob pignora eius pridem recepta. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. SS. Merolilanus. Quinibertus. Dioſcorus.

IN Prouincia Toloſana lapidibus ab hæreticis obrutus eſt, & enſe transfixus F. IOANNES cognomento Hungarus ob fidei Catholicæ prædicationem, quam ord. ſancti Dominici alumnus, eiuſdem fidei Inquiſitor & aſſertor, præditus Apoſtolica authoritate & Epiſcopali dignitate, ore & opere propugnabat cum aliis quinque fratribus. Piè hoc ipſo die obiit Claræuallis beatæ memoriæ PETRVS Abbas cognomento monoculus: vir admirandæ puritatis & egregiæ in ſanctiſſimam Virginem Deiparam deuotionis. Qui oculorum altero per ingentem mot- *Joannes cum quinque ſociis.* *Petrus.*

bum amisso, gaudere se dixit quod ex duobus inimicis vnius molestia liberatus esset. Eodem die obiit religioso fine Rameyæ in Brabantia, in ipso teneriori ætatis flore MARGARITA eiusdem instituti sectatrix, nondum adhuc professa, at tot iam meritis affluens, vt post felicem transitum beatæ Idæ Niuellensi apparens, inæstimabili præmiorum copia, à Christo Virginum sponso, sese affectum rit in beata æternitate cumulatam.

Margarita.

Decimo quarto Kalend. Iunij. Luna

19																F x.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21			

SS. DESIDERIVS. CARNVTI sancti DESIDERII Episcopi & Martyris, qui in persecutione Vvandalica post præclara fidei Catholicæ præconia coronatus, insigni martyrio ad cœlos euolauit. Remis natalis SS. Martyrum CALOCERII & PARTHENII, quorum post gloriosum agonem in causa fidei peractum, sacra lipsana ad cœnobium S. Remigij allata congruum cultum receperunt. Cameraci necnon Attrebati depositio HADVLPHI Episcopi & Cõfessoris, qui ex S. Vedasti Abbate, Hunoldo defuncto vtriusq. huius Cathedralis Ecclesiæ tunc coniunctæ Antistiti, meritorũ suffragiis sublectus, mira doctrina, sanctis operibus, & omni pastorali sollicitudine credito sibi gregi præluxit, tandémq. ad præparatã sibi in cœlo coronã, iustitiæ manipulis onustus properauit. De quo id prædicatur memorabile, quod omni sanctimonia pollens, humilitate cæteras omnes virtutes inumbrauerit, cuius in tantum fuit cultor studiosus, vt cùm perfectũ Episcopum reipsa ageret, hoc se nomine indignum reputans, Abbatis se duntaxat vocabulo appellari permiserit. Sed qui humiles exaltat Deus, tãtæ demissionis sic obsequia compensauit, vt non modò in cœlis affluentem reddiderit humili famulo emeritæ gloriæ mercedem: sed & in terris memoriã eius insigni clarificatione cohonestauerit. Sepultũ enim illũ in Ecclesia S. Petri Apostoli intra Attrebati mœnia, immensis clarificauit, inditæ felici animæ beatitudinis insigniis. Prope Icciodorum in Aruernis S. EVONII Episcopi & Confessoris, summarum virtutum cœlestiúmq. charismatũ gloria celebris, cuius in suburbiis vrbis Aruernorum sacræ memoriæ dicata vetustissima visitur Ecclesia. Castrum verò nomine eius insignitum in prædicto tractu perpetuis, vt patrociniis gaudet, sic festa eius dignis hodie colit solemniis. Treuiris Galliæ Belgicæ Metropoli S. CYRILLI Episcopi & Confessoris. Hic piis vitæ institutis & doctrina facilè præstantissimus, post S. Seueri

Margins: Calocerius & Parthenius. — Hadulphus. — Euonius. — Cyrillus.

excessum sedis huius Pontifex ordinatus, cupientissimus diuini beneplaciti exequendi, castissima religione, summaque sanctarum virtutum exercitatione præbuit; populoque sibi commisso ad supernam patriam verbis & exemplis demonstrato tramite, ianuas æternæ quietis ingressus est. Trecoræ in Armorica sancti IVONIS Presbyteri & Confessoris, dicti vulgo 1 *pauperum aduocati*, viri Angelicæ puritatis. Qui eodem solo diuinitus prænuntius editus, genere haud ignobili patre Cancieto milite, matre Azona; Lutetiæ & Aureliæ optimis imbutus disciplinis; doctrina & pietate insignis cum in patriam rediisset, ab Episcopo Trecorensi Iudex Ecclesiasticus constitutus est. Hoc in munere vir beatus, admirabili se & æquitate & pietate gessit, pauperum causas benigne suscipiens, litigantes ad concordiam flectens, nunquam sententiam nisi compulsus, sineque lachrymis protulit. Grauibus cum negotiis distineretur, corpus ieiunio multiplicique maceratione conficiebat: animum quotidiana sacræ scripturæ lectione à forensi strepitu auocans recreabat, cuius codice etiam nocte dieque, legis diuinæ meditationi intentus, sæpè pro ceruicali mollissimo vtebatur. Postea studio charitatis erga Christum impensius inflammatus cupiens se totum rebus diuinis addicere, abdicata iudiciaria potestate (in qua opem ferre miseris, præbere perfugium afflictis, patrocinio ac beneficiis iuuare egentes non destiterat) perfectiorem viuendi rationem est amplexus. Sacris igitur initiatus, parœciæ de Lohaneto cura susceptâ, strenuè salutare munus aggressus, populum verbo Dei sedulò pauit, nec tamen cætera charitatis officia prætermisit. Pauperum pedes abluere, eosdem ad mensam suam adhibere, calamitosos homines consilio, opera, pecunia subleuare, vicinas Ecclesias piis excursibus lustrare, diuini verbi pabulo confirmare, mos illi fuit. His in actuosis officiis, non tamen à cœlestium rerum meditatione cessabat, Deum in omnibus cogitans; cuius perenni æstuabat amore: sic affixus erat contemplationi, vt semel, septem dies orans, absque cibo incolumis perstiterit. Tantæ sanctitatis portentum, Deus præclaris mirificauit indiciis. Cùm enim aliquando sacrificans hostiam viuificam de more tolleret, à circumfusa multitudine, igneo vallatus globo, supernè delapso visus est. Atque ad ipsum in sacrario Ecclesiæ Trecorensis orantem, columba (quæ Spiritus sancti assistentis signaculum erat) totam ædem sua luce collustrans, aduolauit. Magnalia etiam multa per eum Christus operatus est. Cuius crucis signaculo vir beatus aquas diuidens, sicco vestigio magnum

flumen cum famulo pertransiit. Prece etiam fusa panem vnicum, in multorum egenorum alimoniam distribuēs, quoad cuique satis esset adauxit: item & alia vice frumentum. Incendium oratione extinxit: energumenum sanauit: matronam longa ægritudine tabescentem repentinæ restituit sanitati. Extenuato autem ieiuniis, laboribúsque assiduis corpore, dissolutionis desideratæ præscius, humi, (vt semper alias cum quiesceret) decubans, deuotè petitis ac perceptis salutis humanæ subsidiis, defixis in Christi crucifixi imaginem obtutibus, purissimum spiritum in ipsius Seruatoris manus efflauit. Cuius sacrum corpus in Trecorensi Ecclesia humatum est: in qua infinita facta sunt diuinitus ad testificationem eius sanctitatis miracula. Eodem die Auenione canonizatio ipsius sancti Confessoris, facta a Clemente Papa eius à nominis VI. Is cùm adhuc in minoribus constitutus, diligentem nauasset operam, vt beatus Iuo, quem tot diuinæ astipulationis insignia clarificabant, in Sanctorum album referretur: deinde Pontifici creato, dum iter agēret, sanctus ei apparens, iussit vt susceptum pium negotium ad effectum perduceret. Qua cœlesti commonitione excitus Pontifex, solenni ritu sacris tabulis beatum Confessorem adscripsit, colendúmque à fidelibus vbique, Apostolico quod edidit diplomate præcepit. Móxque obsequij præstiti Prophetæ mercedem accepit: nam implorata cum voto sancti viri opitulatione, Archiepiscopus Narbonensis nepos ipsius Pontificis, cuius desperata erat vita medicis, plena sanitate donatus est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Alcuinus. Tvronis transitus beati Alcvini Abbatis & Leuitæ discipuli venerabilis Bedæ, præclarè scriptis & piè gestis illustris. Hic à Carolo Magno in Galliam è Britannia maiori euocatus, magna lumina sapientiæ & san[illegible]ti prodidit: miraculísque etiam ac spiritu prophetico diuinitus dotatus, ac meritorum plenus expirauit ipso die sacratissimo Pentecostes. Cuius anima carne soluta, ministerio Leuitarum cœlestium, quorum duces erant beatissimi Archidiaconi Stephanus & Laurentius, Angelorum cum exercitu ad Christum quem amauit, quem quæsiuit feliciter perduci visa est. Obiit eodem die religioso exitu *Petrus.* Petrvs Cantor Parisiensis, qui verbo, vita & exemplis præstans, recusato Episcopatu quo [illegible] erat, in Fontinellæ cœnobio perfectæ humilitatis, obedientiæ, castitatis & paupertatis factus candidatus, infra annum probationis, adepta iam perfectionis corona defunctus est. E cuius aperto diu post transitum sepulchro, odor fragrantissimus emanauit, purissimæ vitæ & seruatæ integritatis, indicans, Deo gratissimam suauitatem. Eodem die *Guilielmus.* exuit mortalitatem piæ memoriæ Gvilielmvs Abbas Cisterciensis morum sanctimonia venerabilis.

Decimo tertio Kalend. Iunij. Luna

20																G IX.	
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ	
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P				
10	11	12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22				

NEMAVSI Volcarum ſancti BAVDELII Martyris, qui SS. BAVDELIVS. Aurelianenſi ciuitate oriundus, gradu hypodiaconus, cum ſancto Euurtio Epiſcopo Eccleſiam conſecranti miniſtraret, vnus ex quatuor fuit qui puræ mentis oculis, lucem cœlitus infuſam, & manum Domini, porrectis digitis tertio oblata benedicentem conſpexerunt. Hinc cœleſti inſpiratione ad martyrium animatus, audiens Gothorum rabiem in Gallia potiſſimum Narbonenſi perſtrepere, Nemauſum acceſſit, vbi vigente adhuc ethnicæ impietatis ſpurcitia, Gentiles redarguere cœpit, quod debita vnico vero Deo rationabilis obſequij ſacrificia, profanis falsíſque numinibus immolarent. Ab his igitur cæco furore percitis comprehenſus, diris affectus ſuppliciis, cæſus fuſtibus, in equuleo ſuſpenſus, & diutiſſimè tortus, atque lateribus flammis aduſtus, cùm in fide Chriſti immobilis inter omnia tormenta perſiſteret, nouiſſimè bipenni capite cæſus eſt, de cuius corpore ſanguis effluens, in lac conuerſus, multos ægros inde perfuſos ſanauit. Partáque nobili adeo trophæo immortalis felicitatis & gloriæ laurea: purpuratorum Imperij cœleſtis procerum, ſic adauxit numerum, vt miraculis etiam innumeris, quæ ad tumulum eius poſtea emicuerunt, fidelium, multa ad Eccleſiam militantem acceſſione, cuneos amplificauerit. Quorum mirabilium præconia ſanctus Gregorius Turonenſis, ſtylo indelebili celebrauit, eo in codice, quem de Martyrum prænotauit gloria. Eodem die Toloſæ ſancti HILARII HILARIVS. Epiſcopi & Confeſſoris. Hic Mennæ repleta vice, omnium virtutum laude refulgens, nobilis huius Eccleſiæ gubernacula geſſit: póſtque felicem diuini muneris executionem, æterna ad præmia euocatus, ſanctitatis refulſit in tumulo, (quem apud ſanctum Saturninum nactus eſt) mirificis indiciis. Auarici Biturigum ſancti AVSTREGISILI Metropolis huius Epiſcopi & AVSTREGISILVS. Confeſſoris, cuius & vita cum Euangelicis præceptis congruens, & diuinitus facta, perenni commendatione in Eccleſia vniuerſali celebrantur. Hic à puero literarum ornamentis, pietatíſque ſtudiis informatus, in aula Guntramni Regis pien-

tissimi, primum ætatis florem exegit: sícque se gessit, vt cùm gratis obsequiis temporalis Domini beneuolentiam demereretur, nihilominus precibus assiduis, ieiuniis & eleemosynis æterni Regis gratiam sibi conciliaret. Hinc diuinitus ad cælibem vitam & sacra ministeria vocatus, extincta insigni miraculo graui qua impetebatur calumnia, Clero adscriptus à sancto Aunario Episcopo Autissiodorensi Subdiaconus creatus est. Paulóque pòst cùm Lugdunum profectus esset, à sancto Æthrio sedis huius Præsule ob meritorum gratiam ordinatus presbyter, dignus est etiam censitus, qui cœnobio sancti Nicetij Abbas præficeretur. Defuncto autem Apollinari Bituricensi Antistite, in eius locum omnium vnanimi consensu Regísque etiam beneplacito, propter eminentis sanctitatis celebritatem, surrogatus, sublimiorem gradum, excellentiori virtutum panoplia exornauit. Tandem vir in rebus Dei magnificus, miraculis etiam stupendis illustris, Ecclesiâ sibi commissa annis circiter duodecim omni Episcopali decore administratâ, ab Angelo de obitu suo admonitus, in venerabili senectute ad cœlestis aulæ consessum transmigrauit. Pluráque mortuus quàm viuus mira patrauit, quæ memoriam eius perpetuæ honorificationi consecrarunt. Apud Bellouacenses cœnobio Flayaci depositio & translatio sancti GEREMARI Confessoris eiusdem loci fundatoris & patroni. qui regali ortus stemmate, Dagoberto Regi charus, bene gerendi principatus, consilia eidem diù subministrauit: *Domaniæque* nobili fœminæ felici connubio iunctus, pari virtutis studio & pietatis cultu enitens, procreata ex ea felice sobole, postquam ipsa plena iustitiæ actibus sanctissimè vita excessisset, sese totum in Dei famulatum conuertit, cingulóque deposito, aulæ & sæculo valedicens, cœnobium ex facultatibus propriis extruxit: vbi collecto religioso sodalitio Abbatis officio functus, admirabilis sanctitatis exempla prodidit, denique feliciter emenso virtutum omnium stadio, sacramentis pia deuotione receptis ea in pace quieuit, quam amicis suis Christus Rex pacis & iustitiæ, pro fidelis' obsequij fœnore pollicitus est: apud quem beatum Confessorem perenniter viuere subsequentia opitulationem signa plurima demonstrarunt. Cæterùm & prælibatæ eius vxoris DOMANIÆ sanctitas iisdem indiciis propalata: cultum eidem perennem præstitit, quo in Prioratu sancti Nicasij de Ganiaco vbi reposita sunt sacra eius pignora hactenus fulget insignis. Attrebati eleuatio sancti HADVLPHI Episcopi & Confessoris, qui sancti Ranul-

GEREMARVS. DOMANIA. HADVLPHVS.

phi Martyris filius, à puero diuinis disciplinis eruditus in cœnobio sancti Vedasti cum nitore gratiarum polleret, post mortem Hattæ primi illius asceterij Abbatis, factus religiosi gregis curator, hinc Hunaldo Attrebatensi Cameracensíque Episcopo hominem exuente, renunciatus Antistes vtriusque sedis, lumen gratissimum virtutis & doctrinæ, vtrique populo expandit: omnium salutis temporalis & æternæ ita sollicitus, vt lucrum animarum & solatium pauperum sibi pro summa vtilitate proponeret. Ob communem tamen bifidi Episcopatus curam, pastor bonus, Monachorum dicti cœnobij paternam sollicitudinem non omisit: quin Abbatis nomen cum officio retinuit, donec tandem gloriosis laboribus exantlatis suaui mortis sopore in Christo obdormiuit anno episcopatus duodecimo, Abbatialis regiminis decimo tertio; inque sancti Vedasti æde sepultus est. Cuius corpus Engramus successor eleuauit: túncque sancti Confessoris meritis Energumena quæ aderat liberata memoratur. Gandaui in sancti Petri quod Blandinium dicitur cœnobio translatio corporum Sanctorum GVDVVALI & BERTVLPHI Confessorum, necnon reliquiarum sanctæ Virginis Amalbergæ. Eodem die dedicatio Ecclesiæ monasterij Firmitatis in Burgundia. Trecis reseratio hierothecæ sanctæ MASTIDIÆ Virginis facta per Renatum LXXXIV. Episcopum qui eductum è scrinio corpus sanctæ ipsius cœlitis, super maius altare summæ ædis venerandum exposuit: ita integrum, vt recto inter se ordine connexa membra patuerint, auulso tantum capite, quod pro Christi testimonio fuisse decisum, & illius à trunco separatio, & purpura qua corpus ipsum sanctæ huius virginis inuolutum reperit pridem Milo Episcopus, qui primus exuuias eius detexit: non abs re suspicandi multis perspicientibus ansam præbuerunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

GVDVVALVS & BERTVLPHVS.

MASTIDIA.

OBIIT hoc ipso die piæ memoriæ GVIDO S. R. E. Cardinalis, relicta suæ sanctitatis magna opinione. Item VIVIANVS Abbas Altæcumbæ sancti Bernardi discipulus, multa pietate insignis.

Guido. *Vivianus.*

Duodecimo Kalendas Junij. Luna

21	•															A VIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	13	18	19	20	21	22	23			

SS. EVSTELLA. APVD Xantones in Aquitania ſecunda Natalis ſanctæ EVSTELLÆ Virginis & Martyris glorioſæ, quæ inclytæ ſtirpis propago, à ſancto Eutropio Pontifice & Martyre imbuta ſcientia ſalutis, vndiſque ſalutaribus irrorata: florem virginitatis illibatum Chriſto integritatis amatori votiuo munere dedicauit. A quo propoſito cùm nullis patris blanditiis vel terroribus potuiſſet abduci: poſtquam ſanctum ipſum Præſulem Eutropium, odio piæ inſtitutionis ab impiis necatum puris manibus ſepeliiſſet; ipſa hoſtia ſimul fidei & pudicitiæ effecta, mundi ſpretis oblectamentis fortiter mortem, furentis patris inſano iuſſu pertulit, ouánſq. cum palma victoriæ immarceſſibili, ad regni cœleſtis perennes triumphos euolauit. Cuius corpuſculum, puriſſimæ mẽtis vaſculum, tumulo ſancti ipſius Eutropij à quo pietatem hauſerat, fidelium occulta ſollicitudine illatum, magna

CONSTANTINVS. cum eo claruit veneratione. Aureliis feſtum S. CONSTANTINI Magni Imperatoris, à quo fundáta creditur ipſius vrbis primaria baſilica ſub veneratione ſanctæ Crucis. Eodem die Autiſſiodo-

VALLVS. ri depoſitio ſancti VALLI Preſbyteri & Confeſſoris egregij, qui ſic in carne vixit vt humanum modum excedere videretur, cœleſtiſque vitæ deſiderio incenſus, proculcatis terrenis omnibus, in perfecto Dei famulatu obdormiens, beatitudinem conſecutus eſt ſempiternam. Niciæ in Prouincia ſub Metropoli Ebredunenſi ſuſcepto & repoſitio ſacratiſſimi corporis ſan-

HOSPITIVS. cti HOSPITII Confeſſoris donis Spiritus ſancti ornatiſſimi, atque ideo plurimum apud priſcos Sanctorum Encomiaſtas celebrati: cuius in Cathedrali illius ciuitatis Eccleſia vbi quieſcit, glorioſa merita dignis ſolemniis honorantur ex veteri in-

MAVRELIVS. ſtituto die 15. Octobris. Trecis ſancti MAVRELII Preſbyteri, Monachi & Confeſſoris, cuius vita magnis pietatis exemplis, mors diuinæ clarificationis emicuit teſtimoniis. Arelatæ in Ec-

FLORENTINVS. cleſia ſanctæ Crucis tranſlatio S. FLORENTINI Abbatis & Confeſſoris egregiæ pietatis & abſtinentiæ: cuius ſacer eſt depoſitionis dies pridie Idus Aprilis. Ipſomet die Archæ in Picardia

SITISBERGA. ſanctæ SITISBERGÆ Virginis, quæ Pipini Galliæ Regis filia,

Caroliquc Magni Imperatoris ſoror ſtemmatis adeo inclyti ſpretâ gloriâ, Chriſto intemeratum virginitatis florem conſecrauit, ſéque eius obſequiis penitus mancipando, vitam in carne Angelicam prorſus tranſegit: demúmque toto pectore cœleſtibus inhians, virtutibus coruſcans, ad eum quem vnicè dilexit & coluit, egreſſa ex corporis ergaſtulo feliciter profecta eſt. Cuius ſacræ exuuiæ, ibidem magna honorificentia aſſeruantur, hodiéque ad beatæ eius memoriæ venerationem exhibentur percolendæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Hoc ipſo die religioſo fine deceſſit piæ memoriæ GVILIELMVS a ſancto Lazaro Epiſcopus Niuernenſi[illegible], vir cùm raræ morum c[illegible], tum miræ erga pauperes charitatis. Quem E[illegible] XIII. in ſcriptæ ſanctis vindicatis cum nobili elog[illegible] connum[illegible]. E[illegible] vero Niuernenſis eo modo veneratur, quod in f[illegible] ſolemni[illegible] tumulum [illegible] qui in medio Chori ſitus eſt, incenſat in ſignum [illegible]. [illegible] Ma[illegible]res reuerendam eius memoriam, non hoc vnico ſacri cultus argumento prodiderunt. Guili[illegible]

Vndecimo Kalend. Iuny. Luna

22 B VII

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
12	13	14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24			

ENGOLISMÆ ſancti AVSONII Epiſcopi & Martyris. Is ſancti Martialis diſcipulus, cùm ab ipſo illic ordinatus Antiſtes, multam fidelium ſegetem, verbi diffuſo viuifici ſemine excitaſſet: in odium aſſertæ prouectæque pietatis; ab impiis interemptus, Epiſcopali tiaræ addita, cum omnium virtutum gemmis, glorioſi Martyrij laurea, conſecutus eſt ſupernæ beatitudinis præmium. De quo hoc memorabile proditur, quod deciſum caput propriis ſuſtulerit manibus in eum locum, vbi à fratre & ſucceſſore Antonio, religioſo funere humatum eſt. Item in agro Pariſienſi oppido Sandionyſiano inuentio veſtimentorum & pulueris Sanctorum Martyrum DIONYSII, RVSTICI & ELEVTHERII in prioratu de Strata, vbi primùm ſtrata eorum corpora iacuerunt. Item Bituricis Natalis ſancti AIGVLPHI Epiſcopi eiuſdem ſedis & Martyris. Hic ab ineunte ætate diuinis literis eruditus, ac Chriſti totus obſequiis deditus, in ſolitudinem ſecedens, herbarum radicibus & ceruæ lacte quæ ſtatis ad eum horis veniebat duriter dum victitaret, virtutibúſque cœleſtem vitam in terris imitaretur; poſt repen-

S. A[illegible]

Dionyſius Ruſticus & [illegible]

Aigulphus.

tinum [illegible] Præsulis Bituricensis obitum, diuinitus electus tantæ [illegible] edis Antistes, ex eremo renitens abstractus, atque a toto Clero & populo solemni susceptus [illegible] ccursu; postquam ritè pro more consecratus est, admirabili [illegible] n [illegible] tatis & vigilantiæ pastoralis splendore Ecclesiæ suæ præluxit: demùmque pro iustitia & charitate decertans, violenta morte, at glorioso funere, martyrij coronam, (dum tota Aquitania bellicis tumultibus quateretur) pro votorum cumulo, meritorumque fœnore adeptus est. Corpus eius prope Castrum-Rodulphi in sacra ipsimet Ecclesia multo honore conditum quiescit: in capsula, cui è sarcophago lapideo vbi humatum fuerat retro maius altare per Ioannem de Soliaco Archiepiscopum Bituricensem, ante annos super trecentos octoginta, illatum est congrua cum solemnitate. Lemouicis sub eadem Metropoli, sancti LVPI Episcopi & Confessoris, qui cùm dignitate presbyterij moribúsque sanctissimis ea in Ecclesia floreret: diuinæ prouidentiæ dispositione, non humano nutu regendam hanc Cathedram suscepit. Cum enim demortuo Asclepio notæ sanctitatis Episcopo de sublegendo Præsule Clerus & populus agitarent, nec de persona ita inter se conuenirent, fusis ad sepulchrum sancti Martialis orationibus, eam in sententiam concesserunt vt probitate insignes duo Sacerdotes, Lupus & alius quidam ad Regem Clotarium mitterentur, qui verùm vellet ordinari iuberet. Cùm eam legationem, vir sanctus ab omni abhorrens ambitu aliquandiu obire recusasset, importunis demum precibus exoratus iter suscepit. Verùm cùm nulla alia nobilitate, quàm ea quæ à virtute rutilat, nullo vestium nitore insignis videretur, non ei facilis ad Regem patuit aditus, sed diuino nutu effectum est, vt Clotarij filius graui febre correptus, frustra tentatis medicorum remediis, oblato (Reginæ afflictæ efflagitatione) à viro D[illegible] sacrificio, sanaretur. Eo miraculo Dei amicus approbatus, Rex vt is Episcopus consecraretur non solùm assensit, sed & [illegible] vix exoratum vt annueret, multis donatum muneribus [illegible] rificè remisit. Sic euectus ad Pontificatum Lupus, non [illegible] uerso omine Pastoris optimi partes impleuit, E[illegible] creditam ea sollicitudine ac pietate moderatus est, vt quo [illegible] gnitate celsior factus fuerat, etiam sanctitate sublimior [illegible] rit. Cuius gratam Deo seruitutem, miracula quibus etiam dum in carne ageret inclaruit affatim prædiderunt: defuncti verò post felicissimi Episcopatus decursum beatitudinem [illegible] tur in cœlesti patria, & meritorum copiam, perenni [illegible] tionis fulgere, quæ clementes [illegible] propalauêre. Q[illegible]

LVPVS.

cùm ad eius tumulum in Ecclesia sancti Michaëlis miracula crebrescerent, Gerardus Episcopus solemni ritu, sacratissimum eius corpus è terra sublatum, in theca collocauit, populóque fideli exposuit debitis sanctitati officiis percolendum. Valliliis prope Autissiodorum transitus sancti ROMANI discipuli sancti Patris Benedicti: qui postquam eidem, in specu ministrasset, inde in Gallias proficiscens, ædificato monasterio, relictísque multis suæ sanctitatis alumnis, quieuit in Domino. Eodem die Senonis in sancti Romani cœnobio, repositio reliquiarum ipsius sancti CONFESSORIS, facta per Ansegisum Archiepiscopum. Vasati in Vasconia Natalis sanctæ QVITERIÆ Virginis & Martyris, cuius in Hispania coronatæ sacra hinc traducta pignora, pro patrocinij iure illic magnam venerationem receperunt. Eodem die in territorio Carnotensi, vico Aufragiæ, Natalis alterius sanctæ QVITERIÆ Virginis itidem & Martyris, quæ ex vrbe Baiocensi in Neustria orta sub Traiano Principe, præclarum fidei certamen consummauit. De hac memoriæ proditum est, quod abscissum caput è loco martyrij, Castrum vsque Dunum triumphans pertulerit. Ipso die Ariaci in tractu Lingonensi sanctæ MARTHÆ Virginis Deo sacratæ, cuius communia sunt encomia, cum sancto Amatore Episcopo Autissiodorensi, suo olim sponso & pij voti consorte, qui celebris fulget ipsis Kalendis huius mensis. Eodem die, è Romana æde Sanctorum Petri & Marcellini, leuatum fuit sanctæ HELENÆ Augustæ corpus vt in Gallias deportaretur, ad Altumuillare cœnobium Remensis diœcesis: vbi magna veneratione susceptum etiamnum conseruatur in argentea theca conditum: cuius susceptionis ibidem commemoratio colitur die 7. Februarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

ROMANVS. Idem iterũ. QVITERIA. QVITERIA altera. MARTHA Virgo. HELENA Augusta.

IPSO die naturæ debitum pio fine exoluit CLEMENS Monachus, innocentia, puritate, victoriis de humani generis hoste, diuinisque reuelationibus conspicuus. Item obiit Aquis prope Traiectum superius, piæ memoriæ HELSVINDIS Porcetensis Abbatissa, vtraque puritate insignis: ideóque & spiritualibus charismatibus dotata.

Clemens. *Helsuindis.*

Decimo Kalend. Iunij. Luna

23																C VI.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P		
	13	14	15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25		

SS. DESIDERIVS. IN vico Priſciniaco prope Lugdunum, Natalis ſancti DESIDERII Epiſcopi Viennenſis & Martyris, qui cùm impiæ Brunechildis ſcelera increparet, capitali ab ipſa odio habitus, primùm in exilium pulſus, poſtea cùm ad Eccleſiã auctoritate ſummæ ſedis regreſſus, rurſus iniquis perditæ mulieris factis obſiſteret, eadem inſtigante, iuſſu Theodorici Regis violenter ex vrbe ſua abſtractus, Lugdunúmque, quaſi ad Concilium, re vera autem ad ſupplicium, per milites deductus, in via dirè ac impiè occiſus eſt. Horum aliis ſatellitum, pugnis & probris virum Dei impetentibus; alij inſaniores, orantem lapide primùm in cerebro grauiter vulneratum, deinde vallo acutiſſimo in cerebro confoſſum, demum ſaxorum mole obrutum, ab hac ærumnoſa vita nimia crudelitate propulſarunt: ſícque adornato tot gemmis quot ſaxis diademate pretioſo coronatus, glorioſus Chriſti athleta, iuſtitiæ & patientiæ immortale decus, & ſempiternæ felicitatis recepit brauium. Eodem die Lingonis ſancti

DESIDERIVS alter cum ſociis. DESIDERII Epiſcopi itidem & Martyris, qui ob gregem ſibi commiſſum ceruices libenter præbuit. Cùm enim à Vvandalorum exercitu populum ſuum diripi ac vexari cerneret, ad Regem eorum pro ſuis ouibus ſupplicaturus acceſsit, à quo ſtatim interfici iuſſus eſt, quòd falſis numinibus, hoc eſt dæmonibus litare recuſaſſet. Igitur mucronis ictu fractis ceruicibus, effuſóque cerebro, beatus Pontifex occumbens, ad cœleſtia templa æternum triumphaturus euolauit. Quo cum *alij multi* fideles obtruncati, animas ſuas Deo offerentes, ad beatæ immortalitatis præmia tranſmigrârunt. Eodem die Viennæ Allobrogum

VERVS. ſancti VERI Epiſcopi & Confeſſoris, qui beati Euantij ſucceſſor, ſanctíque præfati Deſiderij Viennenſis Præſulis purpurati (quem Diaconum ordinauit) proximus anteceſſor, præclaris virtutum Epiſcopalium ornamentis, ea in cathedra fulſit; ſanctéque factorum laude præſtans, Chriſti regno, & vitæ Euangelicæ exemplis, & egregiis pietatis Chriſtianæ documentis propagato, copioſam piorum laborum adeptus eſt remunerationem. In Gemblacenſi cœnobio præſulatus Namurcenſis depoſitio

depositio sancti GVIBERTI Confessoris, ipsiusque asceterij fundatoris. Is nobili editus genere, postquam militiam inculpatè exercuisset, sæculo renuncians proprio in fundo præsignatum cœnobium construxit, suisque facultatibus dotauit: peractóque in Gorsiensi famoso monasterio regulari tyrocinio, humilitatis discipulus nequaquam præesse, sed subesse desiderans, Erluinum magnæ probitatis ac pietatis Monachum, Abbatem sibi suísque quos Gemblaci collegerat sodalibus duxit præficiendum. Sub cuius ductu adeo mirabiles edidit sanctimoniæ progressus, vt virtutum splendore locum, longè magis quàm facultatum copia, illustrarit. Interim improbi quidam æmuli illum apud Othonem Imperatorem detulerunt, criminantes quod fiscum Cæsaris, Maioribus suis in beneficium concessum, iniussu Principis, in sortem Ecclesiastici iuris, vsurpans sibi fundationis honorem, transtulisset. At hanc calumniam seruus Dei fusis in cœlum precibus protinus superauit. Imperator enim pietatis flexus affectibus, ratam Guiberti donationem habuit, immunitatéque firmans cœnobium, multis insuper cumulauit suæ munificentiæ insigniis. At vir beatus sedata hac procella aliam perpessus est ærumnam, à sororis germanæ marito: qui prædium sacris ab eo addictum, vxoris nomine iure hæreditatis sibi competere astruens, omni hostili incursione cœnobium cum incolis inuasit: nec cessit Imperatoris iussionibus, Apostolicæque etiam interminationis fulmina contempsit: sed præualuit aduersus eius malitiam spiritualibus præcinctus armis Guibertus: piis enim apud Deum interuentionibus nefanda eius molimina elisit. Dehinc Hungari Italiam, Germaniam, Galliæq. oras infestantes, Gemblacum vsq. penetrarunt, quib. vir Dei occurrens, gladio verbi Dei accinctus mitigata eorum rabie, quosdam etiã ex eis ad Christum conuertit, transcripsítq. in nouum salutaris militiæ nomen. Sic monasterio sanctis exercitiis ab excidio erepto, vir beatus, charitatis normâ cœnobitis præfixâ ad Gorziense asceterium rediit, vt ibi extremos obiret seruitutis Deo deuotæ famulatus: missionémq. militiæ desideratam expectaret, vbi tyrocinium exorsus erat. Tandem igitur consummatus in virtutum gratia, spiritum multiplici merito exornatum, nec victum fructuosis laboribus, suo reddidit Creatori, à quo post piæ vitæ excursum gloriosa immortalitate recepta, emeritæ clarificationis signa consecutus est. In agro Trecensi vico Mentuniaco depositio S. LEONIS Abbatis & Confessoris, qui B. Romani S. Remigij in præsulatu Remensi successoris, dum cœnobium quod illic extabat regeret, alumnus: castitate & abstinẽtia purissimus, deuotione insignis diuina sapientia præditus, gratiæ qua ple-

GVIBERTVS.

LEO.

nus erat indicia sic operibus edidit, vt ipso beato Rom[illegible] ad Episcopatum ascendente, clauum regiminis asceterij illius ipse tradente suscipere (quem recusabat) meruerit. Quo in munere positus ad tantam sanctitatis euasit gloriam, vt beatis fieret proximus vita & conuersatione: quorum & alloquiis sæpiùs honoratus est. Cùm autem aliquando in baptisterio noctem in vigiliis & oratione protraheret: SS. Pontifices Hilarius, Martinus & Anianus eius se sistẽtes obtutibus, ipsum post triduum ad beatas sedes migraturũ blanda eidem inuitatione nuntiarunt. Funerali igitur petita à religiosa matrona veste, vir Dei lætè disposito transitu, condicta die, ad Dominum feliciter migrauit. Eius sacrũ corpus virtutib. pridem coruscũ in Ecclesia Metumaci quiescit: quæ nomine ipsius insignita, etiam patrocinio cum vico cui præsidet iure parœciali gaudet. *Et alibi in Gallia aliorum*, &c.

PARISIIS in monasterio sanctæ Deigenitricis ordinis Cœlestinorum diem *Nicolaus.* clausit extremum Venerabilis Pater NICOLAVS à Pratis religiosæ huius domus alumnus Sacerdos, Angelicæ puritatis, beatissimæque ipsius Deiparæ de- *Tezelinus.* uotissimus cultor. Claræuallis hac die carnem exuit beatæ memoriæ TEZELINVS secundum carnem beati Bernardi Pater, sed religione & spiritu filius. *Guilielmus.* Item ibidem beatus GVILIELMVS Monachus, qui diuina visione exterritus, suscepto illic religioso pallio, fideliter per viam diuinorum mandatorum vsque ad consummationem vitæ cucurrit.

Nono Kalend. Junij. Luna

24 D V.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
14	15	16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26			

SS. SATVRNINVS. TOLOSÆ consecratio basilicæ S. SATVRNINI facta magna celebritate ab Vrbano II. Pontifice Maximo. Nannetis in *DONATIANVS & ROGATIANVS.* Armorica Natalis SS. Martyrum DONATIANI & ROGATIANI fratrum, qui Diocletiano furente ab impio Præside ob fidei testificationem comprehensi, compedibus stricti, obscurumq. in carcerẽ detrusi sunt. Indéque producti cùm à confessione Christiani nominis nõ possent vllo modo coërceri, iussi sunt equuleo suspẽdi & diù torqueri. Quo in cruciatu facti in veritatis præconio fortiores, hasta à milite transuerberati, demum percussi gladio, illustre martyrium peregerunt. In quo agone illud insigne fuit: quòd Rogatianus nondum adhuc baptizatus, palmæ fraternæ socius, fide viua pro qua extrema subire non renuit, demeruit particeps effici. Ideóque fratrem qui eum ad Christum vitæ verbo adduxerat, in procinctu extremi certaminis exosculatus est, vt qui præuentus repentino incursu sacro tingi lauacro nequiuerat, fratris charitate & deprecationis merito subnixus, cruoris flumine saltem abstergi promereretur. Leodij translatio

ſancti LAMBERTI Epiſcopi & Martyris glorioſiſſimi. Apud Lambertus.
Lerinum ſancti VINCENTII presbyteri & Confeſſoris, doctri- Vincentius.
na admirabili, & vitæ ſanctimonia clari: cuius ſacræ eruditio-
nis monimenta extant nobiliſſima aduerſus profanas hæreſeon
nouitates. Hic beatus vir natus in vrbe Tullenſi Senatorio ge-
nere, frater fuit ſancti Lupi Tricaſſini Antiſtitis, quocum le-
ctiſſimíſque Galliarum Proceribus in celebre Lerinenſis Inſulæ
monaſterium conceſsit, vitæ ſolitariæ ſtudio: vbi poſtquam æ-
tatem in ieiuniis, ſilentio, lectione, oratione, piíſque doctrinæ
exercitationibus confeciſſet, inter ſuorum brachia feliciter
Chriſto ſpiritum reddidit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

EODEM die curſum feliciter expleuit in tractu Sueſſionenſi piæ memoriæ GOFRIDVS ſancti Norberti Præmonſtratenſium aſcetarum Patriarchæ diſci- *Gofridus.* pulus, primúſque monaſterij ſanctæ Deiparæ Caſtri Theodorici, poſtea dicti Vallis ſecretæ Abbas, ſanctis operibus plenus & ſignis beatitudinis illuſtris. Item ipſo die in Claræuallenſi cœnobio pio fine defunctus eſt venerandæ me-moriæ GODVVINVS ex medico Monachus, ſanctíque Bernardi alumnus, ac *Goduuinus.* virtutum eius ſedulus imitator. Eodem die Villarij in Brabantia migrauit etiam ad lucem ſempiternam beatæ memoriæ GVILIELMVS Monachus, vir tantæ *Guilielmus.* ſanctitatis, vt à morte prodigiis coruſcans, auctoritate Eccleſiaſtica de tumulo corpus eius leuatum, expoſitum fuerit publicæ venerationi.

Octauo Kalendas Iunij. Luna

25 F IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	22	23	24	25	26	27			

NATALIS ſancti Vrbani Papæ & Martyris, cuius vene- SS. Vrbanus,
randum corpus cum pretioſis exuuiis TIBVRTII Mar- & Tiburtius.
tyris, quem Chriſto ſanctus ipſe Pontifex progenuit; à Nicolao
Papa huius nominis primo, Legatis Caroli Calui, eximio mu-
nere conceſſum, in Galliámque aductum, miraculis in via vn-
dique rutilans, eiuſdem Imperatoris iuſſu, in monaſterio quod
in eius honorem condiderat in Catalaunenſi agro, honorificè
collocatum eſt: vbi nunc vſque quieſcit, indita loco vt pigno-
ribus ſanctitate; ſic patrocinio, nuncupatione. Aquiniaci in E-
broicenſi Præſulatu ad Arturæ ripam Natalis Sanctorum Mar-
tyrum, itidémque germanorum MAXIMI Epiſcopi & VENE- Maximus
RANDI Diaconi, qui patria Brixienſis, Roma in Galliam Cel- & Venerandus.
ticam ad Euangelij prædicationem miſsi: cùm Burgundiam di-
uino lumine illuſtraſſent, in Neuſtriam tranſmeârunt, verbíque

vitæ ſementem cœleſti ore & opere dum ſpargerent : Pſeudo-numinum cultu fortiter oppugnato, à Palmo duce comprehenſi ob conſtans diuinæ veritatis præconium, ſecuri percuſsi ſunt. Qui mox ſuperna virtute præditi capita deciſa ſuſtollentes, velut deuictæ per agonem ſuum impietatis glorioſa trophæa, eum ad locum deportarunt vbi demum à fidelibus ad perpetuum ſanctæ ipſorum memoriæ decus baſilica cum monaſterio fuit conſtructa. Eodem die in monaſterio ſancti Bertini paſsio beatorum Martyrum VOCALDI & VINEBALDI presbyterorum: GERVVARDI & REGENHARDI Diaconorum, qui ad monaſterij cuſtodiam relicti exuſto ſacro loco à Danis infidelibus exquiſitis cruciatibus interfecti ſunt. Claromonte in Aruernis ſancti INIVRIOSI Confeſſoris, qui de Senatoribus primis illius ciuitatis, cum ætate, opibus ac dignitate polleret: iuſtitiæ & pietatis miro decore emicuit. At caſtimoniæ edidit in ſeipſo admirabile monimentum. Cùm enim ſimilem ſibi nobilitate & opibus puellam coniugio copulaſſet, vxorio contentus nomine eam in virginitatis propoſito confirmauit. Mutuo ſiquidem conſenſu, Chriſto carnis & ſpiritus integritate dedicatâ, ſic cum illa vixit vt vno in ſtrato quieſcentes, orationibus & piis cohortationibus ſeſe inuicem ad puritatis amorem & gratum Deo virginitatis cultum animarent. Tranſacto denique immaculato tramite vitæ caducæ ſtadio, vna eadémque die defuncti, vno eodémque tumulo ſepulti, vt coronam eandem à Chriſto perceperunt; ſic & venerationem incolarum conſecuti ſunt perpetuam, a quibus mox ab obitu glorioſo, ſub duorum amantium nomine celebrati debiti cultus promeruerunt officio honorari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

VOCALDVS, VINEBALDVS, GERVVARDVS, & REGENHARDVS. INIVRIOSVS cum ſponſa virgine anonyma.

EODEM die facta eſt inſtitutio ſolemnitatis venerabilis Sacramenti, per Vrbanum quartum Pontificem Maximum, origine Gallum ex diœceſi Trecenſi anno 1264. Fauernaci in Burgundia miraculum Sacræ Euchariſtiæ, quæ incluſa in graui pixide me[illegible], per ſpatium triginta trium horarum in aere manſit pendula, innumerab[illegible] hominum multitudine ſpectante & admirante. Areſate feſtum ſanctæ Mariæ Iacobi. LVDOVICVS Frizon vir doctus & diſertus ordinis M[illegible]imorum: motúmque honeſtate, orationis, & rerum diuinarum ſtudio ante omnia præcellens, cum magno bonorum luctu, immaturo fato deceſſit Lauduni.

Ludouicus.

Septimo Kalend. Iunij. Luna

26 F III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28			

IN Autiſſiodori finibus, loco Cociacus dicto Natalis ſancti PRISCI Martyris & ſociorum, qui ingenti multitudine, ſub Aureliano coronati ſunt. Ab cuius ſatellitibus comprehenſi cùm in confeſſione Chriſti conſtantiſſimè perſiſterent, truculenta ſtrage necati, glorioſa morte vitæ æternæ adita penetrârunt. Eodem die Natalis ſancti SIMITRII Preſbyteri & Martyris, qui è Gallia Belgica Romam profectus, illic ſub Antonio Pio cum aliis viginti duobus martyrio coronatus eſt. Quorum corpora ſancta Praxedis collegit ac ſepeliuit. at poſtea ſacræ exuuiæ ſancti Simitrij inde in Galliam reuectæ, apud Stabuletum cœnobium reconditæ ſunt à ſancto Baboleno Abbate, ſancti Remacli ſucceſſore. Eodem die in Trecenſi territorio prope Sezanam, tranſitus ſancti GODONIS Confeſſoris & Monachi, qui in Virdunenſi tractu nobiliſſima natus proſapia, ſancti Vvandregeſili nepos, Pipini Principis conſobrinus, Coméſque Palatinus, cùm ex ephœbis & adoleſcentia exceſſiſſet, ipſius beati Vvandregeſili monitu, diuinóque afflatu irradiatus, cœpit faſtidire omnia præſentia, cœlúmque toto pectore ardere. Se igitur ad patruum conferens, condito communibus copiis Fontanellæ cœnobio in agro Rotomagenſi, cum quatuor baſilicis (quas in honorem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Laurentiíque & Pancratij Martyrum extruxerunt:) Romam vt has inde aduectis reliquiis locupletaret, ad Vitalianum Papam, (ex obedientiæ quo obſtrictus erat voto) Guido ipſe profectus eſt: Deóque opitulante plurima Sanctorum Apoſtolorum & Martyrum inde reuexit, cum Apoſtolica benedictione, pignora. Sicque ad monaſterium reuerſus, Chriſto puriſsimo famulatu ſtuduit inſeruire. Exinde ingentes facere progreſſus in curriculo virtutis, honores omnes negligere, ſeipſum abiicere, parere non maioribus, ſed paribus & minoribus etiam: ſeuerè in ſe animaduertere, nec legibus aliorum rigidis contentum, addere ſuper alias corporis afflictiones, & ita paulatim cæpit in ſanctitatis opinionem venire. Cuius gloriæ vt auram declinaret, ſolitudinis cupidus, & ſtrictioris diſ-

SS. PRISCVS cum ſocijs numeris.

SIMITRIVS.

GODO.

3

ciplinæ amans, ſingularis certaminis aleam ſubire voluit. Annuentéque ſancto Vvandregeſilo in locum qui Augia appellatur ſecedens, fabricato ibi cum orationis ædicula tuguriolo, deſiderij compos, ſeſe totum rerum cœleſtium contemplationi tradidit: illicque pernox in vigiliis, in lectione creber, in oratione aſſiduus, in ieiuniis continuus, in meditatione ſedulus, hoſti generis humani bellum indixit, de quo præclaris trophæis reportatis, egregius Chriſti miles feliciter de ſtadio egreſſus, glorioſum duxit in cœlis triumphum: ibique vbi purum exhalauit ſpiritum humatus, prodigiis vitæ prioris ſanctitatem oſtendit: ob cuius decora & merita cœlitum faſtis aſcriptus, in Eccleſia (quæ cum cœnobiolo in eius cultum erecta eſt) continuis fulſit beatitatis radiis.

HILDEVERTVS. Ipſo die Meldis ſancti HILDEVERTI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic puer quinquennis à parentibus Pharoni magnæ ſanctitatis Epiſcopo in diſciplinam traditus, ab hinc ſanctis moribus præſtans emicuit. Secedens deinde ad monaſterium Lexouienſe in Burgundia, ea in virtutum palæſtra, egregiè exercitatus, poſt ſancti ipſius Pharonis glorioſum tranſitum, ob ſingularem pietatem & religionem, in eius locum ſuffectus, Pontificatum ea virtute & ſanctimonia egit, qualem decebat illum qui ex religioſa diſciplina ad infulas inuitus fuerat pertractus: demúmque multis diuinis & immortalibus pietatis operibus editis, ad cœleſtes beatorum manſiones, glorioſo exitu emigrauit.

LAMBERTVS. Vintij Neruſiorum, ſeu Venciæ in Prouincia ſancti LAMBERTI eius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris, qui ex Lerinenſi aſceta, vbi mirâ puritatis, pietatis & ſapientiæ exhibuerat lumina, ad ſedis huius gubernacula diuino conſilio euocatus, quadraginta annis fideliter illam Eccleſiam rexit, ſubiectámque plebem non minùs exemplis quàm verborum prædicatione inſtruxit: miraculis etiam plurimis coruſcans, in quibus illud inſigne fuit, quod die Paraſceues longa maceratus abſtinentia, petitam ad potandum aquam conſignando cruce in vinum conuerterit, quam cùm neſcius immutationis guſtaſſet, increpato miniſtro quaſi vinum pro aqua protuliſſet: aliâ iterum aduecta, conſimili ſignaculo benedicta, in merum rurſus conuerſa eſt: qua, tandem opus diuinæ virtutis eſſe intelligens, cum gratiarum actione vſus, Clericis etiam qui aderant delibandam, porrexit. Cæcam inſuper mulierem ex Nicia ciuitate illuminauit: multaque ſibi aſſiſtentis diuinæ virtutis opera cùm patraſſet, de ſua æterna felicitate cœlitus admonitus, placido ſopore defunctus eſt: ſignisque etiam poſt obitum plurimis clarificatus, Eccleſiæ cuius Antiſtes ſancti-

ſimus fuit, proprius euaſit tutelaris præpoténſque apud Deum opitulator. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Sexto Kalend. Junij. Luna

27																G ii.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	24	25	26	27	28	29			

VIENNÆ Allobrogum Natalis ſancti ZACHARIÆ Epiſcopi, dicti Galliæ Protomartyris. Qui Apoſtolorum auditor, Apoſtolicorúmque virorum ſocius, ab Oriente in Occidentem profectus Euangelij diſſeminandi cauſa, Roma hanc ad vrbem poſt exceſſum ſancti Creſcentis, Martinique obitum, Chriſto vt eam aſſereret acceſſit: vbi cùm vitæ verbum ſpargeret, in ædibus viduæ fidelis extra vrbem, quæ eum pietatis affectu ſuo hoſpitio exceperat myſteria fidei celebrans, à Pompeio vrbis Præſide idolomaniæ addictiſſimo apprehenſus, vinculis conſtrictus, ad Martis templum vt ſacrificaret impio numini deductus eſt. ſed vir Dei viſo ſimulachro, id ſola nominis Chriſti Seruatoris crucifixi inuocatione, quaſi ſtipulam flatu excuſſam, protinus diſſipauit. Quamobrem magis in eum Præfectus excanduit, dæmoniſq. ſacrificuli ira conciti, cùm ſapientiæ & ſpiritui qui per os cœleſtis præconis loquebatur nequirent reſiſtere, populo in ipſum concitato, calcibus pugniſque è delubro eiectum, probríſque innumeris affectum, tetrum in carcerem iubente Præfecto detruſerunt. Manéque productum ad tribunal, cùm Chriſti gloriæ aſſertor intrepidus, magis ac magis obcæcati Præſidis, ſæuientiſque in propriam ſalutem populi, inſaniam redargueret: magníſque præconiis beneficium redemptionis à Dei filio in cruce peractum attolleret, capitalis ſententia in eum lata eſt, velut impietatis reum: qua extra vrbem duci & ſaxis obrui decernebatur. Pugil igitur inuictiſſimus extra portam triumphalem raptatus, lapidum imbre vt primus Chriſti teſtis impetitus ac obrutus, trophæum ipſa in morte, ex glorioſo ſilicum cumulo, Chriſto ſibíque erexit: ſicque ouans ad ſupernæ Sion æternos triumphos euolauit. Sacrum eius cadauer inter varias ſordes Satanæ miniſtri proiecerunt: at clam inde à piis viris ſublatum, prope vrbis mœnia, eo quo licuit cultu tumulatum fuit, vbi poſtea

SS. ZACHARIAS

diuinis coruſcantibus ſignis, ſedis Apoſtolicæ præcepto vt digna honorificatione frueretur, maxima celebritate, inſignique ſolemnitatis apparatu, ab Hugone tituli ſanctæ Sabinæ & Guilielmo tituli baſilicæ duodecim Apoſtolorum S.R.E Preſbyteris Cardinalibus, hinc leuatum, atque in vrbem illarum congrua veneratione collocatum eſt in cœnobitica baſilica ſancti Petri. Cuius rei vt extaret apud Vienuenſes monimentum, Innocentius Papa IV. edito diplomate, ſacra munera iis impertitus eſt, qui quotannis ipſo repoſitionis die, mente expurgata, & diuinæ alimoniæ piè ſuſcepto pabulo, pretioſa tanti cœlitis pignora venerarentur. Paſſus eſt glorioſus Chriſti athleta & Pontifex centenarius ſub Traiano: cuius vltimæ preſſuræ perpetuum indicium eſt, ſilex qui etiamnum cernitur ad Carmelitarum ædem, ſacratiſsimo eius tinctus cruore: munificentiæ verò eiuſdem in Viennenſes, extat ſacra mappa ſuper quam Chriſtus Dominus in vltima cœna diuina myſteria celebrauit, pretioſiſſimum pignus, atque præclarum & efficax Chriſtianæ pietatis & deuotionis monimentum. Arauſione ſub Arelatenſi Metropoli Natalis ſancti EVTROPII Epiſcopi illius ſedis & Confeſſoris, qui Conſtantinum in ordine ſequens, meritis ſic antegreſſus eſt, vt ſanctitatis gloria qua apud Deum nulla maior, ſuum & Pontificatum & obitum plurimum illuſtrauerit: Eccleſiam verò cui præfuit, & viuus viuis documentis, hoc eſt verbis & exemplis, & defunctus pretioſis pignoribus ac patrocinio perenni decorans ſuffulſerit. Cuius laudum præconia Verus eius ſucceſſor, luculento tractatu deſcripſit: eiuſdémque tanta fuit ſanctitatis fama (quam dictis, factis & miraculis promeruit) vti populus fidelis mortem eius ſtatim votis ſequeretur, memoriam templis conſecraret, patrocinia imploraret, pignoráque religioſo cultu veneraretur. Imò vniuerſalis Eccleſia iam olim ſacris diptychis inter cœlites exploratos inſcriberet, quem inter mortales adhuc poſitum, præcipui Galliæ myſtæ admirati ſunt: Hilarius verò Papa inter illuſtriora Gallicanæ Eccleſiæ cacumina, ſacris Apoſtolicæ ſalutationis apicibus honorauit. Eodem die in agro Artrebatenſi inuentio & repoſitio ſancti RAGNVLPHI Martyris, cuius triumphalis dies ibi agitur quinto Idus Nouembris. Eodem die Sueſſione in inſigni ſancti Ioannis cœnobio in vineis feſtiuitas ſanctæ RESTITVTÆ Virginis & Martyris cuius hodie Soræ in Latio coronatæ vniuerſalis Eccleſia ſuis in tabulis natalitia recolit: pignora verò in Gallias allata in Archienſi Eccleſia prædictæ diœceſis iampridem condigno cultu repoſita quieſcunt. Eodem die Toloſæ

EVTROPIVS. RAGNVLPHVS. RESTITVTA.

Inuentio venerabilis corporis ſancti BARNABÆ Apoſtoli. Item ſuſceptio reliquiarum ſancti ADRIANI Martyris apud Geraldi montem. Ipſo die Bituricis octaua ſancti AVSTREGESILI. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* Barnabas. Adrianus. Auſtregiſilus.

MORTALIS eſſe deſiit piæ memoriæ IOANNES Abbas Bonæuallis in diœceſi Ruthenenſi, qui magnis virtutibus & ſignis refulſit. *Joannes.*

Quinto Kalend. Junij. Luna

28 A I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30			

CARNVTI Natalis ſancti CARAVNI Martyris, qui Domitiano Imperatore pro Chriſti fide extremum certamen ingreſſus, capite amputato coronatus eſt. Hunc Eccleſiæ huius monimenta produnt Pauli Apoſtoli factum Romæ diſcipulum, illic poſt eius glorioſum agonem, Dei regnum prouehendo ſubſtitiſſe, donec Dionyſius Areopagita à ſancto Clemente in Gallias ſalutis myſterium propagandi cauſa, cum copioſo adiuuarum cœtu deſtinatus eſt. Tunc enim tam inclytum ducem ſecutum, in Galliam cum eo veniſſe, cúmque, vt maiora ſuſceptæ ſalutaris adeo expeditionis lucra accreſcerent, Dionyſius ipſe varias in ampliſſimæ huius regionis partes, ſuos commilitones diſperſiſſet, ab eo cum quibuſdam aſſeclis Carnutum ablegatum, vbi iam ſancti Potentiani & ſocij eius Aduentini prædicatione credentium non modica fuerat excitata ſeges: quæ vtriuſque non incruento exceſſu cultore deſtituta, adiutricem manum implorabat. Dum igitur vir Dei zelo æſtuans eò proficiſceretur, ab impiis interceptus diróque mucrone interemptus eſt: ſicque improuiſo trophæo ad æthera ſubuectus, piorum laborum metam, quietis æternæ ianuam reperiit peruiam. Deciſum caput pugil Chriſti colligens, eum in locum detulit, vbi tumulum eligens requieuit. Núncque locus ipſe cœnobio baſilicáque inſignis eſt: quæ aceruo eius teſtimonij nominéque ipſo nobilitata, inter Carnotenſis diœceſis Eccleſias, poſt ſummam Deiparæ baſilicam vetuſtate ac tutelaris merito, quem ætas Apoſtolica, palmáque prima commendat facilè antecellit. Vicus etiam non modicus eo in loco vbi ceruices tanti athletæ exciſæ ſunt exſurrexit, qui nomine eius SS. Caraunus.

etiamnum conſpicuus eſt. Cæterùm in cœnobiticæ antedictæ Eccleſiæ crypta fons mirificus diuinitus eſt excitatus, ad ſancti ipſius Martyris glorificationem: qui cùm ferè ſemper tum maximè quando aquarum gurgites magis exuberant, deſiccatus areſcit: at in natalis Martyris peruigilio, noctu ſic erumpit, vt longè latéque ſuos effundat latices, quorum hauſtu morbidi patrocinia beati Martyris implorantes, ſanitatum ſolatia ſæpè ſæpiùs conſequuntur. Lutetiæ Pariſiorum ſancti GERMANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Auguſtoduni in Æduis natus, honorata familia, patre Eleutherio, matre Euſebia, diuina ope in vtero, atque etiam in tenera ætate, ſeruatus ab excidio, incomparabilis poſtea fulſit gloria ſanctitatis. Adhuc enim puer cùm eſſet, ad ſanctum Scopilionem propinquum ſuum, pietatis ſtudio Lauſiam ſe conferens, optimis apud eum diſciplinis & moribus religioſiſſimis inſtitutus eſt. Eáque deuotione iam tum flagrauit, vt ad nocturnas preces Eccleſiam mille paſſibus diſtantem, quacunque aëris intemperie frequentaret. Creſcente cum ætate virtutum fama, à beato Agripino Præſule Æduenſi Diaconus creatus, ſequenti triennio ob clara pietatis ac doctrinæ lumina etiam preſbyterio eſt inſignitus; ſubindéque Abbas ſancti Sÿmphoriani conſtitutus à Nectario Agripini ſucceſſore. Hinc maiora cùm ederet donorum cœleſtium quibus affatim dotatus erat inſignia, Libanio Pariſienſi Præſule (cuius radiantem faciem dum ſacra faceret, Anna vxor Ebroini conſpexerat) ad ſupernas ſedes euocato, diuina præordinatione, ſedis huius electus, ac conſtitutus eſt Antiſtes. Pontificatum exorſus, perfectæ ſanctitatis, doctrinæ, vigilantiæ paſtoralis ſeſe exemplar exhibuit: adeo vt Cleri decus fuerit, pauperum pater, gregis forma, Regum ac Principum verendus in Chriſto pædagogus. Eccleſia Pariſienſis poſt Dionyſij tempora nullum ſplendidius iubar aſpexit: cuius fulgoribus adeo irradiata eſt, vt ſacris inſtitutionibus quas inuexit, religionis cultu, diuinorum officiorum ſplendore, moribus, diſciplina vndique rutilans omnium in ſe & Præſulem admirationem excitaret. Quam etiam vt myſticis monilibus, pignoribus ſcilicet Sanctorum, & venerandis redemptionis monimentis, ſanctus Pontifex locupletaret, in Orientem ſacra loca inuiſurus perrexit; Conſtantinopolímque in reditu viſitans à Iuſtiniano Imperatore, qui viri ſanctitatem plurimùm reueritus eſt, eximia dona accepit: nempe partem coronæ Chriſti ſpineæ, Sanctorum Innocentium reliquias, brachium ſancti Georgij Martyris: quæ ſacratiſſima munera Pariſios regreſſus, in baſilicam ſancti Vincen-

GERMANVS.

cij Martyris (quam pio eius impulsu Childebertus Rex Christianissimus sumptuosè extruxerat) honorificè inuexit: in qua post expleta absoluti Episcopatus nimia, post innumera parta animarum lucra: post edita infinita prope miracula, Rege, gregéque tanti Pontificis decessum multo gemitu prosequente, octogenarius deficiens, cum mortalitatis onus, cuius diù antè præscius exuisset: eo quo decebat honore sepultus est. Toto orbe mirandis actibus celebris, Apostolicis viris coæqualis, sanctis omnibus compar. Templum in quo fuit inhumatus, non modò pretiosæ glebæ thesauro, sed & cœlestis gloriæ coruscationibus, ipsóque etiam nominis patrocinio ditans, decoránsque (magis quàm magnifica mole vel censu) mirificè illustrauit. Baiocis S. MANVCI Episcopi & Confessoris. Is eiusdem ciuitatis municeps ingenti bono Ecclesiæ natus, ab adolescentia miris totius sanctimoniæ testimoniis emicuit: abstinentiæ potissimùm, pietatis & misericordiæ operibus intentus. Cleroque adscriptus sacro ordini accessione sua decus egregium religionis & vitæ immaculatæ splendore attulit. Quin & iam miraculorum gratia diuino munere decoratus, stupendo hoc opere plurimum recepit apud omnes existimationis & gloriæ, cùm defunctum qui ferali pompa ad tumulum efferebatur, fusa ad Dominum deprecatione vitæ restituit. Vnde S. Lupo Baiocensi Episcopo æternæ vitæ præmia capessente, eius in locum ingenti omnium applausu meruit subrogari. Sicque suscepto pastorali munere se gessit: vt immortale consecutus sit apud suos hoc diuinæ administrationis elogium: bonus quod fuerit initio, melior in medio, optimus in fine. Eodem die Meldis S. RIGOMERI itidem Episcopi & Confessoris pietate, clementia, & misericordia prælucentis, qui post Principium illam Ecclesiam regens, Episcopatu ad Dei voluntatem egregiè administrato sancto fine quieuit. Eodem die trãslatio S. LIBORII Episcopi Cœnomanensis, quando sacrum eius corpus Paderbonam delatum est: in qua euectione multa signa quæ refulsêre, sanctitatis eius & gloriæ certissima argumenta exhibuerunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

MANSVETVS. RIGOMERVS. LIBORIVS.

IN Suessionensi territorio obiit sanctitatis opinione clarus piæ memoriæ IOANNES de desertis: cuius admirabilis conuersatio, etiam multis exornata est diuinæ approbationis indiciis. Item in Aquitania religiosa morte defunctus est beatæ memoriæ GVILIELMVS ex Aquitaniæ Duce sub Carolo Magno Monachus Gellonensis, eiusdémque cœnobij fundator, vir egregiæ puritatis, & tanti apud Deum meriti, vt ardentem clibanum scapulari purgans, nec ipse, nec vestimentum igne læderetur.

Ioannes. *Gulielmus.*

Quarto Kalend. Iunij. Luna

29 B *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1			

S. Maximinvs. VESVNTIONE ſancti MAXIMINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui a Caio Papa & Martyre ſedis huius conſecratus Antiſtes, ſecundus ordine tenellæ huius Eccleſiæ curam ſuſcipiens, adhuc vbera ſugentem, felici educatione prouexit, egregiiſque virtutum crepundiis exornauit. Sancti ſiquidem Stephani condidit Eccleſiam, in qua Clericorum collegium inſtituit, ad Apoſtolorum normam compoſitum. Cumque ea Eccleſia, confluentem multitudinem, eorum qui prædicatione eius & miraculis permoti, Chriſti militiæ nomen dabant, non caperet: aliam ſacram ædem in foro ciuitatis iuxta Capitolium extruxit, dicauítque in honorem beati Ioannis Baptiſtæ. Sicque omnibus rectè conſtitutis & Paulino ſibi ſuffecto, ad ſecretiorem vitam anhelans, in quodam viridario, ſexto ab vrbe milliario diſtante, eremitica vita functus eſt: vbi nihilominus, innumerabiles animas Chriſto peperit: nam multi ſanctitatis eius & cœleſtis ſapientiæ vt gratia fruerentur, ad eum pergebant: infirmi etiam multi deferebantur, quibus diuina virtute ſanitatem impertiebat. Denique vir beatus de ſuo ex hac vita diſceſſu diuinitus edoctus: Paulinum accerſiri iuſſit, à quo Dominici corporis munitus viatico, ad lucis æternæ gaudia commigrauit. Cuius iam olim aſcripta faſtis Veſuntionenſis Eccleſiæ memoria, hodie illic eſt anniuerſario cultu celebris: fitque deuotus populi concurſus ad illius ædiculam eremi, vbi diuinis contemplationibus vacans ſarcina mortis exuta ſepultus corpore requieſcit. Eodem die Treuiris Galliæ I. Belgicæ

Maximinvs alter. Metropoli ſancti alterius MAXIMINI Epiſcopi illius & Confeſſoris, qui Pictauis in lucem editus, Senatoriæ ſtirpis natalibus clarus, frater ſancti Maxentij Epiſcopi Pictauienſis: poſtquam cùm pietate literarum bonarum præcepta delibaſſet, audita Agritij Treuirenſis Epiſcopi ſanctitate & doctrina ad eum accedens, illi ſe moreſque informandos tradidit. Quo Magiſtro ita profecit vt non multo poſt ſapientiæ Eccleſiaſticæ diuinæque religionis præſtans inſtitutis in Clerum cooptatus, gradatim per virtutes ad ſacros honores perrexerit. Vnde & eum

[illegible] presbyterio vigentem, Agritius Angeli admonitu sibi successorem designauit. Illo igitur ad præmium abeunte Maximinus cunctorum ordinum, totiusque plebis annisu, a vicinis Episcopis consecratus Pontifex, susceptum munus tam sancte administrauit, vt non solum vitiorum elementa eraderet, mores emundaret, virtutes inferret, sed inopia circumuentos suis ipse copiis aleret, eorumque vitam piis subsidiis prorogans, animos cœlo dignos per sanctimoniæ actus præpararet. Insuper fidei apprimè orthodoxæ cultor & vindex, Catholicam sententiam aduersus Arianorum perfidiam acerrimè propugnauit. Inuictissimum Christi athletam Athanasium, technis illorum & persecutione Constantij exulantem, vt sanctus Hieronymus commemorat, honorifice suscepit fouitque officiosissimè. Passus ipse grauia, à prædicto Principe, Arianorum fascinamentis deluso, in tuenda sinceritate pietatis constantem animum iugiter præstitit. Agrippinensis Concilij, vt constat auctor fuit, in quo Euphratem Coloniensem Episcopum maiestatem humanati Verbi deprimentem depellit. Sardicensi Concilio interfuit, in quo & Catholica veritas, & Apostolicæ sedis auctoritas iteratis decretis communita, hæreticaque prauitas rursus condemnata est. Postea Romam cum sancto Martino, Apostolorum limina veneratum, illorúmque præsidia imploratum perrexit: Redeundoque Martinum secum Treuiros adduxit, suo populo vt tanti Pontificis aspectum, duplicatæque benedictionis munera conciliaret. A quo vicissim *Lubentium* spiritualem filium erudiendum accipiens, cum subinde presbyterij gradu honoratum, vico suæ diœcesis regendo præfecit. Demum in extrema ætate, memor patriæ, vt gentilibus suis salutaria subsidia rogaret Pictauos repetens: ibi piis dum insistit officiis, non multo pòst, vita, ætate laboribúsque exhaustus, ad repositæ remunerationis præmia, felicitatisque cœlestis delicias, Christo vocante transmigrauit. Cuius corpus non sine diuini nutus significatione postea, hinc vbi tumulatum fuerat sublatum, in sedis propriæ sinum reuectum est, vbi multis signorum virtutumque charismatum claruit. Ad eius venerationem condita percelebris Ecclesia cœnobitica, sacræ eius nuncupationis insignia accepit. Eodem die in monasterio Lerinensi depositio sancti Caprasij Abbatis & Confessoris, admirandæ sanctitatis & humilitatis viri, ad quem scribens sanctus Gregorius, virtutes eius non fictis sed veris, extulit præconiis. Remis ipso die repositio corporis sanctæ MACRÆ Virginis & Martyris, cuius

Dd

corpus è loco agonis vbi sepultum fuerat, intra Ecclesiam [illegible] sancti Martini, diuina reuelatione, vt honorificentius quiesceret, illatum est. Vnde diu postea iterum leuatum, a Dan[illegible] viro venerabili, regnante Carolo Magno, ad Ecclesiam [illegible] ille in eius cultum miro decore construxerat euectum, [illegible] crario repositum fuit condigna cum veneratione. Itemque [illegible]

REMIGIVS. mis, translatio tertia sancti REMIGII Episcopi Francorum A-postoli. Quando Hincmarus Archiepiscopus, crypta [illegible] operis ad pedes beati ipsius Confessoris constructa, [illegible] eius sacratissimum corpus de situ priori sublatum, ad[illegible] suæ diœcesis Episcopis transuexit: texitque eius tumulum egregio opere auro gemmísque distincto, patenti edita [illegible] stra è qua beatissimi opitulatoris feretrum videtur, atque ad patrocinia elicienda religiosè contingeretur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Tertio Kalend. Iunij. Luna

30 C XXI[illegible]

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2			

SS. VRBITIVS. MAGDVNI in Aurelianensis præsulatus finibus depositio sancti VRBITII Abbatis eiusdem loci & Confessoris, qui sancti Liphardi discipulus, eiusque mirabilium inspector, ac sanctissimæ conuersationis imitator, benedictione illius suscepta, spiritum quoque eiusdem recepit: factúsque vt vir [illegible] obiens disposuerat ipsius successor, magnificis virtutum [illegible] bus, eundem post religiosissimæ administrationis excursum, ad supernam patriam secutus est. In Ambianensi Centulæ monasterio repositio sancti MADELGISILI Monachi & Confessoris

MADELGISILVS. discipuli sancti Fursæi, qui cum [illegible] Hibernia, alta virtutum [illegible] pia, cum eodem in Galliam venit, eximiæ vbique spargens & piæ imitationis & [illegible] conuersationis odorem. Cui ad [illegible] vsque transitum adhæsit, famem, sitim, vigilias, & [illegible] multos in delicijs habens. Tum eo in cœlum recepto, [illegible] Centulæ accerrimam se [illegible], cum fama erat religiosæ disciplinæ celebris, vbi in fratrum cœtum admissus, [illegible] ra omnium virtutum edidit specimina. At subinde [illegible] tæsus concursus frequentioris eorum qui ad petendam [illegible]

[illegible] miraculis coruſcantis præſidia confluebant, de Abbatis licentia in agellum à ſtrepitu remotiorem ſeceſſit ab Angelo demonſtratum, vbi ſe ieiuniis ſtrictioribus & oratione prolixiori exercens, diuinæ dum contemplationi cum ſumma animi ſuauitate vacaret, ab inuido dæmone impetitus, ſingulare certamen cum eo iniit, armiſque ſpiritualibus cum illo congreſſus trophæa victoriæ retulit de eo multiplicia. Hinc aqua ſibi deficiente, vt alter Samſon ad preces confugit, exoratóque Domino vt ſibi aquæ ſubſidium non negaret, ceſpiti ligno crucis appoſito, ſtatim vena aquæ limpidiſſimæ ſe aperiens, clariſſimum fontem effudit, ex quo non ſolum refocillatus eſt Chriſti miles, ſed & huius fontis alueus per amœnam planitiem excurrens, & porum bibentibus iucundum, & medelam etiam ægris ſuo hauſtu impendit. Cæterùm ſanctus vir in ipſa ſolitudine aliquot annos exegit verè mundo mortuus, cœlo viuens: demúmque ieiuniis & laboribus confectus feliciter in Domino obdormiuit. Cuius merita poſt mortem magnis miraculorum ſplendoribus diuinitus clarificata ſunt: pignora verò beata, in ædicula prope tuguriolum ſepulta, cum hæc piorum clientum multitudinem non caperet, ad Centulæ templum cœnobiticum, Ingelardus Abbas digno honore transferens repoſuit, coruſcantibus ea in actione rurſus diuinæ gloriæ indiciis. Eodem die ſancti VENANTII Monachi Lerinenſis fratris ſancti Honorati aſceterij illius famoſi fundatoris, ac Arelatenſis Archiepiſcopi: cuius egregius imitator ac ſtrenuus adiutor ſacri propoſiti, cùm Chriſti amore Græciam patriam opéſque deſeruiſſet, in Methona Achaiæ, morte præmatura conſummatus, ſub ſancti Capraſij quem ducem piæ inſtitutionis ſequebatur & ipſius Honorati fratris amantiſſimi præſidio & conſpectu, ſupernam migrauit ad requiem. Cui Angeli cum melodia occurrerunt. Reliquiæ eius poſtea Lerinum allatæ, in ſanctæ Crucis ſacello reconditæ ſunt congrua honorificatione. Ipſo die apud Pontæſiam in Pariſiorum & Normanorum confiniis, depoſitio ſancti GVALTERI Abbatis & Confeſſoris. Hic patria Ambianenſis ex territorij Vimacenſis pago qui dicitur Anda: pueriles annos, in pietatis Chriſtianæ & bonarum artium diſciplinis exegit. Ineunte dehinc ætate literarum quoſque gloria præſtantes viros adiit audiuítque: quorum commercio ipſe ad inſignem eruditionem prouectus, ludum literarium aperuit, ex quo famam copiaſque ſibi iam non exiles parabat, cum Dei amore tactus ſpretis ſæculi quiſquiliis, animum ad cœleſtia perenniaque erexit. Reſbacenſe

VENANTIVS. GVALTERVS.

igitur cœnobium in agro Meldensi petiit, vbi ex voto post tirocinium, in cœtum ascetarum cooptatus, regularis disciplinæ obseruantia, studio diuini cultus, virtutumque omnium, maximè autem charitatis actibus, cæteros prætergressus est. Cuius virtutum reginæ præcipuus cultor, mira eius ardore egit misericordiæ tota in vita facinora. Nam vinctum Abbatis iussu pauperculum hominem, pane sibi ad refectionem dato in carcere aluit, viribúsque fractum videns humeris sustulit, & liberum dimisit. Cuius in pietatis præmium ab Abbate irato flagellis cædi iussus est. Aliquando cucullam & tunicam nudis tegendis impertiit: libros etiam dedit, ad pabulum egenorum, pignori obligandos. Deus lucernam latere hanc ardentem diu non permisit. Gualterus enim ab aliquot Monachis qui non longè à Pontæsia stationem fixerant, in pastorem superno afflatu expetitus est. Qui vix adductus precibus vt delatum honorem susciperet, accepta benedictione Episcopali cùm a Phipo Rege (quem paulò post liberè ob scelera redarguit) inuestituram temporalium reciperet, Réxque baculum prope recuruam partem tenens contraderet: Abbas curuitatem baculi arripiens manum suam regiæ superposuit, hæc effatus. *Non desubter manum tuam, sed desuper: non enim regimen Ecclesiæ a te recipio, sed à Deo.* Promotus ad hunc gradum onus sibi non honorem attendendum statuit; blandum se ac mansuetum bonis, at contumacibus formidabilem se exhibuit. Aduersis non cessit, prosperis non intumuit. Sed vir timoratæ conscientiæ, curam animarum rigido Dei examini referendam perpendens: cùm onus tantum reformidaret, clam in cœnobium Cluniacense se recepit, vt in infimorum fratrum sorte vitæ quod supererat humiliter transigeret. At quæsitus a desolatis monachis, hincque abductus: paulo post rursus se subduxit, inque crypta non multum semota à monasterio, Angelicæ vitæ actiones imitatus: cum nimiam hominum frequentiam non ferret, Turones migrauit, inque ciuitati vicina reclusus degit Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani ædicula. At rursus splendore qui virtutem eius vbique comitabatur proditus, agnitúsque a fratribus, rursum suum ad cœnobiũ reductus est. Curam religionis [illegible] maiorem quàm antea Dei seruus iniit, pristinoq. decori illam restituit. Postea Romam voti causa pergens, Gregorium Papam supplex orauit, vt onere pastorali prorsus eximeretur. Cuius perspecta sanctitate Pontifex, etsi vota nõ admisit, merita plurimum [illegible] ueritus, cũ benedictione ipsũ ad opus [illegible] remisit. Labe Simoniæ Gallia laborabat, obscurique Ec-

[illegible] inquinabant Sacerdotum mores. Quamobrem Gregorius nuper edixerat ne qui concubinarij Sacerdotis Missam audiret. Quidam Episcopi coacto Parisiis Concilio hoc decretum rescindere voluerunt Eorum factioni sanctus Gualterus [illegible] obstitit, partesque summi Pontificis Dei zelo propugnauit. Illi indignati regni hostem iudicarunt, atque in vincula coniecerunt: quod ludibrium cum gaudio vir Dei perpessus, paulò post solutus a custodia rediit ad cœnobium, vbi solito austeriorem vitam exorsus, eleemosynis, ieiuniis, miraque quin & stupenda carnis maceratione, ac spiritus feruore prorsus seraphico, diuinæ maiestatis obtutibus sese paratiorem præstitit. Cumque districtiori obseruantia quam aliàs Quadragesimam ferè exegisset: in Dominica palmarum fratribus conuocatis monita salutis dedit, & supremum conuiuium cum eis fecit. Postera die Missam celebrans in febrim incidit. Vrgente morbo die sequenti petiit oleo sancto inungi: factaque exomologesi conuocatos fratres ad concordiam, obedientiam & perseuerantiam cohortatus est, posteáque stolam collo suo imponi iussit, & dextra baculum pastoralem tenens eos absoluit, ac Deo commendauit. Feria quinta crastinum prædixit obitum. Factóque mane petita receptáque cum magno sensu pietatis diuina Eucharistia: diem qua Christus omnium salutem moriens operatus est, in deuotis suspiriis, iaculatoriis precibus ac redemptoris continua adoratione & collaudatione produxit vsque ad vesperam; noctéque adueniente in Christi pace consopitus, æternam migrauit ad gloriam. Corpus nudatum cum ablueretur cigneo candore, miróque fulgore resplenduit. Ad quod in S. Martini quod inchoauerat vir Dei oratorio tumulatum, multa miracula meritis ipsius edita sunt. quibus plerique supplices multarum oppressionum solatia consecuti recensentur. Abiit quidem ad præmium carne solutus 6. Idus Aprilis. sed quòd illa dies sæpè in funera Saluatoris incidat: transitus beati viri in hanc vsque diem colendus protelatur. Eadem die eleuatio sancti HVBERTI celeberrimi Episcopi Tungrensis & Confessoris. Item ipso die in agro Cameracensi eleuatio Sanctorum RADVLPHI & NICOLAI Abbatum cœnobij Valcellensis, iussu Concilij Lateranensis sub Alexandro III. celebrati solemniter peracta. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Hubertus.

Radulphus & Nicolaus.

Pridie Kalend. Junij. Luna

31 D xxviii

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ	
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	•
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P				
21	22	23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3				

S. PETRONILLA. NATALIS ſanctæ PETRONILLÆ Virginis & Martyris, cuius Romæ hodie coronatæ ſacrum corpus in Gallias delatum, a Ioanna Regina Francorum vxore Philippi cognomento Specioſi, in ſactario virginalis cœnobij ſanctæ Mariæ de Batra prope Theodorici Caſtrum Sueſſionenſis diœceſis, congruo decore collocatum eſt. Corpus quidem thecæ deauratæ incluſum: venerabile verò caput in loculo candidum argenteo auro illito, effigiéque ſanctiſſimæ Chriſti ſponſæ & athletæ decorato. SIMPLICIANVS. Pictauis ſancti SIMPLICIANI Martyris, qui adoleſcentulus à Iuſto patre iniuſto & impio, quod Chriſti fidem coleret gladio obtruncatus, incliti martyrij lauream glorioſè emeruit. Ipſo die Natalis Sanctorum Martyrum CANTII, CANTIANI & CANTIANILLÆ, qui germani fratres Romæ ex Anitia familia nati, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ob Chriſtianam fidem prope Aquileiam variis cruciamentis affecti, cum in aſſeueratione pietatis perſiſterent, Iouique thura adolere negarent vna cum Protopædagogō, ad Aquaſgradatas, capitis damnati, fuſo cruore inſignem martyrij palmam acceperunt. Quorum corpora Zoilus Preſbyter ibidem ſepeliuit. Vnde poſtea traducta in Gallias, a Roberto Rege Francorum pientiſſimo Stampis in baſilica ſanctæ Mariæ religioſo cultu collocata fuit: quæ res iamptidem effecit vt in tota diœceſi & prouincia Senonenſi, natalis eorum dies anniuerſaria fuerit veneratione celebris. In territorio Lemouicenſi Paſſio Sanctorum Martyrum PAVLI Abbatis Caſtalienſis, & ſociorum, qui a Barbaris, Normanis adhuc ethnicis impie trucidati ad cœleſtia regna euolarunt. De quo Paulo viro eximiæ ſanctitatis, id in monimentis legitur, quod omni die tres quinquagenas Pſalmorum dicere conſueuerit: vt Dominus IESVS ipſum ſocioſque & amicos ſuos a triplici igne liberaret incendiis ſcilicet corporalis flammæ, luxuriæ & gehennæ. S. SILVIVS. Toloſæ repoſitio ſancti SILVII Epiſcopi & Confeſſoris, cuius depoſitio facta eſt die 18 Februarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Margin notes: S. Petronilla. — Simplicianus. — Cantius, Cantianus & Cantianilla. — Paulus, & soc. — S. Silvius.

DIVIONE dedicatio secunda basilicæ sancti Stephani Protomartyris facta per Guarimondum Viennensem Archiepiscopum, rogatu Vainerij Præpositi eiusdem sacræ ædis instauratoris. Bituricis festum miraculorum beatæ Mariæ Dolensis, cuius imago impiè percussa, cruorem tanquam de vulnere emisit, & [illegible] lapides respersit. Porro sacrilegus eius violator statim corruens, & terribiliter ej[illegible]s expirauit. Ipso die pio fine quieuit Claræuallis FVLCO ex Decano Abbate primus & omnino egregius sancti Bernardi discipulus. Eodem die in Valle [illegible] ROLANDVS Comes Cenomanensis aliique [illegible] nobilitatis [illegible] equites, subiugatâ Nauarra Cæsar Augustáque ab Sarac[illegible] iugo liberata, cùm victores ad Carolum Magnum redirent cum exercitu in saltibus Pyrenei intercepti, pro Christo aduersus impios pugnantes glorioso agone occubuerunt. Ful Rolandus & socij.



IVNIVS.

Kalendis Iunij. Luna

E XXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3	4			

SS. REVERIANVS, PAVLVS & decem alij.



VGVSTODVNI Æduorum Natalis Sanctorum Martyrum REVERIANI Epiſcopi, PAVLI Presbyteri & aliorum decem, qui pro Christo [illegible] vnicè & ardenter coluerunt, glorificando depugnantes, ſub Aureliano Principe ſuperatis fortiter ſuppliciis inſigni martyrio coronati ſunt. Lemouicis ſancti

CLARVS. CLARI Epiſcopi & Martyris, meritis magis, quam monumentis clari.

HILARIVS. Toloſæ ſancti HILARII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancto Honorato ſuccedens, eiuſdem ciuitatis Eccleſiam adhuc iacentem in cunabulis, paterno amore fouit, [illegible], miríſque virtutum fulgoribus illuſtrauit. Huic pro meritorum gratia diuinitus collatum eſt, vt ſancti Saturnini [illegible] Chriſti teſtis, primíque eius ſedis Antiſtitis, pretioſas reliquias reperiret: ſuper quas extructa orationis ædicula diuinæ gloriæ inſignia enituerunt. Quibus permotus poſtea beatus Siluius [illegible] nij operis baſilicam, ibidem extruxit, vt in ea venerandi tanti Martyris pignora reconderet. Cæterum beatus Pontifex Hilarius ætatem in caſtiſſimo Dei cultu ſanctè pieque conſumpſit: fideliterque diſpenſatione impleta ad Sanctorum gloriam

HILARIVS alter. profectus eſt. Ipſo die ibidem alterius ſancti HILARII Epiſcopi itidem & Confeſſoris, qui Mennæ ſublectus, magna paſtoralis ſollicitudinis inſtantia, gregem creditum direxit: plurimiſque datis ſanctitatis ſuæ ſignificationibus abiit ad Domi-

CLAVDIVS. num. Viennæ Allobrogum ſancti CLAVDII Epiſcopi quoque & Confeſſoris. Hic abeunte ad præmium ſancto Paſchaſio, [illegible] gnus ob claram religionis inſignia, qui eius locum repleret, [illegible] omnibus iudicatus, paribus prudentiæ ac pietatis ſtudiis [illegible]

ſcoporum more, quibus hunc laude dignis officiis exequutus eſt: demúmque vita glorioſè diuinéque exacta, diuque bonorum operum cumulis, emeritæ beatitudinis recepit donatiuum. Ibidem depoſitio ſancti HELLADII Epiſcopi, eiuſdem ſancti Claudij ſymmyſtæ & Confeſſoris glorioſi. Ibidem ſancti VIRIANI Martyris, in pietatis agone coronati. Pictauis ſancti IOVINI Confeſſoris, beati Maxentij eiuſdem municipij Antiſtitis, & ſancti Maximini Treuirenſis Epiſcopi germani, diſcipulíque S. Hilarij: poſt cuius glorioſum tranſitum, ſolitariæ vitæ deditus Angelica puritate vitam tranſegit. Cuius venerabili memoriæ, quam ſanctiſſimæ vitæ meritis comparauit, dicata eſt cœnobitica ſui nominis Eccleſia de Marnis cognominata, vbi hodie colitur proprij tutelaris condigna honorificatione. Aruernis ſancti MEDVLPHI Monachi, magnæ ſanctitatis viri. qui cœleſtium contemplationi inſiſtens in beata confeſſione vitam finiuit. Treuiris depoſitio ſancti SIMEONIS itidem Monachi & Confeſſoris, qui ex montis Sinai cœnobio, vt auras promeritæ laudis declinaret, in Gallias perfugiens, prope hanc Metropolim annuente Popone Archiepiſcopo, in remoto ab hominum concurſu loco ſedem fixit, vbi incluſus die ac nocte orationi vacans, totuſque a Deo pendens, emenſo mortalitatis ſtudio, demum beatam pia morte conſecutus eſt expectationem. Hunc glorioſum aſcetam ob clara ſanctitatis inſignia, colendum honore amicis Regis gloriæ debito, Benedictus Papa IX. Apoſtolica præceptione mandauit. In Lerinenſi monaſterio depoſitio ſancti CAPRASII Monachi & Confeſſoris, qui patria Nicomedienſis ſpectabili ortus genere, a primæuo iuuentutis flore philoſophicis imbutus ſtudiis, veræ poſtea ſapientiæ appetens, ſæculo valedixit, erogatáque ex Euangelicæ legis conſilio in pauperes ſubſtantia, nudus nudum Chriſtum ſecutus eſt. Vtque ſoli Deo liberius vacaret, ſe etiam corpore ab hominum aſpectibus ſubmouit, atque in arida ſolitudine arctiſſimæ vitæ inſtiturum ingreſſus, ad id virtutum culmen religioſa contentione prouectus eſt, vt circumquaque expanſis radiis ſanctitatis, multos ad ſui imitationem per proprium contemptum & Dei amorem inflammaret. In quibus maximè ſanctus Honoratus, qui poſtea laudatiſſime Eccleſiæ Arelatenſi præfuit, & ſanctus Venantius eius frater, egregia æmulatione enituerunt. Quos virtutum magiſter adeo dilexit, vt patriam reperentes in Ciſalpinam Galliam comitatus, apud Lerinenſem inſulam conſtructo religionis domicilio, hanc non modò ſua habitatione illu-

HELLADIVS. VIRIANVS. IOVINVS. MEDVLPHVS. SIMEON. CAPRASIVS.

ſtrauerit, ſed & Sanctorum collecto numeroſo cœtu primus Chriſto conſecrauerit. Tandem cùm conſenuiſſet in diuino famulatu, in animarum lucris, in perfectæ vitæ officiis, vir Dei pietate mitiſſimus, abſtinentia ſingularis, humilitate inſignis, ſpe firmus, charitate incenſus, longanimitate fortis, patientia admirabilis: nihil in hoc ſæculo conſolationis deſiderans, ſed ſolum Chriſtum quærens & cupiens, placido fine conſumptus eſt. accepto enim ope ſancti Michaëlis Archangeli ſibi apparentis felicis diſſolutionis prænuntio, poſt biduum nexibus carnis ſolutus, ad filiorum Dei libertatem beatamque immortalitatem quam diù exſitierat feliciter pertranſiuit. Eodem die Rothomaci translatio reliquiarum ſancti CYPRIANI Martyris. Item Sueſſione eleuatio ſancti GAVDINI Epiſcopi & Martyris, necnon beatorum Pontificum PRINCIPII & LVPI, AGRICOLÆque Presbyteri, Confeſſorum. Item Fontanellæ cœnobio Rotomagenſis diœceſis translatio Sanctorum MAXIMI & VENERANDI Martyrum, VVLFRANNI & EREMBERTI Pontificum, CONDEDIque Presbyteri. In Cameracenſi territorio translatio ſancti GISLENI Epiſcopi & Confeſſoris, necnon ſancti SVLPITII itidem Epiſcopi & Confeſſoris, & ſanctæ Virginis Martyriſque LEOCADIÆ. Gandaui ſuſceptio ſacrorum corporum beatorum Martyrum MARCELLINI Presbyteri, & PETRI exorciſtæ, quæ Eginhardus Abbas Gandenſis tempore Caroli Magni Roma in Gallias aduexit, partimque in Bauonico monaſterio, partim in Haſnonienſi, veneranda repoſuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

[Margin: Cyprianus. Gaudinus. Principius Lupus & Agricola. Maximus & Venerandus Vulfranus, Erembertus & Condedus Gislenus, Sulpitius & Leocadia. Marcellinus & Petrus.]

BRANÆ in Eccleſia Abbatiali ſancti Eu d j, ordinis Præm ten s, Sueſſionenſis Præſulatus, miraculum ſac oſanctæ Hoſtiæ, quæ c fferretur pro I dæorum eo in oppido degentium illuminatione voto AGNETIS Drocarum Comitiſſæ, caſtrique illius dominæ, lorum ardenter cupientis, & deuotæ fidelium multitudinis precibus, exoratus Dominus IESVS, in ipſa immolationis hora viſibiliter crucifixus apparuit. Quo diuinæ charitatis ſpectaculo concuſſi Iudæi, depoſito cæcitatis velamine Chriſtum verum Meſſiam adorando profeſſi ſunt, lauacroque ſalutari abluti ab An io qui tum ad Sueſſionenſi Epiſcopo, fidei d ſiliique gratiæ per ſanctificationis ſterium ſunt effecti. Eodem rtio mortalium exceſſit piæ me PETRVS Ciſtercienſis Monachus a nis ſancti Roberti ordinis Petrus. tiatoris, vir multa doctrina & ſanctimonia. Obiit etiam PETRVS Nodæus ordinis Minimorum Prouincialis qui peruigil ad ſuorum ſalutem zelo Dei exæſtuans pleraque ſcripſit & fecit quæ memoriam eius cum benedictione ad poſteros tranſmiſerunt. Iacet Nigeo i non ſine opinione eximiæ ſanctitatis.

[Margin: Agnes. Petrus. Petrus.]

Quarto Nonas Iunij. Luna

E 25.XXVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	1	30	1	2	3	4	5			

LVGDVNI Segusianorum, quæ Celticæ est Galliæ Metropolis, Natalis Sanctorum quadraginta octo Martyrum, POTHINI Episcopi, ZACHARIÆ Presbyteri, SANCTI Diaconi, necnon EPAGATI, MACARII, ALCIBIADIS, SILVII, PRIMI, VLPII, VITALIS, COMINI, OCTVBERI, PHILVMINIS, GEMINI, MATVRI, ATTALI, ALEXANDRI, PONTICI, ARISTÆI, CORNELII, ZOZIMI, TITI, IVLII, ZOTICI, APOLLONII, GEMINIANI; Insuper IVLIÆ, ALBINÆ, GRATÆ, ROGATÆ, ÆMILIÆ, POTAMIÆ, POMPEIÆ, RHODANÆ, BIBLIDIS, QVARTIÆ, MATERNÆ, HELPIÆ (quæ & AMNÆ) necnon BLANDINÆ, IVLIÆ alterius; AVSONIÆ, ÆMILIÆ, IAMNICÆ; alterius POMPEIÆ, DOMNÆ, IVSTÆ, TROPHIMÆ, ANTONIÆ: qui omnes in persecutione sub Marco Aurelio Vero excitata, propter magnificam nominis Christi eiusque sanctissimæ fidei, testificationem, exquisitis cruciatibus excarnificati, ad sempiternas immortalium gaudiorum delicias, gloria & honore coronati, inclyto triumpho peruenerunt. His cum in odium pietatis prohibita primum fuisset domorum habitatio, vini deinde & aliorum vitæ subsidiorum vsus, post, etiam processus ad publicum. Ad vltimum, astante Tribuno & Primoribus ciuitatis, pro solis acclamationibus furentis populi correpti fideles Christi serui, carceribus inclusi sunt, vsque ad præsentiam Præsidis. Cui aduenienti præsentati, in eos ille tanta crudelitate debachatus est, vt singulas sæuitiæ species, nemo, etiam eloquio disertissimus, possit exprimere. Horum Christi athletarum vertex POTHINVS, cui primo Lugdunensis Episcopatus ministerium fuerat concreditum; vir doctrina & sanctitate clarus (vt qui sub Ioannis Euangelistæ ac Polycarpi Apostolicorum virorum Principis disciplina, spiritum salutis & vitæ præcepta, diuino munere hausisset,) cùm nonagenario maior esset ætate, & corpore vtpote eius æui inualidus, solo iam martyrij amore viueret: audita eorum persecutione, bonus pastor, extremum pro gregis solatio & tutela, statuit subire periculum. Oblato igitur sacri-

SS. Pothinus, Zacharias, Sanctus, Epagatus, Macarius, Alcibiades, Silvius, Primus, Vlpius, Vitalis, Cominus, Octuberus, [illegible], Geminus, Maturus, Attalus, Alexander, [illegible], Cornelius, Zozimus, Titus, Iulius, Zoticus, [illegible], Iulia, [illegible], Æmilia, Potamia, Pompeia, Rhodana, Biblis, Quartia, Materna, Helpia (seu Amna) Blandina, Iulia, Ausonia, Æmilia, Iamnica, Pompeia, Domna, Iusta, Trophima, Antonia, [illegible] &c.

ficio rogauit Dominum vt sibi ineundi [illegible] tanti patriæ litationibus Pontifex deesset [illegible]. Nec mora ipsa in oratione abripitur, ab Ecclesia [illegible] trahitur, imo potiùs defertur, senio & languore [illegible]. Quo viso impiæ plebis clamor intonuit in eum tremendum, [illegible] vnicum Christianorum ducem primúmque numinum [illegible] contemptorem. Interrogatus senex a Iudice, quis Christianorum Deus esset: sciturum eum, cùm factus fuerit dignus, respondit. Hinc in eum rabies circumstantium maior exarsit, ita vt qui prope erant pugnis & calcibus, nihil ætatem reuerentes, venerabilem senem subigerent, alij remotiores, quicquid manus arriperet eminus iaciebant, rati se sibi dedecus graue inurere, nisi iam destinatæ victimæ neci se immiscuissent, ambitioso ferociæ concursu. Hinc satellites semineсem rapientes in carcerem proiecerunt, vbi biduo post squalore & inedia confectus incontaminatum reddidit spiritum. Felix cui in ipso vitæ limine constituto, finem suum [illegible] naturæ exsoluere contigit, quàm gloriæ. Gradu qui proximus Pothino erat ZACHARIAS Presbyter, cùm iam in sanctos plenitudinem charitatis ostendisset, pro defensione ouium animam exponens, securi percussus, sacerdotio dignam addidit coronidem. SANCTVS verò re non minùs quam nomine, Diaconus, præstantissimorum horum mystarum exemplum secutus, [illegible] fidelium animos corroboraret: diris quæstionibus [illegible], nihil aliud in omnibus tormentis respondit, nisi *se esse Christianum hoc mihi*, inquit, *nomen, hoc genus, hoc patria est.* Adhibitæ sunt Christi militi candentes laminæ æris & ferri circa [illegible] loca & delicatiora quæque membra: ex quibus adustæ quidem incendiis carnes defluebant: ipse verò immobilis ac [illegible] tus Martyr persistebat, toto corpore vnum quasi [illegible] vulnus. Periit in eo formæ humanæ agnitio, at Christi [illegible] quot plagis, tot præconiis ex eo personabat. D[illegible] scelerum inuictum agonistam super sellam ferream [illegible] supposito collocarunt: at sic Martyr quasi in curru [illegible] triumphans, ferinam eorum sæuitiam deridebat. [illegible] igitur a Christi fide eum deflectere non valerent, [illegible] gladio interfecerunt: sicque amputatis ceruicibus [illegible] Christo coronatus est. EPAGATVS qui nobilissimus [illegible] ac eruditissimus erat, cum pro seruorum Dei defensione audiri postulasset: velut Christianorum aduocatus, [illegible] ludibriis affectus, [illegible] suppliciis dilaniatus, palmam retulit [illegible] [illegible]. Sed & ATTALVS ortu Pe[illegible]

Za-charias.

Sanctus.

[illegible] Epagatus.

[illegible]

ac ciuis Romanus, insigni trophæo emicuit, qui, epigraphe ista: ATTALVS CHRISTIANVS, fronti sibi affixâ, contumeliosè in theatro circumactus cùm fuisset: inde in carcerem detrusus, aliquanto pòst in candentem cathedram ferream impositus est. demum cæsis ceruicibus lauream accepit immarcessibilem. ALEXANDER medicus, genere Phryx, disciplina, religione, omníque morum probitate cunctis acceptus feruens Dei amore, cùm assisteret tribunali nutibus Christi pugiles, qui torquebantur, ad constantiam adhortans, populi in se concitato clamore, interrogatus à Præside, sese palam Christianum confessus est. Ideóque bestiis traditus, at illæsus diuina seruatus virtute, demum multiplici tortura excruciatus, cùm ne verbum quidem promeret nisi laudis, cruci addictus est, in qua confixus gloriosum spiritum emisit. Ceteri autem qui suprà memorati sunt omnes, inauditas omnium suppliciorum crudelitates, stupentibus etiam ac fatigatis carnificibus, non modò excelso animi robore, sed & summa cum voluptate, pertulerunt. In quibus & BLANDINA, sexui suo decus immortale pepetit: cuius teneritudini cùm omnes metuerent, nihilominus, corporis imbecillitatem admiranda magnanimitate sustentans: hominum & dæmonum in se exortas vires elisit. Huic fœminæ cùm à prima luce ad vesperam tormenta carnifices semper innouarent, ad vltimum nihil reliquum cruciamenti quod ei irrogarent superesse dicentes, tortores sese victos confessi sunt. Alij igitur laniatores fuêre adhibiti, quorum ferocia & immanitate superata: tertio insultu impetita, & hunc euicit. Ideóque ad stipitem triduo pòst religata, atque in crucis modum (in qua ardenter orans cæteros asseclas ad Christi excitabat laudes) distensa, bestiis, quia iam homines nihil poterant, in pabulam obiecta fuit. Quam cùm ferarum nulla ausa esset contingere: quartò deniq. belluina sopita feritate, at non adhuc exsatiata humana rabie, Athleta Christi iteratis verberibus dilaniata, craticulis exusta, & multa alia perpessa, tortores cùm semper vinceret, ad extremum gladio iugulata est; eóque fine suum peregit triumphum. Hoc mirabili conflictu ea comparata laude, quod Martyrum illorum mater omnium nuncupari promeruerit, quorum, mirificis adeo exemplis, nonnullos ne deficerent erexit: adhortatúque virili, ad obeundum alacriter pro Christo Redemptore agonem, omnes impellens prouexit: sicque quasi in tormentis pariens feliciter cœlo illos enixa est. Post eam certè (vtpote simile inuictæ infirmitatis portentum) plurimùm commendant sacræ tabulæ, PONTICI quindecim annorum pueri, quem ipsa

Attalvs. Alexander. Blandina. Ponticvs.

Ee

Blandina viſcerali amore corroborauit, in agone nunquam ſatis prædicandam conſtantiam. Qui cùm quotidie produceretur ad atrox ſpectaculum ea vt diritate percelleretur, perſtitit immotus, & ſollicitantes ad defectionem ethnicos conſtanter execratus, magnum in ſe vulgi furorem concitauit. Itaque omnibus tormẽtis obiectatus, & per quoduis ſupplicij genus agitatus, poſt inauditos varióſq. cruciatus egregiè imperatos, omniũ penultimus glorioſi agminis agoniſta, ætate quidem minor, quamquam meritis primorib. haud impar, forſitánq. maior, mirabilis certaminis honore, ſpiritũm Deo reddidit. Ceterùm horum inuictiſſimorum Chriſti pugilum lucta quamquam omnium die hoc inchoata ſit, quo & ſimul faſtis Eccleſiaſticis conſecrata micat, aliquorum tamen producta in alios dies concertatio, victoriæ ſpecialis habet ipſis quibus contigit dieb. conſignata trophæa: vt codex iſte ſacrorum Natalium, propriis indiciis liquidò oſtendit. Sicuti tametſi Lugduni tot Sanctorum (quia hîc exorta tempeſtas, quæ hos Galliæ ſpecioſos flores ferali turbine decoxit) in tabulis ſacris aſcribatur commiſſa pugna, tamen nec omnes Lugduni nati, nec coronati cenſendi ſunt. Cùm ex conſcripta à Viennenſibus & Lugdunenſibus Chriſtianis, madente adhuc inclytæ huius cohortis cruore, ad Aſiæ Eccleſias epiſtola liquidum ſit: communem hanc fuiſſe vtrique ciuitati quæ ſitu fere cohærent & preſſuram & gloriam. Siquidem & monimenta Viennenſis Eccleſiæ, Sanctum, qui ordine tertius hoc in indice enumeratur: huius fuiſſe ſedis Diaconum teſtantur; multóſq. ex his quos recenſuimus, alumnos quoque ipſius Eccleſiæ faciunt. Præterea vt in Lugdunenſis vrbis ergaſtulis, conſtrictos vinculis, & obrutos tormentis plurimos huius turmæ palæſtritas occubuiſſe literæ præcitatæ commemorant, nempe Ariſtæum, Cornelium, Zozimum, Titum, Iulium, Zoticum, Apollonium, Geminianum: necnon Iuliam, Auſoniam, Æmiliam, Iamnicam, Pompeiam, Damnam, Iuſtam, Trophimam, Antoniam: Ita & cæteros (excepto Pothino omnium coryphæo, quem in carcere ſpiritum quoque exhalaſſe inſinuauimus) non in ipſa vrbe Lugdunenſi, ſed in adiacenti vico Athenaco, (vnde & Athenacenſes Martyres, hos vocauit antiquitas) extremum obiiſſe certamen ad Rhodanum, exploratum eſt. In cuius amnis fluenta, proiectas fuiſſe quæ ab incendio ſuperfuerant legimus iſtorum omnium Chriſti teſtium reliquias. Quæ diuina virtute conglobatæ, in ipſis rapidi Rhodani vorticibus, ab ipſis iam beatis Martyribus, Chriſtianis reuelatæ ſunt, ab híſque pretioſæ vt gemmæ collectæ; atque condigno cultu in eo loco conditæ,

vbi subinde pace parta Ecclesiæ, Sanctorum Apostolorum basilica extructa fuit: in qua celeberrimis virtutibus, crebrísque opitulationibus se sancti Martyres apud Deum æterna frui gloria declararunt. Quorum iam ab ipsis ferè gloriosis agonibus fideles coronas venerantes, natalitia celebrasse magna religione, testantur prisci Sanctorum encomiastæ: qui addunt, aspirante Ecclesiæ Christi paulò pòst benigniore aura: ciues ipsos Lugdunenses Christo iam deditos, horum Martyrum festiuitatem triumphali more percoluisse lætanter per descensum fluminis procedentes, cum hymnis & canticis sanctorum trophæis gratulantes, votiua sacrificia altissimo Deo pro eorum victoria religiosè reddentes. Quin & hunc eorum natalitium diem, ex antiqua traditione *festum miraculorum* appellasse: eo quod ex hinc magna cordium mutatio ab Excelsi dextra, Sanctorum ipsorum interuentione, facta sit, qui moriendo vincentes, fuso cruore, vrbis tunc sibi infestæ, iam nunc deuotæ conuersionem impetrârunt, suóque agone Christi cultui perenniter fidelem consecrarunt. In quorum triumphalis quoque occubitus memoriam, Viennensis Ecclesia pias Deo grates auito ex more, (iuréque ipso maternitatis & debito mutuæ oppignerationis) quotannis stata die rependit. Nempe Dominica post solemnitatem Ascensionis: quo die indictâ ex matrice æde ad sanctum Romanum ad ripam Rhodani celebri supplicatione, litanias in honorem horum quadraginta octo Martyrum concinnatas, eximia concinit deuotione: diem ipsum *miraculorum* dictitans, quòd in eo, rem recolat admirandam: scilicet cùm Martyrum ipsorum redacta ossa in cineres atque in Rhodani profluentem proiecta, Dei admirabili opere in massam vnam coaluerunt, supernáque reuelatione indicata, atque à Clero collecta, condecenti honore eum ad locum reposita fuerunt, vbi paulò pòst Apostolorum ædificata est Ecclesia, in cuius principis altaris meditullio hactenus requiescunt. Eodem die Agenni Natalis Sanctorum Martyrum VINCENTII, PRIMI & FELICIANI, quorum egregia pietas & fides, tormentis & sanguine profuso magnificè declarata, mortem eorum & apud Deum pretiosam, & coram hominibus gloriosam eorumdem memoriam reddidit. Ipso die in territorio Laudunensi depositio beati ALGISI Presbyteri & Confessoris, diuinæ gratiæ operibus & testificationibus clari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Vincentius, Primus, & Felicianus.

Algisus.

Deodatus, Maldegarius, Fulbertus, Amsilio & Laubertus.

IN Latiniacensi cœnobio, agri Parisiensis susceptio sanctarum reliquiarum vnius Sanctorum Innocentium, & beatorum Confessorum DEODATI Episcopi, MALDEGARII, FVLBERTI, AMSILIONIS & LAVBERTI. Eodem die Gandaui S. Bauonis monasterio, necnon Hasnonij cœnobio in Hannonia veneratio reliquiarum Sanctorum Martyrum *Marcellini* Presbyteri & *Petri* Exorcistæ Romæ hodie pro Christo sub iudice Sereno decollatorum: quorum ossa Ratileicus amanuensis Enginhardi Caroli Magni Cancellarij è crypta sancti Tiburtij tertio ab vrbe milliari in Galliam attulit: partimque Gandaui, partim Hannonij veneranda recondidit.

Thomas.

Ipso die THOMAS de Argentolio præpositus Ecclesiæ Atrrebarensis, ob assertam iustitiæ & libertatis Ecclesiasticæ causam, in ipso Cathedralis Ecclesiæ gremio impiorum gladiis confossus, palmam piissimi agonis gloriosè recepit.

Tertio Nonas Iunij. Luna

3 G 25.XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6			

SS. GENESIVS.

CLAROMONTE Aruernorum sancti GENESII Episcopi & Confessoris. Hic Senatoria editus stirpe, ab ineunte ætate & literis & pietate inclaruit. Clericalíque addictus militiæ, vitæ exemplaris, vndequaque magna lumina prodidit: carnis strenuus domitor, assiduus diuinitatis cultor, pauperum amator ac subleuator indefessus: nam excipiendis peregrinis, operiẽdis nudis, alendis egenis, ægrísque visitandis, iam tunc intentam impendit operam. Hinc obeunte diem Progolo Præsule Aruernensi, consonis omnium votis, in eius locum electus Antistes: quamquam Episcoporũ etiam vicinorũ iudicio dignissimus hoc honore decerneretur, suæ designationi vir humilitatis & modestiæ singularis, tota qua potuit instantia repugnauit, Præsules, Clerum & plebem obnixè deprecatus, vt se remoto, qui tanto subeundo oneri impar suo iudicio esset, alium huic ferẽdo magis idoneum sublegere non grauarentur. Indicto Episcoporũ auctoritate triduano ieiunio, à Deo supplicatum est, vt declarare dignaretur, an facta Genesij electio sibi grata esset: vel legitima ea, qua ille designationem suã irritare satagebat, excusatio. Expleto pietatis officio, reuelatum est patenti indicio, Genesij delectum, maximè Domino complacere. Igitur mox consecratus, ad pontificatum per Præsules euectus est. in quo ea se doctrina, virtute, integritate ac pietate gessit, vt Apostolici viri, diuiníque Pontificis, ac pastoris optimi mores vndequaque exhibuerit. Atque à fidei tutela & vindiciis exorsus, hæreses Iouiniani, necnon & Nouatiani, quæ antecedentium Præsulum incuria, in regionem

…pſitant, vrbemque magna ex parte fœdabant, non modò repreſſit, ſed quà verbo, quà opera prorſus extinxit. Hinc ad mores conuerſus, vitiorum infauſta euulſit germina, virtutum ſemina quæ in ſe primus alebat indefeſſo labore in ſubditorum cordibus plantauit, rigauit. Inde etiam decoris domus Dei ſollicitus, ſacris locis eximia indidit ornamenta. Monaſterium Magniloci condidit. Xenodochium conſtruxit. Ædificauit inſuper ſancti Symphoriani Eccleſiam, in qua demum Epiſcopatu diutiſſimè & ſanctiſſime perfunctus, abiens ad gloriam, religioſo funere ſepultus eſt. Quo loco quieſcens iis beatitudinis emicuit inſignibus, vt ipſam baſilicam cuius auctor fuerat, prima nuncupatione mutatâ: demum reddiderit ſui nomini titulo ac patrocinio conſpicuam. In territorio Aurelianenſi Magdunenſi oppidulo, depoſitio S. LIEPHARDI Abbatis & Confeſſoris, qui Aureliis claris ortus natalibus, poſt ingenuæ educationis expleta curricula, cùm & prudentia & legum cognitione præſtaret, Iudex ſine ambitu creatus eſt. Quo in munere ea æquitate, ſapientia & charitate ſe habuit, vt Iudices auerſari munera, tueri pupillum & viduam, æquam omnibus librare trutinam, iudiciorum Domini timere diſtrictionem, ſuo exemplo docuerit. Cùm verò annum iam quadrageſimum ageret, pertæſus iurgiorum & vitæ pacatioris appetens, Epiſcopum adiit, ſupplexque ab eo petiit clericali catalogo adſcribi. Clericus ab eo factus, quin & Leuita ordinatus, cœpit non clericum ſed monachum profiteri. Aſſumpto igitur *Vrbitio* in ſolitium ſolitudinis, in prærupta rupe ſaltuoſaque, cellulam ſibi ex viminibus contexuit, vt ibi ab hominum turbis longè ſemotus, Deo liberius accederet. Hinc in eximia animi puritate, rerúmque cœleſtium contemplatione Chriſto obſecutus, aduerſus inimicas poteſtates implacabili bello dimicabat: quas mira cibi potúſque parcimonia, (vix enim amplius, quam vnam vnciam panis hordeacei, quem ſuis ipſe pinſebat manibus, ſingulis diebus conſueuerat ſumere: nullo vnquam potu niſi aquæ vſus, qua tertio duntaxat die eaque parciſſimè ſitim extinguebat) veſtiſque magna aſperitate, ſacco ſcilicet & cilicio tectus; orationumque aſſiduitate, perfecto denique ſui holocauſto ſic ſtrenuè profligabat, vt in dies noua de iis trophæa, egregius agoniſta compararet. His cùm polleret meritis, Dominus ſerui ſui ſanctitatem miraculis præclaris honorauit. Nam vir beatus immanem ſerpentem, qui terrore incolas ſubiacentis pagi percellebat, fontémque eius tuguriolo proximum, inficiebat, oratione ſua interemit: miſſo Vrbitio, a quo obiectâ

ſerpenti quam tradidit virga, bellua mox vt [illegible] illi-co crepuit: dæmonéſque qui hoc terriculamento, [illegible] Chriſti ſeruum nitebantur, vociferantes auditi ſunt, ſed [illegible] expulſos, Liephardi apud Deum potenti deprecatione. [illegible] etiam nobili puellæ manus aridas & genua debilia inclamati [illegible] adhibito olei benedicti linimento, valetudinem vir ſanctus re-ſtituit. Animam etiam beati *Theodemiri* Abbatis, dum ora-ret (eleuata diuinitus puræ mentis acie) ſupernè inter An-gelorum agmina efferri conſpexit. Tot dum coruſcat virtuti-bus, *Marcus* Aurelianus Antiſtes, earum fama commotus Liephardum inuiſit, digniorémque altiori gradu, preſbyterio decorauit; templúmque extruxit prope eiuſdem cellulam, vt immaculata ſacrificia, inibi immaculatus Dei ſacerdos fre-quentius immolaret. Túncque nonnulli ſæculo abnegato diſ-ciplinæ eius colla ſubiecerunt, quos charitatis viſceribus ſuſci-piens, puriſſimis inſtitutionibus ac exemplis informauit. Ad extremum de ſuo felici tranſitu præmonitus, vir Dei, [illegible] ſuis ſanctiſſimæ obſeruationis commendata regula, Vrbitio [illegible] quem piæ vitæ inſpectorem ac imitatorem ab initio ſe[illegible] habuerat, iis deſignato præceptore, inter fratrum ſuſpiria [illegible] ceſque, deſerta mortalitatis ſtatione, ad vitæ immortalis pa-triam, ſpiritum beatum tranſmiſit. Marcus Antiſtes, audito viri Dei exceſſu, protinus ad locum acceſſit, peractiſque reli-giose exequiis, corpus eius honeſtæ tradidit ſepulturæ, eadem in æde quam in eius vſus conſecrauerat: vbi conſtituto vt ille deſignauerat moriens, Vrbitio Abbate (a quo ſtructura illa am-pliata fuit) & ſtatio monaſtica inſignis diu perſtitit: & beatus Confeſſor repoſitus, multis refulſit glorificationis ſuæ indiciis.

CLOTILDIS. Lutetiæ Pariſiorum ſanctæ CLOTILDIS Reginæ, quæ Chil-perici, fratris Gundebaldi Burgundiæ Regis, filia [illegible] diuinæ diſ-poſitionis arcanis nupta Clodouæo Francorum Regi adhuc ethnico, ſuis precibus & hortationibus, ipſi vniuerſæque genti auctrix fuit, vt Chriſtiana ſacra, abiecta idololatria, ſuſciperet. Galliaſque quas ſuo ſubegit imperio, hac optata conuerſione lætificans, & Chriſtianiſſimi potentiſſimique regni (quod [illegible] ni affectu fidem Chriſti [illegible] & tuetur) conſtitutione, & religio-nis ſuſceptæ felici propagatione, præclariſque pietatis monu-mentis, illuſtraret. Quo viro Clotildis vidua [illegible] reliquum [illegible] tempus Turonis ad ſepulchrum S. Martini ſanctiſſime per-[illegible]. Vnde poſt beatum exceſſum Pariſiis [illegible] [illegible] in baſilica ſancti Petri (poſtea ſanctæ Genouefæ dictæ) ad [illegible] Regis ſepulta eſt. At coruſcan[illegible] ad [illegible]

[illegible] subinde miraculis, pignora eius sacrosancta [illegible] eleuata, in hierotheca honorificè reposita fuerunt: quæ quoties vrbs regia aliquo discrimine pulsatur, ex auito more, publicis in supplicationibus pro apparatu [illegible] runtur. Andeliaci etiam ad Sequanam in territorio Rotomagensi, in insigni collegiata Ecclesia sanctissimæ Dei genitricis quam fundauit, claret anniuersariis sacris gloriosa eius memoria: vbi id insigne miraculum ad meritorum eius commendationem antiqua ex traditione prædicatur; quod vinum ex fluentis Sequanæ, templi illius structoribus, fusa deuota ad Christum supplicatione propinarit, cùm exhaustis prium in opus thesauris, iam illis stipendia, de more non suppeditaret. Nec modò in Gallia tantæ est cœlestis heroinæ recordatio celebris, sed in vniuersa Christi Ecclesia, quæ digna honorificatione merita eius prosecuta, inter Sanctos illam adscribens, hac die quoque, natalis eius anniuersariam colit, sacris in [illegible] diptychis commemorationem. Protulit autem sancta Clotildis, inter regias ceteras proles ex se filiam, perpetua virginitate insignem, monasteriique puellaris apud Senones fundatricem, THEVDECHILDEM nomine; quæ ob vitæ integritatem ac pietatis constantiam apud posteros, piorum omnium consensu sacros itidem honores consecuta est. De hac in monimentis proditur, quod in Apostolorum principem impensè deuota, præsignatum cœnobium in prospectu ciuitatis Senonensis, sub illius honore construxerit, multis ædificiis illud [illegible] plians, & prædiis locupletans. Ad cuius dedicationem cùm eius rogatu sanctus Eraclius tunc Præsul Senonensis profectus esset, vicinarúmque vrbium Præsules ex condicto adessent, in Ecclesia pernoctantes, Angelicas dulcissimè concrepantes audierunt voces. Facto autem mane dum respicerent altare, viderunt in quatuor angulis & in medio marmoris, signacula crucis decenter impressa, atque sacro oleo delibuta. Qua de re stupentes non ausi sunt vlterius lustrationis mysteria celebrare, cùm locum cernerent diuinitus consecratum. Denique præfata virgo in [illegible]o monasterio pie & pudicè viuens, vsque ad annum octogesimum peruenit, moriénsque ad leuam [illegible] altaris cum elogio perfectæ pietatis sepulta est. Ipso die Cluniaci, depositio sancti MORANDI, discipuli sancti Hugonis præfati loci Ætheriarchæ: qui virtutum non [illegible], sed & operibus intentus, ex Germania Cluniacum ob [illegible] religionis famam, ad beatum ipsum Hu[illegible] co[illegible]

Ec[illegible]

tulit, eius orationum suffragia petiturus: cuius salutaribus colloquiis, fratrumque religione inspecta, sic est liquefactus, vt se futurum monachum promitteret, si peregrinatione, quam in Hispaniam adornabat, peracta, Dominus sibi concederet, pacifice redire. Beati igitur Apostoli Iacobi pignore ex voto religiosè adorato, sospes ad Cluniacum reuersus, monachum ibi professus est: sanctóque Hugoni adhærens, tantum statim religionis apicem ascendit: vt quos admiratus, imitatum venerat, his & admirandus & imitatione obseruandus, præluceret. Hinc quia multas etiam Deus per eum virtutes operabatur, quasi certatim a piis instituti Cluniacensis prouectoribus expetitus, cùm in Aruerniam, tum in Germaniæ partes transmissus a sancto Hugone, egregias seuit plantationes religiosæ institutionis: innumerósque filios spirituales progenuit: quos & præstitit sanctitatis suæ strenuos æmulatores. Porro miraculis adeo inclaruit, vt incendium efformato crucis signaculo non semel represserit: paralyticum attactu suo sanauerit, febres extinxerit, precibus energumenos liberauerit, profligarit imperio dæmones, pro nutu etiam, diuinæ iræ flagella vel inflixerit vel amouerit: solatia denique miseris qui opem suam implorabant, impertitus sit exoptata. Cæterùm his gloriosis actibus, pro meritis à Deo magnificatus, Basileæ, vbi sedem extremò fixerat, in cœnobio beati Christophori Martyris, cursu vitæ transitoriæ sanctissimè consummato, ad æterna gaudia diuina euocatione euolauit. Ea iam ab obitu certa beatitudinis existimatione illustris, vt corpore eius in media basilica tumulato, imago eius statim prope sepulchrum suum collocaretur: ad quam duo cæci deuotè accedentes lumina receperunt, claudi tres sanati sunt, multáque alia opitulationum beneficia poscentibus fuere diuinitus impertita. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

REMIS Dedicatio Ecclesiæ sanctæ Mariæ in I...ta apud sanctum Christophorum.

Pridie Nonas Junij. Luna

4 D XIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7			

NOVIODVNI Heduorum (hoc eſt Niuernis) natalis Sanctorum Martyrum ZOTICI, ATTALÆ, EVTICHII & aliorum multorum, qui fidei Chriſtianæ accuſati, non titubanter, ſed liberè conſtantérque ſacratiſſimam religionem profeſſi, óbque hanc confeſſionem acerbiſſimè cruciati, præclaro certamine ad æterna præmia peruenerunt. SS. Zoticvs, Attalas, Evtichivs & ſocij. In territorio Attrebatenſi ſub antiqua Remorum Metropoli natalis ſanctæ SATVRNINÆ Virginis & Martyris, quæ pro virginitate ſua quam Deo vouit, à proteruo proco decollata, manibus caput ad villam ſancti Remigij deportauit, vbi fideles poſtmodum ad ipſius Martyris honorem, puellare monaſterium conſtruxerunt. Satvrnina. In cœnobio Cluniacenſi depoſitio ſancti PETRI de Bono Preſbyteri & Confeſſoris, qui primùm mercator Brugenſis, poſt vxoris quam honeſtam piámque habuerat deceſſum, abiecto ſæculo cum opibus, ſeſe diuinæ ſeruituti totum addixit: delatóque ſibi ob præclaræ deuotionis ac religioſæ ſolerriæ merita preſbyterij honore: cùm tantam in infirmitatem paulò pòſt incidiſſet, vt quaſi mortuus in Eccleſiam efferretur, diuino beneficio ad repentinam ſanitatem reuocatus, Cluniacum celeberrimum pietatis domicilium adiit, factúſque Monachus ſanctiſſimæ vitæ inibi mirificos edidit progreſſus. Petrvs. Cuius pietatis hoc illuſtre legitur monimentum, quod vltra canonicæ ſeruitutis penſum, totum ex integro Pſalterium diebus ſingulis recitabat, inſuper & officium Spiritus ſancti, cuius inſuper Miſſam qualibet feria tertia celebrabat perdeuotè. Vnde ipſo die ſacratiſſimo Pentecoſtes, ea hora qua chorus ex ſancti Hugonis inſtitutione cantabat: *Veni Creator Spiritus:* ad paradiſi amœna, ipſius paracliti Spiritus gratia deductus eſt. Belnæ in Vaſtino tranſlatio ſancti Pipionis Leuitæ: cuius ſacrum corpus Ludouicus Senonenſis Archianriſtes ob miraculorum quibus renidebat ſplendorem, exhumatum, in capſulam inuexit, exhibuítque fidelibus perpetua reuerentia percolendum. In Britannia ſancti PETROCI Confeſſoris & Anachoretæ: qui natione Cimber, regio progenitus ſanguine, Chriſti amore præ- Patrocvs.

cipatum ſuæ gentis aſpernatus, variáque in loca deuotionis ergò peregrinatus, poſt multa vbique patrata miracula, inter quæ è ſilice fontem refertur excitaſſe, in occiduam tranſiens Britanniam Eremiticam vitam coluit. Dehinc nitidæ vitæ aggregatis alumnis, quos in Dei lege & famulatu tam factis docuit quàm exemplis, meritis repletus profectus eſt ad Dominum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Margareta. EODEM die exiit feliciter è corpore beata MARGARETA Abbatiſſa Vallis-Ducis; filia Henrici II. Ducis Brabantiæ. Quæ præclaris animi & corporis dotibus ornata, cùm à præcipuis Belgij Dynaſtis in coniugem expeteretur, vt expeditius virtutum Dominum coleret, calcatis ſæculi illecebris, ſe apud ipſum Vallis-Ducis cœnobium quod Pater ſuus condiderat reclusit, vbi ſacro velamine amicta, vitam adeo ſanctam & Deo gratam exegit, vt etiam miraculis inſignis, ex hac luce ad æternam migrauerit beatitudinem. Cuius & hodie ibidem felix tranſitus anniuerſaria feſtiuitate colitur.

Nonis Iunij. Luna

5 B XXII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	1	2	3	4	3	4	5	6	7	8			

SS. BONIFACIVS. OSTRACHÆ in Friſia ſancti BONIFACII Moguntini Epiſcopi & Martyris, Hic in Anglia natus, Bedæ diſcipulus, omnibus diſciplinis & ſacrarum in primis literarum ſcientia eruditus, caſtiſſimis moribus vitæque innocentia vſq. adeo præluxit, vt cùm Vvinifridus vocaretur, à perpetuo benè agendi ſtudio, Bonifacij nomen & gloriam conſecutus ſit. Sacris iam ordinibus initiatus, anno ætatis trigeſimo, propagandi Euangelij zelo flagrans venit in Friſiam ad Carolum Martellum, ſub quo, Ratbodus ethnicus, efferæ adhuc gentis regimen obtinebat. Hunc Chriſto lucrifacere pio at caſſo enixu cùm tentaſſet, profectus ad Origendum Danorum Principem, nihil quidem etiam apud illum profecit: ſed iuuentus diuini verbi ſemina amplexa eſt, ex qua triginta ſecum, quaſi ſacras gentis huius primitias ad Carolum in Franciam adduxit. Hinc progreſſus Romam benignéque à Gregorio II. Pontifice exceptus; peruagatâ ſanctitatis & eruditionis famâ, Legatus ab eodem Papa in Germaniam miſſus eſt; vt illius regionis homines, magna ex parte adhuc ſuperſtitionibus ethnicis occæcatos, ad aſpiciendam Euangelij lucem auocaret. Quod munus & præ-

dicatione, & doctrina, & vitæ præclaris exemplis executus, gentes plurimas Christi religioni adiunxit. Ob quæ præcelsa sanctimoniæ & Apostolicæ virtutis & doctrinæ facinora, ab Zacharia Pontifice Archiepiscopus Moguntiæ creatus, hæreses magno feruore insectatus est. A quarum sectatoribus dirè quidem exagitatus, nihilominus sic terra eorum molimina superauit, vt fidei & disciplinæ plenas vindicias ederet: celebratis variis Synodis, in quibus & pietatis synceritatem, & primæ sedis dignitatem ac decreta, vigore planè sacerdotali asseruit. Produnt sedis Moguntinæ monimenta, illic diù laudabiliter præfuisse, intereáque Carolum Magnum ea in Ecclesia ab ipsomet beatissimo Præsule sacro fonte expiatum; & patrem eius Pipinum, in Regem Francorum inunctum. Cui, breui se moriturum præsagiens Bonifacius, datis ad Fulradum Abbatem S. Dionysij, prædicti Regis Archi-Capellanum literis supplicibus, discipulos suos, præsertímq. *Lullum*, quem sibi ob nota pietatis insignia designabat, successorem commendauit. Exinde rebus in Germania religiosè constitutis, propagandæ religionis in Frisia magis adhuc ardens studio, illuc progressus est, vbi multis conuersis ad fidem, & aliis rebus sanctè ac fructuosè gestis: nouissimè à furentibus gentilibus gladio peremptus, martyrij palmam pro laborum piorum cumulo, vnà cum EOBANO Episcopo, aliisque viginti Dei seruis feliciter accepit. Eodē die in monasterio Floriacensi susceptio & repositio corporis S. MAVRI Martyris: cuius decora venerabilis Beda proprio elogio complexus est. Vesuntione Sequanorum Metropoli ordinatio S. ANIANI Episcopi & Confessoris, qui corpora Sanctorum Martyrum Ferreoli Presbyteri, & Ferutionis Diaconi, Dei gratia reperit: magnísque editis sanctæ administrationis coruscationibus, inter lumina cœlestis aulæ gloriosè euectus est. Cuius depositioni sacra est quinta dies Septembris, qua & inuenit sacratissima ipsorum Martyrum cadauera: quæ hodie veneranda piis cultoribus promuntur. Eodem die Aruernis transitus S. ILLIDII Episcopi, cuius ordinatio clara est Nonis Iulij: eleuatio colitur 4. Idus Decembris. At præcipua memoriæ celebritas in Illidiano monasterio agitur 19. Kal. Ianuarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

EOBANVS cum viginti sociis.

MAVRVS.

ANIANVS.

ILLIDIVS.

IN Belgio, cœnobio Siluæ-Domini-Isaac, ordinis sancti Augustini: miraculum manantis ex hostia Eucharistica sanguinis, quod contigit feria sexta ante solemnitatem Pentecostes: anno 1405. Item Bruxellæ commemoratio beatissimæ Virginis, instituta ob victoriam V.voringanam, ejus reportatam præsidiis, à Ioanne I. Lotharingæ, Limburgi & Brabantiæ Duce.

Octauo Idus Iunij. Luna

6 C XXI.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26
t u A B C D E f F G H M N P
27 28 29 1 2 3 4 5 4 5 6 7 8 9

SS. AMANTIVS & ALEXANDER, LVCIVS, ANDREAS & PEREGRINVS. CLAVDIVS.

NOVIODVNI (ſeu Niuernis) in Æduis, Natalis Sanctorum Martyrum AMANTII & ALEXANDRI, LVCII, ANDREÆ & PEREGRINI, qui Chriſti præconia libera voce expromentes, tandem poſt egregium certamen datis ceruicibus præclarè triumphârunt. Veſuntione ſancti CLAVDII Epiſcopi & Confeſſoris meritis & miraculis illuſtriſſimi. Qui Salinenſium Principum genere ortus, puer ſacris literis & piis operibus deditus, futuræ ſanctitatis egregia ſpecimina edidit. Ætatis anno vigeſimo, in Clerum Veſuntionenſis Eccleſiæ adſcriptus, factúſque vt aiunt Canonicus, alieno prorſus à ſæculi moribus animo enituit, diuinis enim in officiis aſſiduus, ſingulis diebus (exceptis Dominicis & ſolemnioribus) ieiunans, ſæpè nocte in lectione ſacra, & rerum diuinarum contemplatione, totus cœlo defixus tranſigebat: quibus pietatis inſigniis cùm polleret, defuncto ſancto Protadio, ipſe annorum iam duorum ſupra triginta, ex diuino teſtimonio in Archiepiſcopum electus, atque ab Honorio ſummæ ſedis Pontifice confirmatus eſt, anno ſalutis ſexcenteſimo viceſimo ſexto. In Epiſcopatu ad humilitatem, caſtitatem, abſtinentiam, iuſtitiam, pietatem & grauitatem morum (quas virtutes ſemper coluerat:) in verbo Dei diſſeminando mirificam doctrinam & aſſiduam operam: in cauſis Eccleſiaſticis diiudicandis æquitatem; curam in viſitando grege ſedulam, in adhortando vehementiam, in corrigendo lenitatem (qua imprimis præſtabat) adiunxit. Septem annis ea in adminiſtratione conſumptis, ac omnibus quæ ad firmandam Eccleſiaſticam diſciplinam pertinebant ritè & ſedulo conſtitutis; pertæſus tandem Pontificalis curæ & gloriæ, ac ſolitariæ vitæ ſtudio ductus, vt liberius contemplationi vacaret, ciuitatem ſuam cum dignitate reliquit, abdicatóque non ſine omnium fletu & mœrore præſulatũ: ad ſancti Eugendi monaſterium in monte Iura ſe contulit: habitúmque illic ſuſcipiens, monaſticæ vitæ inſtitutum profeſſus eſt: vbi ſuo ſanctiſſimo exemplo omnes ad perfectionem promouit, totus in diuina meditatione ſuſpenſus, in oratione aſſiduus, continuus in ieiuniis,

iuniis, peruigil in lectionibus, diuinísque officiis peragendis primus omnium intentus. Quibus sanctis in exercitiis cùm quinque annos expleuisset: migrante ad præmium sancto Iniurioso Abbate, (qui Claudij diuinas virtutes admiratus, monasterij regimen vt susciperet, se viuente, sæpè sæpiùs rogauerat) vno omnium ore electus est in Præsulem: quem honorem cùm suscipere renueret: iussione Ioannis Papæ (ad quem Monachi nuntios petitum enixè votorum consecutionem direxerant) subire onus delatum, obstrictus est. Inditum igitur munus ea prudentia ac sanctimonia gessit, qua omnes circunquaque populos in sui amorem pertraxit ac admirationem. Vnde tanta Clericorum & Nobilium iuuenum ad eum fluxit caterua: vt vix iam cœnobij claustra alumnos caperent: quibus cum substentandis facultates haud suppeterent: vir Dei ad Clodouæum Regem nomine secundum perrexit, subsidiáque regiæ pietatis implorans, necessaria gregi suo impetrauit solatia: donariáque insuper recepit plurima, quæ & in pauperum alimoniam, & in Dei domus ornatam sedulo dispertiebat. Sanctorum etiam honorificentiæ studiosus, pignora eorum sacrosancta in loculis pretiosis collocauit. Multa alia Pastor optimus fecit opera pietatis præclarissima. Cúmque ad eam vitæ sublimitatem peruenisset, vt sui oblitus, Dei solius amore viueret: expletis in cura monasterij quinquaginta annis; senio confectus, sanctitate eximius, præscito diuinitus mortis suæ die, diuinæ charitatis muneribus, cum vberrima lachrymarum profusione veneranter receptis, purissimum spiritum efflauit. Eius corpus in sancti Eugendi (quæ nomen postea eius induit) Ecclesia sepultum, magnis mox gloriæ insigniis refulsit: vbi nunc vsque honorificentissimè in hierotheca seruatur, atque in perenne miraculi monimentum, (intemeratæ quidem puritatis testimonium) aduentantibus vndique peregrinis integrum & incorruptum ostenditur. Eodem die Senonis depositio sancti ALDRICI eiusdem Sedis & Episcopi & Confessoris. Hic inclyta Dynastarum Vastinij prosapia, non sine futuræ sanctitatis præsagiis ortus, ab ineunte ætate contempta mundi gloria in Ferrariensi cœnobio sub magisterio Alcuini, disciplinam veræ sapientiæ delibauit: eáque profecit pietatis & doctrinæ magnitudine, vt diuulgata virtutum fama, à Hieremia Archipræsule Senonensi accersitus, pro meritorum honorario, Diaconus ab ipso, proindéque etiam Presbyter ordinatus sit. Móxque à Ludouico Imperatore Magister factus Palatij, qui Principes & Aulicos piis moribus informaret: de- ALDRICVS.

functo subinde Adalberto Abbate, propter excellentem religionis peritiam, in eius locum magno cum sanctitatis iam exploratæ præconio sublectus est. Atque cum eo munere, magna laude fungeretur, transeunte ad vitam meliorem ipsomet Hieremia Antistite, vnanimi Cleri sententia, & populi voto, sedis ipsius Metropolicæ Hierarcha renunciatus: renitens illam cathedram conscendit. In qua absoluti Pontificis decora exhibuit: Canonicis, quos legem Dei & canonica instituta docebat, paternum indicans amorem; sedulam impendens gregi sollicitudinem, mœrentibus solatium, pupillis adiutorium, viduis defensionem, peccantibus correptionem, pœnitentib. misericordiam pius Pastor semper prætendit. Sicque salutis ministerio religiosè adimpleto, sanctis operibus quæ in cœnobiorum instauratione, in sacrarum Synodorum illustratione, in disciplinæ & libertatis Ecclesiasticæ assertione, patrauit admodum insignis, deposito corpore, stolam gloriæ in cœlis à summo Pastore recepit: & apud Ferrariam, vbi primam pietatis tincturam imbiberat, (sicut moriens iusserat) sepultus condignos sanctitatis honores, iudicio Ecclesiæ Catholicæ, quæ eum iampridem fastis suis adscripsit consecutus est. Cenomanis sancti BERTRANNI Episcopi & Confessoris, viri Deo digni, & rerum piè cùm ante Episcopatum, tum in Episcopatu gestarum gloria clarissimi. Is ex alto Palatinorum Comitum Aquitaniæ, stemmate oriundus: nobilitatem suam ad cœlestem consequendam conuertit dignitatem. depositóque iam ab adolescentia veteri homine cum actibus suis: vt Deo quò purius eò propius accederet, in sortem sacræ militiæ Turonis adscriptus est. Postea cum B. Germano, illo incomparabili Parisiorum Episcopo, in schola virtutum diligenter versatus, diuinísque instructus disciplinis, primùm Parisiensis factus est Archidiaconus, dehinc crescente luce charismatum, ad presbyterij gradum & honorem non ambitu sed meritis, ac sui Præsulis iussione euectus est. Quóque splendidiore genere se editum nouerat: eò impensiori studio humilitatem coluit, virtutúmque magnificis actibus & ortum & ordinem adeo insignem collustrare instititit. Spectabat ad ipsum iure hæreditario Cenomanorum Comitatus. At ille potestatem in iustitiæ præsidium, opes in alimoniam pauperum, piorúmque operum officia impendebat: cùm defuncto sancto Domnolo Episcopo Cenomanensi ad Pontificatum diuinis aspirationibus, euocatur. Quo in munere seipsum prætergressus est. Tanta enim sanctitatis accessione apicem illius sacerdotij ornauit, vt quæque præclara antè præstiterat, tyrocinia fuisse

BERTRANNVS, seu BETHGRANNVS.

virtutis viderentur. Construxit sanctus Pontifex basilicam insignem, quam à cultu quo principes Apostolorū prosequebatur: culturam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli nuncupauit. Deinde augendæ religionis sollicitus, S. Maurum è Cassino per Frodegarium Archidiaconum & Harderidum Vicedominum: qui eius nomine à S. Benedicto hoc subsidium pietatis petierunt ac impetrarunt, euocauit. Quo aduenrante, ipse eximiis laborib. pro Christi gloria, Ecclesiæ decore, populi vtilitate perfunctus, ad repositum abiit cœleste meritorum præmium. In cœnobio Præmonstratensi diœcesis Laudunensis, hoc ipso die quo contigit, colebatur olim depositio S. NORBERTI, illius monasterij fundatoris, & totius ordinis qui ex eo pendet Patriarcha. Hic sæculi spretis blandiriis, de Germania in Galliam venięs (regionem semper sanctis & propitiam & dilectam) obtenta primùm à Gelasio II. Pontifice prædicandi facultate, multos in Belgio (maximè Antuerpiæ vbi hæresis Tanchelina pullulabat) ad viam salutis reduxit. Deinde verò in Concilio Remensi à Calixto Papa qui cum asciuerat, ob Apostolicarum virtutum gratiam, egregiè commendatus Bartholomæo Laudunensi Episcopo, vt ei locum ad commanendum deligeret, Præmonstratum vbi erat in saltu parua sancti Ioannis Ecclesia, asperrimo horridóque situ, ex diuinæ designationis monito expetiit & accepit: vbi collectis Dei gratia tredecim sociis, prima ordinis sui fundamenta constituit. Tandem verò cum sanctitatis eius fama vbique difflueret, ad Archiepiscopatum Magdeburgensem defuncto Rodgero, eius vrbis Antistite, omnium procerum suffragiis euocatus, renuensque Apostolico euectus præcepto: post annos octo in pastorali munere admirabili sanctitate, prudentia, vigilantia, feliciter expletos, fidelis seruus talenti sibi commissi lucra reportans, ad æternæ perrexit gloriæ fruitionem. Cuius cœlitis festiuitatem transtulit Gregorius XIII. vt solemnior esset ad diem 13. Iulij; sicut edita ab eo Apostolica diplomata testantur. In Santonibus sancti ARTHEMII Confessoris: qui ex versuta vulpe factus agnus simplex miræ pietatis & sanctimoniæ editis testimoniis, ac mandatorum Dei via feliciter excursa, suæ iustificationis, quæ fide & opere consummata est, præmium à Domino recepit. Gandaui in sancti Petri monasterio, sancti GVDVVALI, sanctissimi Pontificis, Eremitæ, Archimandritæ & Confessoris. Cuius post gloriosum transitum sacrum corpus miraculis coruscum, Angliam deprædantibus Barbaris, cœnobij Meuoriensis Monachi in Galliam pertulerunt, ad prædictum monasterium sancti Petri, vbi congruo honore reconditum,

NORBERTVS.

ARTHEMIVS.

GVDVVALVS.

hactenus magnam recepit meritorum venerationem. Nam & hodie felicis eius excessus illic memoria celebratur: & translationis festum agitur 3. Nonas Decembris. Malbodij in Hannonia ostensio corporis sanctæ ALDEGVNDIS Virginis, & Abbatissæ sanctæ Gudulæ sororis: quæ sacræ depositionis iure, celebris est die penultima Ianuarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

ALDEGVNDIS.

Agobardus. *Gilbertus.* *Tankaridus.* *Bonitus.* *Vvaterius.*

CELEBRAT hodie Lugdunensis Ecclesia felicem depositionem beati AGOBARDI insignis sui Archiepiscopi & Doctoris. Item Præmonstratenses Canonici, transitum beatæ memoriæ GILBERTI Abbatis cœnobij Nouem-fontium. Hoc ipso die Lucernæ in diœcesi Abrincensi decessit pio exitu TANKARIDVS eiusdem loci Præpositus, prædicti ordinis. Aruernis celebris est dedicatio basilicæ sancti BONITI Episcopi & Confessoris, necnon eiusdem translatio. Eodem die obiit Claræuallis piæ memoriæ VVATERIVS ex strenuo milite, egregius Monachus, perfectionis scilicet Euangelicæ cultor præclarissimus.

Septimo Idus Iunij. Luna

7 D XX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10			

SS. MARCELLINVS.

IN ciuitate Podiensi, seu Podio Vellaunorum, sancti MARCELLINI Episcopi & Confessoris, qui tertius ordine eam Ecclesiam rexit, maximámq. Vellaunorum partem adhuc ethnicis implicitam erroribus, ad salutarem Christi Redemptoris perduxit agnitionem. Deinde diuinis muneribus ornatus, miraculis insignis, ditatus meritis, ad beatas conscendit regni æterni mansiones. De hoc S. Præsule legitur quòd virginitatem perpetuam coluerit: póstque felicem emigrationem in sepulchro coruscans, admirabilia prodiderit suę glorificationis & potentis opitulationis monimenta; adeo vt dæmonia expulerit, cæcum illuminauerit, mortuum suscitauerit iam sepultum. Præterea tres paruulos sine sacro lauacro mortuos vitæ restituens, regenerationis effecerit pia intercessione participes: hominémque lue tactum feréque emortuum absque noxarum expiatione, incolumem præstiterit, gratiæque expetitæ compotem. Prodigia multa alia nec minora, ad eius inuocationem in hos vsque dies, vel sanctissimorum pignorum appositione, vel olei perfusione quod manauit pridem ex eius tumulo: vel sola parrocinij eius deuota imploratione, peracta comprobantur: ob quæ insigniori cultu eius

memoria, quam vllius cuiusuis cœlitis (post Sanctissimæ Dei genitricis venerationem) toto in Vellaunorum tractu, honoratur. Apud Venetum in Armorica sancti MERCADOCI Episcopi & Confessoris, qui ex regia stirpe Conani prouinciæ huius Principis editus, calcato temporalis gloriæ fuco, humilitatis filij Dei imitator, sese ne natalium fulgor spectabilem mundo redderet, indumentis vilibus tegens, in desertum locum Deo soli vt seruiret recepit: vbi diu in omni sanctitate, vitam ducens eremiticam delituit. At deinde clara virtutum lucerna, ne sub modio esset diutius, diuino indicio propalata, super candelabrum euecta est. Patefactus enim cœlesti nutu Christi famulus, sublato è viuis Hinguthano Venetensi Episcopo, magna Cleri & populi conspiratione, de solitudine dilectissima abstractus, electúsque est Pontifex, atque Episcopus ordinatus, quamquam ipse subesse non præesse desideraret. Sic suscepto pastorali munere, mores Episcopales ita induit, vt vix vllum ante vel post eius tempora, illa Ecclesia Præsulem viderit, qui maiori solertia, doctrina, vigilantia, integritate, pietate, gregem rexerit commissum. Propter quarum virtutum excellentiam, & clara suæ sanctitatis ac gloriæ, quæ cùm viuus, tum defunctus prodidit argumenta, à maioribus inter diœcesis huius tutelares præcipuos habitus, & in hunc vsque diem à posteris sactis honoribus, qui beatis opitulatoribus deferuntur excultus, hoc ipso die quo ad beatitudinem migrauit, debitæ venerationis celebratur obsequiis. Audomaropoli translatio S. FOLQVINI Morinorum Episcopi viri Apostolici: cuius corona magis rutilat die eius depositionis, qui incidit in 19. Kal. Ianuarij. Traiecti commemoratio Sanctorum Confessorum CANDIDI & VALENTINI Tungtensis Ecclesiæ Episcoporum, quorum ibi sunt celebria natalitia octauo Idus Februarij. Ibidem translatio S. SERVATII Episcopi eiusdem sedis & Confessoris, cuius gloriosa transmigratio colitur 3. Idus Maij. Senonis sancti GODOALDI Confessoris, qui Deo toto corde intentus, mundum carnémque odio sanctissimo impugnauit: victórque ex stadio egressus beatam ouans perrexit ad patriam. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

MERCADOCVS.
FOLQVINVS.
CANDIDVS & VALENTINVS.
SERVATIVS.
GODOALDVS.

DAVENTRIÆ in Belgio feliciter in Christo omnium pace quieuit piæ memoriæ IOANNES Gronde Sacerdos, vir totus Apostolicus, qui verbo salutis & exemplis iustitiæ, feruoréque intenso pietatis, multos à mundi affectibus abstractos, ad diuinæ dilectionis & sanctæ operationis studia euexit: cœlestisque vitæ desiderio, & ingenti ardore deuotionis inflammauit.

Ioannes.

Sexto Idus Iunij. Luna

8 E XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	1	2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11			

SS. MAXIMINVS. APVD Aquas Sextias ſub 2. Narbonenſi ſancti MAXIMINI, Apoſtolica gloria præclari: qui comes ſancti Lazari ac beatæ Mariæ Magdalenæ ſub ipſis Euangelicæ promulgationis exordiis, hanc Eccleſiam ſua prædicatione erexit: beatam ipſam Magdalenam ad ſuperna regna vocatam poſt diuturnum ſpontaneæ pœnitentiæ martyrium diuino Christi corpore muniuit: & poſtquam ſignis & virtutibus coruſcans Eccleſiam illam annos circiter quadraginta gubernaſſet, aggregata Chriſto innumerabili fidelium multitudine, bene ſparſæ cœleſtis ſementis ac copioſæ collectæ meſſis repromiſſam accepit à Domino remunerationem. Auguſtæ Trecarum ſolemnitas SAVINIANVS. ſancti SAVINIANI Martyris ſub Aureliano coronati: qui triumphum ſuum glorioſo agone peregit 9. Kal. Februarij. MEDARDVS. Nouiomi ſancti MEDARDI Epiſcopi & Confeſſoris Flandriæ Apoſtoli. Hic patre Nectardo viro illuſtri, in Salucio oppido non ita procul à Nouiomo natus, ea pietate iam a pueritia enituit, vt multa ſe domans abſtinentia, quod ſibi ex alimentis ſubtrahebat pauperibus erogaret, veſtimentaque egenis non ſemel largiretur. Vnde & à Deo iam miraculis & prophetiæ dono inſignitus eſt. Ob quæ religioſæ propenſionis ſpecimina, à parentibus Viromanduenſi Epiſcopo in diſciplinam traditus: tanta virtutum copia decoratus effloruit, vt ipſi Pontifici Clericiſque & incolis ſanctitatis eximiæ ſtuporem ingereret. Sacris igitur initiatus, & per gradus ordinum presbyter conſecratus, ſuſceptæ celſæ huius dignitatis decus rara miraque morum ſanctimonia, doctrinæ gratia, & ſignorum gloria magis ac magis nobilitauit. Quapropter Alomero ſedis huius Antiſtite rebus humanis exempto, vnanimi omnium acclamatione ad Epiſcopale faſtigium renitens quamuis prouectus eſt. Quod officium inuocata Dei ope à memorabili opere inchoauit. Cùm enim videret Auguſtam Viromanduorum, quæ natiua erat Epiſcopatus ſedes, a Vvandalis & Hunnis euerſam, Nouiomum oppidum ſitu & munitione præſtans, cathedram Pontificiam traduxit. Vixque adhuc Epiſcopatum [illegible], cùm ſan[illegible]

therio Tornacensium Episcopo ad superos transeunte, ab Ecclesiæ huius Clero ac populo in Præsulem Medardus ipse electus: sancti Remigij, ac comprouincialium Episcoporum auctoritate compulsus est vtriusque Ecclesiæ curam pro communi bono suscipere. Moxque etiam Episcopatui Apostolatu ex Dei munere adiuncto, cum cerneret circumpositam regionem adhuc ethnicis spurcitiis inquinatam: eam his a piaculis emundare, salutarique fide illuminare, & piis moribus excolere instituit. Flandros igitur gentem tunc temporis siluestrem, quindecim annorum spatio docendo, instando, orando, erudiuit, & magnis laboribus, præfractos & feroces illorum animos ab impietate & barbarie ad mansuetiorem viuendi rationem per suauem Christi IESV doctrinam perduxit. Qua in re piorum compos votorum, demum corporis infirmitate depressus, insignis patientiæ & pietatis editis exemplis, populóque Deo viscerali affectu commendato, in ipsa oratione spiritum Angelis consociandum feliciter efflauit. Defuncti corpus Clotarius Rex, Nouiomo Suessionem transuexit, & propriis humeris sublatum, monumento intulit honorifico, ad quod nobile cœnobium extruxit, quod tanti Confessoris pignoribus, magis quam fundatoris ipsius muneribus, ditatum: eiusdem postea nuncupatione insignitum est. Eodem die Rotomagi sancti GILDARDI Episcopi itidem & Confessoris, ipsiusmet sancti Medardi germani, qui eodem die cum ipso in lucem editus eodémque Episcopus consecratus, eodem spiritu sanctitatis, eodémque virtutum decore in præsulatu eluxit: demumque vno eodémque die, felici potitus fratris sibi tot nominibus coniuncti consortio, ad hæreditatem æternæ vitæ vocatus est. Hic beatus inter Galliæ Patres sanctissimos Aureliis in prima quæ illic habita est Synodo, conspicuus sedit: vbi præclara de sacræ œconomiæ & Ecclesiasticæ disciplinæ theoriis ac moribus decreta edita sunt: Sanctorúmque Magister multos ad cœlestis vitæ sublimitatem, doctrinis suis ac piis exercitationibus perduxit. In quibus maximè effulsit sanctus Laudus Constantiensis Pontifex, quem ex metropolico iure, & magisterij honore, suis manibus Rotomagi ordinauit. Multis idem rutilauit post mortem miraculis: quibus Ecclesiam in qua fuit sepultus, suum in titulum ac patrocinium itidem vendicauit. Ipso die Senonis transitus sancti HERACLII Episcopi & Confessoris, qui Agricio surrogatus sanctissimæ conuersationis gloria prodigiorúmque splendore illustris, eximia sollicitudinis pastoralis, piorúmque operum instantia, Ecclesiæ huius gubernacula gessit:

GILDARDVS.

HERACLI.

óbque clara merita a ſancto Remigio inuitatus, baptiſmo Clodouæi Regis, in quo diuinæ potentiæ mirabilia eluxerunt, interfuit. Puritatiſque amator ac cultor egregius fouendi virginalis honoris ſtudio, ſancti Ioannis Euangeliſtæ cœnobium conſtruxit in ſuburbio ſuæ ciuitatis: vbi Virgines Deo ſacras collocauit. Perſuaſit Theodechildem Clodouæi filiam Chriſto vt florem integritatis, perennemque ſeruitutem deuoueret atque in ſancti Petri honorem monaſterium conderet: vbi ipſa ad extremum vſque perſeuerans Chriſto puros reddidit famulatus. Tandémque beatus Pontifex, tot meritis plenus bonorum operum, abiit ad præmium. nec minùs poſt mortem miraculis, quàm in vita virtutibus diuinis refulſit.• In prædicta baſilica ſancti Ioannis Euangeliſtæ, cui impensè deuotus erat, ſicut moriens concupierat ſepultus. Item Metis depoſitio ſancti Clodulphi Epiſcopi ſanctiſſimi & Confeſſoris: qui ſancta æquè ac illuſtri ſtirpe exortus, ſcilicet beati Arnulphi & ſanctæ Dodæ filius: hauſto ab initio ex eorum factis & monitis pietatis ſpiritu in Dei timore & amore toto vitæ curſu ſe habuit. Aulæ poſt patrem principatum adeptus: deuinctúſque caſto puellæ nobiliſſimæ coniugio, immaculati thori germina tulit æquè religionis decore, ac nobilitatis ſplendore inſignia. Hinc ſancto fœdere inito cum vxore, thalamo ſeiunctus non animo, totum affectum in cœli deſiderium & Regis gloriæ obſequium conuertit: quo & ſuccenſa ipſa eius pientiſſima coniux, ipſo annuente ſe in puellari ſanctiſſimæ Dei genitricis cœnobio, ad vrbis Metenſis mœnia contulit, vbi ſacro ſuſcepto velamine, ſe perpetuæ Chriſti ſeruituti, in qua ſola regnatur mancipauit. Itaque ſic ſolutus nexibus ſæculi Clodulphus, Treuiros petens in ſancti Martini aſceterio monachus factus eſt. Tantáque præiuit ceteris humilitate, obedientia, caſtimonia, auſteritate, & omni religionis obſeruantia: quanta generis claritate & magnitudine præcellebat. His cùm niteret miris in Chriſti ſchola priuilegiis ſcientiæ Sanctorum & virtutis: diffuſo tantæ perfectionis circumquaque flagrantiſſimo odore: ex latebris oliua in domo Dei frugifera, balſamúſque mirè redolens ac ardens lucerna, diuina diſpoſitione ad maiorem gratiarum effuſionem, & meritorum dilatationem, eductus eſt. Enimuero orbata Eccleſia Metenſi obitu beati Godonis, qui ſecundus à ſancto Arnulpho ſederat, Præſule, paternarum hæres virtutum; electus in Epiſcopum, ſolium non minùs inuitè conſcendit, quam mirificè decorauit præclaris Epiſcopalis panopliæ ornamentis. Benignitatem enim præſtitit in egenos, in afflictos miſericor-

diam: temperantiam in victu, modestiam in cultu, patientiam in aduersis, laborem in erudiendis populis, studium denique & ardorem in eradicandis vitiis & colendis virtutibus adhibuit perennem. Cùm autem his irradians splendoribus præsideret, Beatus Luituuinus Archiepiscopus Treuirensis molem carnis exuit: dignus igitur maioribus honoribus Clodulphus, quamquam ab omni promotione abhorreret, omnium votis expetitus & obstrictus, Metropolita ex Suffraganeo, ex Episcopo Archiepiscopus renuntiatus est. At Milo defuncti Luituuini (qui vxoratus ante Episcopatum fuerat) filius, sed longè moribus dissimilis præsulatum ambiens, quasi iure paterno sanctuarium Dei possidendum esset, sese in sedem vi armata intrusit, virúmque iustum & sanctum multis affecit opprobriis: qui ex diuina disciplina edoctus, maluit iniuriam pati, quàm iusta etiam repugnatione ius suum asserere. Igitur improbitati cedens, Treuiris discessit: séque in cœnobium recipiens, vt vitæ reliquum Deo perfectiùs colendo impenderet: in patientia, humilitate, pietate & mira abstinentia, mortalis excursus absoluit feliciter stadium. Ipso die Andegauis ordinatio sancti LVCINI Episcopi & Confessoris, qui aulam cœlestem ingressus recolitur die 13. Februarij. In Tricassinensi territorio beatæ SYRIÆ Virginis. Hæc deuota Christi famula cùm multùm vitæ tempus castè piéque traduxisset, digna demum reperta est, cui sancti Sauiniani Martyris corpus diuina pietas reuelaret, quod religioso honore prosequens, ad eiusdem cœlitus monumentum sacram ædiculam extruxit: in qua pio tandem consumpta fine, etiam inhumata est in lapide concauo, qui hodiéque in ipso sacello cernitur, eam eius nomine illustri: vbi hactenus magnis signis refulget emeritæ beatitudinis. Quibus coruscationibus ipsa Ecclesiola insignita, hodie numeroso peregrinorum vndique aduentantium teritur concursu, maximè eorum qui calculo laborant, in quibus diuinitus curandis, ipsius sanctæ Virginis chara Deo patrocinia perenni beneficiorum fluxu elucescunt. Item Trecis celebritas iterata sancti ipsius Martyris SAVINIANI: cuius passio gloriosa nouum cœlo trophæum inuexit nono Kalend. Februarij, qua die suum peregit agonem. Eodem die translatio sancti AVDOMARI Morinorum Episcopi, à sancto Folquino eiusdem sedis Præsule celebrata.

Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.

LVCINVS. SYRIA. SAVINIANVS. AVDOMARVS.

Guilielmus. HODIE religiosa morte defunctus est piæ memoriæ GVILIELMVS de Mota Carthusiani ordinis XXVII. Generalis: Vir qui cum præcelsis vitæ meritis micaret, admirandæ fuit cultor humilitatis, summæ pietatis & insignis omnino abstinentiæ atque modestiæ. *Medardus.* Item MEDARDVS Monachus, præfectus Morensis cœnobij in Campania, qui puræ mentis & pij famulatus, quem Deo præstitit, insistens studiis, eam ad perfectionem peruenit, vt ipsum Angelorum Regem, corporeis oculis videret: testísque oculatus fieret illius fauoris, quo Christus ipse Dominus beatissimum Patrem Bernardum in suo amore liquefactum, ad suum suauissimum amplexum & osculum admisit.

Quinto Idus Junij. Luna

9 F XVIII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29
t u A B C D E f F G H M N P
1 2 3 4 5 6 7 8 7 8 9 10 11 12

SS. DIONYSIVS, RVSTICVS & ELEVTHERIVS.

IN agro Parisiensi cœnobio Sandionysiano Solemnitas detectionis ac reconditionis venerandorum corporum Sanctorum Martyrum DIONYSII, RVSTICI & ELEVTHERII, factæ cum diuinæ gloriæ testimoniis, temporibus Leonis IX. Papæ, & Henrici I. Francorum Regis. Christianissimi ea occasione, quod cum eodem anno Ratisbonæ in Germania corpus fuisset inuentum tacitæ religionis plenum & sanctitatis, quod nonnulli esse Dionysij Areopagitæ Parisiorum Episcopi dicebant, missi sunt nuntij ab Henrico II. Cæsare ad Henricum Regem in Franciam, qui rescirent num Parisiis in eo templo quod Dagobertus olim ædificauerat, Dionysij illustrissimi Pontificis & Martyris corpus esset an non esset. Henricus igitur Rex, euocatis Archiepiscopis, Episcopis & Regni totius Proceribus, vnà cum Imperatoris nuntiis ad templum Martyrum solemni comitatu processit. Cúmque preces deuotissimè oblatæ Deo fuissent, iussit afferri inspectante cum Legatis & Proceribus affluenti populo, sacra Martyrum feretra. Allata sunt igitur argentea vasa tria Dionysij, Rustici & Eleutherij, sigillis munita: omniúmque exposita conspectibus. Et aperto vase beati Martyris Dionysij, totum corpus ipsius sudario peruetusto inuolutum cum capite inuentum est, (exceptis duobus ossibus de collo: quæ sunt in Ecclesia Vergiacensi in Burgundia: & os quoddam de brachio, quod dudum Stephanus Papa III. secum Romam deportans, posuit in sacra æde à se constructa quæ Græcorum inde Ecclesia vocata est.) In cuius Hierothecæ superficie hæc epigraphe reperta est, antiquissimis characteribus exarata: HIC SITVM EST CORPVS BEATISSIMI

DIONYSII ARCHIEPISCOPI. E qua ſtatim ac reſerata eſt, tam ſuauis odoris fragrantia emanauit, vt tota baſilica exquiſitiſſimo balſamo, omníſque pigmenti gratiſſimo ſuffitu imbuta videretur. Quod videntes vniuerſi qui aderant, vberrimas Deo gratias qui Sanctorum oſſa pretioſa ſeruat, mirabilibúſque honorat perſoluerunt: manúſque puras cum lachrymis & ſuſpiriis leuantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ Virgini, ſanctíſque Martyribus ſeſe deuotè commendarunt, ſícque cum gaudio receſſerunt. Multa etiam alia diuinæ virtutis ibidem edita ſunt ſigna: quibus Legati omni dubio depoſito perſuaſi, corpus ipſum ſanctiſſimi Martyris Dionyſij non vllibi eſſe quàm in hoc eius cœnobio, vbi iam olim quieſcit & colitur, crediderunt: quod & in Germaniam redeuntes, vt veritatem diuinitatis teſtimoniis aſſertam & propalatam, ſerio & religioſè teſtificati ſunt. Ceterùm tantæ rei memoria ne vnquam excederet, Epiſcoporum, Regíſque & Procerum communi placito decretum eſt, vt detectionis ipſius & mirabilis oſtenſionis ac repoſitionis quotannis, feſtiuitate propria recordatio celebraretur, atque etiam ſacris tabulis inſcriberetur, perpetuis temporibus (vt hactenus factum eſt) in ipſo monaſterio percolenda. Agenni ciuitate Nitiobrigum in Aquitania ſecunda Natalis ſancti VINCENTII ſecundi eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, & Martyris: qui à ſancto Capraſio primo illius ſedis Antiſtite ac Chriſti teſte purpurato, Diaconus ordinatus poſt glorioſum eius agonem, ouiculas perſecutionis exitioſo turbine diſperſas recollegit: ſuſcepróque cum ſacerdotio Epiſcopali onere, Apoſtolico ſpiritu & vigore Chriſti gloriam ac hæreditatem excolendo tutauit, tuendo auxit, augendo ea in vrbe ſtabiliuit: demúmque etiam fidei ædificium cruore fuſo conſummauit. Cæterùm ab impiis furentibus ob patrata falſi cultus ab eo excidia, abreptus, raptatus, diſcerptus, non ſecus ac à lupis agnus manſuetus dilaniatur, hoc glorioſo agone lauream inclyti Martyrij pro piorum laborum coronide adeptus eſt. Cuius morticinia veneranda, huc illuc truculenta ſtrage diſperſa: pij, reuerenter colligentes, prope ſancti Capraſij, beatæque Fidei & aliorum Martyrum ſepulchrum extra vrbis ſepta, in altiſſimo montis cacumine ſitum honorificè condiderunt: vbi per multa temporum curricula diuinæ clarificationis lumina, affatim refulſerunt. Ex quo loco poſtea ſacræ eius exuuiæ elicitæ, maioris condecorationis causâ, in vrbem illata, atque in tanti triumphatoris cultum, ædificato ſuperba mole mauſoleo, dignanter collocata ſunt. Ipſo die Mimate Gabalorum inuentio

VINCENTIVS.

PRIVATVS. ſancti PRIVATI, Epiſcopi & Martyris, cuius purpura & laurea claret inſignis dies 21. Auguſti. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Ermegardis. HODIE ad requiem ſupernam perrexit beatæ memoriæ ERMEGARDIS, quæ cùm eſſet Britanniæ Comitiſſa, amore incenſa Chriſti, facta eſt ex Domina ancilla, ex delitioſa pœnitens, ex ſuprema humilis, ex principe monialis. Nam ſancti Bernardi hortationibus, ſæculo ſpreto ac calcato, ſe totam diuinis obſequiis mancipauit, ſuſceptáque pij propoſiti teſſera, virtutibus adeo profecit, vt etiam vſque ad miracula coruſcaret: ſicque in Dei famulatu meritis partis copioſis, ſanctiſſimam abſoluit conuerſationem. Item eodem die *Ioannes.* metam attigit ſanctæ vitæ; IOANNES Abbas Grandiſprati in Namurcenſi territorio, vir admirandæ pietatis.

Quarto Idus Iunij. Luna

10 GXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13			

SS. LANDERICVS. LVTETIÆ Pariſiorum ſancti LANDERICI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Clodouæi iunioris temporibus ea in cathedra ſedens, ſuſceptam ad regendum Eccleſiam ſancta fœcunditate ditauit, gregique ſuo pietatis exempla immortalia relinquens, miraculis etiam enitens, ad cœleſtium ſenatorum conſeſſum pro meritorum fœnore, auſpice Chriſto cui fideliter miniſtrauit euectus eſt. Beatus hic Pontifex viſcerali amore pauperes dilexit, quos & in publica annonæ penuria vt aleret, non dubitauit in eorum ſolatium diſtrahere poſt domeſticam ſupellectilem etiam ſacra vaſa & Eccleſiaſtica decora. Egenis verò ægrotantibus vt proſpiceret pius Paſtor, Xenodochium prope Epiſcoporum primus inſtituit. Vnde in benedictione permanſit eius memoria: iuſtitia verò collaudabitur in ſæculum ſæculi. Tanti certè Antiſtitis vt Pariſienſis ciuitas perpetim merita veneratur, ſic & perennis experitur patrocinij auxilia: ad quorum beneficiorum commendationem Eccleſia extructa eſt eius inuocatione inſignis, quæ iure obſtricta opitulationis, ipſius hodie natalitia ſolemni cultu celebrat. Eius autem ſacroſancta ſpolia digna veneratione conſeruat ſuo in ſacrario Clerus Regiæ Collegiatæque Eccleſiæ ſancti Germani cognomine Autiſſiodorenſis, vnde allatum pridem eiuſdem beati Antiſtitis ſudarium, furentis ignis ſæuitiam ſua oppoſitione repreſ- CENSVRIVS. ſit. Autiſſiodori ſancti CENSVRII Epiſcopi & Confeſſoris, qui

mediatus

mediatus sancti Germani successor (Allodium enim proximè in munere secutus est:) tantis virtutibus emicuit, vt piissimos quosque Galliæ Antistites & tramite sanctitatis anteiret; & suæ laudis splendoribus percelleret. Ad quem & Constantius Presbyter, admirabilis vitæ sancti Germani historiam, vt ad viuum virtutum eius simulachrum, magna cùm dignitatis, tum præcipuè meritorum veneratione, dirigens, conscripsit: quam non obtutibus Censurius, sed actibus dignè complexus, iisdem vestigiis quibus beatus ille suus decessor sibi iter ad gloriam munierat, ad eam properans perrexit: abiénsque; sacram sui nominis reliquit in vniuersali Ecclesia recordationem. Bituricis sancti AYGVLPHI Episcopi & Martyris, cuius celebris AYGVL-
est Natalis die 22. Maij. In territorio Sagiensi sancti EVRE- PHVS. EVREMVN-
MVNDI Abbatis & Confessoris. Hic ex vrbe Baiocensi ortus, DVS.
spectatæ è nobilitatis stirpe, in aula Chilperici Regis primam ætatem exegit: apud quem multa gratia pollens, magnos etiam honores consecutus, insignis generis puellæ iunctus connubio, magnis etiam opibus affluxit. Sed cùm his potiretur commodis, Dei tamen memor & salutis, religiosa officia non prætermittebat: at sic sedulo exequebatur vt inter tot honores atque delicias pietatem aleret, sacræ lectioni frequenter incumberet. Cui cùm die quadam intenderet, attentius in hoc monimentum incidit, quo Christus Seruator perfectum vt sibi quis reddat famulatum, edicit, quicumque patrem, matrem aut vxorem pluris se fecerit, inter discipulos suos qui censeatur nusquam dignus esse. His stimulatus piis aculeis, sibimet renuntiare, vxorem quam propitiam religiosæ intentioni sperabat, thoro disiungere, crucem suam ferre, & Christum sectari apud se statuit. Aspirante votis diuino flamine, res successit optatis. Vxor enim Euremundi, eodem studio diuinitus incensa, ex condicto, se in sodalitiũ Christi ancillarum recepit. Euremundus verò loca quærens proposito opportuna, ad suæ possessionis vicum cui Fontanetum nomen, in Sagiensi Præsulatu diuertens, illic sex ædiculas construxit, tot cœlitibus qui cœptis fauerent eas nuncupans. Móxque etiam cœnobiolum, in quo (Amolberto Episcopo præclara conamina probante) cum aliquot Dei cultoribus, qui in cœtum cum eo coaluerant, vitam instituit, totam cœlestibus rebus, ac diuinis obsequiis intentam. Inde virtus eius, veluti sol quidam sanctitatis, radios longè latéque cùm diffunderet, ad eum complures conuolarunt, vt sub eius ductu, purissimæ vitę tramitem inirent: felices enim se fore putabant, si in eius disciplinam se committerent, vestigiáque eius adeo pura con-

sectarentur. Quibus is non suis duntaxat monitis, sed exemplis etiam egregiis, salutis viam sternens, eosdem feliciter in eam prouexit. Fulsit etiam miraculis, quibus diuina maiestas merita eius multiplicia declarauit. Tandem verò strenuus Christi famulus, cùm inter mortales beatam immortalium mentium vitam virtutémque expressisset, gloriosis perfunctus laboribus, ad cœlites quos æmulatus erat, excessit. Corpus eodem loco conditum postquam ibi diù diuinæ gloriæ indiciis coruscasset, à Toparchis de Creil, (quod oppidum est in Bellouacis) ad Ecclesiam quam eius in honorem illic construxerant transuectum, perhonorificè in illius gremio conquieuit: per annos circiter sexcentos, nimirum vsque ad annum Salutis 1567. quo hæreticorum furor impius, capto hoc oppido, Ecclesias vastauit, sacrariáque etiam diripuit, ac expoliauit. Tunc enim nefando ausu, sancti Symphoriani Martyris, ac huius sancti Confessoris veneranda lipsana è thecis eruta, multísque contumeliis indignissimè affecta, feralibus flammis illi Dei hostes immaniter iniecerunt, cinerésque ipsos exsufflarunt. At diuino beneficio ex hoc excidio facies S. Euremundi, quæ in peculiari reposita erat conditorio, seruata est: quam Canonici eius Ecclesiæ maturè submouentes, Satanæ ministris (ne paricidalibus eorum manibus discerperetur) auspicato præripuerunt. Vnicúmque illud pignus superest, quo oppidani sui tutelaris patrocinio communitos, post tolerata exitiosæ hæresis sacrilegia, etiamnum gloriantur. Lobiis

AMALBERGA. & Binchij sanctæ AMALBERGÆ viduæ, matris sancti Emeberti seu Alleberti Episcopi Cameracensis, sanctarúmque Virginum Pharaildis, Reinildis & Gudilæ. Quæ mulier fuit miræ pietatis & sanctimoniæ, clarétque vtrobique & sanctè factorum memoria, & gloria receptæ beatitatis. ***Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum***, &c.

Laurentius. IN monasterio sancti LAVRENTII ad muros Leodicenses aduectio reliquiarum *sancti ipsius Martyris*, cùm duæ ampullæ eiusdem beati Leuitæ pinguedinem continentes, Roma à Godefrido beati Lamberti præposito allatæ, atque in huius cœnobij sacrario, multa religione repositæ sunt. Ad quarum aduentum mira aëris serenitas impetrata fuit. Hoc ipso die ad cœlestes agni nuptias inuitata properauit beatæ memoriæ

Maria. MARIA virgo Sanctimonialis ordinis Cisterciensis, monilibus iustitiæ, castitatis, humilitatis & perfectæ virtutis exornata: quæ fulgida post felicem transitum, Azelinæ moniali, nepti beati Bernardi sanctissimæque Virgini cui chara fuerat, apparuit: ab eáque interrogata de statu suo respondit. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum: in ciuitate Dei nostri.* Et his dictis læta ac coruscans in cœlum iterum euolauit.

Tertio Idus Iunij. Luna

11 A XVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14			

NATALIS ſancti BARNABÆ Apoſtoli, cuius pretioſum corpus quieſcit Toloſæ in Eccleſia S.Saturnini : cum ſacris aliorum quinque Apoſtolorum integris exuuiis, necnon venerandis itidem ſpoliis multorum Martyrum & Confeſſorum. Vbi hodie percolendum eius caput exhibetur, à corpore quod in proprio conditorio quieſcit, diſiunctum, inditúmque augusto & condecenti ferculo. Pago Argentonio in Bituricenſi Præſulatu Sanctorum Martyrum MARCELLI & ANASTASII, qui ſub Decio perſecutionis flamma contra Chriſtianos accenſa, idola colere recuſantes, vnúmque Chriſtum redemptorem adorandum profitentes, ab Heraclio Præſide in pios quoſque furente comprehenſi, cùm ab hac confeſſione nullis potuiſſent blanditiis vel tormentis cohiberi : ex altæ turris faſtigio dirè præcipitati ſunt. Cuius trophæi monimentum in hunc vſque diem, turris ipſa eorum cruore tincta, perſtat conſpicuum. Ipſo die Viennæ Allobrogum eleuatio ſancti ETHERII Epiſcopi & Confeſſoris, cuius depoſitio glorioſa incidit in 18. Kalend. Iulij. Item eleuatio S. DROGONIS Confeſſoris facta ſolemni cultu per Franciſcum Richardotum Archiepiſcopum Cameracenſem ob patentia opitulationum ſigna, quibus beatus ille opilio, calculoſis præſentiſſimè ſuffragatur. Obdormiuit in Domino ſanctitate clarus anno ſalutis 1186. ſexto-decimo Kalend. Maij. Dononij ſecundo milliario à Vallencenis in agro Atrebatenſi relatio ſanctæ RAGENFREDIS Virginis, quæ filia ſanctæ Reginæ, neptis fuit Pipini Regis Francorum, nec minùs egregia pietate & Angelica puritate, quàm ſtemmatis gloria inſignis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

SS. BARNABAS. — MARCELLVS, & ANASTASIVS. — ETHERIVS. — DROGONIS. — RAGENFREDIS.

FRANCISCVS à ſancto Vedaſto ordinis Minimorum Prouincialis in Francia, vir morum probitate inſignis, ſed ſuprà modum pius, oriundus è Pontæſia, inimaculato calle conuerſationis calcato ſæculo ad Chriſtum, cuius ardentiſſimus erat, feliciter euolauit. Sepultus eſt Nigeoni prope Luteriam, cum non modica exiſtimatione ſanctitatis. Ipſo die obiit Thoralti in Flandria ACHAS puer ſeptennis, diuinis benedictionibus plenus.

Franciſcus. — Achas.

Pridie Idus Junij. Luna

12															B XV.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15			

SS. EVVRTIVS. AVRELIIS tranſlatio ſancti EVVRTII Epiſcopi & Confeſſoris, cuius ſacratiſſimum corpus in Eccleſia ſanctæ Mariæ extra mœnia ciuitatis conditum: ne tam pretioſa gemma porcis conculcanda relinqueretur: Danis, Normanis & Hungaris Gallias ferro, flammíſque deuaſtantibus, quò potuit fieri honore in baſilicam ſancti Stephani intra vrbis ſepta illatum eſt. Exinde verò hoc ferali turbine diſſipato, tranquillitatéque reddita, celebri Cleri ac populi remeatu, priſtinum in locum reuectum eſt, non ſine cœleſtis gratulationis indiciis. Nam cùm fieret ſacer ille concurſus, cœlo valde ſereno, derepente turbatus aër, denſatæ nubes, terráque caligine opacæ, imbres vſque ad formidandum diluuium viſæ ſunt euomere: ſed tamen ſacratiſſimæ ſarcinæ geſtatores onúſque ipſum venerandum, lucis metuendæ fulgore circumuoluti, nec vlla quidem vndæ guttula madefacti ſunt. Cuius rei memoriam ob tanti Præſulis merita, & diuinæ magnificentiæ glorificationem, pia antiquitas religioſè venerata, anniuerſariis ſacris condecorans, poſteritati quoque piè recolendam, hæreditaria religione reliquit: vt faſtis ipſius Eccleſiæ Aurelianenſis inſcripta dies, & anniuerſaria quæ viget etiamnum celebritas, luculenter teſtantur. Eodem die coruſcat in orbe corona Sanctorum Martyrum BASILIDIS, CYRINI, NABORIS & NAZARII: qui Romani milites, vt genere ſic virtute nobiles, at magis Chriſtiana pietate: in perſecutione Diocletiani Romæ, contempto impio idolorum cultu pro fide fortiſſimè decertando, ſuperata & cruciatuum acerbitate, & Aurelij Præfecti immaniter in eos debachantis ſæuitia: victores egregio agone triumphârunt. Quorum honoranda cadauera à Chriſtianis in catacumbis ſepulta ſunt. Vnde poſtea Naboris & Nazarij leuata corpora, ſanctus Godegrandus Metenſis Epiſcopus permiſſu ac conceſſione Pauli Papæ I. vna cum ſancti Gorgonij itidem Martyris pretioſa gleba, Roma in Gallias aduexit, ſanctíque Gorgonij lipſana in monaſterio quod de Gorzia: ſancti Naboris in Nouæcellæ cœnobio (vbi poſtea oppidum

BASILIDES, CYRINVS, NABOR & NAZARIVS.

succreuit titulo clarum eiusdem Martyris:) sancti porro Nazarij, in Loresham asceterio collocauit, vbi postea diuina mirabilia in sanitate infirmorum & debilium, plurima emicuerunt. Eodem die in Campania Brabantiæ pago, Oirschotio depositio sancti ODVLPHI Presbyteri, qui cùm ibi diù parochum, cum laude eximia doctrinæ, pietatis, & pastoralis sollicitudinis egisset: ob affluentem cœlestium charismatum copiam; impensè à beato Frederico Episcopo Vltraiectensi dilectus, atque vt maiora gratiæ insignia proderet Traiectum euocatus: ibi inter matricis Ecclesiæ cardines, vera domus Dei columna & lucerna cooptatus est. Subinde verò cùm sanctus Antistes diœcesim suam perlustraret, perueniénsque ad Frisiam percepisset illic Arianam perfidiam pullulare, adscito viro Dei Odulpho, illum pastorem & doctorem feroci huic genti præfecit. Staurienſis Ecclesiæ eidem commisso regimine: in quo delecto sibi munere, strenuè adeo egregius Christi præco elaborauit, vt populum hunc proteruum, Christianis subegerit disciplinis, ínque rectam fidei lineam & bonorum operum tramitem reduxerit. Cæterùm extirpata hæresi, pietatéque & iustitia sic optimè vindicata: Canonicorum communiter viuentium collegium, ad mores Apostolicos, vir beatus composuit. Hácque constituta in grege Christi specula, sancto fine quieuit, perpetuam apud Deum & homines benefactorum promeritus gloriam. Eodem die in oppido Rhenensi diœcesis Vltraiectinæ celebratur festiuitas sanctæ CVNERÆ Virginis & Martyris, ex sanctæ Vrsulæ agmine purpurato. Massiliæ S. MAVRI Abbatis virtutibus præclari. Apud Iotrum cœnobium festiuitas translationis sanctæ Pelagiæ pœnitentis. Cuius ibi sacrum corpus ex Oriente dudum aduectum magna religione in sacrario, cum plerisque cœlitum venerandis exuuiis seruatur. Natalis verò eiusdem ibidem celebratur solemni cultu die 8. Octobris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ODVLPHVS. CVNERA. MAVRVS.

HAC die, anno Salutis 1430. piæ memoriæ PETRVS Berlandus, vir ortu quidem rusticanus, at morum integritate & doctrinæ præstantia plurimùm insignis, à Capitulo Burdigalensi eligitur Archiepiscopus ex matricis Ecclesiæ Canonico: tanta animorum concordia, vt nemo repertus sit inter sacros sodales qui profusis ceterorum votis contraiecit. Porro ille Spiritu sancto auspice factus Præsul nobilis illius sedis, omnium de se expectationem meritorum cumulo supergressus, mira in Episcopatu suo, cùm zeli & fortitudinis, tum religiosæ munificentiæ & sanctimoniæ præstitit insignia. Nam in conuentu Bituricensi editæ Sanctioni, se per suos delegatos, pro sedis Apostolicæ teuerentia & studio Ecclesiasticæ pacis cum Episcopo Petracoticensi opposuit. In maleficos & sagas, veneficiis incolas plerosque enecantes inquiri vtroque in foro curauit. Academiam in vrbe ipsa Burdegalensi Pontifice Eugenio IV. probanter instituit, fundato in pauperum gratiam vrbico gymnasio quod sancti Ra- Petrus.

phaelis titulo exornauit. Pinnaculum magnum Metropolitanæ ædis sancti Andreæ sumptibus suis ædificauit. Deinde in gregis solicitudine feliciter consummato vitæ & muneris decursu, multiplici sanctitatis elogio commendabilis purum in pace Christi spiritum exhalauit 26. Ianuarij anno 1453. Ob cuius beatitudinis, quæ miraculis etiam post eius obitum se prodidit, patentia indicia, Ludouico XI. Rege Christianissimo instante, Sixtus Papa IV. mandauit inquisitionem fieri diligentem de eius vita & miraculis per Raimundum Vasatensem Episcopum, & Radulphum Petracoricensem. Quâ facta & lecta Burdigalæ in publicis vrbis Comitiis, delecti sunt insigniores ex Clero viri qui Romam acta deferrent, virique beati Apotheosin postularent: at excedente ab humanis Sixto Pontifice res ab iis non potuit perfici. In Camera sanctæ Mariæ prope Bruxellam vitam sanctitate plenam absoluit beata ALBIS cognomine Scarabenca Virgo Christo sacra: quæ Angelica puritate nitens, lepra tamen ad patientiæ exercitium & exemplum percussa, longo macerata martyrio, at diuinis visitationibus honorata, ad præmium sponso vocante pertexit. Hodie Claræuallis carne deposita spiritum ad requiem transmisit GVIDO Monachus cœlestibus visionibus honoratus, magnisque præstans sanctissimæ conuersationis meritis. ANSELMVS Paris alumnus ordin. Minim. Christianæ simplicitatis & admirandæ pietatis exemplar, Aquis Sextiis apud suos religiosissimè obiit.

Albis. *Guido.* *Anselmus.*

Idibus Junij. Luna

13 C XIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	11	12	13	14	15	16			

SS. AGRICIUS.

SENONIS sancti AGRICII Episcopi & Confessoris, qui incomparabiliter florens tam exemplis virtutum, quàm affluentia doctrinarum, maximè in charitate præcelluit: adeo vt sanctus Sidonius Aruernensis Episcopus de eo ad ipsum scriberet, *potuisse quidem terminum, illius poni regioni:* (scilicet Metropolicæ ditioni) *at non potuisse charitati.* Qui tandem Ecclesia ad præscriptum diuinæ legis administrata, sanctitatis meritis nobilitatus abiit ad præmium. Lemouicis sancti PSALMODII Anachoretæ & Confessoris, qui Brandani Abbatis sanctissimi discipulus, postquam is ad Christum perrexit, patria relicta, quo rerum cœlestium liberius speculationi incumberet, in Aquitaniam profectus, secessum in Lemouicensi solo, non longè ab Aentimonasterio, elegit: loco horrido & siluestri saxísque asperrimo. Ibi cùm latere cuperet vir sanctus, & solum Deum puri famulatus testem quæreret: miracula, ita eum crebra prodiderunt, vt propter populi assiduè opem eius implorantis frequentiam, hinc recedere coactus sit: atque remotiorem ab eorum strepitu & concursu sibi deligere stationem, in qua ad extremum vitæ quietè perseuerans, morte exemptus, inter beatos cœlitum cœtus diu optatam & quæsi-

Psalmodius.

tam tandem recepit mansionem. Nec desiit interim apud mortales, sanctitatis præteritæ signa ad tumulum prodere, quibus in Aentimonasterio, vbi conditus est, coruscans, perennis cultus celebratur honore. Eodem die inuentio corporis sanctissimi Anachoretæ ANTONII cognomento Magni, quod ex Ægypto Constantinopolim, indéque in Gallias delatum, Viennæ in celebri toto orbe sui nominis basilica, quæ etiam religiosi ordinis caput est repositum, condecenti honore quiescit, perpetuísque nitet receptæ cœlitus opitulationis, in eis quorum membra sacer ignis depascitur, at gratiosis prodigiis. Gandaui eleuatio corporum sancti LANDOALDI & sociorum, facta per Landulphum Episcopum Tornacensem, qui pretiosa ipsorum beatorum lipsana coruscantia miraculis: ex antiquis thecis in noua transtulit scrinia, auro & argento decorata. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ANTONIVS.

LANDOALDVS, & socij.

IPSO die transitus beati GERARDI Monachi fratris sancti Bernardi, & cooperatoris eius præcipui, magnarúmque virtutum seduli imitatoris: qui piis exhaustis laboribus in Dei laude animam efflauit. Cuius dignus frater itidem encomiastes felicia funera serm. 26. super Cantica, aureo non solùm stylo, sed & ore ac pectore pietatis pleno celebrauit. *Gerardus.*

Decimo octauo Kalendas Iulij. Luna

14 D XIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17			

IN territorio Suessionensi Natalis Sanctorum Martyrum RVFINI & VALERII, qui furente sæua persecutionis procella, sub Diocletiano & Maximiano iuratis pietatis Christianæ hostibus, à Rictiouaro Præside, Sanctorum truculento tyranno; barbara immanitate excruciati, propter strenuam diuinæ veritatis & humanæ redemptionis assertionem, abscissis ceruicibus ad triumphos æternos euolàrunt: Hi duo Christi generosi pugiles, è Romanæ nobilitatis alto stemmate procreati, cùm ad salutarem Christi agnitionem cœlesti munere peruenissent, propagandæ eius gloriæ desiderio incensi, vnà cum Crispino & Crispiniano, Quintino & Luciano aliísque sex æquè ingenuis ac religiosis commilitonibus, Romà in Gallias profecti, Remos primò concesserunt, vbi copiosa pietatis semina dispersêre. Tum Suessiones progressi, vt charissimis Symmystis Crispino & Crispiniano nauiter proscindendo amplo huic

SS. RVFINVS & VALERIVS.

nouali insudantibus suppetias ferrent : communicato cum iis consilio, in loco qui Bazochium dicebatur sexto ab vrbe lapide, substiterunt. Hic mirabili pietatis industria, publici horrei custodia impetrata & recepta : (è cuius penu sine diminutione annonæ, egenis pia subsidia, diuina ope præstiterunt:) ad fidei lumen plurimos perduxêre, ædiculámque construxêre, in qua diuinæ maiestati religiosa obsequia rependebant. (cui postea basilicæ nomen proprio quasi vocabulo inditum, vicum etiam ipsum insigniuit.) Horum famâ ad Rictiouari aures delatâ, ferox iudex ipsos mox ad se vinctos iussit perduci, póstque districtam inquisitionem repertos in professione puræ fidei immobiles, magno ferri pondere pressos detrudi fecit in tenebrosum carcerem. Deinde eductos diis mox litare, vel acerba perpeti adigit. At cùm egregia eorum pietas atrocibus minis nihil cederet : tum exquisitis tormentis eos sæuus Præses aggressus equuleo distentos, adeo dirè vt commissuræ ossium laxarentur, flagris etiam immaniter dilacerari iussit. At tortores ipsos cùm fatigaret Sanctorum virtus, eos rursus fecit in ergastulum recludi. Vbi diuinus eos nuntius visitans duas illis coronas pretiosas, eisdem ostendit præparatas. Itaque paulò pòst educti ad extremum agonem, plumbatis primùm cæsi : cùm in Christi confessione constantissimè persisterent, demum extra vrbem ducti ad littus amnis Vidulæ, non longè ab Axona flumine, gladio percussi sunt. Sícque inter palmarum fructus mortui, properantes spiritus ad æthera, in victoria effuderunt. Quo loco diuinitus ingrauata eorum sacratissima cadauera, quoadusque trophæa altiùs infixissent permanserunt: nec enim inde submoueri à fidelibus potuerunt : donec pace parta Ecclesiæ, fidéque publicè recepta : inde Suessionem delata fuerunt, non sine diuinæ gloriæ magnificentia, & Ecclesiastici comitatus celebritate. Viennæ Allobrogum sancti ÆTHERII Episcopi & Confessoris, viri in omnibus eximij, qui post beatum Domnolum, sedis huius creatus Pontifex, pietate, iustitia & misericordia in eo munere prælucens, æternæ gloriæ præmia demeruit. Item ibidem sancti Bobonis eiusdem Ecclesiæ Episcopi & Confessoris, qui post Dadolenum sedens, præclaris sacri officij exercitationibus gregem suum ad pietatem prouexit : deinde vita religiosè acta, relictísque perfectæ sanctitatis testimoniis : in Domino obdormiuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Æthe-rius.

AVRELIIS liberatio vrbis diuinitus facta per sanctum ANIANVM Episcopum, quando Huni ipsam ciuitatem obsidentes, ipsius sancti Episcopi precibus profligati sunt. Virduni depositio beati RICHARDI Abbatis sancti Vvintonis, magnæ sanctitatis viri. Tolosæ inuentio corporis sancti EXVPERII Episcopi & Confessoris, cuius depositionis dies celebratur 28. Septembris. *Anianus.* *Richardus.* *Exuperius.*

Decimo septimo Kalend. Iulij. Luna

15 E XII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	13	14	15	16	17	18			

AVRELIIS prima translatio sancti ANIANI Episcopi & Confessoris: cùm pretiosum eius corpus ex Ecclesia sancti Laurentij quæ sita est ad Occidentalem partem ciuitatis, (vbi primùm tumulatum fuerat) ad nouam sancti Petri basilicam ex aduerso eiusdem vrbis sitam, eo quo decebat honore transuectum est: psallentibus hinc inde clericorum vniuersis ordinibus, concurrente innumera plebis multitudine ciuium, & circumpositæ regionis incolarum: præuiis crucibus, accensis innumeris lampadibus, signis etiam affulgentibus diuinis. Qua cùm venerabili sarcina elata sunt etiam pignora sacratissima, BAVDELII & SCVBILII Martyrum: MONITORIS & FLOSCVLI eiusdem ciuitatis Episcoporum, EVSPITII Abbatis Miciacensis primi; necnon beatæ AGIÆ matris sancti Lupi Episcopi Senonensis & Confessoris. Solemnis huius euectionis memoria iam ab hinc in Ecclesia & diœcesi celebris, fastis sacris inscripta daret hoc ipso quo die peracta est. Sagij sub secundo Lugdunensi ordinatio sancti ALNOBERTI Episcopi & Confessoris. Hic ab adolescentia religiosis institutis exercitatus: cùm in magnam euasisset doctrinæ & sanctimoniæ existimationem, decedente Roberto Sagiorum Præsule, creatus in eius locum Antistes, mirificis piarum actionum exemplis, non minùs quàm præclaris documentis gregem suum recreauit: intérque sanctissimos Ecclesiæ proceres, in Rotomagensi Concilio quod à sancto Ausberto Metropolita coactum est considens, sua præsentia & suffragiis, sacri huius conuentus dignitatem plurimum adauxit. Deinde Episcopalis administrationis & sanctissimæ côuersationis laude clarissimus quieuit in Domino. Ipso die in agro Cameracensi depositio ac repositio sancti LANDELINI Abbatis Crispiniensis, qui diuino planè opere ex lupo factus agnus, ex coruo columba, ex præ-

SS. ANIANVS. BAVDELIVS, SCVBILIVS, MONITOR, FLOSCVLVS, EVSPITIVS & AGIA. ALNOBERTVS. LANDELINVS.

datore pastor ac prædicator eximius: fundator quatuor cœnobiorum extitit: quæ non tam muris fulsit, quàm sanctis ornauit moribus, piisque institutis communiuit. Demúmque post multa charitatis opera & sanctitatis merita ad beatam immortalitatem profectus est. Ipso die Aruernis felix emigratio S.

ABRAHAM. ABRAHAM Abbatis & Confessoris Sanctorum præconiis celebratissimi. Hic ad litus Euphratis exortus, diuino accensus amore, vt purissimæ vitæ instituta perdisceret, solitudines Ægypti, in hisque sanctos Eremitas cœlestibus rebus intentus perlustrare constituit. Eo autem dum tenderet, ab ethnicis comprehensus, multisque pro Christi nomine affectus verberibus in vincula etiam coniectus est. in quibus eximia patientiæ exultans voluptate, tandem vt aliis prodesset, iam opus perfectum habens ab Angelo solutus, atque plagam Occidentalem adire iussus, Gallias petiit, Aruernósque adueniens ibi ad basilicam Sanctorum Cyrici & Iulittæ stationem fixit, cœnobiolúmque extruxit. Tum miræ virtutis clatus eluxit indiciis, dæmones fugans, cæcos illuminans, morbósque vi orationis depellens: Cuius & virtute vinum deficiens admirabiliter auxit. Denique plenus dierum, at meritorum magis, placido fine obdormiens, in Domino conquieuit: ibidémque vbi coronam cœlestem demeruerat sepultus est. Ad cuius sepulchrum, (vt testis oculatus scribit Gregorius Turonensis) plerique frigoretici decubantes medicinæ cœlestis præsidio subleuantur. Infantes etiam deportati, à brama seu quiritatu sanantur. In Armorica

MAINVS. depositio sancti MAINI Abbatis, qui Christi zelo incensus moris ac operis præstanti virtute, ac diuini eloquij facundia multos ad fidem conuertit: impletóque cumulo meritorum beatæ patriæ perrexit ad gaudia. Eodem die translatio corporis sancti

DOMITIANVS. DOMITIANI Episcopi Leodiensis & Confessoris, quando iussu Caroli Magni VVuligisus Præsul Coloniensis, sacros eius artus miraculis coruscantes de tumulo leuauit: è quo manauit odor fragrantissimus. Cum pretiosis eius exuuiis etiam sacratissima

MONGOLDVS. ossa beati MONGOLDI Ducis & Martyris, cuius natalis colitur 9. Februarij de humo educta, quod similibus signis clarerent, eadem honorificatione decorata sunt. Rutilat etiam hæc dies purpurata

VITVS. cruore S. VITI nobilissimi Christi testis & militis: cuius post agonem quem hodie gloriosè in Lucania compleuit sacrum corpus Româ vbi diù conditum iacuit, in Gallias delatum per Futaldum Abbatem, in cœnobio pretiosi Christi Martyris Dionysij multo honore repositum est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

IN Normania cœnobio Fiscanensi dedicatio basilicæ sanctissimæ Trinitatis.
Moritur pio fine apud Claram-Vallem VVALTERVS Monachus, S. Bernardi *Vvalterus.*
discipulus. Hic adhuc infantulus, à matre sua præfato beato Bernardo, ad benedi-
cendum oblatus, cùm vir Dei manum extenderet, eam ad os suum trahens pluri-
bus vicibus osculatus, quasi auctæ toties benedictionis præsagium retulit. Magnum
enim illum futurum, sanctus ipse prædixit. Cuius vaticinij fidem Vvalterus ne fal-
leret mox ac adoleuit sæculi pompam fugiens, monasticam amplexus professio-
nem, ea sanctitate præfulsit, qua cunctis venerabilis, Deóque gratus, obiens, bea-
titudinem adeptus est. Eodem die in Pratea Præsulatus Bituricensis mortali sor-
te exemptus est piæ memoriæ ABRAHAM Abbas, vir qui cùm omni virtutum *Abraham.*
genere præstaret, florem maximè virginitatis immaculatè coluit: quam bonis ope-
ribus fœcundans, plena sanctitatis fruge ditatus, processit ad præmium. Item ipso
die obiit felicis memoriæ AGNES virgo Sanctimonialis de Rameya in Belgio, *Agnes.*
quæ à primæuo iuuentutis flore diuina gratia præuenta, sese totam diuinis obse-
quiis mancipauit, in monasticáque obseruantia educata, tantam ad perfectionem
conscendit, vt beatitudinis sibi præparatæ præscia fieri meruerit: quam & adepta
est placida consummatione.

Decimo sexto Kalendas Iulij. Luna

16 F xi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19			

VESVNTIONE Sequanorum Metropoli natalis Sancto- *SS.*
rum Martyrum FERREOLI Presbyteri & FERRVTIO- *Ferreolus & Ferrutius.*
NIS Diaconi, qui à sancto Irenæo Episcopo Lugdunensi eò ad
verbum Dei disseminandum missi, dum hanc prouinciam fe-
licissimè gerunt, & ingentem multitudinem à tenebris ad lu-
cem, à seruitute ad libertatem, à perditionis via ad auspicatis-
simum adducunt tramitem indeterminatæ beatitudinis. Tan-
dem ad mortem pro Christo subeundam cœlesti animati viso:
Claudij Iudicis mandato comprehensi, cùm constanter in fi-
dei confessione perstarent, ad trochleas extenti, flagellis cæsi,
deinde in carcerem iterato compacti, & post triduum adducti
ad Iudicem, Christi præconia quia altius efferebant, idoláque
execrabantur, linguarum exsectione mulctati sunt: cúmque
nihilominus cœlesti virtute præditi trunci linguis magnalia
Dei eloquerentur, & astantibus fidelibus Christianæ pietatis
mysteria monitis assiduis infigerent: Iudicis magis exardescen-
te sanguinolenta rabie, claui trabales sacris eorum capitibus
in modum coronæ ferreis malleis impacti sunt: postea trigin-
ta vtrique subulæ ferreæ acutissimæ pedibus, manibus, pecto-
ríque infixæ. At in his horrendæ atrocitatis suppliciis, cùm
Christi athletis animus erectior fieret: ipsíque pœnarum irri-

ſores, tortorum triumphatores, ſibi ferè tot ora ad Dei laudes celebrandas aperta proderent, quot corpori inflicta vulnera: tandem impius Iudex irrita cadere aduertens artificia ſuæ feritatis, gladio plexos, extremo putans afficere ſupplicio; at ſupremo reuera honorans magnificentiſſimæ victoriæ trophæo, cœlo ouantes tranſmiſit. Quibus percuſſus, tanta ex eorum corporibus odoris fragrantia emanauit, ac ſi cuncta eò loci thymiamata efferbuiſſent, omnéque balſamum redoleret: Deo Sanctorum ſuorum corporibus hunc ſuffitum prouidente, vt conſtaret bonum eos Chriſti odorem & hauſiſſe & exhalaſſe. Quorum corpora Chriſtiani nocte ſublata, in crypta vbi ſacra agere ſolebant, congruo loco & cultu ſepelierunt. Sancti verò Martyres quo inſigniori fuêre triumpho coronati, eo poſt glorioſum agonem amplioribus meritorum ſplendoribus refulſerunt: perpetuam vrbi quam Chriſto fuſo cruore pepererunt prætendere ſoliti, ſuæ opitulationis clientelam. In quam illud hactenus obſeruatum eſt, perpetuæ eorum prouidentiæ argumentum, quod impendente ipſi ciuitati publico quopiam malo: viſuntur duæ ſplendidiſſimæ faces, quæ ciuitatis mœnia ac propugnacula obambulant, ſuóque quaſi præſidio communiunt, ingenti circumuallantes lumine & ardore. Quod antè non multos annos cùm hæreticorum exitioſæ acies, Catholicæ omninò vrbi imminerent, experimento deprehenſum eſt. Tunc enim impiæ phalangæ iam in vrbem irruentes, auſpicatò fulgentibus diuinis his luminaribus, detectæ, deterritæ, mœniiſque deiectæ ac prorſus profligatæ ſunt: ſicque Sanctorum virtutem ſuo damno expertæ, quorum fidem oppugnant, memorias delent, & honorem cultúmque perfidè inſectantur. Eodem

CYRICVS & IVLITTA. die Natalis Sanctorum Martyrum CYRICI pueruli, & IVLITTÆ eius matris. Qui Antiochiæ memorabili agone, quem orbis vniuerſus admiratus eſt, confecto, palmas immarceſsibiles receperunt. Quorum ſacratiſsima pignora inde in Gallias per ſanctum Amatorem Autiſsiodorenſem Epiſcopum (cùm in Orientem peregrinatus eſt) allata, ambitioſáque populorum petitione diſpertita, ſacraria plurimarum Eccleſiarum ditauerunt: eámque in ipſos Martyres excitauerunt Chriſtianæ gentis deuotionem, vt baſilicæ multæ in eorum cœlitum honorem mox fuerint conditæ, monaſteria ſacrata, trophæáque alia permulta, glorioſæ eorum memoriæ, paſſim ea in ampliſsima regione erecta. At maximè tantorum beatorum eſt in his locis natalis hodie conſpicuus & celebris, vbi vel depoſita eorum ſacra lipſana quieſcunt: vel venerandi patrocinij titulus fulget triumphalis:

phalis:

phalis: Niuernis scilicet, cuius ciuitatis cathedralis Ecclesia sacræ est eorum nuncupationis nobilitata insigniis, aliquótque etiam ornata reliquiis, Tolosæ itidem & Arelatæ vbi præcipua ipsorum pignora reposita sunt. Hîc in sanctissimæ Trinitatis æde: Illic in Ecclesia sancti Saturnini præcelsi Episcopi & Martyris. Item in Elnonensi cœnobio in Hanonia, necnon in monasterio ipsis martyribus sacrato in Præsulatu Carnotensi. Et Aruernis in antiquissima ipsorum nominis Ecclesia, in qua hodie cantatur officium ipsorum Martyrum, olim memoriter recitatum, per Sidonium Apollinarem, huius municipij Præsulem. Item in agro Parisiensi vico Villæ Iudeæ dicto, vbi antiqua est Ecclesia parœcialis eorum nomine & lipsanis aliquot prædita. Eodem die Viennæ Allobrogum sancti DOMNOLI Episcopi & Confessoris, qui sancto Desiderio laborum præmiis coronato succedens: noua huic Ecclesiæ virtutum lumina ostendit, charitatéque maximè affluens in redimendis captiuis plurimam impendit copiam & operam. Hincque pietatis ditatus cumulis, repromissam à Domino accepit misericordiæ viris mercedem. Lugduni sancti AVRELIANI Arelatensi Episcopi & Confessoris, Auxentij successoris. Hic magnus suo æuo non minùs meritis quàm fama Antistes, cœlesti sua virtute & admirandæ vigilantiæ studio, Ecclesiæ multis impetitæ procellis præsidia maxima præstitit. Factúsque à Vigilio Pontifice summæ Sedis in Gallia Legatus, quatuor generalia Concilia promulgauit. Regibus reuerendus, auctoritate sanctitatis qua pollebat, hos non semel à malis cœptis auocans, ad religionis cultum & Apostolicæ sedis obsequium pariter & subsidium monitis suis inflexit. Episcopis tanquam Pater, doctrina, zelo disciplinæ, & eximiis pietatis exemplis præluxit. Clero & populo dictis & factis salutis vias indicauit: demúmque plurimis fortiter ac religiosè gestis, diuina exactæ dispensationis præmia adeptus est. Cuius memoria ob patentem sanctitatis euidentiam, iam olim Ecclesiæ decreto consecrata: Lugduni quidem hodie consignata (quia hic dum ad sedem rediret obiit) in sacris claret tabulis. At Arelati die duntaxat sequenti propria colitur veneratione: eo quod in ipsum diem quo ad cœlos migrauit, incidit natalis Sanctorum Martyrum Cyrici & Iulittæ, quorum, vt superiùs dictum est, trophæa celebriter colit, palmásque adorat ipsa matrix Ecclesia, ob eorumdem pignora sacrosancta, reposita in basilica diuinæ Triadis. Ipsomet die Nannetis in Armorica S. SIMILIANI Episcopi & Confessoris, qui sub Diocletiani & Maximiani sæuissimo principatu clauum

DOMNOLVS.

AVRELIANVS.

mysticæ nauis, fluctibus grauissimis ac flatibus horridis quassatæ, intrepidè gerens, in serenas auras felici remigatione cimbam creditam direxit. Superatis enim procellis primus in hac vrbe Antistitum Christianæ religionis tot Martyrum cruoribus purpuratæ, splendidum Meridiem aspexit: cuius & pacem piis sudoribus promeritus est: Se enim non semel, dum impiorum ferocia magis arderet, Pastor bonus vt oues suas tegeret ac protegeret rabidis lupis obiecit: quorum & diras in se iras frequens perpessus, Dei ope semper euicit aut euasit. His in colluctationibus occumbentes gloriosos Christi pugiles Donatianum ac Rogatianum, sanctissimus Antistes propriis manibus sepeliuit: atque congruo honore funeratus est. Tandémque gloriosis perfunctus laboribus, Ecclesia in tranquillum deducta, mirísque sanctitatis suæ meritis illustrata, vir sanctus æternæ pacis candidatus quieuit in Domino. Colit veneranda eius ossa impensiori cultu Ecclesia Nannetensis, quo arctiori deuotæ recordationis nexu, sese eidem deuinctam confitetur: eius enim ac prædictorum Martyrum præsidiis ciuitatem ipsam perenniter recolit dudum fuisse liberatam, à Barbarorum obsidentium furore. Remis sancti BERTHALDI Confessoris emeritæ beatitudinis testimoniis præclari. Ibidem translatio sancti Rigoberti Episcopi huius metropolis & Confessoris facta ab Heriueo Archipræsule ex basilica sanctæ Mariæ ad ædem sancti Dionysij. In Sithiuensi cœnobio, inuentio S. BERTINI Confessoris eiusdem Asceterij patroni, facta à sancto Folquino Morinorum Episcopo. Item Bergis translatio sanctæ LEVVINÆ Virginis & Martyris, cuius corpus allatum est ex Anglia per Balgerum Bergensem Monachum, ad sancti Vuinoci cœnobium: vbi postea per miracula copiosa, dilectæ Deo athletæ merita refulserunt. Aquiriæ cœnobio in Brabantia transitus sanctæ LVTGARDIS Virginis, miro deuotionis æstu, prophetiæ spiritu, virtutum splendore, sed præcipuæ charitatis ardore & miraculorum gratia præcellentissimæ: cuius egregia decora tribus depinxit codicillis piæ memoriæ Thomas Cantipratensis condiscipulus sancti Thomæ Aquinatis. Merita verò præclara vniuersalis Ecclesiæ agnouit, percolendáque statuit, perenni venerationi memoria illius publicè consecrata, vt liquet ex hodiernis diptychis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

BERTHALDVS. BERTINVS. LEVVINA. LVTGARDIS.

METIS translatio Sanctorum Episcoporum PHRONIMII & LEGVNTII è crypta Ecclesiæ S. Clementis ad superiorem ædem. Middelburgi in Belgio commemoratio miraculi, quo sacrosancta hostia in veram & apparentem Christi carnem commutata est. Cuius media pars Middelburgo oppido ab hæreticis occupato, hinc allata Louanij apud Augustinianos condigno cultu seruatur cum mappæ portiuncula, in qua hodieque tres miraculosi cruoris guttæ apparent. Item Duaci aliud miraculum quo Christus ipse in diuina hostia existens, quibusdam astantibus in effigie pueri: aliis in forma dolorum viri, subinde & in figura crucifixi: quin & specie rediuiui, honoreque exaltati redemptoris apparuit plerisque in Ecclesia sancti Amati: vbi in hunc vsque diem miraculosa illa hostia religiosè seruatur. Iterum in Eschensi Ecclesia prope Boxtellam aliud prodigium: cùm effusus calix consecratus ex vini albi specie, in sanguinem valde rubrum conuersus est. *Phronimius & Leguntius.*

Decimo quinto Kalend. Iulij. Luna

17 G x.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20			

VESVNTIONE Sequanorum Metropoli passio sancti ANTIDII Episcopi & Martyris, qui Martyri Germano digna vice sublectus, Episcopatum Apostolico planè spiritu & decore petegit. Fidei orthodoxæ gloriosus præco & assertor, Arianæ impietatis strenuus insectator, Sanctorum operum sedulus artifex, atque etiam mirabilium munificus patrator, de quo illud insigne legitur: quod vexillo triumphans dogmatis, pietatis succinctus balteis, charitatis refulgens radiis, quicquid populis panderet eloquio, actu seruaret & animo. His igitur sacrum munus dum obiret ornaretque insigniis, in persecutione Vvandalorum qui Gallias exitioso incursu euertebant, glorioso agone promeruit coronari. Dum enim Pastor bonus sese pro grege interponeret, à Chroco horum Barbarorum Rege tentus, atque pro Christi confessione in faciem cæsus, multisque vulneribus dilaceratus, tandem gladio interemptus est. Verùm athletæ excisum caput Dei laudes mirabiliter cecinit. Spiritus ad æternos triumphos euolauit. In territorio Liugonensi Villa de Marcenay depositio sancti VEROLI Confessoris, qui stirpe nobilis, at pietate magis, Deo deuotus, bonis operibus intentissimè intendens, & ad patriæ supernæ aditum viam sibi omni sanctimoniæ studio & conatu muniens, calcati sæculi, subiugatæ carnis, domitique Satanæ trophæis insignis, sub Gunttamno Rege omnis etiam religionis amantissimo, in summa *SS. Antidius. Verolus.*

animi suauitate migrauit in cœlum. Colitur potissimum Castellione ad Sequanam: quo loco Isaac Episcopus Lingonensis piissimus, sacratissimum eius corpus è dicto vico de Marcenay, vbi obierat, magna honorificatione aduectum, colendum pro exploratæ sanctitatis meritis dignè reposuit. In agro Carnotensi depositio sancti AVITI Abbatis Miciacensis & Confessoris clarissimi, cuius sanctitas futura, ab ipso eius ortu diuino signo emicuit: cùm enim mater eius pareret, lux supernè delapsa, totum cubiculum suo fulgore repleuit. Et re vera filius ille lucis extitit. Puer enim adhuc tenellus sese Deo toto ex corde offerens consecrauit. Ad Miciacense cœnobium deinde pergens, ibi sub sancto Maximino Abbate segregatæ à sæculo vitæ instituta complexus, mira floruit simplicitate, innocentia, deuotione, puritate. At charitate in pauperes sic flagrauit, vt victum & vestitum sibi collocatum eis clam diuideret. Hinc crescente virtutum fama, permissu Abbatis in Secaloniam loco deserto secessit, *Viatore* & *Læto* sociis duntaxat assumptis, vt liberiùs cum eis ab hominum semotus conspectibus & existimatione, Deo seruiret. Paulò pòst sancto Maximino carne soluto, in eius locum quæsitus est, iubentéque Episcopo Aurelianensi, cui nefas videbatur resistere, Abbas institutus. At suscepti honoris impatiens, paulò pòst rursus in eremum fugit, vastámque Partici solitudinem vt se occultaret expetiit: & in loco qui Piciacus dicebatur, nunc verò Cella sancti Auiti, modico degens tugurio, arboribus sibi victum præbentibus, in Christi purissimo famulatu, cœlestiúmque rerum assidua meditatione non modico tempore permansit, charus Deo, Angelis familiaris, hominibus incognitus. Verùm tandem fama eius per quemdam subulcum, quem ibidem signi crucis impressione sanauerat, diuulgata: inde hominum ad eum excitato concursu, miraculis cœpit etiam coruscare continuis: cæcos illuminare, languores curare, morbos omnes ab infirmis depellere. Nec his tantùm terminis, virtus mira patrandi cœlitus indita, hæsit: nam & mortuum Miciacensem cœnobitam, vir Dei fusa cum profluo lachrymarum imbre, deuota oratione ad vitam reuocauit. Quod stupendum diuinæ virtutis opus sanctus Leobinus Episcopus Carnotensis, qui Monachum vitæ restitutum vidit, grauissimo præconio testificatus est. Denique vir beatus, felicis consummationis prænuntiato die, prope Castrum Dunum, Carnotensis parœciæ pagum, purissimum superísque gratissimum in cœlum spiritum emisit. Adque Aurelianense solum corpus eius non sine Dunensium

AVITVS.

cum Aurelianis, pia altercatione relatum; centum ab vrbe passibus eximio honore tumulatum fuit: quo in loco postea Childebertus Francorum Rex, voti memor quo se obsttinxerat, templum in sancti ipsius Confessoris memoriam ædificaturum, si prosperè ex Hispania regrederetur, sumptuosam basilicam redux cum gloria extruxit: quam diuina Maiestas sancti sui merita clarificans, innumeris etiam miraculis exornauit. Viennæ Allobrogum ordinatio sancti AVITI Episcopi & Confessoris gloriosissimi, cuius transitu beatissimo insignis est dies 6. Februarij. Leonij in Armorica sancti HERVÆI Eremitæ, qui corpore simul & mente purus, Angelica conuersatione nitens, iustitiæque manipulis onustus ad Christum migrauit. Vir iste Deo gratus à puero cœlo inhians, sanctitatis futuræ egregia specimina prodidit. Cúmque eius mater lege viri soluta in desertum abdicatis omnibus se Christi amore recepisset: vbi sub tuguriolo ex arborum virgultis constructo, in magna abstinentiâ & continuis orationibus ad extremam vsque vitæ horam permansit: dilectus Deo adolescens, quo se diuinis obsequiis & sanctis exercitationibus perfectæ vitæ, cuius cupidus erat, præpararet: postquam satis literis incubuisset: desiderio matrem visendi incensus, assumpto *Vulfredo* viro egregiæ pietatis, desertum petiit, obuiúmque lupum furentem confisus adiutorio altissimi capisterio alligauit. Hinc ad tuguriolum matris perueniens, quæ extrema infirmitate laborabat, post mutuæ consolationis colloquia: in quibus ipsa sibi supremum adesse momentum diuinitus edocta, filio (cuius admodum visu lætificata est) id intimauit. Hæsit igitur illic donec ipsa ad supernam patriam ad quam anhelabat commigrasset: impletóque in eius sepultura pietatis officio: cùm secessum meditaretur, ab Hordono Episcopo inuitè ob clara diuinæ gratiæ insignia in Clerum cooptatus, atque quod affectu humilitatis, sublimiorem gradum recusaret Exorcista ordinatus: Angelico monitu, se paulò pòst subducens in horridum quoddam desertum iuxta Lixenam fluuium sibi cellulam struxit: vbi annos aliquot Deo notus, ignotus hominibus velut aurum sub humo delituit. At Deo volente postea ad visendum quendam Abbatem religione præcipuum egressus, ad cellulam suam cùm remearet: Helenum Comitem, totámque eius familiam ab excidio horrendo quod funestus dæmon humano tectus simulachro illi parabat liberauit, tetrúmque spiritum Dominicæ crucis signo & imperio diuino fugauit. Demum cùm multis annis in eremo, Christo vir beatus seruiisset, Angelico

Avitvs. Hervævs.

nuntio de proxima morte admonitus est. Morbóque correptus, ab Episcopó visitatus ab eodem sacrum immortalitatis pignus deuotè popoſcit & accepit : cœleſtique harmonia perſonante beatam animam exhalauit. Ipſo die ſancti ADVLPHI Vltraiectenſis Epiſcopi, qui ſancti Botulphi Abbatis frater ex Anglia in Gallias traiiciens, ob ſanctiſſimæ vitæ conſpicuas dotes in hanc ſedem euectus, admirandis vitæ & doctrinæ actibus gregi ſuo præluxit: deinde in magna meritorum affluentia vitam finiuit: imò potiùs morte diſſolutus ad vitam æternam profectus eſt. Hareæ in Belgio ſancti IVLIANI Confeſſoris, ſancti Landoaldi (Archipreſbyteri beati Amandi) præcipui ſymmyſtæ: quo cum religioſiſſimè viuens, etiam feliciſſimè quieuit. Huius oſſa diuino nutu quaſi rediuiua germinauerunt. Cùm enim ob Normanorum incurſionem in ciſternam, vna cum ſancti Adriani Confeſſoris, & ſanctæ Landradæ Virginis reliquiis fuiſſent ad abdendum protruſa, multò pòſt per Sarabertum preſbyterum iuſſu diuinæ voces è luto eruta, ac congruo cultu eleuata ſunt. Qua in repoſitione Sigeburgis Hydropica matrona deuotis precibus horum beatorum præſidia implorans, incolumitatem recepit. Eodem die Foreſtenſi in cœnobio virginali haud procul à Bruxellis facta eſt tranſlatio ſanctæ ALENÆ Virginis & Martyris per Godeſcalcum Affligemienſem Abbatem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

(Margin: ADVLPHVS. — IVLIANVS. — ALENA.)

Fulco. REMIS hoc ipſo die occiſus eſt ab impiis beatus FVLCO Archiepiſcopus Remenſis iurium Eccleſiæ ſtrenuus defenſor, egregius diſciplinæ vindex, omniúmque virtutum ſtudioſus æmulator: qui Remigio Autiſſiodorenſi, clariſſimo ſapientiæ Chriſtianæ oraculo ad ſe euocato Scholas Remis reſtituit. Oſſa ſancti Calixti Papæ & Martyris, ſanctique Gibriani & ſociorum in vrbem aduecta, magno honore recondidit. Eccleſiæ ſuæ multa bona impertiuit; variiſque in Normanorum incurſu, affectus tribulationibus, demum etiam pro Eccleſiaſtici iuris aſſertione à Vvinemaro Comitis Balduini filio, ſacrilego Eccleſiaſtici patrocinij inuaſore, lanceis confoſſus eſt. Sepultus eſt verò in gremio baſilicæ ſancti Remigij cum inſigni virtutum ſanctiſſimæque adminiſtrationis, & ditæ necis pro iuſtitia & pietate toleratæ elogio. Cuius interemptor impius Vvinemarus ab Epiſcopis Regni percuſſus anathemate, cùm perpetratæ iniquitatis noxam condigna pœnitentia non elueret, inſanabili à Deo percuſſus eſt vulnere, ita vt computreſcentibus carnibus, viuus à vermibus deuoraretur: & dum propter immanitatem fœtoris nullus ad eum accedere poſſet, miſerrimam vitam miſerabili clauſit deceſſu.

Decimo quarto Kalendas Iulij. Luna

18 A IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21			

BVRDIGALÆ ſancti AMANDI Epiſcopi & Confeſſoris, ſancti Paulini Nolani amicitia & præconiis celebris: at magis ſanctimoniæ & præclarè actorum in Epiſcopatu meritis illuſtris: Quo tamen, admirabili humilitatis exemplo, vt ſanctum Seuerinum, quem ſe putabat digniorem, proueheret, ceſſit: deindéque illo felici exitu conſummato, abdicatum diuino iuſſu repetens locum, maiori quam antea doctrinæ & virtutum fulgore repleuit. At demum perfunctus ſanctiſſimæ vitæ actibus quieuit in Domino: à quo miris glorificationis receptæ teſtimoniis, in ſuis finibus, magnificatus eſt. Lugduni ſancti GEBVINI Epiſcopi itidem & Confeſſoris, qui ſtupendæ adeo fuit humilitatis, vt cùm primæ ſedis eſſet in Gallia Epiſcopus, Primáſque à beato Gregorio VII. Papa fuiſſet Apoſtolico diplomate declaratus, non tamen in eo dignitatis faſtigio, alio vnquam titulo vſus eſt, quam *Preſbyteri Eccleſiæ Lugdunenſis* ſimplici denominatione. Diuitiarum inſuper egregius aſpernator, has ex pietatis genio in religioſa opera ſtudioſè impendit. Nam ædes ſacras plurimas inſtaurauit, ornauítque. Sancti Petri Matiſconenſis ædificauit Eccleſiam, quam cenſu & collatis iuribus ſuffulſit. In egenos prodigus, ſibimet vt ipſos ſolaretur inopiam conflauit. Moribus Cleri, Eccleſiaſtico honori, diuino cultui, populi ſaluti vindicandis ac propagandis ſedulo incubuit. Deinde tot piis laboribus exornatus feliciter ex ſtadio excedens lauream, quam in diuino famulatu promeruerat, adeptus eſt. Sepultus autem in ſancti Irenæi Eccleſia diuinis mox emicuit ſignis. Vnde ad eius tumulum ſacellum extructum eſt & altare, ad quod infirmi plerique confluentes optata ſubſidia eius opitulatione receperant. Vim autem diuinam accepit potiſſimum vir beatus in ſubleuando podagra laborantes. Tametſi verò Caluiniano furore direpta fuerint veneranda eius pignora: tamen etiamnum vacuatum eius ſepulchrum, populi magna veneratione frequentant, experti, patrocinium adhuc ſancti huius in clientes vigere: tumulúmque ipſum quamuis eius oſſibus ſpoliatum: nihilominus

SS. AMANDVS.

GEBVINVS.

vim adhuc ex ſacratiſſimorum artuum contactu priſtinam retinere, & medelam potenti eius apud Deum interuentu ſupplicibus expromere perennem. Abrincis ſancti AVTBERTI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ad tantam ſpiritus puritatem peruenit, vt propter cœleſtem in terra conuerſationem Angelorum commercio frueretur. Huic beatus Michaël Archangelus apparens, monuit ſemel & iterum vt in loco maris, qui propter prominentem celſitudinem mons Tumba dicitur, Eccleſiam cum cœnobio conſtrueret, quam Deo in ſui commemorationem conſeruaret. Præſtitit quæ iuſſus eſt ſanctiſſimus Pontifex, operéque feliciter abſoluto, & Epiſcopatus glorioſè exacto decurſu, ad cœlitum, quorum puritatem æmulatus fuerat, conſortium beatiſſimum, duce ipſo Angelorum Principe, cui tam deuotè obſecutus fuerat, lucémque immortalem petrexit.

AVTBERTVS.

MARIA cognomento doloroſa.

Voluæ in Brabantia prope Bruxellam beatæ MARIÆ cognomento doloroſæ Virginis & Martyris, innocentiæ præmio coronatæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, & Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Guilielmus.

IN Chriſti pace obdormiuit beatæ memoriæ GVILIELMVS prior XXVII. ordinis Carthuſiani: vir multæ abſtinentiæ & pietatis, qui miraculorum gloria ante & poſt obitum admodum clarus effulſit.

Decimo tertio Kalend. Iulij. Luna

19 B VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22			

SS. GERVASIVS & PROTASIVS.

NATALIS Sanctorum Martyrum GERVASII & PROTASII: quorum venerandis coronis cùm permultæ baſilicæ vbique, tum maximè in Gallia tres cathedrales Eccleſiæ Sueſſionenſis, Sagienſis ac Lectorenſis conſecratæ ſunt. Lutetiæ etiam dedicata ædes inſignis: quam cùm ob Sanctorum ipſorum memoriam beatus Germanus glorioſiſſimus regiæ ipſius vrbis Antiſtes, orandi ſtudio frequentaret: eius fores (vt qui aderat teſtatus eſt Fortunatus) ſibi occluſas crucis ſignaculo reſerauit. Permultæ inſuper Eccleſiæ, ſacelláque toto in regno iiſdem ſanctiſſimis Chriſti teſtibus ex maiorum pio affectu cenſentur nuncupatæ: pignoribúſque etiam eorundem pretioſis ditatæ, quæ iam diù Deo propitio per totum Galliæ ambitum, vt ſcripſit ante mille annos ſanctus Gregorius Turo-

nensis delata sunt. Ipso die Cenomanis sancti INNOCENTII Episcopi & Confessoris, qui post beatum Principium huius Ecclesiæ Pastor ob merita præcelsa constitutus, oues Christi mira prudentia & charitate pauit. Sanctitatísque gloria florens, beatæ æternitatis admissus est ad præmium. Eodem die sancti DEODATI Niuernensis Episcopi & Confessoris, viri vt beatus ait Petrus Damiani *summæ sanctitatis*, qui editis pastoralis vigilantiæ præclaris officiis, vt cœlestibus rebus quibus à puero intentus fuerat vacare posset, se præsulatu abdicans in montem Vogesum, quem serui Dei incolebant concessit: vbi diù hæsit pietatis, humilitatis & admirabilis abstinentiæ decore refulgens. Túmque vt sanctitatis laudem declinaret, quam miracula etiam conciliabant, ad Alsatiæ fines profectus, eum in locum se recepit qui Sylua sancta dicitur. At cùm ibi latere percuperet, malitia incolarum exagitatus, solum vertere coactus est, donec tandem per montes & fragosas rupes iter faciens peruenit ad radices montis Comberti, in cuius decliui ædiculam cum asceteriolo, sub patrocinio sancti Mauritij & sociorum ædificauit: sodalésque pij voti studiosos aliquot adlegit, quibus præscriptam tradidit purissimæ institutionis regulam. His cum plantis, collis consita floreret, viri Dei præsentia vberior etiam regiuncula euasit: ita vt agri duplici fœnore incolarum horrea cumularent. Qua tamen in communi affluentia, vir beatus qui intra claustri latebras se suósque continebat, grauem perpetiebatur penuriam, adeo vt inedia pene fuisset enectus, nisi Deus serui fidelis extremam inopiam sua prouidentia subleuasset. Concussit enim Hunonem loci dominum (quem viso & comminatione terruit) commiserationis affectu, vt opportuna subsidia erogaret. A quo missa copiosa annonæ munera, Deodatus accipiens multam gratiarum rependit actionem. Nec deinceps cœnobio vlla res defuit, cùm multi pia æmulatione ad alendos Dei seruos bona pleraque conferrent, viri Dei sanctimonia, quæ miraculis etiam micabat, illecti. Ad quem ideo concursu perenni confluebant, non solùm vt corporis, sed etiam animæ auxilia consequerentur: Ita vt breui in hac valle quæ ampla & copiosa erat, octodecim Ecclesiæ cum suis cellulis fuerint constructæ. Sic omnibus ritè ad Dei cultum institutis vehementi febre correptus, quam perpetuo pietatis enixu contraxit, gloriosus Confessor in Christo quieuit, diuinásque quas iustitiæ operibus demeruit adeptus est repromissiones. Ad cuius cœnobium postea crebrescentibus ad eius inuocationem miraculis, creuit oppidum quod nominis eius insigniis fulget,

INNOCENTIVS.

DEODATVS.

& perpetuis fulcitur meritorum præsidiis. Vesuntione commemoratio sancti STEPHANI Protomartyris, ob recuperatum Dei beneficio cum signorum splendore venerandum eius brachium. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

STEPHANUS.

Edmundus. EDMVNDVS Augerius Societatis IESV Presbyter, patria Trecensis diuini verbi præco eximius: qui in Galliis multa & miranda pro fidei Catholicæ defensione patrauit, post fundata Turnonis, Tolosæ, Lugduni, Burdigalæ, &c. collegia; post constructa fortissima pietatis propugnacula editáque æterna diuinæ sapientiæ monimenta; denique animas innumeras Christo acquisitas: in Italiam, propter intestina Galliæ bella filius pacis profectus, Nouocomij sanctis confectus laboribus hodie in Domino requieuit, anno Christi triumphantis 1591.

Iacobus. Obiit Massiliæ IACOBVS Martinot oblatus ordinis Minimorum, vir magnæ austeritatis & abstinentiæ. A quo edita diuinitus pleraque referuntur. Tanto spiritus feruore in oratione excelluit, vt non semel extra se raptus, cùm deuotus Deo hæreret fuerit animaduersus.

Duodecimo Kalend. Julij. Luna

20 C VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	s
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23

SS. MAXIMINUS. TREVIRIS sancti MAXIMINI Episcopi & Martyris, viri octo beatitudinum sanctitate perfecti, qui post sanctum Martinum eam Ecclesiam simul cum Tungrensi, feruente adhuc persecutione, gubernans, multis de impietate fortiter impugnata reportatis trophæis, demum glorioso agone coronatus, Episcopatum suum consummauit. Sagij sub 2. Lugdunensi sancti LVTVINI Episcopi, qui de partibus Orientis adueniens, à sancto Clemente Apostolorum successore Roma in Gallias cum sancto Dionysio aliísque egregiis Euangelij præconibus directus est: in Neustriámque progressus, quam exitiosa dæmonum superstitio inquinabat, Euangelico lumine, sanctitatísque admirandæ splendore luem hanc longè latéque profligauit. Primus enim fuit vir iste Apostolicus, qui Sagienses, Oximenses, finitimósque populos ab impietatis caligine, ad Christianæ religionis lucem salutiferam abduxit. Quo in opere ab idolorum cultoribus diuersas perpessus est insidias, dirásque persecutiones: At nunquam pro votis satis asperas, cum Christi succensus amore, pro eo quæque extrema pati desideraret, adeo ardens Martyrij, vt sæpiùs mori se percupere pro Redemptoris gloria, affatim verbis proderet, & iaculatoriis

LVTVINVS.

precibus etiam non semel in die oraret, vt hanc gratiam tandem consequeretur. Zelo itaque æstuans quo Petrus, eadem ferè gloria etiam refulsit: cum morbis & languoribus oppressos, sola sui corporis vmbra ad sanitatem reduceret: eáque vitæ sanctimonia niteret, vt diuinæ veritatis præcepta quæ tradebat, non tam dictis exprimeret quàm factis. Cùm igitur in fidei Christianæ venerabile propositũ, inductas animas, quà miraculis, quà sanctis operibus, confirmasset, vir beatus parta Christo percopiosa filiorum sobole, totáq. circum regione ad amussim purissimæ religionis composita: relicto Regulo successore qui collectas oues pasceret, in cœlum profectus est. Eodem die in monasterio Fontanellæ sub eadem Metropoli sancti BAINI Taruanensis Episcopi & Confessoris. Is primùm eo in cœnobio Monachus deinde Abbas, cùm sibi non solùm, sed aliis etiam vtiliter viuendum arbitraretur, partim adhortationibus, partim literis, præclarísque puræ conuersationis exemplis, multos in hac prouincia vitæ æternæ desiderio inflammauit. Cuius sanctitatis & sapientiæ diffusa vndique fama, Dianto sancti Audomari successore, de medio post breue Pontificium sublato, Morinorum Episcopus (vt qui Sanctorum loco dignus omnium iudicio erat,) electus, Deíque vt res ageret consentiens tandem, ordinatus est. Susceptúmque onus insigni gerens morum integritate & curæ pastoralis instantia, ac religionis amplificandæ affectu mirum in modum exornauit. Dei gloriæ (qui in sanctis mirabilis est) percupidus, res beatorum diuinè gestæ vt in exemplum prodirent, literis transmitti ad posteros pia sollicitudine curauit. quo zelo concitus, sancti Vulfranni Archiepiscopi Senonensis, qui splendidis vitæ actibus tempora illa illustrauerat, vitam per Ionam Monachum Fontanellensem, stylo veraci & grauissimo describi fecit: id interim agens vt sanctæ vitæ exempla & viuus ipse proderet, & defunctus, non tam miranda quam imitanda relinqueret. Qui demum Deo dilectus, signis clarus, virtutibus præcellens, cùm suum in monasterium rediisset, ibi vocato suorum cœtu, mandatísque extremis editis ac deuotè salutis æternæ receptis pignoribus, vitam hanc fluxam terminans ad æternam cœlestémque commigrauit: póstque excessum felicem ob perspicua beatitatis insignia, inter sanctos relatus est. Ipso die Mediolani Santonum natalis sanctæ GEMMÆ Virginis & Martyris, quæ Christo ab infantia deuota, eidem pretiosum virginitatis munus diuinitus afflata consecrauit. Indéque cùm eximia corporis pulchritudine floreret, quam mentis præcelsæ dotes mirificè ador-

Bainvs. Gemma.

nabant: à patre Catilio viro illustri, nobilissimo vt nuberet iuueni modis omnibus tentata, quia adduci vt illi pareret non poterat: iussu eius furore perciti in carcerem coniecta est: tandiúque virgis & tormentis cæsa, vt tandem diuina puella quæ conditoris dilectione patienter omnia perferebat, ipsis in teneris corpusculi lanienis expirauerit. Sicque ad cœlestis sponsi quem vnicè amauit & coluit desideratissimas nuptias, fortis athleta euolauit.

ALDEGVNDIS. Truncini prope Gandauum sanctæ ALDEGVNDIS Virginis, filiæ sancti Basini è regia Francorum stirpe Principis & Martyris, quæ dedicato etiam Christo IESV in ipsis ætatis principiis purissimo virginitatis flore: sese sub regulari disciplina eiusdem obsequio addixit in ipsa Parthenona Truncinensi: póstque multos annos in suscepto religiosæ vitæ instituto sanctissimè exactos, agni etiam cœlestis sectatrix æterna fieri in cœlis demeruit.

ITISBERGA. Arcæ in Artesia translatio sanctæ ITISBERGÆ Virginis, Caroli Magni germanæ, cuius reliquiæ sacræ cùm à festo eius migrationis 21. Maij, tum hodie in huius oppidi Ecclesia magno fidelium concursu honoratur.

HELENÆ. Autisiodori translatio sanctæ HELENÆ Virginis, cuius gloriosus transitus anniuersaria celebritate fulget die 22. Maij.

FLORENTIA cum TILENO & MODESTO. Agathæ in Volcis Arecomicis repositio corporis sanctæ FLORENTIÆ matronæ & Martyris ibidem coronatæ sub Diocletiano Cæsare, cum TIBERIO & MODESTO, 4. Idus Nouembris.

FLORENTIA. Senonis eodem die commemoratio sanctæ FLORENTIÆ Virginis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum,* &c.

Joannes. IPSO die æternæ quietis viam ingressus est piæ memoriæ IOANNES Abbas I. Laudunensis, discipulus sancti Bernardi, vir multæ gratiæ & virtutis.

Vndecimo Kalend. Julij. Luna

21 D VI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24			

SS. MARTINVS. IN tractu Leodiensi, sancti MARTINI VII. Tungrorum Episcopi & Confessoris, ideo Apostoli Hasbanorum nuncupati, quòd in plerisque Hasbaniæ locis Christum prædicando, populum ab alta idolomaniæ cæcitate liberauerit. Verùm cùm ad Horion oppidum deuenisset, incolæ qui indigni erant salutatione pacis, nuntium salutis hospitio excipere recusârunt: variísque affectum contumeliis expulerunt: quas vir Dei Chri-

stiana mansuetudine tolerans, inde sine indignatione alia Hasbaniæ loca peragrauit, vbi diuini verbi disseminatione, incredibilem hominum multitudinem ad fidem conuertit. Deinde multis auctus meritorum cumulis, vir verè Apostolicus ad æternam processit felicitatem. Sepultus fuit Tungris: at subinde sanctus Seruatius, Traiectum vbi cathedram collocauerat, ossa eius signis micantia hierothecæ argenteæ includens honorificè transuexit. Eodem die Natalis sancti ALBANI Martyris, qui lustrata cum lumine fidei & virtutis Gallia, Moguntiam tandem pietatis studio excolendæ progressus, ibi cùm prædicaret Christi nomen, ab impiis in nemore comprehensus, suffocatus; in lacum proiectus, glorioso agone coronatus est. Ex cuius gurgitis aqua, leprosi cùm bibissent, diuinitus mundati sunt. Crescente verò cum fide miraculorum gloria: inde venerandum cadauer eductum Moguntiam delatum est, perpetua signorum claritate coruscans. E quo depromptæ reliquiæ, per diuersa Galliæ Belgicæ loca fuere ad patrocinia commemoranda delatæ; quæ sancti Martyris cultum mirificè apud hos populos prouexerunt. Qui & apud Normaniæ nonnullos populos hactenus etiam viguit. In pago Madriacensi Ebroicensis diœcesis depositio sancti LEVFREDI Abbatis & Confessoris. Hic tempore Childeberti Francorum Regis Christianis parentibus ortus, Christi iugum ab ipsa infantia suscepit: cuius obsequio se dedicare percupiens, à patre literas discere prohibitus, pio vsus artificio se subduxit, & primò Ebroicis in sancti Taurini cœnobio suburbano, delitescens perbreui tempore in pietate & liberalibus disciplinis plurimùm profecit. Hinc Carnutum properans vbi Christianæ sapientiæ scholam florere audierat: ita ad plenum eruditus est, vt eius ingenij dotes omnes admirarentur. Hinc nata inuidia, discessit: & solitariam vitam excoluit, Deo puro mentis famulatu deseruiens, vigiliisque orationibus & lachrymis id vnum impetrare satagebat, vt diuina bonitas vias suas ad beneplacitum quo omnia suauiter disponit dirigeret. Igitur afflatus diuino lumine, ad beatum *Sidonium* magnæ sanctitatis Abbatem Rotomagi degentem se contulit, & monastico suscepto habitu, tandiu ei adhæsit, donec sancti Ausberti Rotomagensis Præsulis monitu, fœnora gratiæ receptæ vt ederet vrbe egressus, Deo animas lucrari aggressus est. Túmque factus Abbas monasterij, quod ad Austuram fluuium beatus Audoënus Pontifex diuina reuelatione, in honorem sanctæ Crucis fundauerat; virtutum splendore coruscans, circumuicina loca illustrauit sanctitatis fama, multósque alum-

ALBANVS. LEVFREDVS.

nos quos bono gratiæ odore collegerat, pietatis & perfectæ obseruantiæ regularis præceptis ac exemplis informauit. Certatim concurrentes ad eum incolæ benedictionem postulabant, cuius ope, diuinæ virtutis subsidia consequebantur, Miraculorum gloria adeo emicuit, vt crucis signo quo magna patrabat opera, adiunctâ oratione incendia consopiret, fontes excitaret, energumenos liberaret, dæmones profligaret, morbísque quibusque medelam impertiretur. Nec his duntaxat opitulationum virtutibus, sed etiam zeli feruentis mirandis operibus vir Dei refulsit. Terram enim quæ Dominico die colebatur sterilem fecit. At his non exultabat portentis pius Pater, qui semper humilitatem, misericordiam, ardentem charitatem, & feruidum animarum zelum suo in pectore aluit. Vnde vt miseris omnibus modis subueniret, Xenodochium monasterio adiunxit, vbi misericordiæ opera à fratribus suis exerceri perpetuò præcepit, fulsítque etiam locum reditibus, ne charitas temporis successu refrigesceret. His intentus religiosis affectibus, tandem ad regiminis ætatísque metam peruenit: dúmque senio confectus diem sibi quem diuinitus præsciuerat, imminere sentiret, missis eulogiis ad vicina & remota loca Sanctorum, Dei famulos vt pro se orarent enixè deprecatus est: receptóque de more cum multo tremore & ardore pietatis salutari viatico & supremo charismate, psalterium cum suis integrum decantauit. Matutináque peracta synaxi, non tam dierum quàm bonorum operum plenus, inter orationis verba spiritum efflauit, atque in ipso Solis ortu, lucis æternæ fruitionem quam diutissimè exsitierat, lætanter adeptus est. Vix dici potest quibus post beatum transitum gloriæ coruscationibus emicuerit, quæ solatia clientibus deuotis non impenderit: quorum perpetuus fuit ad tumulum eius concursus; donec ingruente barbaricæ incursionis exitiosa procella è templo sancti Pauli, in quo sepultus fuerat, leuatum eius sacratissimum corpus Lutetiam Parisiorum à Ioanne Episcopo Dolensi, rogante eiusdem loci Abbate maturè delatum est ad basilicam sancti Germani Pratensis, vbi conditum hactenus requiescit perenníque colitur veneratione. Eodem die Bituricis sancti RODVLPHI Episcopi & Confessoris, qui ab ineunte ætate in diuinum famulatum propensus, vitæ religiosæ instituta in sancti Medardi cœnobio Suessione amplexus & professus est. Hísque pietatis & sapientiæ dotibus præfulsit, vt Abbas etiam fieri promeruerit. Inde cùm suscepto in

RODVLPHVS.

munere laudabiliter aliquot annos peregisset, exeunte cum victoriæ non incruentæ gloria, ab humano tramite sancto Aygulpho Bituricensi Pontifice, dignus qui sancto succederet censitus, inexpetitum Patriarchalis huius sedis diuino nutu, sortitus est Præsulatum: quem à Dei timore exorsus in honorem eius & amorem totum retulit. Præstanti doctrina, pastorali vigilantia, omnibúsque sanctitatis operibus gregi suo præfuit. Insuper Dei seruis beneuolus & vitæ spiritualis amans, cœnobium de Virsione fundauit, vbi à strepitu remotus animam recolligens, Deo sic viuebat, vt inter orationes, ieiunia, & cætera religiosa exercitia totum transiisse in spiritum, ascetis qui mirum in modum tantas virtutes suspiciebant, non abs re videretur. Sic igitur transacto vitæ castissimæ, innocentissimæ, pientissimæ decursu Præsul sanctissimus quieuit in Domino, vtque in cœlo gloriæ præmium pro meritis recepit: sic & in terris eos honores demeruit, quibus beatificati Dei amici, post clara sanctitatis & gloriæ argumenta solent à Catholica Ecclesia celebrari. Sepultus enim in Ecclesia S. Vrsini, Bituricis iis effulsit emeritæ felicitatis æternæ insigniis, vt & pignora eius sacrosancta habeantur, & memoria eius perpetuo sit cultu, ac potissimùm hodie festo natali conspicua. Eodem die in Armorica S. MEVENNI Abbatis & Confessoris, qui cùm esset summus rerum humanarum contemptor, suiq. ipsius aspernator, honores fugitans, seipsum atterens, Deo soli vt complacere studuit, sic purum toto vitæ curriculo eidem cordis & oris seruitutem exhibuit. Pro cuius fidelis famulatus mercede, felici consummatus exitu, cœlestem percepit remunerationem. Item apud Siluiniacum translatio secunda S. ODILONIS Abbatis Cluniacensis & Confessoris mirifici facta per Rogerum Archiepiscopum Bituricensem iussu Clementis Papæ Sexti. Ipsomet die Vasati translatio S. GERALDI Abbatis itidem & Confessoris, qui genere Anglus, Batauos & Kenemarios Euangelica doctrina imbuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

MEVENNVS. ODILO. GERALDVS.

ABIIT hodie ad Dominum piæ memoriæ CONSTANTINVS Monachus, quem sanctus Bernardus de Valuis mortis eripiens, piis monitis de coruo in columbam, afflante diuina gratia transmutauit: eámque ad sanctitatem per strictum pœnitentiæ tramitem prouexit, vt signis etiam post obitum refulserit plurimis. Item piè obiit EVSTACHIVS eiusdem instituti in Flandria monachus, qui post edita in cœnobio vitæ purissimæ specimina, ad eremum intensioris Dei amoris incensus ardore de Abbatis sui licentia perrexit, vt totus orationi & contemplationi diuinísque obsequiis defixus, purum in omni perfectione efflauit animam: sanctitatísque decus omnium existimatione promeritus est.

Constantinus. Eustachius.

Decimo Kalend. Iulij. Luna

22														E V.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q r ſ
26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11 12 13
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P	
14	15	16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25	

SS. DECEM MILLIA MILIVM MARTYRVM. NATALIS Sanctorum DECEM MILLIVM MILITVM, qui apud Alexandriam maioris Armeniæ vrbem in monte Ararath ſub Hadriano Imperatore pro fide Chriſti conſtanti aſſertione, crucis ſupplicio affecti ſunt. Horum nonnullorum reliquiæ poſtea à Chriſtianis Occiduis, in Orientem belli ſacri inferendi voto profectis: maximè à Francis, in Gallias aducctæ plurimam venerationem receperunt. Vnde & ex auita obſeruatione natalis eorum variis in locis hodie annua celebritate colitur, maximè Senonis, Lingonis, Santoni, atque in regali cœnobio S. Dionyſij prope Pariſios. Item in Belgio, ex quo Adolphus Egmondanus Geldriæ Dux ſacratiſſimas exuuias duorum ex hoc GALENVS & VALENVS. exercitu Martyrum GALENI ſcilicet & VALENI ad oppidum Geldriam totius prouinciæ caput honorificè tranſtulit. Ex hinc enim beati illi Martyres, & vrbis & totius huius Principatus tutelares habiti, multis miraculis in hodiernum vſque diem coruſcarunt. Quamobrem & in Eccleſia cathedrali Ruremundenſi, in cuius diœceſi ſita eſt Geldria, anniuerſarij cultus officiis beati ipſi Martyres honorantur. Item Namurci Natalis ALBANVS. ſancti ALBANI Preſbyteri & Martyris, qui cùm Moguntiæ Arianis & Gothis fidei orthodoxæ myſteria prædicaret, ab illis trucidatus eſt: capitéque exciſo ceruices colligens ad eum locum detulit, vbi ſepeliri cœleſti decreto debuit, in monte prope ciuitatem. Refulgentibus poſtea circa Martyris tumulum diuinæ gloriæ inſigniis, Ricolphus Archiepiſcopus Moguntinus ibi baſilicam conſtruxit nobilem Martyríſque tanti ſepulchrum exornauit. Deinde etiam Namurci quæ hodie Epiſcopalis eſt ſedes ſub Machlinienſi Archiepiſcopatu agro antiqui Præſulatus Cameracenſis, Albertus ſecundus Comes, Eccleſiam magnificam extruxit in honorem ſancti Albani Martyris, in qua Valone Epiſcopo Leodienſi fauente, collegium viginti Canonicorum conſtituit, ad quos ſubinde Guilelmus Abbas ſancti Albani prope Maguntiam tranſmiſit partem capitis ſancti ipſius Martyris, quæ etiamnum illic magna veneratione ſeruatur. Ipſo die Natalis eſt

etiam venerabilis sancti alterius ALBANI, qui in Britannia maiori furente Diocletiano post verbera & tormenta acerba, capite plexus est. Passus est & cum eo vnus de militibus, eo quòd eum ferire iussus noluerit diuino pertertitus miraculo, quia viderat beatum Martyrem, sibi dum ad coronam martyrij properaret, alueum amnis interpositi orando transmeabilem reddidisse. Fulsit postea in hac insula maximè sancti ipsius Albani memoria, ad cuius cultum insignis condita est, vbi felici cruore triumphauit Ecclesia, quam sanctus Germanus Autissiodorensis Antistes, dum illic apostolatu fungeretur, gratias vt ageret de sua contra hæreticos victoria, magna deuotione visitauit: apertóque Martyris sepulchro intulit, honorificationis causa diuersas quas è Gallia attulerat reliquias Apostolorum & Martyrum: Hincque ne absque tanti Martyris opitulatione discederet, de ipso loco vbi beati Martyris effusus fuerat sanguis, massam pulueris abstulit, quam redux ad suam sedem euexit. Vnde nata sancti Albini Britannici profusa longè latéque per Gallias veneratio, quæ in antiquis nitet consignata fere omnium Ecclesiarũ Episcopalium diptychis: potissimùm Bituricensis, Senonensis, Aurelianensis, Augustodunensis, Maclouiensis, Constantiensis, &c. Ipso die Natalis S. PAVLINI Episcopi Nolani in Campania Romana & Confessoris inclyti. qui patria Aquitanus, Hebromagi in agro Burdegalensi ortus ex illustrissima prosapia, ab Ausonio prima in ætate literis excellenter excultus, humanæ vitæ ornamenta quæcumque in hominem cadere possunt prætulit. Consúlque Reipublicæ Romanæ ordinarius, ob clara adeo quibus nitebat decora denunciatus, delatum honorem tantum egregiis suis eius dotibus admodum nobilitauit: postea pertæsus sæcularis gloriæ & Christi amore incensus ex magno Senatore maior monachus, inde maximus planè Episcopus euasit, doctrina & moribus adeo admirandis præstans, vt Ecclesiæ lucidiora quæque sui æui sidera, sapientiæ & sanctitatis suæ immensis splendoribus perstringeret: tantámque de eo, scripta & facta ipsius gloriosa famam spargerent: vt permaximi Patres eius meritis perculsi, laudibus eiusdem prædicandis ambitioso quasi studio decertârint. Nam sanctus Hieronymus in Oriente; in Italia sanctus Ambrosius, sanctus Augustinus in Africa, Prosper & Eucherius in Galliis, & quis non vbique deinceps, eum scriptis suis magnificentissimè celebrarunt, totáque Ecclesia ipsum & in carne degentem, impensè admirata, & post felicem ad beatorum sedes transitum plurima veneratione prosecuta est. Sicut tabulis sacris in-

ALBANVS.

PAVLINVS.

ſcriptum cum inſigni elogio nomen, nataliſque hodiernus religioſis honoribus iampridem celebratus, indelebili prodit monimento: quo Gallia quæ tanti alumni natalibus gloriatur excitata, ipſum vt ſpeciali ſibi titulo iure vindicare poteſt: ita & ſuos in faſtos demum reuocatum, potiori debet complecti deuotionis affectu, ac ampliori colere quam reliquus orbis (in quo ſcriptis ac meritis præcellis vir diuinus latè rutilat) beatæ recordationis honorificatione. In territorio Cameracenſi Criſpi-

DOMITIANVS. nienſi cœnobio S. DOMITIANI Confeſſoris, qui beato Landelino comes indiuiduus exiſtens, & ab eo Eremita conſtitutus, ibi animum aſſiduá rerum cœleſtium contemplatione paſcens impollutum Deo ſpiritum conſeruauit: deinde miraculis etiam fulgens migrauit ad Chriſtum. Sacra eius ſpolia ad præfatum aſceterium reuecta, ibidem cum ſancti Landelini corpore condita, condecenti honore requieſcunt. Ipſo die in monaſterio

CONSORTIA. Cluniacenſi ſanctæ CONSORTIÆ Virginis quam ferunt filiam fuiſſe ſancti Eucherij Lugdunenſis, atque per ipſum Deo ſacratam in ſanctæ virginitatis propoſito, omniúmque virtutum cultu conſenuiſſe: meritíſque caſtitatis & religionis ornatam euolaſſe ad gloriam. Glebam verò pretioſi eius corporis temporis ſucceſſu, tranſlatum ad Cluniacum ſuis pignoribus & felicis tranſitus memoria, locum iam ex ſe inſignem, amplius illuſtraſſe. In cœnobio ſancti Bertini agro Audomaritano ſuſce-

ROTRVDIS. ptio puriſſimi corporis ſanctæ ROTRVDIS Virginis ex *Andrenſi* in Anglia monaſterio. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Arnoldus. VILLARII in Brabantia piè in Chriſto quieuit ARNOLDVS Monachus, vir egregiæ puritatis & admirabilis abſtinentiæ: quem ſibi impensè deuotum beata Maria aliquando grauiter ægrotantem viſitauit, & cœleſti ope ſanauit.

Joannes cognomine ſylvicola. Lugduni diem clauſit extremum IOANNES Sauuage ordinis Minimorum, vir dicendi gratia præcellentiſſimus: at magis vera humilitate admirabilis. Cuius memoria ob clara Chriſtianæ mentis inſignia, quæ multiplici in ordinis officio præſtent, in benedictione apud omnes perſeuerat.

Nono Kalend. Iulij. Luna

23 F IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D		E	f	F	G		H	M	N	P	
15	16	17	18	19	20		21	22	21	22		23	24	25	26	

SS. VVALERVS. VIGILIA ſancti Ioannis Baptiſtæ. In agro Namurcenſi natalis ſancti VVALERI Preſbyteri & Martyris, qui pagi

Orchaniæ parœcus, cùm pastorale officium ad Dei legem in gloriam exequeretur: pro iustitia occisus est. Vvalciodoríque quiescit in Benedictinorum monasterio sanctitatis testimoniis nobilis. Tulli Leucorum depositio sancti IACOB Episcopi & Confessoris, qui nobili loco natus in Leucorum finibus pago Lusaensi vltra Mosam, expletis Diuione sancti Benigni cœnobium pietatis primordiis ob multa gratiarum priuilegia quibus micabat in Tullensem Episcopatum post sancti Hilduardi decessum assumptus fuit: quo munere fungens omnium in se amorem pellexit sobrietate & continentia, malorum fuga, bonorum cultu, deuotionis spiritu, sanctæque religionis propagatione. Nam & decessorum Hilduardi & Bodonis sancta exempla æmulatus, ædificandis monasteriis, magnam operam impendit. Sanctum Hidulfum Archiepiscopum Treuirensem Metropolitam suum expulsum à Milone sedis illius inuasore (cui Carolus Martellus Remensem simul & Treuirensem Præsulatum, non tam dirigendum quàm diripiendum tradiderat) ideóque in Vosagi solitudinem cum fratre suo sancto Euerardo Ratisbonensi Antistite secedentem magna charitate fouit; sed & syluæ partem ad construendum cœnobium suprà Rabadonem fluuium eidem munifica pietate dedit. Deinde Sanctorum illorum Pontificum egregiam virtutem imitatus, abdicato Ecclesiastico principatu, fortitérque sæculi fastu calcato, postquam Apostolorum limina deuotus visitasset Diuionem regressus, vltimam illic fixit stationem, vbi primos religionis fauos iam olim delibauerat. Tandémque absoluto feliciter vitæ mortalis decursu, in summa animi tranquillitate, somno beatæ æternæque pacis consopitus in Christo defunctus est. Corpus eius propter clara sanctitatis insignia in crypta ad latus sancti Benigni tumulatum fuit. Sed inde postea Tullum relatum, in sancti Mansueti matricula repositum, splendore beatitudinis tam signis quàm honoribus refulsit. Sororem habuit nomine LILIOSAM egregiæ itidem pietatis, quæ Bertiniacum è suo patrimonio (provt beatus Præsul optauerat) multis cum aliis censibus, sancti Benigni ascetis contulit, ad ædificationem & subsidium Prioratus illius qui in agro Tullensi, sub illius Christi testis gloriosi patrocinio, etiamnum conspicuus est. Eodem die sancti HILDVLFI Ducis Laubiensis & Confessoris, qui coniux B. Aiæ, diuini cultus cupidus amplificator, Sanctorum amicus & sedulus imitator, Ecclesiarum fundator, pauperum pater, viduarum Iudex, & orphanorum defensor; omnis religionis & iustitiæ obseruato tramite, ad piorum operum mercedem

IACOB. LILIOSA. HILDVLFVS.

euocatus, beatitudinis æternæ dona promeruit, & signis gloriæ in tumulo clarificatus est. In territorio Leodiensi sanctæ
Maria Oigniacensis. MARIÆ OIGNIACENSIS nuncupatæ: quæ cùm primùm in matrimonio sanctissimè vixisset, vnà cum viro suo totam se fouendis pauperibus & leprosis dedit. Virúmque suum piissimo exemplo ad vitam continentem & adeo perfectam excitauit vt Christi amore sese penitus abiiceret, suáque omnia in charitatis officia erogaret. Et ipsa quidem tanta in ægrotos commiseratione ferebatur, vt apud eos integras plerumque noctes duceret insomnes. Miro fuit consolationis dono prædita. Orationis gratia insignis, lachrymarum fonte proflua. Abstinentia adeo admirabilis, vt à vino & carnibus abstenxia, maiori anni parte, panem & aquam semel in die circa vesperum, idque parcissimè adhiberet. Prophetiæ insuper spiritu dotata septemplici dono Spiritus sancti, miraculis, reuelationibus illustris, concursus eorum qui ad se confluebant pertæsa, in Oigniacum, locum sibi diuinitus ostensum, secessit: vbi trimestre interuallum vndecim refectionibus iísque parcissimis dimensa est. Quinquaginta verò & tres vltimos dies solum Christi corpus sumens transegit, obitúmque diuinitus reuelatum prædixit. Demúmq. morti proxima viso, sed fugato generis humani hoste, apparitione cœlitum quorum & diuino commercio sana fruebatur, recreata, in voces laudis erumpens, classicúmque suauissimè concinens, cantato Alleluya, in Seruatoris sibi adstantis manus sanctissimum spiritum commendauit & reddidit, anno ætatis suæ circiter, tricesimo sexto. Quam post excessum diuina maiestas tot clarificauit, signorum suæ gloriæ fulgoribus, vt Sedis Apostolicæ iussione Franciscus Episcopus Namurcensis venerabile eius corpus è terra leuatum, thecæque argenteæ inclusum super altare Oigniaci collocauerit: propriáque officia sua in Ecclesia & diœcesi in eius cultum statuerit sicut cæterorum Sanctorum, quorum fasti dies aguntur exinde celebranda. Eodem die in Hasbania oppido sancti Trudo-
Christina. nis transitus postremus sanctæ CHRISTINÆ Virginis, quæ cùm Dei gratia talia stupenda perpetrauit, vt captum prorsus humanum exuperent. In hac enim Virgine Deus qui in sanctis glorificatur, planè mirabilis prædicatur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Lietbertus. HODIE multis meritorum manipulis diues in pace Christi quieuit piæ memoriæ LIETBERTVS Episcopus Cameracensis fundator monasterij sancti

Sepulchri, vbi iacet non absque opinione sanctitatis. In minori Britannia excessus piæ memoriæ SALOMONIS huius prouinciæ reguli, & ALBIGEONIS eius filij, qui facti pœnitens, quo placitis Apostolicæ Sedis & monitis Episcoporum Galliæ aliquandiu in causa Ecclesiastici ordinis & politici regiminis obstiterat: totus ad iustitiæ & pietatis cultum conuersus, cùm Ecclesiæ iura, & æquitatis leges tueretur, à perfidis proceribus profligatus, in monasterio quo furorem eorum declinans secesserat; ab his interemptus est: filius autem in patris odium immaniter confossus, ibidem innocenter occubuit: ad quorum sepulchrum signa deinde diuina refulserunt. Item Cisterej feliciter obiit FELIX Monachus, qui viuens admiranda vitæ Deo gratæ lumina prætulit, defunctúsque apparens sancto Stephano Cisterciensi Abbati magna luce circumfusus, suam intimauit beatitudinem. *Salomon cum filio Albigeone.* *Felix.*

Octauo Kalend. Julij. Luna

24 G III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27			

NATIVITAS sancti IOANNIS BAPTISTÆ & PRÆCVRSORIS DOMINI, Prophetarum principis, Apostolorum ad Christum pædagogi, Martyrum socij, Anachoretarum ducis, Confessorum coryphæi, Virginum primicerij, Sanctorum omnium qui sub gratia floruerunt signiferi. Cuius ortus miraculum, vox oraculum, vita Iustitiæ typus, mors innocentiæ speculum & patientiæ spectaculum. Memoria deliciarum paradisus, gloria laudis pelagus, nomen benedictionis omen. Cultus & veneratio perpetuæ salutis pignus & munimentum. Vnde ditata non sine maximo diuinæ bonitatis munere sacratissimis eius reliquiis Gallia, inuicta manet, Catholica perseuerat. Titulísque gloriosis honorata magis quàm ipsis liliis, quorum candore nitens Salomonis decora inumbrat, sese lætatur conspicuam, tutam agnoscit, inclytam fatetur & felicem. Quamobrem læta hodie illius natalis festa celebrat, quem primùm post Christum Seruatorem, sanctissimámque eius genitricem colit, præcipuéque venerandùm profitetur. At quamquam tota qua patet Gallia, sanctissimi ipsius Præcursoris Domini natiuitas profusæ honorificationis fulgeat insigniis: tamen ibi ampliori micat venerationis decore, vbi tanti cœlitis nuncupatio sacris indita ædificiis memoriam illius non clariorem effecit, sed præstitit clariorem. Sic Lugduni quæ Celticæ quadruplicis, iamque quintuplicis Galliæ est primaria sedes, & Bellicij atque Vesuntione eius Metropoli, necnon Vasati: quarum ciuitatum basilicæ cathedrales, in honorem ipsius *SS. IOANNES BAPTISTA.*

beati Ioannis consecratæ sunt: maximo cultus splendore peragitur venerandi eius ortus solemnitas. Quæ & Suessione in cœnobio insigni sancti Ioannis de Vineis, inque diœceseon Laudunensis, Boloniensis, Iprensis, Andegauensis, Carnotensis, Sagiensis, Æduensis, & Adurensis conspicuis sancti Ioannis Baptistæ patrocinio monasteriis, etiam admodum est, ex ipso opitulationis iure magnifica & celebris. Potissimùm verò Angeliaci in Santonensi Præsulatu, eo in cœnobio quod Pipinus Rex Aquitaniæ ad Vvltonam fluuium sub nomine sancti ipsius Baptistæ condidit, illatóque inibi *pretiosissimo* eius *capite* perpetuæ eius venerationi consecrauit. Itidem Ambianis, non modò in cœnobio sancti Ioannis ordinis Præmonstratensis; sed præcipuè in Ecclesia maiori, vbi eiusdem diuini Præcursoris nobile pignus, *vultus* scilicet *ipsius venerabilis* ea qua decet reuerentia asseruatur. Sicut enim duobus his locis beati ipsius patrocinia potiori iure oppignerationis indita sunt: ita & natalis duplicato honorificentiæ cultu iure meritò celebratur. Cæterùm & Lutetiæ Parisiorum in ipso regni centro, condita extat antiqua insignísque parœcialis ædes sancti ipsius Baptistæ, necnon & Euangelistæ Ioannis communi clientelæ addicta: quæ tamen primas Baptistæ defert, eáque diuinorum officiorum solemnitate eius natiuitatem condecorat: vt non illam splendidiori possit celebritate percolere. In ipsa enim media nocte præsolutis diuinorum præconiorum officiis, sicut in Natali Domini illic Liturgia peragitur: tantus verò fit & in vigilia & in festo die, totámque per Octauam deuoti populi eò concursus, vt vix basilicæ quæ non est modicæ amplitudinis, clientes Baptistæ diuini præsidia implorantes, perenni dum ingruunt fluxu & refluxu queat excipere. Ibi verò supereminet præsens potentis Dei amici virtus, quæ supplicibus pro fidei mensura & deuotionis meritò desiderata præsidia impertitur, quæ etiam per annum quæ piè adeunt hanc sacratissimam Ecclesiam mulieres prægnantes, continuò sibi fœtuíque adesse experiuntur. Porrò in vrbe hodie & in peruigilio festi, ob faustum nati diuini Baptistæ auspicium, publica eduntur signa lætitiæ; Decurionibus ipsis magnifico procedentibus apparatu & insigni trophæo cohonestantibus optatæ, adeo natiuitatis solemnia, quæ parit quoties recolitur (vt cœlestis nuntius prædixerat,) magnam hominibus quibúsque piis exultationem.

Agoardvs & Aglibertvs cum sociis innumeris.

Eodem die apud Cristolium prope ipsam regiam Lutetiam natalis Sanctorum Martyrum AGOARDI, AGLIBERTI, & aliorum promiscui sexus prope innumerorum, qui prima in

agro Parisiensi Euangelici seminis germina extiterunt. Hi enim à sanctis Altino & Edoaldo (quos beati Sauinianus & Potentianus Lutetiam Parisiorum ad Christi nomen dissemiuandum destinauerant) salutari doctrina imbuti, & lauacro aquæ in verbo vitæ cum vxoribus liberis & omni familia Christo initiati: cùm pleraque fidei incrementa ederent: excitato aduersus se impiorum furore, ad vicum prædictum vbi prædia habebant perfugerunt. At ne hîc quietè purum obire cultum permissi, paulò pòst quod numinum, (imò potiùs dæmonum) aspernatores & improbi, exitiosæque superstitionis auctores dicerentur, ab Agrippino ciuitatis Præfecto, qui furentis ethnicæ multitudinis motibus feris obsequebatur, comprehensi, verberibus & fustibus excepti, diuersísque tormentorum generibus excruciati: demum eodem vultu & animo in fidei sacratissimæ professione perseuerantes, detruncatione capitis agone præclarè consummato, diadema decoris & regnum gloriæ de manu Domini perceperunt. Ipso autem die quo Agoardus, Aglibertus cum suis martyrium compleuere, multi ex populo diuersi sexus & ætatis tam illustri eorum exemplo animati, pro Christi IESV gloria: cuius sinceri cultores erant, idem certamen intrepidè inierunt: iis denique pœnis affecti, palmas easdem ex suæ victoriæ præmio, feliciter adepti sunt. Quorum fortissimorum Athletarum pretiosa morticinia à persecutoribus inter viarias sordes proiecta, perpauci qui superstites erant fideles nocte collegerunt, atque pro pietatis angustatæ industria, condigno quo potuerunt funere sepelierunt, eodem loco vbi in tantæ stragis memoriam erectus deinde est Martyribus titulus, qui tandem in parœcialis ædis dignitatem insurrexit: in qua nobilissimi agminis coryphæi Agoardus & Aglibertus conditi, in antiqui operis hierothecis hactenus conseruantur, & cultu sanctissimis Christi pugilibus & loci tutelaribus debito honorantur. In Antri insula ad Ligerim natalis sancti GVICHARDI Nannetensis Episcopi, qui illic, hac die dum Missam pontificaliter celebraret, cum plurimis monachis & *ingenti plebis multitudine*, à Danis infidelibus gladio ferociter cæsus est. Binchij in Hanonia sancti THEODVLPHI Episcopi Laubiensis & Confessoris, qui ad Infidelium conuersionem ordinatus, multam salutis frugem protulit, ditatúsque meritis sanctitatis abiit ad præmium. Autissiodori depositio sancti SIMPLICII Episcopi, veræ religionis Doctoris & Magistri. Item ibidem sancti HEIRI magnarum virtutum viri. In agro Pictauiensi sanctæ PECINNÆ Virginis Deo sacratæ, Angelica puritate

GVICHARDVS cum plebe numerosa.

THEODVLPHVS.

SIMPLICIVS.

HEIRVS.

PECINNA.

& morum innocentia ac religionis feruore illuſtris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

IN Brabantia in colle-aſpero ſeu monte acuto, atque Villatij & Graiaci, Ornaci necnon Gontani, commemoratio miraculorum imaginis *ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ.* In Camera beatæ Mariæ prope Bruxellas inuentio corporis ſancti BONIFACII Lauſanenſis Epiſcopi, ſignorum diuinorum gloria illuſtris. In Arteſia eleuatio corporis beati IOANNIS Monchiaceni, qui in oculis hominum vilis, coram Domino magnus, exacto in magna innocentia & pietate vitæ puræ ſtadio, ad gloriæ immortalis, conſcendit ſublimitatem, eámque quam in cœlis felicitatem aſſecutus eſt, multis poſt obitum prodidit diuinæ clarificationis teſtimoniis, quibus in clientes munificus, perpetuo ad tumulum peregrinantium honoratur concurſu.

Bonifacius. Joannes.

Septimo Kalend. Iulij. Luna

25															A II.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28			

SS. SIMPLICIVS.

AVGVSTODVNI Æduorum depoſitio ſancti SIMPLICII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancti Retici (cuius præconia magnifice ſanctus Hieronymus celebrauit) ſolium pari virtutum decore ac doctrinæ gratia conſcendens: inſigni præſulatu hanc Eccleſiam gubernauit. Hic ſtirpe valde nobilis, cùm ante ſacerdotium nobiliſsimæ coniugi ſociatus eſſet: mutuo conſenſu caſtitatem cum illa religioſiſsimè coluit: vixit ſiquidem cum vxore tanquam cum ſorore. Factus deinde ob clara virtutum & ſapientiæ lumina, illius ciuitatis Antiſtes, antiquam Deóque probatiſsimam cum coniuge amicitiam retinens, diabolica inuidia impetitus, à quibuſdam nefariis ciuibus, in ſtupri cum ea crimen vocatus, ſuam integritatem & continentiam memorabili omni æuo miraculo comprobauit prunas ardentes ex arcula ſponſæ virginis arreptas, in byrro ab illis illæſo deferens. In cuius etiam velaminis ſinum effuſas, illa incombuſtum coram omnibus id geſsit ac retulit. Quo prodigio non modò calumniatores confuſio inuaſit: ſed tanta inceſſit etiam Infideles, qui in vrbe permulti erant, diuinæ virtutis, & Chriſtianæ puritatis admiratio, vt intra ſeptem dies ampliùs quàm mille homines, abiurata perfidia, ſacra amplexi vera, ſalutari lauacro ſua ſcelera expiauerint. Poſt hæc ſanctus Pontifex meritorum incrementa accumulans, creditæ plebis profectibus tranquilla fungens ſpeculatione incubuit. Cúmque Colonienſi

Colonienſi Concilio fidei orthodoxæ aſſerendæ cauſa interfuiſſet, pleno bonorum operum collecto manipulo, cœleſtis municipatus effectus ciuis, & viuus & defunctus ſanctitatis & gloriæ teſtimonia admirabilia perennauit. Eius tempore beatus Caſſianus Ortenſis Epiſcopus, ex tranſmarinis partibus Auguſtodunum adueniens, ab ipſo diuina inſpiratione præmonito, honorificè ſuſceptus, triennium apud eum multa clarens ſanctitate permanſit. Cui & defuncto ſucceſſit, demúmque cum ipſo, eodem in cœmeterio ſepultus eſt. Albeci Reiorum ſancti PROSPERI Epiſcopi cognomento Aquitani, qui S. Auguſtini primarius diſcipulus, Leonis Magni Notarius, magnam cum vitæ ſanctitate diuinarum rerum ſcientiam nectens, ſcriptis ſuis præclaris actíſque glorioſis mirificè Chriſti regnum illuſtrauit. Fidem enim Catholicam fortiter aſtruendo multas hæreſes, & in his maximè Neſtorianam, Eutychianam & Pelagianam confutauit. Dei magnificauit gratiam, miſericordiam, iuſtitiam, ſacríſque diuinarum literarum expoſitionibus myſteria humanæ redemptionis plurimùm elucidauit. Contemplationis præſtitit theoremata, actionis præcepta tradidit & exempla. Præter enim ſcriptorum quæ plurima exarauit copiam, in Epiſcopatu plenam virtutum ſegetem, *vir per omnia* (vt cum ſanctus Gelaſius Papa agnominat) *religioſiſſimus* edidit. Siquidem nihil attentius procurauit, quàm vt populum ſuum modis omnibus erudiens, Deo placentem redderet, nihil docuit quod opere non compleret. Non ſexus, non ætas, non ordo fuit in ciuitate, cuius curam, pauperum præſertim, non gereret. Tandem poſtquam oues Chriſti annos nonnullos in manuum ſuarum intellectibus pauiſſet, cœlo dilectiſſimus Antiſtes terris exceſſit, ínque æternæ gloriæ tabernacula, pro piorum laborum fœnore feliciter receptus eſt. Ad cuius ſepulchrum conſecuta miracula, quam gratam Deo præſtiterit ſeruitutem impensè declarârunt. Camerati ſancti VINDICIANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Theodorici Regis temporibus doctrina & religione præſtans, ſedem hanc Attrebatenſémque coniunctam, glorificato beato Autberto, regendam ſuſcepit; vitæque eximiæ conuerſatione admodum exornans, multos ſua prædicatione à tortuoſa vitiorum ſemita, ad rectam regiámque virtutum viam & ſincerum Dei cultum reduxit. Ediſque demum perfectæ adminiſtrationis copioſis actibus, relictis pietatis præclaris monimentis, ac congeſtis innumeris meritorum manipulis tranſiuit ad gloriam. Sepultus eſt in monte ſancti Eligij: eiúſque tumulo cùm quidam Clericus in-

Prosper.

Vindicianus.

cautius insultaret, excæcatus, & voto illi facto mox illuminatus est. Alia signa ibidem multa refulserunt, quibus excitus Fulbertus eius successor, sacrum cadauer de tumulo leuauit, honorificéque in locello reposuit, super quo postea ædificata est cum cœnobio basilica, quam quidam violare nitentes, pœnas diuinitus præsumptæ iniquitatis mox luerunt. In Gemeliaco Natalis Sanctorum AMANDI & DOMNELI Confessorum. Item Dauentriæ in cathedrali Ecclesia, quæ est sub Vltraiectino Præsulatu repositio sancti LEBVINI Presbyteri & Confessoris Transiselanorum Apostoli, cuius depositio solemnis est 12. Nouembris. Item ibidem translatio sancti RADBODI Episcopi Leodiensis, qui abiit ad Christum tertio Kal. Decembris. Egmundæ in Hollandia sancti ADELBERTI Confessoris & Leuitæ, qui regio Deirorum genere in maiori Britannia natus, primus Vltraiectinæ Ecclesiæ sub sancto Vvilebrodo Archidiaconus, in Batauis ac Frisiis rem Christianam egregiè promouit. Ab ipso enim beatissimo Præsule selectus inter præstantissimos discipulos, delegatus cùm fuisset in terminos diœcesis, vt infideli populo doctrinam æternæ beatitudinis prædicaret, in Knemaria multam diuinæ sementis messem excitauit & collegit; roboratáque in fide nouella plantatione, ouans ad supernum munerarium, laudabili consummatione beandus perrexit. Diuina autem recepit post mortem etiam apud homines suæ beatitudinis testimonia: nam Egmundæ sepultus suo in oratorio, iis claruit virtutibus, quæ magnum & incolis præsidium, & frequentem etiam aduenarum excitarunt, ad eum honorandum piéque interpellandum concursum. Hugardiæ in Leodicensi tractu Natalis sancti ODVVINI Presbyteri & Martyris, ab impio homine in pietatis odium cæsi. Tolosæ repositio sacrorum artuum beati SATVRNINI Episcopi & Martyris celeberrimi, in qua multa miracula Deo operante claruerunt. Eodem die translatio sancti ELIGII Nouiomensis Episcopi & Confessoris præclarissimi, per Samsonem Archiepiscopum Remensem, & Balduinum Episcopum Nouiomensem, qui sacrum eius corpus de veteri conditorio in loculum splendidiorem transtulerunt. Ante cuius lipsana, Stephanus Episcopus paulò pòst lampadem perennis gloriæ beatæ animæ indicem suis sumptibus instituit. In Armorica sancti THVDVALI Trecorensis Episcopi, eiusdem ciuitatis & Confessoris. Is Derrochi Britanniæ reguli affinij, fundatôr, Monachus & Abbas Monasterij sancti Andreæ Lambaliensis, demum ad Episcopatum Trecorensem rara

AMANDVS & DOMNELVS. LEBVINVS. RADBODVS. ADELBERTVS. ODVVINVS. SATVRNINVS. ELIGIVS. THVDVALVS.

ob pietatis & sapientiæ decora assumptus, simul contemplationem cum actuosa pastorali cura exercens cœnobio & pontificiæ sedi sanctissimè præfuit, & clarus virtutibus & signis in Christi pace quieuit. Iámque diœcesis Patronus, magna illic quod fulgeat opitulationum gratia, etiam plurima veneratione colitur. Caput eius Carnuti asseruatur condigno honore. Bituricis sancti ITHERII Episcopi, qui beatum Seuitianum in ordine sequens, digna etiam conuersatione imitatus, peracto egregiè ministerio cœleste etiam regnum post eum feliciter ingressus est, conditúsque in basilica sanctæ Crucis, claris suæ gloriæ indiciis fulsit. Truncinij translatio sancti GERVLPHI Martyris, qui clara habet natalitia 11. Kalend. Octobris. Item Stabuleti in Leodiensi agro, translatio sancti REMACLI Episcopi & Confessoris. In Dauentria translatio Sanctorum Confessorum LEBVINI & RABDODI. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ITHERIVS. GERVLPHVS. REMACLVS. LEBVINVS & RABDODVS.

ABIIT hoc die ad Dominum beatæ memoriæ EVA reclusa, solemnitatis augustissimi Sacramenti pia, cum sancta Iuliana prouectrix: cœlestibus illustris reuelationibus & diuinis charismatibus plena. Eva.

Sexto Kalend. Julij. Luna

26 B L.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	24	25	26	27	28	29			

NATALIS Sanctorum Martyrum IOANNIS & PAVLI, qui Romæ sub Iuliano impio Christi Seruatoris eiuratore, inclyto martyrio decorati sunt. Horum autem post aliquot inde annorum curricula, sacratissima pignora in Gallias delata, (quæ Sanctorum ferax & deuota cultrix semper extitit:) prope Massiliam, sæuientes in carinam cœli flatus & æquoris fluctus turbulentos; procellæ obiecta à Diacono piæ sarcinæ gerulo deuota Sanctorum inuocatione, visibiliter represserunt, sicut sanctus Gregorius Turonensis in sua de Martyrum gloria lucubratione, graui relatu testatus est. Apud Valencenas passio sancti SALVII Episcopi & SVPERII eius socij, quo cum ex Aquitania in Hannoniam veniens, verbum Dei his populis multa cum virtutis gratia prædicauit. Valencianísque semel egressus, dum deuotionis causa Condatum ad cœnobium sanctissimæ Deiparæ Virginis pergeret, in ipso iti-

SS. IOANNES & PAVLVS. SALVIVS & SVPERIVS.

nere à Vvinegardi impij hominis cuius scelera redarguerat, emissario deprehensus, atque in capite securi percussus, vna cum Superio comite, accepta iustitiæ laurea martyrium peregit. Sacrum vtriusque corpus in stabulo reconditum, reuelatione diuina à Carolo Magno Imperatore, aliquandiu pòst inuentum, indéque leuatum, ad basilicam sancti Martini haud procul à Valencenis multo honore translatum est. Vbi exinde fuit Monasterium constructum, quod ipsius sancti Saluij eiúsque socij præditum venerandis ossibus, etiam felici patrocinio gloriatur.

MAXENTIVS. Apud Pictauos sancti MAXENTII inclusi, qui à pueritia diuino amore incensus, mundi fugiens illicia segregatæ vitæ institutum auidissimè arripuit; sanctè coluit, & egregiè consummauit, vir puritatis eximiæ, abstinentiæ rigidissimæ & deuotionis admirandæ. Sic enim orationibus incumbebat, vt camelorum duritiam eius genua (sicut dudum poplites Iacobi iusti profusius orantis, gibbi obduxerant) ferè contraherent. Ad cuius testandam innocentiam aues relictis nemorum ramis in manibus eius tritici grana vel panis fragmenta legebant. Feruorem verò in Dei cultu reuerentes Angeli, sæpè eum dum preces funderet visitabant, tanto cum lumine, vt cellula in qua psallens iugiter habitabat, velut micantium astrorum globis irradiata videntibus ministris reluceret. Ipse verò tot miraculis fulsit, vt baculo infixo sitientibus ex labore ascetis, fontem æstiuo tempore excitârit, mortuum precibus suscitârit, multáque alia patrârit stupenda. Quin cùm vnus quispiam barbarus ex Clodouæi Regis exercitu impetu facto cum aliis ad cœnobium expoliandum, vibrato ense virum ipsum sanctum ferire voluisset, impij manus statim obriguit: ipse verò insania correptus seipsum dentibus discerpsit. Quod audiens Clodouæus Rex ad virum Dei ocyus accurrens, supplex pro nefarij militis asseclis, quos tetra cæcitas inuaserat, veniam petiit. Super quos expresso crucis signo Maxentius, iis lumen restituit, & incolumes ad castra redire permisit. His clarificatus magnificentiis, obitus sui diem diù antequam adueniret superno nuntio didicit & prædixit. Siquidem 6. Kalend. Iulij hora nona diei, sese de mundo, alumnis suis significauerat diù antea transiturum. Qua & die & hora placido fine quiescens, ad Angelorum quorum commercio iam in cellula familiariter potitus fuerat, optatam societatem, beatorúmque cœli ciuium æternum perrexit contubernium. Cæterùm ad eius tumulum postea micantibus signis illustre cœnobium insurrexit, cui acces-

sit etiam oppidum & nomine & clientela eius etiamnum insigne. Aruernis etiam sacra dudum eius memoriæ condita est Ecclesia: in qua sub sancti ADIVTORIS MAXENTII titulo: propter auxilia quæ sæpè pretiosis apud Deum suffragiis poscentibus impendit, in hunc vsque diem celebratur & colitur. Pictauis translatio sancti HILARII Episcopi & Doctoris Ecclesiæ illustrissimi, qua sacratissimum eius corpus de tumulo vbi iacebat Angelico ministerio eductum, atque ad nouam cœnobij quod in eius honorem Tudelinus Abbas condiderat basilicam mirabiliter euectum est. Eadem die sancti ANTHELMI Episcopi Bellicensis & Confessoris ex ordine Carthusiano, cuius fuit septimus Prior Generalis. Ex quo pietatis lycæo, ad præsulatum tametsi inuitè prodiens, manibus Alexandri III. Papæ consecratus, tanta religionis, doctrinæ, vigilantiæ, zeli, constantiæ, omniúmque virtutum lumina edidit, vt sydus è cœlo delapsum repentino suo fulgore hanc cathedram illustrasse videretur. Cuius Pontificiæ fortitudinis illud præ cæteris actibus memorabile exemplum prodirur. Quod Comitem Hubertum Amedæi filium ob presbyterum sua culpa interfectum, præsentem excommunicauerit, nec nisi tandem serio pœnitentem absoluerit. At sicut erat in peccantes rigidus vindex pietatis & iustitiæ, sic erga pœnitentes adeo benignus & misericors fuit, vt his totis visceribus condoleret, hósque complectens paternis vlnis, etiam suis lachrymis perfunderet. In pauperes & inopes ita fuit profusus, vt pene omnia in eorum subsidia dispertiretur. Quo insigni virtutum omnium splendore, cùm locum sibi iam in cœlestibus tabernaculis præparasset, demum illustri sui cursus agone peracto sanctus Dei Confessor ad cœlum migrauit, signísque claruit in sepulchro magnificis. In agro Parisiensi sancti BABOLENI primi Abbatis Fossatensis cœnobij & Confessoris præclari, qui S. Columbani discipulus multorum monachorum Pater & cœnobiorum fundator, ac virtutum magnificus operator extitit. Romam voti causa profectus S. Simetrij Martyris ossa in Galliam attulit, apúdq. Ladernacum digno cultu veneranda reposuit. Deinde fulgidum religionis sidus S. Remaclo in regimine Stabuleti cœnobij successit. Postea Luxouiensis factus Abbas, demum & Fossatensis monasterij ad Matronam fluuium haud procul à regia Lutetia fundator, clara sanctitatis insignia cùm vbique expandisset: egregius magister pietatis ad Sanctorum laborum messem felici confectus senio pertransiuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Adiutor, idem appellatur Maxentius in Aruernia.

Hilarius.

Anthelmus.

Babolenus.

Bartholomaeus. PERREXIT hodie ad beatas sedes venerandæ memoriæ BARTHOLOMÆVS Episcopus Laudunensis sancti Patris Norberti fautor eximius, & quasi Præmonstratensis Archimonasterij fundator. Qui facti pœnitens quo illegitima dissolutione Radulfum Viromanduorum Comitem ab vxore seiunxerat, Præsulatum quem annis triginta sex & amplius multa cum pontificiæ virtutis gloria obierat, abdicans, cœnobio sese Fusniacensi inclusit: vbi assumpto religioso schemate, in humilitate, abstinentia, & omni pietate perseuerans: cœlestibus charismaribus emicuit, reuelationibus diuinis potitus est, demúmque omni sanctitate perfectus in Christo obdormiuit.

Quinto Kalend. Iulij. Luna

27 C *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1			

SS. CRESCENS. VIENNÆ Allobrogum sancti CRESCENTIS viri Apostolici, quem beatus Paulus illic primum Episcopum consecrauit, vbi verbo prædicationis multis ad Christi fidem adductis: vt copiosiorem Euangelij messem faceret, constituto Zacharia viro Dei pleno, successore, hinc discedens Moguntiam adiit, diuini verbi semina effudit, Ecclesiam constituit. Denique gentis suæ commiseratus, quam Christi præconum excidia, spirituali solatio destituerant, in Galatiam rediit, populúmque in Dei lege & cultu confirmauit, atque eo in munere Apostolico ad finem vsque persistens, tandem digna præclari agonis coronide, ad desideratissimum Domini conspectum & beatorum Apostolorum, quorum strenuus cooperator fuerat, consortium, feliciter euectus est. Eodem die Crispinij depositio sancti ADELINI Confessoris, qui beati Landelini in pia ad Apostolorum limina peregrinatione, & verbi Dei prædicatione socius, eiusdem sanctæ conuersationis imitatione ad perfectam peruenit diuinæ seruitutis consummationem. Cum quo vt in cœlo beatitudinem, sic in tumulo sortitus est magnam clarificationem. Gandaui eleuatio Sanctorum LIVINI & BRIXII Martyrum, facta ob rutilantia circa eorum venerabiles artus diuinæ gloriæ indicia, per Theodoricum Episcopum Cameracensem. In Hoyensi cœnobio, translatio sancti FLORENTII Abbatis & Confessoris, cuius colitur depositio die 22. Septembris. Attrebati in sancti Vedasti monasterio veneratio brachij sancti MAXIMIANI, qui vnus fuit ex septem Christi pugilibus, qui Ephesi in spelunca inclusi, at

(Margin: ADELINVS. — LIVINVS & BRIXIVS. — FLORENTIVS. — MAXIMIANVS.)

diuina virtute illæsi per multa temporum giramina quibus quieuerunt seruati, postea prosperâ afflante Ecclesiæ Dei aurâ, mirabiliter apparuerunt. Vigentes deinde in puro Dei famulatu, post dimensam virtutis omnis palæstram, ad æternas coronas abierunt. Quorum sacris fastis inscripta memoria, titulo septem fratrum dormientium hactenus est celebris. Eodem die Turonis depositio sancti IOANNIS Presbyteri viri Dei, cuius sanctus Gregorius Turonensis præconia veraci encomio descripsit. Ipso die Ambianis inuentio corporum sancti Fusciani & sociorum Martyrum. Catalauni sanctæ POMÆ nobilissimæ Virginis, sororis sancti Memmii Apostolici viri & primi illius vrbis Pontificis, quæ è Roma eum in Gallias diuino proposito subsecuta, dum ille Catalaunis crucis trophæum intulit, virginitatis sacræ vexillum ibidem erigens, religionis initia feliciter suo exemplo promouit. Deinde verò vbi Christi seruitio assiduè incumbens, cursum diuinitus destinatum percurrisset, virtutum pretiosis monilibus decorata, ad sponsum cœlestem, cœlitúmque supernum triumphum euolauit. Cuius purissimæ exuuiæ in eadem theca, cum sancti Memmij germani sui sacris ossibus collocatæ, ibidem magna veneratione asseruantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. IOANNES. POMA.

Hoc ipso die facta est per duos Legatos Apostolicæ sedis prima approbatio ordinis Præmonstratensis: ex quo cœlestium plantarum seminario, multa postea germina sanctitatis, ipso in Galliæ sinu liliis refertissimo, Deo aspirante, pullularunt.

Quarto Kalendas Iulij. Luna

28 D XXIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	26	27	28	29	1	2			

VIGILIA Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Eodem die Lugduni Natalis sancti Irenæi gloriosissimi Pontificis & Martyris, qui Græcus origine, Smyrnæ sancti Polycarpi Apostolorum virorum coryphæi, sanctique Ioannis Euangelistæ auditoris, præcipuus alumnus: Papiæ quoque & Ioannis senioris Apostolorum sectatorum discipulus, ex cœlesti tantorum Magistrorum disciplina in peridoneum diuinæ gloriæ instrumentum euasit. Adductus enim ab ipso Polycarpo Romam, cùm is Anicetum Pontificem consultum venit; in reditu, ab ipso in SS. IRENÆVS.

Gallias missus, atque Lugdunum, verticem Celtarum legatus ad suppetias ferendum Photino Episcopo senescenti, qui illic nouellam Ecclesiam educabat, admirabili virtute ac diuina sapientia, eidem suffragatus, innumeros ciues ab superstitionum tenebris ad Euangelij lucem pertraxit. Quamobrem, eius Ecclesiæ Archipresbyter ab ipso beato Præsule constitutus, Romam ad Eleutherium Pontificem super quasdam Ecclesiæ quæstiones missus est, ad quem *honorificas super nomine suo à fratribus* (ait sanctus Hieronymus) *literas pertulit*. Reuersus autem, cùm Photinus Episcopus iam nonagenarius martyrio coronatus, vnà cum inclyta pugilum cohorte in cœlum abiisset, vno omnium ore & pectore in eius locum sublectus Antistes, Ecclesiam ipsam exitiali hoc turbine ferè obrutam, diuino vigore erexit, diúque Apostolico spiritu & doctrina gubernauit. Interea in hæreticos qui fidei synceritatem impiis commentis fœdare nitebantur, fortissima veritatis iacula intorquens, quos potenter aggressus, scriptis vt planè diuinis prostrauit: sic orthodoxam mirificè asseruit, ac præclarè illustrauit de Deo trino & vno; de Verbo increato, incarnato, crucifixo, glorificato: de adorandæ Eucharistiæ mysterio; de incruento perennique nouæ legis sacrificio; de recto scripturæ intellectu, & quæstionum iudice; de Ecclesia vna & Catholica; de Apostolica traditione; de Sedis Apostolicæ principatu, de fide & operibus, liberóque arbitrio, de malorum principio, aliisque præcipuis pietatis Christianæ dogmatibus: (quæ impij illi Nouatores corrumpere satagebant, eorúmque sequaces nuperi errones euertere connituntur,) diuinæ illius fidei quam in hunc vsque diem Catholica Ecclesia profitetur & tuetur sententiam. Quæ omnia veritatis munimenta, vir Deo plenus non solùm calamo exarauit, sed sanguinis quoque sui egregia testificatione obsignauit. Persecutionis enim flammâ contra Christianos per Seuerum Cæsarem immani furore accensâ, cum omni ferè populo cuius curam pastor strenuus gerebat, nobili martyrio (cuius desiderio mirum in modum ardebat) tandem votis ad cumulum potitus, coronatus est. Transgressus enim in Gallias Seuerus (cuius feralia edicta toto orbe aduersus Christianum nomen detonabant) cùm accepisset Lugdunensem vrbem, sancti Irenæi operâ Christianis sacris impensè addictam, profana ethnicismi numina aduersari; ipsum quidem Irenæum diuinitus de imminente sibi & ouili clade præmonitum, & suos ad constantiam diligenter hortatum, ad se euocauit: tantâque in eum rabie crudelitatis exarsit, vt sæuitiæ eius species enumerare prolixum sit; quibus cum superior

Christi athleta euaderet, ad extremum gladio eundem peremit. Vrbem autem denso milite circundatam, vt nemo profana sacra auersans aufugeret gladio demessuit. Tunc verò tanta ibi Christianorum multitudo, ob confessionem Dominici nominis iugulata est, vt (quemadmodum scribit beatus Gregorius Turonensis) per plateas flumina ex Christiano sanguine percurrerent, quorum nomina quia præ numero recenseri nequiuerunt, Deus solus qui nouit, in libro vitæ conscripsit. Porro sacrum beati Irenæi corpus in crypta à Zacharia Presbytero in colle constituta, conditum, ibi cum beatorum Epipodij & Alexandri Martyrum pretiosis exuuiis in sancti Ioannis quæ postea extructa est basilica, per plurima sæcula, quieto situ dignóque cultu iacuit: donec furor Caluinianus, impiè veneranda eius ossa refossa, déque conditorio rapta in profluentem abiecit. De quibus pretiosis spoliis solùm iam caput superest, quod diuina bonitas, vt cederet in perpetuum fidei (quam dudum sanctus hic Doctor & athleta ad extremum vsque spiritum propugnauit; iam verò segreges totis machinis impugnant) munimentum, & æternum eorum truculentæ immanitatis signum, pignúsque perenne fidelibus salutis & gratiæ; opera pij cuiusdam viri de cœno in quod proiectum fuerat, auspicato subductum, in hunc vsque diem singulari prouidentiæ suæ beneficio, seruauit. Cæterùm nusquam Dei hostes tot dedecora & contumelias huic Dei amico in ossibus intulerunt: quot & merita, & laureas ex ipsorum omniúmque eiusmodi pietatis auitæ perduellium profligatione, perpetuóque de eorum exitiosis erroribus triumpho, quem in scriptis egit, reuexit: quótque præconia à Patribus quibusque sanctissimis, qui summa omnia in eo prædicant, hactenus meritò iure consecutus est. Ipso die etsi non eodem anno ibidem sancti ZACHARIÆ beati eiusdem Irenæi & sociorum funeratoris. Qui cùm dignitate esset Presbyter, charitate plenus, magna ipsi sancto Præsuli afflictisque fidelibus solatia, sub ipso fero turbine persecutionis, exhibuit. Illam autem noctem, quæ extremum agonem Christi athletarum præcedebat, cum sancto Irenæo in supplicatione postquam transegisset, Angelus Domini ingenti astans claritate sic beato Pontifici locutus est. *Zachariam Presbyterum sollicitè latere facito, qui post tuum abcessum tibi successor existens fratres in Christo confirmet.* Quod Zacharias abundè præstitit, diuino ex vaticinio factus gregis desolati pastor, orbatæque Ecclesiæ Sacerdos sanctissimus. Cæterùm suscepta cura ouium in magnis his perturbationibus fortiter felicitérque perfunctus, emeritæ tot su- ZACHARIAS.

doribus laureæ demum euocatus ad gloriam, quieto fine percepit donatiuum. Eodem die Vltraiecti Natalis sancti BENIGNI Episcopi & Martyris, cuius ossa illic maximo honore reposita, multis signis coruscatunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

BENIGNVS.

IN cœnobio Miciacensi prope Aureliam Dominica infrà octauas sancti Sacramenti fit festiuitas Sanctorum MAXIMINI Iunioris Abbatis quinti illius monasterij: sanctique VIATORIS Leuitæ, CONSTANTII, FRAMBALDI, FLORENTII, RVFFINI, EVCHARDI, LEONARDI, DVCATI, LINENTII, & nonnullorum aliorum monachorum illius cœnobij. Hodie animam piè Christo consignauit RAYNALDVS Abbas Ressimaci, vir incensi zeli & multæ religionis.

Maximinus Iunior. Viator. Constātius, Frābaldus, Florentius, Ruffinus, Euchardus, Leonardus, Ducatus, Linentius, aliique. Raynaldus.

Tertio Kalend. Iulij. Luna

29 E XXVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3			

SS. PETRVS & PAVLVS Apostolorũ principes.

TRIVMPHVS beatorum PETRI & PAVLI, qui hodie sub Nerone Romæ coronati, fundamenta Christianæ religionis, illic iam à se posita, æternùm vt firmarent, fuso sacratissimo cruore consecrarunt. Petrus *passioni Dominicæ adæquatus*, iuxta viam magis ab eius trophæo, quam Cæsarum insigniis, dictam triumphalem sepultus: Paulus *Ioannis exitu laureatus*, via Ostiensi conditus: sícque dissito parum sepulchro ambo quiescentes, & specialis victoriæ, & communis gloriæ editis monimentis, emeritam totius orbis venerationem cultu perpetuo receperunt. Sed non est post vrbem ipsam orbis dominam, vlla sub cœlo regio, quæ maiori quàm Gallia deuotionis affectu, honorificationísque ampliori obsequiis, horum beatorum Ecclesiæ Principum memoriam celebret, merita attollat, pignora exornet: magísque alta eorum culmina suscipiat impensiúsque veneretur. Tametsi enim non sibi sola hos Tutelares vendicet, quos duo mundi lumina: imò (vt Patrum disertissimi aiunt) oculos Christi, tubas salutis, columnas fidei, veritatis nuntios, totius sanctitatis Doctores, innocentiæ magistros, & vniuersalis Ecclesiæ fundatores, Gallia ipsa confitetur: nihilominus eosdem proprios sibi astruit patentes, & reuerendos in Christo pædagogos: sícque illius quam possidet ab elucescente orbi Euangelio, fidei & religionis auctores agnoscit,

vt perpetuos eiusdem colat ac prędicet vindices. Postquam enim illi Apostolorum Coryphæi, vicos, castella, vrbes, gentésque omnes diuinum lumen perferendo, terra maríque peragrassent: apicémque ipsum Romani Imperij demum Christo triumphatori crucifixo ac rediuiuo subegissent: *præsentissimo progressus adeo auspicati commodo vtentes*, (ait Leo Magnus illorum successor) *Legatos suos in Gallias summiserunt, qui populos amplissimæ huius regionis plerosque, ritus Christiani sanctitate imbuerunt.* Ex hoc fonte, primi in Gallias salutis & fidei riuuli redundârunt: ex hac prodierunt acie primaria, Ecclesiæ huius Christianissimæ duces; illi inquam Patres & Pastores, qui eductæ ab orci patulo hiatu, genti adeo inclytæ, tramitem felicitatis æternæ, spiritualis imperij virga, ac regni cœlestis claue aperuerunt: qui prima Ecclesiarum fundamenta posuerunt: Episcopalésque sedes constituerunt, quas non modò sanctitate, sed & mirabili Apostolatus gratia, ac præcelsi martyrij gloria, & sanguinis purpura (qua nihil pulchrius in Dei oculis est) condecorauêre. His accepta refert Gallia suæ in Christo prouectionis primordia: imò & omnis felicitatis flumina se ex hoc fonte delibasse fatetur, quibus irrigata, exculta, fœcundata, tantam diuinæ segetis messem, tot cœlestium stirpium copiam protulit, germinauit, peperit: atque quæque ex Christi cognitione percepit cœlestis benedictionis fluenta. Nec iis modò beneficiis Apostolorum Principibus sese confitetur Gallia deuinctam: sed si quæ munera maiora sunt, multis aliis nominibus sese iisdem obstrictam ingenuè agnoscit. Nempe quòd post stabilita in ipsius Galliæ gremio religionis salutiferæ fulcra, plantata semina, irrigata germina, prouecta æterni ædificij culmina, perpetuam hactenus prætenderint ipsi Galliæ, Christo eorum auspiciis dedicatæ, clientelam. Cui quidem æternùm obeundæ, & plurimorum suorum sacratissimorum ossium, atque etiam ipsorum suorum cinerum (quos dudum Cluniacum sub S. Maiolo Abbate, Româ, per Romanos ascetas, permissu pontificali aduectos, in vrna pretiosa, in qua eos olim S. Cornelius Martyr & Pontifex condiderat, inclusos; atque ab Hugone venerabili Archiepiscopo Bituricensi in columna sub principe ara repositos, Calixtus secundus Papa visitans Cluniacense cœnobium, ritè agnitos deuotè adorauit) oppigneratione sese vltro addixerunt. Cui accedit quasi ex mutuo fœdere, tot templorum, sacellorum, cœnobiorum sub eorundem primorum Apostolorum nuncupatione gloriosa, toto quo patet Gallia ambitu, peruia vbique constructio: quæ vt innatam Gallico populo in hos Ecclesiarum Principes, deuotionem profusam indicant;

ſic & dum illuſtriorem eorum memoriam efficiunt, cultum perennant:ita &patrocinium perpetuum Regi Regnóque Chri- Duo Martyres anonymi. ſtianiſſimo pollicentur. In Septimania paſſio duorum Monachorum ordinis Ciſtercienſis ab Albigienſib. hæreticis in odium fidei & religionis impiè occiſorum. Eodem die in territorio Se- Benedicta. nonenſi S. BENEDICTÆ Virginis,quæ per indefeſſum mortificationis ſtudium, & Deo complacendi affectum,eximiam mentis & corporis conſecuta eſt puritatem: & cœleſtis gratiæ irroratione fœcundata, ſicut candidum lilium in Eccleſiæ horto germinauit ,ſuauiſſimóſque efflauit, cum ſpiritu, omnium virtutum ac meritorum odores: Sed & miraculis etiam poſt obi- Mvstiola & Beata. tum glorioſa refulſit. Ibidem ſanctarum Virginum MVSTIOLÆ & BEATÆ, quæ inter ſapientes puellas ſponſo obuiantes cum lampadibus accenſis viuæ fidei & perfectæ caſtimoniæ, cœleſtis agni nuptias lætanter ingreſſæ ſunt. Eodem die apud Bituriges caſtro Argentonio inuentio corporum Sanctorum Marcellus & Anastasius. Martyrum MARCELLI & ANASTASII, quorum agonis clara eſt memoria die vndecima huius menſis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Joanna Arcia puella dicta Aurelianenſis. ROTOMAGI in veteri foro martyrium IOANNÆ ARCIÆ puellæ Aurelianenſis ab Anglis crematæ damnatione adeo iniuſta, vt ſedis Apoſtolicæ auctoritate reuocata prorſúſque abrogata fuerit. Eodémque ſupremo iudicio ipſi Ioannæ æquiſſimo iure vindicata pietas, caſtitas & innocentia. Eodem die piè *Petrus Tarentaſienſis.* vitam cum ſacro munere abſoluit venerabilis PETRVS Archiepiſcopus Tarentaſienſis, vir ſanctæ exiſtimationis, ſtrenuúſque religionis cultor.

Pridie Kalend. Iulij. Luna

30 F XXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4			

SS. Pavlvs. COMMEMORATIO ſancti PAVLI Apoſtoli, Gentium Doctoris, Galliæ illuminatoris primi, illiúſque primorum Antiſtitum Trophimi Arelatæ, Creſcentis Viennæ, Pauli Narbonæ, Ruffi Auenionis, aliorúmque multorum in Celtica, Viennenſi & Narbonenſi Gallia Epiſcoporum ordinatoris. Necnon ipſius Dionyſij Areopagitæ Regiæ Pariſiorum Lutetiæ Epiſcopi, ac interioris Galliæ Apoſtoli (quem Athenis Chriſto peperit,) baptiſtæ, magiſtri ac conſecratoris. Lemouicis in Aquitania prima Martialis. Natalis ſanctiſſimi MARTIALIS, qui vnus ex Chriſti Domini diſcipulis, Petri Apoſtoli & Stephani Protomartyris conſanguineus,

neus, Virgo electus à Domino & baptizatus, tribus cum ipso annis in obsequio permansit. Post passionem autem eius & resurrectionem, quindecim cum beato Petro Hierosolymis, septem verò in Antiochia annis perstitit. A quo cùm Romam pergeret, in comitatum assumptus, vno ibidem anno expleto, in prædicationis munere, Spiritu sancto impellente, & ipso Apostolorum principe suggerente, ac duobus piis asseclis Austricliniano scilicet & Alpiniano in Galliam venit Aquitanicam, quam idololatriæ tenebris circumfusam, diuino Euangelicæ veritatis lumine, primus omnium illustrauit: salutaribúsque documentis imbutam magna ex parte ad Christum traduxit. Tolosates enim primùm, Burdegalēses, Rutenos, Aruernos, Mimatenses, & omnes denique populos à Rhodano ad Oceanum vsque pertingentes Christiana religione instruxit: primúmque Christo templum in Gallia, Lemouicis, sub sancti protomartyris Stephani commemoratione extruxit. Demum autem cùm Apostolicum munus, ad quod assumptus fuerat, & verbis & miraculis præclarissimis, Domino adiuuante, perfecisset, ac euersis simulachrorum ritibus, innumerabiles populos Christo IESV peperisset: ipse non modò Aquitaniæ, sed ferè etiam totius Galliæ Apostolus, Spiritu sancto plenus, cum magna & incredibili gloria ad cœlos abiit, anno ætatis quinquagesimo sexto, Apostolatus vigesimo octauo, à Christi Ascensione quadragesimo. Eodem die in agro Viuariensi sub Viennensi prima, Natalis sancti OSTIANI Episcopi & Confessoris, qui huic oppido præcepta fidei, primus post sanctum Andeolum, sancti Benigni asseclam, beatíque Polycarpi discipulum, & Christi iuratum testem, feliciter tradidit, omnibúsque illic ad Domini gloriam & populi salutem piè ac præclarè constitutis, pacifico demum fine obdormiuit in Domino. Ipso die in Namurcensi Præsulatu, Montis cœnobio, prope Orpium sanctæ ADILIÆ Virginis, quæ à pueritia, diuino afflata spiritu, mundo exulans, Christo dulcissimo purarum animarum sponso, suam virginitatem consecrauit. Illícque vbi sacto velamine fuerat amicta edito ætatis & sanctitatis progressu, multis sanctimonialibus præfuit. Sed cùm esset hospitalitate præcipua, viderétque pauciores propter Montis asperitatem eò peruenire, in decliuioribus Ecclesiam sancti Martini ædificauit, & ad eam monasterium transferens, xenodochium eidem adiunxit. Vbi pietatis & charitatis exercitationibus Dei feruens amore sic institit, vt tandem bonis operibus plena, purissimo exhalato in Christi manus spiritu, ad æternam ascenderit patriam. Humata est in eadem Ecclesia

Ostianus.
Adilia.

multo cum honore, diuinísque postea mirabilibus refulgens, locum vbi quiescit per meritorum gratiam reddidit percelebrem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Clotsendis. EODEM die insignis est in Marchionensi cœnobio prope Duacum Attrebatensis diœcesis, memoria beatæ CLOTSENDIS Virginis, filiæ sanctæ Rictrudis, post cuius obitum facta illius monasterij moderatrix, moribus & virtutibus sanctissimis id direxit: atque demum in sacra obseruantia perseuerans, suísque Monialibus mira pietatis, deuotionis & abstinentiæ lumina præferens, in omni puritate carnis & spiritus cursum feliciter consummauit. Item eodem die feliciter in Christo obdormiuit beatæ memoriæ *Arnulphus.* ARNVLPHVS de Bruxellis, conuersus cœnobij Villariensis, seuerissima corporis sui castigatione, eximia in sanctissimam Deiparam deuotione, eiúsque magnificis fauoribus, virtutibus copiosis, cœlicis apparitionibus, miraculis & prophetiæ spiritu illustris. Eodem *Frescendis.* die Duaci pio fine quieuit FRESCENDIS eiusdem ordinis, relicta suæ sanctitatis multa opinione. Attrebati claret etiam memoria cerei seu candelæ, quam beatissima Virgo Deipara in huius ciuitatis maiori Ecclesia (quæ ipsi consecrata est) Itherio & Nortmanno ioculatoribus apparens, miseris vt ciuibus opitularetur dedit, per quam plerique sanati sunt ardentes igne malo.



IVLIVS.

Kalendis Julij. Luna

1															G xvi.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5			



LVTETIÆ PARISIORVM in parœcia S. Ioannis in Grauia, miraculum ſacroſanctæ Hoſtiæ, à Iudæo atroci facinore punctæ & terebratæ: ſed virtute diuina clarificatæ cum magno patentis, Chriſti, maieſtatis, triumpho. Cùm enim traditam ſibi ab infelici muliere, vili illecta pretio, quam hæc acceperat in Paſchali ſynaxi, victimam ſalutarem; impius ille primùm ſcalpello calamario, repetitis punctionibus transfigere aggreſſus eſſet; deinde etiam clauo, mallei ictu intruſo, perforatam in muro ſuſpendiſſet: flagellis etiam verberaſſet; hinc cruore erumpente non tam attonitus, quàm in furorem actus furcifer, diuinum Redemptoris pignus arripiens, in rogum proiecit; flammis enitens abſumere, quod ictibus diſcerpere corpus adorandum nequiuerat. At hoſtia ex foco exiliens, quaſi pennis euecta, per cubiculum volitare circumquaque cœpit. Quam nequam iterum aggreſſus, iterúmque manib. præcidendis raptam cultro proſcindere niſus, cùm fruſtra id ſe aduerteret ſatagere, hanc ad latrinas contumeliæ cauſa affixit, atque lanceam grandi impetu in eam intorſit, quo ictu magnus profiliit ſanguinis riuulus. Tum execrabilis Iudæus ſacratiſſimam hoſtiam in ollam feruentem iecit, putans, bullientis vndæ globis eam conſumi poſſe. Sed mox in patentem cruorem liquor conuerſus eſt. Hoſtia verò ex lebete profiliens deſuper euecta diuina virtute conſtitit, magno cum ſplendore. Sic confuſus impius ſæuire quidem deſiit, at ſcelus portentoſum non potuit tegere. Cùm enim viſo tanto fulgore, foras erumpente mulier quædam pia è vicinia eam ad domum accurriſſet, ignem ſe pe- Miraculum S. Sacramenti.

multo cum honore, diuinísque postea mirabilibus refulgens, locum vbi quiescit per meritorum gratiam reddidit percelebrem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Clotsendis. EODEM die insignis est in Marchionensi cœnobio prope Duacum Attrebatensis diœcesis, memoria beatæ CLOTSENDIS Virginis, filiæ sanctæ Rictrudis, post cuius obitum facta illius monasterij moderatrix, motibus & virtutibus sanctissimis id direxit: atque demum in sacra obseruantia perseuerans, suísque Monialibus mira pietatis, deuotionis & abstinentiæ lumina præferens, in omni puritate carnis & spiritus cursum feliciter consummauit. Item eodem die *Arnulphus.* feliciter in Christo obdormiuit beatæ memoriæ ARNVLPHVS de Bruxellis, conuersus cœnobij Villariensis, seuerissima corporis sui castigatione, eximia in sanctissimam Deiparam deuotione, eiúsque magnificis fauoribus, virtutibus copiosis, cœlicis apparitionibus, miraculis & prophetiæ spiritu illustris. Eodem *Frescendis.* die Duaci pio fine quieuit FRESCENDIS eiusdem ordinis, relicta suæ sanctitatis multa opinione. Attrebati claret etiam memoria cerei seu candelæ, quam beatissima Virgo Deipara in huius ciuitatis maiori Ecclesia (quæ ipsi consecrata est) Itherio & Nortmanno ioculatoribus apparens, miseris vt ciuibus opitularetur dedit, per quam plerique sanati sunt ardentes igne malo.



IVLIVS.

Kalendis Julij. Luna

1 G xvi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5			



VTETIÆ PARISIORVM in parœcia S. Ioannis in Grauia, miraculum ſacroſanctæ Hoſtiæ, à Iudæo atroci facinore punctæ & terebratæ: ſed virtute diuina clarificatæ cum magno patentis, Chriſti, maieſtatis, triumpho. Cùm enim traditam ſibi ab infelici muliere, vili illecta pretio, quam hæc acceperat in Paſchali ſynaxi, victimam ſalutarem; impius ille primùm ſcalpello calamario, repetitis punctionibus transfigere aggreſſus eſſet; deinde etiam clauo, mallei ictu intruſo, perforatam in muro ſuſpendiſſet: flagellis etiam verberaſſet; hinc cruore erumpente non tam attonitus, quàm in furorem actus furcifer, diuinum Redemptoris pignus arripiens, in rogum proiecit; flammis enitens abſumere, quod ictibus diſcerpere corpus adorandum nequiuerat. At hoſtia ex foco exiliens, quaſi pennis euecta, per cubiculum volitare circumquaque cœpit. Quam nequam iterum aggreſſus, iterúmque manib. præcidendis raptam cultro proſcindere niſus, cùm fruſtra id ſe aduerteret ſatagere, hanc ad latrinas contumeliæ cauſa affixit, atque lanceam grandi impetu in eam intorſit, quo ictu magnus proſiliit ſanguinis riuulus. Tum execrabilis Iudæus ſacratiſſimam hoſtiam in ollam feruentem iecit, putans, bullientis vndæ globis eam conſumi poſſe. Sed mox in patentem cruorem liquor conuerſus eſt. Hoſtia verò ex lebete proſiliens deſuper euecta diuina virtute conſtitit, magno cum ſplendore. Sic confuſus impius ſæuire quidem deſiit, at ſcelus portentoſum non potuit tegere. Cùm enim viſo tanto fulgore, foras erumpente mulier quædam pia è vicinia eam ad domum accurriſſet, ignem ſe pe-

Miraculum S. Sacramenti.

titum venisse simulans, triumphans victima, in eius vasculum sponte desiliit: quam punctionibus confixam madidámque sanguine conspiciens illa, deuotè adoratam festina pertulit ad sancti Ioannis, in cuius parœcia res contigerat, Curionem. Is diuinum munus eo quo decebat honore suscepit: atque condigno cultu in sacrario Ecclesiæ reposuit. Rumore exorto, mox rei disquisitione facta, Iudæus comprehensus, reatúmque non abnuens, flammis addictus est. Cuius vxor & liberi, compuncti sceleris atrocitate, & Christi gloriæ euidentia, cum multis aliis Iudæis deposita perfidia, fidem Redemptoris professi sunt, salutaribúsque vndis expiati, atque ab vrbico Antistite chrismate sacro consignati, ex filiis iræ, in gratiæ adoptitios transierunt. Cæterùm eo loco vbi res adeo mira patrata est: in perenne monimentum Ædicula constructa fuit, permissu Bonifacij VIII. summi Pontificis, quæ ob miraculum de corpore Christi bullito accepit Bullitæ cognomentum. In hac constitutis postea ascetis ordinis sancti Augustini, ex congregatione Charitatis beatæ Mariæ, quibus Carmelitæ Patres de obseruantia his demum diebus suffecti sunt: reseruatur scalpellus ille, cuius cuspide confixa fuit adoranda Hostia à Iudæo, exhibetúrque fidelibus eò deuotè quotannis confluentibus hac die, & Dominica in Octaua Paschæ. Porro ipsa hostia, tantorum prodigiorum operatrix, veræque corporalis præsentiæ Christi in Eucharistia testis perpetua, in prælibata basilica sancti Ioannis iam ex tunc condecenti cultu collocata, hactenus ibidem religiosè asseruatur. Ex cuius veneratione ipsa Ecclesia magnum decus accepit, muneribúsque Indulgentiarum perpetuis ab Vrbano V. decorata: beneficiis etiam nonnullis à Carolo IV. cognomine Specioso Christianissimo Rege, Philippi filio, amplificata est. Ipso die Octaua sancti IOANNIS Baptistæ. Machliniæ in Brabantia Natalis sancti RVMOLDI Episcopi & Martyris, ac tractûs eiusdem Apostoli, qui regia stirpe apud Scotos natus, vbi ex ephœbis vix excesserat, ob morum grauitatem, doctrinæ præstantiam, sanctimoniæ & pietatis eximiæ decus, in sacræ militiæ coryphæum prouectus, atque ex quo virilem attigit ætatem Episcopus Dublinensis creatus, magnarum virtutum lumina, ea in functione ostendit. Tum caducæ gloriæ affectus despicientia, & deuotionis incensus studio, relicta patria, Apostolorum vt limina inuiseret Romam profectus est: In quo itinere nullam prædicandi verbi Dei occasionem prætermisit. Inde Apostolorum & Martyrum

SS. IOANNES Baptista. RVMOLDVS.

memorias pio ex voto frequentans, multis osculis ac lachrymis, eas complectebatur, & bellatorum Christi certamina animo suo ita repræsentabat, vt totus in martyrij desiderium (ad quod diuinitus præordinatus erat) raperetur. Superno igitur afflatu, vt in Galliæ partes concederet admonitus, Christi vicarij suscepta benedictione Machliniam venit, vbi benignè ab Adone Comite susceptus, & prophetiæ spiritu & Apostolica doctrina & miraculorum gloria emicuit: Sancti Liberti Martyris ipsius Dynastæ filij, cuius ortum sterili matri prædixerat, Baptista, simul suscitator & pædagogus. Denique virum Dei strenuè prædicationis munus obeuntem, sicarij duo, quorum alterum cupiditas auri, alterum sancti Præsulis frequens ob commissum adulterium reprehensio stimulauerant, vulnere capiti inflicto impiè interemerunt: corpúsque exanime, vt tantum scelus celarent, in aquam demerserunt. Sed diuino desuper radiante lumine, per Adonem præfatum Comitem ex vndis sublatum, in Machliniensi oppido honorificè conditum fuit, eo loco quo postea coruscantibus diuinæ gloriæ insigniis, à NotKero Leodicensi Præsule basilica ædificata, Collegio duodecim Canonicorum instructa est, quæ & ossibus eius venerandis & gloriosa fulget clientela. Passus est quidem præcelsus Christi athleta octauo Kal. Iulij, sed ne quid Magni Baptistæ celebritati detraheretur, Martyris huius solemnitatem Alexander quartus Pontifex maximus in hanc diem transferens statuit peragendam. Aruernis sancti GALLI Episcopi & Confessoris. GALLVS.
Hic eodem ex municipio illustri è Gallorum familia, patre Georgio Senatore, matre Leocadia genitus, à prima ætate in Dei timore eruditus est. Cui vt puriùs ac liberiùs famularetur, Chrononense adiit cœnobium, ibique sacræ institutionis peracto tyrocinio, diuinæ gratiæ, qua affluebat, præclara specimina prodidit. Quem sanctus Quintianus Episcopus Aruernensis, cùm hoc monasterium frequentaret, audiisset diuina præconia, miro & deuotionis feruore, & vocis suaui modulamine celebrantem, præcipuo amore complexus, vt tanto lumine suam Ecclesiam illustraret, inde ad ciuitatem adductum, Clero matricis ædis associauit, diaconum ordinauit, sacræque Sophiæ theoremata pleniùs edocuit. Is verò sicut oliua fructifera in Dei domo plantatus, cùm multam meritorum frugem ederet, à Theodorico Rege, qui non tam vocis melodiam, quàm vitæ sanctitatem in eo mirabatur, ad aulam euocatus, atque in exemplum pietatis & castimoniæ positus, magnam contraxit Regis ipsius, necnon Reginæ ac Theodoberti filij

beneuolentiam: eámque in omnium existimationem euasit, vt demortuo Aprunculo I. Belgicæ metropolite, à Clero & populo Treuirensi delectus fuerit in eius locum Episcopus. Verùm eorum postulatis Rex ne tantum virum à se longiùs amoueret, acquiescere renuens, alteri destinatum sedi causatus est: paulóque pòst exeunte ab humanis beato Quintiano præmemorato Aruernorum Præsule: Ecclesiæ huic, cuius alumnus erat, præficiendum duxit. Sic igitur ex Leuitarum ordine ad summum sacerdotium cum ingenti omnium applausu euectus, nihil fuit ex Episcopalis panopliæ numeris, quod non exacta diuinæ conuersationis obseruantia impleuerit, sanctitatis, humilitatis, ac patientiæ præsertim dotibus insignis, qua efferos iræ atterens motus, iniuriarum quarumuis memoriam penitus excutiebat, séque etiam impetentes & officiis & orationibus iuuabat. Qua ex charitate factus Deo & hominibus charus, clarus etiam miraculis perfulsit, suáque pretiosa apud Deum interuentione, vrbem ab excidio, quod immanis terræ motus protendebat præseruauit. Incendio etiam ne conflagraret, ac lue subinde grassante absumeretur, fusis itidem precibus impetrauit. Populo suo vt Deum propitium redderet sanctus Præsul Litanias media in quadragesima indixit: in quibus pia agmina ducebat è matre Ecclesia ad sancti Iuliani memoriam: eius præsidia imploratum, cuius salutiferam opem ipse in adolescentia expertus fuerat: cùm paxillo pede veneratus, eius suffragiis quæ deuotè exambiuit à vulnere sanatus est. Demum vir tot nominibus amandus, admirandus, postquam sua in vrbe coacto Concilio (quod primum fuit) magna cum dignitate interfuisset: Quinto Aurelianensi subscripsisset: nunquam à benè operando fatiscens, ex stadio excessit, atque ad piorum laborum coronam anno Episcopatus sui XXVII. profectus est. Sacrum eius corpus in Ecclesia sancti Laurentij humatum ante altare, postea ob beatitudinem micantia signa, digna cælitis veneratione habitum, ipsi Ecclesiæ nominis sui, deinde indidit nuncupationem. At successu temporis inde leuata eius pignora ad basilicam de portu honorificè translata fuerunt, vbi cum multorum aliorum pretiosis exuuiis reposita religiosè asseruantur. Viennæ Allobrogum transitus sancti MARTINI Apostolorum discipuli, ciuitatis huius secundi Episcopi. Is, quem ferunt Christum in cruce pendentem & patientem pro salute nostra, oculis propriis conspexisse, ex Oriente in Occidentem progressus cum Paulo Gentium Doctore, Romam venit: Petri iam præconio Euangelico illustratam: vbi suscepta ab ipsis fi-

MARTINVS.

dei principibus, prædicandi in Galliis auctoritate, cum Vero sibi dato sancti muneris subsidiario, variis in locis Viennensis & Celticæ Galliæ, salutis verbum disseminauit. Deinde Zacharia Viennensis Ecclesiæ Pontifice, qui prima fuit in Gallia fidei victima, ob pietatis assertionem, nobili agone laureato, Viennam vt dispersas oues solaretur, profectus, Episcopatum ibidem iniit gloriosum, tandiúque ibi hæsit Christi gloriam, gregísque salutem prouehens quà verbo, quà signis & Apostolica conuersatione, donec decurso strenuè Euangelicæ prædicationis officio, tandem sub Traiano principe placido fine obdormiuit: atque Christi primariis præconibus, in cœlis associatus, perfuncti sanctissimè muneris percepit, sacrâ benè exacta militiâ, æternum donatiuum. Cuius nomen in benedictione permanens, sacris ex tunc diptychis ascriptum, condignóque honoratum cultu tanti herois memoriam perennauit gloriosam. In territorio Remensi sancti THEODORICI Presbyteri & Abbatis, discipuli sancti Remigij, per quem è patris domo, qui latrocinia exercebat velut è tribulo rosa vernans ab infantia ferè subreptus, atque in scientia salutis enutritus, postquam adoleuit, cùm vxorem assidua matris constrictus instantia duxisset, sponsam ipsam suam Christo vt purum suæ virginitatis florem consecraret sollicitauit: qua renuente sancti ipsius Remigij adhibitis admonitionibus eandem ad pij consilij assensum, demum Deo votis eius fauente feliciter perduxit. Móxque solutus hoc impedimento in syluam, tribus ab vrbe milliaribus dissitam secedens, illic sancti ipsius Remigij iussione ac opitulatione erecto cœnobiolo, cateruam Deo famulantium ascetarum congregauit, cui (nonnisi vt sancto ipsi Præsuli morem gereret) in Abbatem præfici vir synceræ humilitatis assensus est. Inde ob clara quibus diuinitus perfusus enitebat charismata Sacerdos, ab ipsomet beato Remigio ordinatus verbi Dei prædicationi sese accinxit, magnámque salutis messem ex disperso vndique cœlesti semine collegit. Virtutum diffusam circumquaque famam, miraculorum quæ accessit dotibus longè ampliauit gloria. Quæ cùm ad aulam delata percrebresceret, Theodoricus Rex qui dolore oculi grauissimo laborabat, virum Dei accersiuit, opem eius humiliter efflagitans. At ille olei sanctificati paululum summitati pollicis infudit, & oculo malè habenti signum crucis imprimens, lumen & sanitatem restituit. Deinde cùm aliquando filia prædicti Regis languida lecto decumberet, pro ea ad sanctum Remigium, vt sacræ manus impositione illam subleuaret missum est. At Præ-

THEODORICVS.

ſul ſanctus, quadam corporis moleſtia detentus, hoc negotium Theodorico diſcipulo commiſit, qui duplici fretus ſpiritu, ſui ſcilicet & magiſtri, iam defunctam ſuſcitauit. Tandem cùm multas alias virtutes operatus eſſet gregis Dei ductor, bono certamine ad victoriam perducto, felici conſummato curſu, æternam migrauit, (ſuſcipientibus beatam animam Angelis) ad gloriam. Cuius defuncti corpus Rex ipſe Theodoricus propriis humeris ad tumulum euexit: miracula verò plurima conſequentia gloriam quam adeptus eſt apud Dominum magnificè propalauerunt. Eodem die in agro Lugdunenſi, valle Vebrona,
DOMITIANVS. depoſitio ſancti DOMITIANI Abbatis & Confeſſoris, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, & plurimos ſibi in Dei ſeruitio aggregans monaſterium inſtituit, magníſque virtutibus & glorioſis miraculis valde clarus, ad Patres in ſenectute bona & plena meritorum meſſe collectus eſt. Engoliſmæ ſan-
EPARCHVS. cti EPARCHI Monachi recluſi & Confeſſoris. Is Petracoricis non ignobili editus proſapia, patre Felice, matre Principia, cùm vix adhuc ſeptenos impleret annos ætatis, literis traditus edocendus, breui ſic in diſciplinis profecit, vt præ morum grauitate & ſcientiarum peritia, iam ferè adhuc adoleſcens ab auunculo Comite Ciuitatis rebus gerendis adhibitus, Cancellarij ſub eo munere annos quindecim ſumma integritate & ſolertia perfunctus ſit. At pertæſus nugarum ſæculi, Deo ſe totum ſubdere, perpetuíſque in eius obſequiis adſtringere percupiens, cingulo depoſito clam Sedaciacum cœnobium expetiit, Abbatíſque *Martini*, cuius ſanctitatis fama permotus fuerat, aduolutus pedibus, petiit ſe ſub eius auſpiciis Chriſti ſuaui iugo mancipari. Voti compos Dei gratia effectus, in portentum obedientiæ, humilitatis, abſtinentiæ, deuotionis, caſtitatis & charitatis euaſit: operibúſque miſericordiæ deditus, miraculis etiam, quæ præcipuè in morborum curatione edebat, diuinitus enituit. Cuius & innocentiæ & puritatis Deo gratæ teſtes, & aues ad eius nutum morigeræ, & brutæ animantes, mira quam ei impendebant ſubiectione non rarò extiterunt. Inter quas caprea ſilueſtris celeri curſu feſtinans pedibus eius ſe aduoluit, manúſque eius ſacras exoſculata, non priùs abiit, quàm percepta viri Dei benedictione ad ſua redire permiſſa eſt. Quibus cùm aliíſque ſanctitatis indiciis fama eius perſonaret, Dei famulus latere percupiens, ſecreta varia loca perluſtrauit: at tandem Engoliſmam progreſſus Dei iuſſu illic ſtatuit cellulam, in qua de ſui Abbatis licentia & Aptonij Epiſcopi perniiſſu (à quo preſbyterij honore decoratus fuit) incluſus, collectis paucis

monachis, totus à Christi cogitatu, pendens & cultui eius perenniter defixus annos quadraginta quatuor exegit, Angeli potiùs quàm hominis conuersationem referens: demúmque postquam crucis signo legiones dæmonum abegisset, mira sanctitatis subsidia ægrotis impendisset: atque sua prece três mortuos ad vitam reuocasset, vir Deo plenus, egregiis meritorum ditatus cumulis, è cella ad cœlum, beatæ spei fœnora fidelis quam Christo præstitit seruitutis stipendia percepturus euolauit. De hoc viro Dei, qui eius res gestas pleniùs post Gregorium Turonensem prosecuti sunt, narrant, non permisisse eumdem fratribus, ad vitæ subsidium labori manuum insistere, neque panem quærere: sat esse dicens si Deo fidentes, perenni eius famulatu sese, orando meditandóque, proximis opitulando exercerent. At fratres cùm se adeo iis quæ ad victum pertinent, destitutos viderent, vt etiam panis laborarent inopia: vbi eum compellantes indicassent, se iam propter famem in periculo versari: tum illum iis respondisse læto vultu, FIDES FAMEM NON TIMET. Horúmque vt animos confirmaret Eremitarum priscorum exempla solitum eis refricare: quorum fidei plusquam industriæ vitæ necessaria diuina bonitas suppeditabat. Cæterùm huic eius fiduciæ diuinâ miseratio propitiam sese ita exhibuit, vt semper adfuerit precibus eius intenta. Nec vnquam munera ad extremum defuerunt à fidelibus transmissa, quorum partim ille in sui & alumnorum alimoniam, partim in egenorum pastum & captiuorum redemptionem impendit. Referunt exarata de eo monimenta eum duo millia hominum à seruitutis nexibus redemisse: qui omnes concursu facto; exequiis eius interfuerunt: miracula etiam funus eius maxima nobilitarunt, ac consecuta sunt diuinæ beatitatis insignia. Eodem die in Cenomanorum finibus monasterio Anisulæ, sancti CARILEFI Presbyteri & Eremitæ, qui patria Aruernus ingenuis & locupletibus natus parentibus, cùm adolescere cœpisset, superni Regis famulatum ambiens, se vnà cum beato Auito veræ sapientiæ discipulo, ad beatum Maximinum celebris sanctimoniæ Abbatem Aureliam contulit, in monasterio quod in Aurelianensi agro, loco cui Miciacum nomen beatus Euspicius non ita diu condiderat; rebus diuinis incumbentem, à quibus vterque susceptus perbenignè, sub eius disciplina eximios pietatis edidit progressus. Cuius & hortatu cùm præclaris religionis dotibus præfulgeret, ad maiora in Dei famulatu capessenda excitatus, passus est quod præ humilitate plurimùm renuebat, se ad sacrum sacerdotij

CARILEFVS.

gradum promoueri. Indéque auctis diuinæ gratiæ charismatibus, quia præ virtutum & signorum admirabilium splendore hominum magnam in existimationem deuenerat: auras populares vt securius declinaret vnà cum socio Auito, densiores siluas subiens, in loco cui Piciacus nomen erat, horrido quidem & saltuoso resedit, vbi ambo in multis ieiuniis & orationibus latitarunt. At aquæ inopia cùm extabescerent, Carilefus alter Moyses fusa prece ex silice fontem vberrimum ac limpidissimum excitauit, qui hactenus nomine eius insignis est: atque vt suscepti diuini beneficij debitas grates referret, oratorium prope exortos latices extruxit, in quo laudis sacrificium Deo quotidie immolaret. Porro mox fama tantæ sanctitatis longè latéque diffusa, vir gloriæ rumusculos prorsus exhorrens, dilectissimo commilitoni Auito, secretiùs vt delitesceret valedixit, assumptísque germano suo *Daumuero*, vnà cum *Gallo* eiusdem voti sectatore, ad partes Cenomanorum progressus, superno ductu ad locum valde solitarium & nemorosum, qui Casa Iagani pridem dicebatur, perueniens, ibidem diuino afflatu sedem fixit: extructáque post extirpatas ex abditiori recessu vepres, cum tuguriolo ædicula, vitæ Angelicæ actus complexus, tremendi sacrificij quotidianum Diuinæ Maiestati cultum, cum officiorum Ecclesiasticorum penso, ibi persoluit. Pro indumento cilicium gestans, & nuda humo substrato cinere decubans, pedibus quacunque aëris inclementia incedens nudis, vili olerum, paruóque leguminum pabulo, quod plerumque post biduum aut triduum capiebat, solóque aquæ haustu, at raro vitam sustentare consueuerat. Operabatur sedulo manibus, vtebatur lectione pro requie. Quibus dum se exercebat admirandis actionibus, fama quam præcipuè fugiebat ad aures populorum inuecta, fecit, vt ad eum plerique aduolarent, sanctæ adeo conuersationis fieri cupientes discipuli, ex quibus magnus insignium virorum cœtus breui coaluit. Alios etiam diuinæ virtutis quæ ex eo emicare cœpit, gratia ad eum confluere impulit, illius se precibus commendantes. Tanta enim in eo diuini fauoris copia præfulgebat, vt si quibus ægrotis manum imponeret, continuo curarentur, quocumque grauarentur morbo. Sed & de obsessis corporibus dæmones precibus eius exagitati pellebantur: vociferantes se sacerdotis Carilefi imperio quasi flagro abigi. At hoc præconio nihil delinitus vir Dei, subdolos adulatores, & tetros hominum hostes, fusa cum lachrymis ad Christum oratione, durius profligans, ad extremos orbis terrarum fines relegabat. His aliísque san-

ctitatis præcelsæ, qua & Childeberto Regi charus, & coniugi eius Vltrogotæ maximè reuerendus fuit, vir beatus fulgoribus clarificatus, tandem cùm sibi mortalis excursus metam proximam esse cerneret, præclara ad fratres facta exhortatione, corporis Christi præcepto viuifico viatico, magna cum spiritus suauitate obdormiens, in cœlestem patriam, cœlestium ciuium dignus contubernalis emigrauit. Ad sancti cuius corporis funerationem innumeræ populorum turmæ conuenerunt: quod in ædicula quam extruxerat post altaris confinia sepultum, compluribus diuinæ gloriæ signis refulsit: basilicæque quæ postea ex eius memoria succreuit, clarissima indidit patrocinia. Ipsomet die (quamquam pridie contigerit Vicentiæ in Italia) colitur in Gallia plerisque in locis, maximè vero in toto tractu Senonensi, depositio beati THEOBALDI eremitæ, qui THEOBALDVS. Castro Pruuino in Senonum finibus ex prisca Francorum nobilitate præuio diuino vaticinio ortus, patre Arnulpho, matre Gisla, felicis adeo fuit indolis vt ab ipsa prima ætate, magnarum virtutum semina sibi insita esse manifestis indiciis ostenderet. Non enim lasciuiam mundi est secutus, sed potiùs quicquid præceptorum Dei audire poterat, velut apis argumentosa congerebat, vt fauos inde veræ sapientiæ, hoc est pietatis, ederet: Antiquorum igitur eremitarum sanctissimæ perlectis vitæ monimentis, animum ad horum exemplum consectandum conuertit. Clandestinàque secessione primum adiit quemdam Anachoretam in Sequanæ insula Christo famulantem: tramitísque cœlestis sumptis ab eo consiliis, humilitate potissimum cui stemmatis claritas obuiabat, muniendum sibi ad veram æternámque gloriam aditum constituit. Communicata igitur cum Galtero milite pia intentione, in Germaniam quo facilius feliciúsque latitaret, vna cum eodem milite iam voti consorte profectus: ibi multo tempore voluntariam paupertatem Christi amore ac imitatione coluit, multo sibi labore & vilibus officiis, victum sibi quæritans. Ex quibus sudoribus collecto tenuissimo deuotæ peregrinationis subsidio, voti causa ad sepulchrum sancti Iacobi in Hispaniam profectus est. Inde Romam vnà cum socio religiosè itidem inuisit. Cúmque Hierosolymam ad Christi cunabula ac trophæa adorandum esset aditurus: diuino prohibente nutu prope Vicentiam substitit, loco aspero atque ab omni hominum frequentia semoto, vbi solitariam quam diù affectauerat vitam instituit tanto spiritus feruore vt viuendi austeritate, penè modum excederet. Compacto siquidem paruo tugurio illic degens spiritum sic ad su-

perna euexit, vt corpore ne quidem terræ hærere videretur. Pane hordeaceo & aqua tantummodo vtebatur: ad postremum à pane & omni ferè potu se abstinens, fructibus tantùm & herbis earúmque radicibus aliquantis annis vixit. Semper sub cuculla tectus cilicio, quinquennio integro, nunquam iacendo, sed tantùm sedendo somnum percepit. Tanta equidem cautela vt quasi tota nocte dormiturus diligenter se pannis operiret: at recedente ministro, statim exurgens vsque ad nocturna officia expansis manibus preces producebat; deinde verò hora surgendi imminente ad stratum regrediebatur vt suos pia fraude deluderet. Hanc eximiæ sanctitatis seriem inferorum monstra vt interrumperent, magnas viro Dei pugnas concierunt: sed horum impetus atque insidias, athleta egregius potenter retudit, victórque ex his omnibus diuina fretus ope euasit. Interea inclyta eius fama ad ipsius parentes perlata: læti illi ad eum cum multo nobilium affinium comitatu, peruenerunt: quorum intuitu nihil à Christi obsequio factus remissior: quin potiùs propositi sancti ardentior effectus, matrem ipsam, abruptis omnibus sæculi retinaculis, soli Deo vt secum seruiret, sibi adhærere tantæ religionis exemplo persuasit. Denique ante transitum vt perfectum de se holocaustum præstaret, ita vlceribus scatere cœpit, vt nec figere gradum, nec ad os manum ducere posset: ac sic denique ingrauescente vlcerum putredine, alter vt Iob, patientia admirabili de infirmitate triumphans, anno duodecimo ex quo patriam reliquerat: Petro Abbati qui ei monachicum schema contulerat, matrem, filiósque spirituales suos cum eremi cura commendans, purissimum spiritum in redemptoris, cui concrucifixus vixerat, diuinas manus consignauit, atque ad eius gloriæ, quam humilitate & perfecta pietate quæsierat felicem euolauit fruitionem. Cuius ossa gemmis pretiosiora mirísque rutilantia fulgoribus, in Gallias subinde translata, magnam ipsi beato conciliauerunt honorificentiam: Metis maximè vbi eius festum cum octauis, ex more auito celebratur, ob recepta pridem ex sacris pignoribus, patrocinij potentis præsidia. Eodem die Dononij in Hannonia felix ad supe-
REGINÆ ros migratio sanctæ REGINÆ cœnobij huius loci fundatricis: quæ Pipini Francorum Reges neptis, vxor Aldeberti Comitis Austrouandiæ, mater copiosæ prolis (quæ tota cælebs, speciosos Christo virginitatis flores eius monitu obtulit) post viri pium obitum, sæculi nexibus prorsus soluta, diuinis sese obsequiis omnino addixit, sanctísque operibus plena, ad vitæ demum cœlestis gaudia perrexit. Cuius cœlestis gloriæ signo quæ ad
eius

eius tumulum postea refulsêre, aperta cùm proderent indicia; leuatum eius corpus æternæ venerationi consecrârunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Ipso die facta est à sancto Mauritio Archiepiscopo Rotomagensi, instante pia deuotione Guilelmo Normanorum Duce, solemnis dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ Gemeticensis. Dunis in Flandria obiit sancto fine IACOBVS Monachus, vir multæ simplicitatis, castitatis & patientiæ: cui in extremis apparens sanctus Bernardus, ad sedes beatas, eumdem diuino munere inuitauit. Item Aquiriæ in Brabantia, beatæ memoriæ ELIZABETH de Vaux Christo sacrata virgo, egregiis virtutibus & prophetiæ spiritu dotata, raptibúsque & cœlestibus visionibus insignis.

Iacobus. *Elizabeth.*

Sexto Nonas Iulij. Luna

2 À 25. XXV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6			

VISITATIO sanctissimæ Virginis Deiparæ. Eodem die facta est depositio stolæ & zonæ sanctissimæ ipsius Virginis Constantinopoli in Blachernis. Vnde postea capta à Latinis eadem imperatrice vrbe, ipsa zona cum magna parte pepli beatissimæ ipsius Deigenitricis; à Niuelone venerabili Episcopo, Suessionem transuecta, vnà cum innumeris pretiosissimis lipsanis, in antiqua sanctæ Mariæ basilica cœnobij virginalis, solemni pompa reposita, magno illic honore conseruatur. Maclouiopoli in Armorica sancti GREGORII Episcopi & Martyris gloriosi. Turonis sanctæ MONEGVNDIS sanctimonialis, quæ proles Carnotenæ vrbis, cùm ex parentum arbitrio, viro nobili copulata, duas quas è coniugali commercio tulerat filias mors præmatura abripuisset: nullam de hoc dilectæ admodum sobolis suæ occasu admitteret consolationem: tandem ad se reuersa, apud Christum se hoc immoderato mœrore & luctu offendisse agnoscens, primùm ad eius beneplacitum sese totam composuit; ac sæculi amoris rerúmque caducarum affectus profusioris pœnitens, diuinis prorsus obsequiis, sese æternùm mancipare constituit. Itaque de viri sui licentia, exuta veste lugubri, iussit sibi cellulam paruulam præparari, in qua tantummodo fenestellam, per quam modicum lumen posset

GREGORIVS. MONEGVNDIS.

cernere præcepit aptari. ibi contempto mundi ambitu vnà cum puellula degens inclusa, soli Deo in quem omnem amorem transfuderat sedulo vacabat; fundénsque orationem pro suis & populi peccatis, ea pastus potúsque tenuitate victitabat, vt ex farina hordeacea, cinere permixto massam conficiens, corpusculum longam post inediam reficeret, haustúque aquæ parcissimo sitim temperaret: reliquam domus substantiam post viri obitum in egenos dispensans. Mattæ decubebat: miráque duritia sibi omnia vitæ lenimenta subtrahebat. At verò quantò sibi seuerior, tantò in proximos existebat benignior, quibus quæ poterat solatia sedula impertiebatur. Deinde peregrinationis deuotione incensa, ad sancti Martini, quem peculiarem colebat tutelarem, sepulcrum, Turones perrexit: aliquandiúque in cellula, quam prope sacram ædem construxerat, consistens, vbi deuotos beato Confessori exoluisset famulatus, primùm ad locum rediit; aliquot collegit moniales, quas magnis vitæ religiosæ exemplis informauit. Túmque gratissimæ Deo seruitutis insignia prodidit: nam signis promicare cœpit permaximis. Oratione siquidem è silice aquam eduxit. signo crucis duabus cæcis fœminis visum restituit. Surdo auditum pia prece refudit. Paralyticum erexit, multáque alia patrauit stupenda opera, at nunquam alia quàm afflictis proximis vtilia: quibus & medicamenta quæ salutari signaculo sanctificabat impertiens, medelam præstabat aduersus languores quosque efficacem. Vnde cùm iam ad obitum eam vergere Sanctimoniales compexissent, obnixè illam deprecatæ sunt, vt benedictorum pharmacorum eiusmodi quicquam sibi in suum & infirmorum aliorum solatium, antequam excederet, conficere ac relinquere dignaretur. Illa verò oleo benedicto & sale, tradidit eis refertum vasculum, quod lætæ suscipientes, diligentissimè seruauerunt, eóque vtentes postea magnam sanitatum opem consecutæ sunt, atque aliis cum fide petentibus hoc se liniri liquore, impenderunt luculenta subsidia. Demum beata Monegundis, consummato vitæ adeo sanctæ admirabili decursu, æternam, quam ardenter semper concupierat, euolauit ad patriam: multísque post gloriosum transitum, se imposterum virtutibus ostendit & apud Deum felicem, & in pios clientes munificam. Porro non colitur solùm Turonis, sed & Chimaci in Hannonia oppido, vbi collegiatam habet Ecclesiam: & pridem aliquot eius reliquiis, & nunc

vsque eius titulo ac tutela, conspicuam. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

FELICITER hoc ipso die ad Christum migrauit Auenione beatus PETRVS de Luxemburgo, cuius memoriam ibi coli edixit peculiari indulto Ecclesiæ Catholicæ summus Antistes, Clemens VII. verus Christi Vicarius tertio Nonas huius mensis. colitur etiam Lutetiæ Parisiorum in Patrum Cœlestinorum templo, vbi sacellum habet sua effigie veneranda, quæ altari imposita est, ornatum, palliόque eius quod in scrinio religiosè seruatur insigne: ad cuius osculum plerique in dies deuotè confluunt, eiúsque contactu infirmi quíque, maximè verò febriculosi, solatium optatum (si fide nixi accedant) sibi tanti cœlitis meritis præstari experiuntur. Dominica secunda post festum sancti Ioannis Baptistæ Binchij in Hannonia celebratur translatio Sanctorum VRSMARI, ERMINI, THEODVLPHI, VLGISI, AMOLVINI, HIDVLPHI, Lobiensium Abbatum & Antistitum: necnon sanctæ AMALBERGÆ viduæ, matris sanctæ Pharaildis Virginis, aliorúmque beatorum. *Petrus de Luxemburgo.* *Vrsmarus, Erminus, Theodulphus, Vlgisus, Amoluinus, Hidulphus, & Amalberga.*

Quinto Nonas Iulij. Luna

3 B XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7			

TRANSLATIO sancti THOMÆ Apostoli: cuius caput & digitus, quem in Christi latus eius iussione immisit, è Constantinopoli (vbi ex Edessa pridem cum toto eius sacratissimo corpore, delata fuerant) à Niuellone insignis pietatis Episcopo Suessionensi, quando à Latinis ipsa Constantinopolis capta est, Suessionem transmissa, cum decenti honorificentia, in Maioris basilicæ sacrario collocata sunt: vnà cum capite beatissimi *Protomartyris Stephani*, craniόque *sancti Marci Euangelistæ*, necnon quæ omni existimatione præcellit, spina vna ex Christi patientis diademate adorando, aliisque ex sanctæ Sophiæ sanctuario, detractis sacratissimorum pignorum, quibus testimonia inerant authentica, venerandis exuuiis. Ipso die natalis sancti SIDRONII Martyris, cuius Romæ hodie sub Aureliano Cæsare laureati, sacra ossa, Adela Balduini pij Flandriæ Comitis vxor ex vrbe ipsa orbis principe, Messenas attulit. Quo loco Canonicorum collegio instituto, in Benedictinarum monialium cœnobio, quod condidit, post mariti obitum velamen sacrum suscepit, vitæque religiosæ egregiè decursa palæstra, tandem fine pio quieuit. Ipso die depositio sancti GVILIELMI eremitæ & Confessoris. Hic quintus Aquitaniæ SS. THOMAS. SIDRONIVS. GVILIELMVS.

Dux & Comes Pictauiæ, Godefridi Ducis itidem & Comitis filius, suo sæculo peccati & gratiæ prodigia actorum vicissitudine in se ingentia exhibuit. Fausta enim eius fuêre initia, progressus infausti, at vltima conuersatio felicissima, mórsque coram Deo pretiosa ac beata fuit. Is siquidem suscepto post patris obitum principatu, cùm bellica fortitudine præstaret, pietate nihilominus insignis, Deíque cultus extitit ampliandi & Ecclesiarum prouehendi decoris plurimùm studiosus. Quo ex religioso affectu, monasterium nouum absoluit, & dotauit à patre inchoatum in honorem Sanctorum Apostolorum Ioannis & Andreæ. Reliquias sancti Petri, quas dudum beatus Hilarius Roma aduexerat, pretioso opertorio texit. Cellæ sancti Hilarij ascetis prædia opima attribuit: atque in sacra loca munificus, multa iis beneficia intulit. Sed paulò pòst actus in transuersum, persuasione Gitardi schismatici Episcopi Engolismensis, partes Petri Leonis Antipapæ contra Innocentium II. propugnauit: Guilielmum Episcopum Pictauiensem, & Eustorgium Lemouicensem, sanctæ conuersationis homines, quòd vnitatem Catholicam tuerentur, sedibus expulit. Móxque in decliue viriorum abreptus vxorem fratris complexu incestuoso fœdauit: libidine ingluuie, rapina, ferocia ita dissolutus, vt passim de eo id prouerbium percurreret, quod extraneis esset malus, suis peior, sibi verò pessimus. Sed Deo miserante rantæ fæcis profluuium in gratiæ & sanctitatis pelagus repente se reflexit. Cùm enim sanctus Bernardus Pictauos cum Gofrido Carnutensi Præsule, Apostolico Legato venisset: hominem ita dirè perditum, sic monitis iræque diuinæ interminatione, & Christi in tremenda hostia existentis repentina exhibitione ac obtestatione concussit, vt paulò pòst totus ad cor conuersus, in pœnitentiæ prodigium, & totius pietatis specimen transierit. Abiecto siquidem sæculi amore, & fastu tegendi religiosi quod conceperat desiderij causa, postquam domui disposuisset, peregrinationem ad sanctum Iacobum iniit exiguo comitatu, quo etiam dimisso, ac simulato obitu, quem per fideles famulos peruulgauit: cum *Alberto* quem vnicum retinuit asseclam Romæ clam consulto Eugenio Pontifice Hierosolymam petiit Christi cunabula & funera veneraturus. Ibi nouennio degit in solitudine summa animi puritate & carnis maceratione (quam nudam lorica ferrea premebat) Deo placando intentus. Dehinc sanctitatis erumpente gloria diuersa per latibula ingressus, vbique vitam Angelicam ducens, dæmones triumphans, supernísque fruens solatiis: demùm in Italiam rediit, atque apud

ſtabulum Rhodis conſilio *Guidonis* pij Preſbyteri in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis ſe recepit. Vbi mapale modico viliſque tuguriolo conſtructo, per annum fermè & dimidium ſuperuixit in aſperitate victus mirabili, tantáque ſanctitate conuerſatus, vt inter feras & ſerpentes ſecurus degeret, volucréſque ipſius innocentiæ teſtes cum eo veſcerentur. Sic tandem abſoluti feliciter ſtadij diuinitus præmonitus, euocato ſacerdote diuinum viaticum ad gloriam percepit, atque vultu clarificato beatam animam ad Chriſtum emiſit. Eius beatitudinem miracula poſtmodum plurima patefecerunt: ſacris artubus diuinæ virtutis ſplendore radiãtibus, quorum pars Lutetiam deinde Pariſiorum allata in ſui nominis & Ordinis cœnobitica æde religioſè collocata eſt. Cuius Cœlitis feſtum illic fit ex auito more die 10. Februarij, qui natalis eſt conuerſionis: cum iſte ſit depoſitionis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Quarto Nonas Iulij. Luna

4 C XXIV.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25
t u A B C D E f F G H M N P
26 27 28 29 30 1 2 3 3 4 5 6 7 8

TVRONIS ordinatio ſancti MARTINI Epiſcopi & Confeſſoris. Et ibidem tranſlatio corporis eiuſdem ſacratiſſimi. Necnon dedicatio baſilicæ vbi tandiu honorificè quieuit, donec à portentis impietatis, Sathanæ ex Caluiniano agmine ſatellitibus, è tumulo tot coruſco prodigiis, veneranda ipſius pignora, nefando ac propudioſo auſu eruta, ipſo in Eccleſiæ gremio, feralibus flammis addicta ac exuſta ſunt. Et ita quod Martyrium beatiſſimus Confeſſor dum viueret, ardenter concupierat: tandem gloria & honore apud cœlites coronatus, pro cumulo votorum, apud mortales, mira diuinæ prouidentiæ diſpoſitione, recepit. In territorio Bituricenſi natalis ſancti LAVRIANI Epiſcopi & Martyris, non modò in Aquitania, ſed & in Hiſpania maximè verò Hiſpali, vbi ſacrum eius corpus delatum fuit glorioſi. Hic ex Pannonia ortus, bonis literis & omni pietatis genere inſigniter inſtructus, cùm in Hiſpaniã, ſtudio propugnandæ ac propagandæ orthodoxæ religionis commigraſſet, Hiſpali reſedit, raráſque ob animi dotes & clara pietatis inſignia electus eius Metropolis Antiſtes, dum diuino cultui di-

SS. MARTINVS.

LAVRIANVS.

ligentissimè seruiret, & Christianos ad augendam Catholicam fidem animaret, Regis barbari qui rebus diuinis auersus erat, in odium incidit: à quo ad necem quæsitus, Angelico monitu primùm Romam inuisit, sed quia miracula quæ vel inuitè patrabat merita eius prodebant, vitandæ vulgaris auræ affectu hinc in Galliam profectus est, atque in Aquitaniam venit: vbi à summissis ab impio Rege (qui virum Dei donec ad extrema perduceret insectatus est) in agro Bituricensi interceptus, capite obtruncatur. At sacrum verticem decisum suis manibus Christi pugil accepit. Quod cùm emissarij iniquitatis vidissent, metu perterriti, ad fidem pœnitentiámque conuersi, & baptismatis vnda expiati, caput ipsum Martyris colligentes Hispalim magno honore detulerunt: Regíque quæ facta fuerant reserârunt. qui sceleris admissi compunctus, atque ad pietatis studia conuersus, beatum athletam præcipuo affectu deuotionis coluit, memoriámque eius excitato insigni templo, clarificans, se regnúmque suum in ipsius peculiarem commisit clientelam. Cuius gloriosi Præsulis ac Martyris etiam in Aquitania vbi palmam pij agonis recepit, cultus ob corporis eius ibi conditi oppignerationem, iam ab hinc celebris, etiamnum & Bituricis & Lemouicis clarus ac solemnis perdurat: dignáque hodie peragitur veneratione. Eodem die Blangiaci in Artesia transitus

BERTHA. sanctæ BERTHÆ eiusdem cœnobij fundatricis & Abbatissæ, quæ primùm Sigefrido Comiti Pontinensi nupta, ac illustri piáque prole fœcunda, post eius obitum sæculum aspernata, totam se cœlestis sponsi obsequiis addixit, proprióque in fundo, constructo illo monasterio, semet, vera vt libertate (quæ in diuino solo est famulatu) frueretur, includens, pij studij socias nonnullas ingenuas virgines, ac matronas nobiles, aggregauit. Quibus omni religionis & sanctitatis splendore, tramitem cœli ostendens, demum post plenam calcati mundi victoriam, & collectos copiosos iustitiæ ac pietatis manipulos, beatæ quam diù exsitierat æternitatis gaudia, adepta est: multísque gloriæ insigniis in tumulo refulsit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

Sagalo. CLARISMARESCI cœnobio in Artesia beati SAGALONIS eiusdem loci Abbatis miræ sanctitatis viri, qui cum multa religione ipsam domum rexisset, hodie, piis tandem potitus votis in pace Christi defunctus est.

Tertio Nonas Julij. Luna

5 D XXII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9			

SENONIS depoſitio ſancti PAVLI eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris, qui fratri ſancto Eraclio ſedis huius Metropolitæ ſuffectus, vicem non modò eius eadem dignitate repleuit: ſed pari etiam ſanctimonia exornauit, breuique at glorioſo exacto pontificatu, & tumuli ſocius & fraternæ beatitudinis particeps effectus eſt. Treuiris Galliæ I. Belgicæ metropoli ſancti NVMERIANI Epiſcopi & Confeſſoris, qui diuina gratia conſpicuus ſancto Clodulpho ea in ſede ſucceſſit, póſtque ſanctiſſimam ſacri muneris adminiſtrationem, repoſitam in cœlis recepit creditæ villicationis coronam. Apud Bellouacum ſub ſecundæ Belgicæ capite, tranſlatio S. VEDASTI Epiſcopi Attrebatenſis & Confeſſoris, quando ob Normanicæ incurſionis metum, ſacra eius gleba eam ad ciuitatem quæ muniſſima erat delata, in Eccleſia primùm ſancti Stephani protomartyris, & poſtea in ædicula ad ſancti ipſius Confeſſoris cultum conſtructa, condigna honorificatione repoſita eſt: vbi miraculis præclaris emicuit, in quibus illud memorabile narratur, quod lampas ante hierothecam poſita, exhauſto oleo, ſine vllo pabulo ardere & rutilare cōſpecta eſt. Ipſomet die Auenione, Tumulatio & feſtiuitas beati PETRI de Luxemburgo cognomento Thaumaturgi, caſtitatis & charitatis portenti, atque egregij in ipſo iuuentutis flore totius ſanctimoniæ exemplaris. ob cuius merita, velut alter Enoch quod Deo placuiſſet raptus, præmaturo at felici exceſſu præmia conſummatæ virtutis percepit. Cuius gloriæ odor ſuauiſſimus inſtar balſami perenniter ex ipſius corpore manans indicio eſt, innumeráque, quæ ad eius tumulum in dies eduntur diuinæ virtutis & potentis eius opitulationis, teſtimonia. Propter quæ, à Franciſco Cardinale Epiſcopo Tuſculano de Claromonte Legato Apoſtolicæ ſedis, leuatum pretioſum beati iuuenis ex ſepulchro exuuium, permiſſu Clementis VII. Papæ, Hadriani VI. ſucceſſoris, venerationi fidelium expoſitum fuit in aſcetarum Cœleſtinorum Eccleſia: vbi & eiuſdem Pontificis auctoritate, annuis ſacris hodie beata eius memoria ce-

SS. PAVLVS.

NVMERIANVS.

VEDASTVS.

PETRVS de Luxemburgo.

lebratur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Euerhardus. OBIIT hodie piæ memoriæ EVERHARDVS monachus Villariensis conuersus cognomine Silentarius, qui perfectæ religionis cultor, percutienti aliquando se militi, non solùm alteram genam obuertit, sed & obsequium rependit. Ob quæ aliáque Christianæ pietatis facinora, admirandis etiam signis diuinitus clarificatus, demum ad beatam perrexit supernorum ciuium mansionem. Eodem die in agro Bruxellensi cœnobio Cameræ sanctæ Mariæ, desiit esse mor-*Martha.* talis piæ itidem memoriæ MARTHA virgo Sanctimonialis, mira humilitate & charitate præclara.

Pridie Nonas Julij. Luna

6 E XXI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10			

SS. Petrus & Paulus. Goar. OCTAVA Sanctorum Apostolorum PETRI & PAVLI. Eodem die depositio sancti GOARIS Sacerdotis & eremitæ. Hic Aquitaniæ prouinciæ indigena, genere à maioribus clarus; ab ineunte ætate, religiosis actibus impensè deditus breui ad culmen sanctitatis euasit: honoréque presbyterij insignitus, diuini verbi in populum sedulus erogator, cùm in supernorum bonorum concupiscentiam mẽs eius exardesceret, patriam parentésque deseruit, & in vltimos Galliæ fines peregrinus sæculo, & cœlestis patriæ ciuis, perrexit. Veniens deinde in prouinciam Treuirensem, intra terminos Vesalienses ad ripam Rheni Deo liberè seruire delegit. In hoc igitur loco de Felicis Episcopi Treuirensis permissu, constructa pro viribus Ecclesiola, multis annis Deo obsequutus est, vacans die noctúque vigiliis, orationibus & ieiuniis, atque Christianæ studens hospitalitati. Quam ita omni tempore secundùm facultatem suam exercuit, vt cùm cunctis animi virtutibus polleret, hanc vt propriam & singularem habere videretur. Incensus autem zelo diuinæ gloriæ, cœpit Gentilibus per circuitum simulacrorum cultui deditis, & vana idolorum superstitione deceptis, verbum salutis annunciare. Vnde factum vt plures è vicino pagani, qui ad ea vsque tempora in errore perseuerauerant, eius verbo commoti & prouocati exemplo, ad eum qui via, veritas & vita est, Christum IESVM conuerterentur. At ne prædicationi eius signorum quoque deesset auctoritas, vt incredulæ mentes quæ ratione flecti non poterant ad credendum saluta-

ribus eius monitis, miraculorum coruscatione mouerentur. In virtute Christi nominis sanitatum beneficia circa infirmos & membrorum debilitate affectos cœpit operari. Erat autem eius consuetudo, vt omni die Missarum tremenda mysteria celebrans, sacrificium corporis Christi pro vniuerso Ecclesiæ statu offerret, psalterium ex integro orando intentè compleret. His cùm niteret diuinæ conuersationis actibus vir beatus, tantas virtutes inumbrare liuidus dæmon nisus est calumniæ tetra inuecta caligine: quam depulit Christi seruus innocentiæ fretus fiducia, & diuinæ sibi fauentis gratiæ ac virtutis prædictus opitulatione: cùm apud infensum sibi falsis ex delationibus Episcopum, radio solis depositam cappam appendit, & infantem recens natum parentes ignotos nomine edito designare, sua iussione compulit. Demum cùm miræ adeo sanctitatis odores vndique sparsisset, oblato sibi etiam à Sigeberto Rege, Treuirensi præsulatu, constanter ex studio humilitatis recusato: per septennium ad perfecti operis coronidem, morbis continuis ac doloribus exercitatus, senex & plenus dierum meritísque diues migrauit ad Dominum. Ipso die natalis sanctæ GODOLEVÆ matronæ & Martyris, quæ in Boloniensi territorio, pago qui Londefort dicitur, patre Vifrido, matre Ogina, honoratis parentibus nata, moribus & vitæ sanctimonia, sui generis nobilitatem plurimùm illustrauit. Cùm autem præter egregias animi dotes rara corporis venustate polleret, Bertulfo viro nobili, sed feroci in coniugium tradita, atque ab eo statim gratis odio habita, modísque omnibus vexata est, adeo vt ad victus penuriam redigeretur, seruique imperio subderetur, qui contumeliis, irrisionibus, piam dominam, de heri instigatione, exagitabat. At Christi ancilla, patientiæ innixa anchoræ, tot in fluctibus immobilis perstitit, Domini que ipsius seruatoris exemplo & amore, malum in bono vincere perstuduit, assiduè orationibus, piísque operibus intenta: donec tandem vir eius ad cumulum impietatis progressus, innocentiæ, pudicitiæ, totiúsque pietatis cultricem, qua indignissimus erat, per proprios famulos iniecto in eius collum laqueo, crudeliter præcluso spiritu interemit. At ipsa pro laqueo quem à marito iniustè impiéque perpessa est: à Deo palmam in patientiæ admirabilis præmium recepit & coronam gloriæ immarcessibilem: vtque in cœlo æternis excepta est gaudiis: sic in terra præclaris diuinitus illustrata est miraculis. Rotornaci in Tornacensi agro receptio reliquiarum sancti HERMETIS Martyris, cuius natalis Romæ celebris est quinto Kalendas Septembris. Huius porro

Godoleva. Hermes.

ossa sacratissima, cùm Româ in Gallias delata fuissent per Ludouicum Imperatorem Lotharij filium, in Rotornacensi quam fundauit Ecclesia, primùm collocata fuerunt. Deinde sub Danica incursione vt tutiùs seruarentur ad monasterium villæ Endæ prope Aquisgranum translata : inde demum interueniente Fulberto Cameracensi Antistite, ad prædictam Rotornaci Basilicam reuecta, magnáque reposita celebritate: ibidem nunc vsque eo quo decet cultu honorantur. Eodem die trans-
SIARDVS. latio sancti SIARDI Abbatis horti beatæ Mariæ ordinis Præmonstratensis, cuius depositionis festum claret die 13. Nouembris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Isaias. HODIE in Iudæa sectus est ISAIAS Propheta : cuius reliquiarum pars à S. Rege Ludouico ex Oriente in Galliam aduecta, in sancti Dionysij cœnobitica æde augustissima reposita est, in ferculo argenteo, auro illito, hac cum desubtus crystalina fenestella patenti Epigraphe ; *De ossibus Isaiæ Prophetæ.* Pio
Guilielmus. fine quieuit hoc ipso die GVILIELMVS Episcopus Cathalaunensis, monasterij Trium-fontium fundator: qui post diuturnum & laudabilem pontificatum factus apud Claramuallem Monachus, illic in humilitate spiritus Christo ad extremum vsque diem seruiuit, editísque consummatæ virtutis & pietatis exemplis, senio confectus, at gratiæ fœnore locuples, placido sopore transiuit ad præmium.

Nonis Iulij. Luna

7 F XX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	30	1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11			

SS. STEPHANVS. SENONIS dedicatio metropolitanæ Ecclesiæ ad honorem beatissimi Protomartyris STEPHANI. Lemouicis Octaua
MARTIALIS. sancti MARTIALIS Aquitaniæ Apostoli. Treuiris natalis san-
NAVATVS. cti NAVATI Episcopi & Martyris, qui eruditione & purissimæ conuersationis gloria apud suos coruscans, dum Christi nomen magnificare & euangelicam doctrinam summoperè promouere laboraret, atque multos ad veræ pietatis cultum perduxisset: demum ab impiis impetitus, glorioso agone Episcopatum coronans, doctrinam salutis quam vita & miraculis approbauerat, fuso etiam sanguine obsignauit. Ipso die Claromonte
ILLIDIVS. Aruernorum ordinatio sancti ILLIDII Episcopi & Confessoris, qui post beatum Legoncium sedens, ad tantæ sanctitatis gratiam peruenit, vt Apostolorum facta, vita & miraculis repræsentaret. Tres enim mortuos suscitauit, obsessos à dæmonibus plurimos liberauit, in quibus & Clementis Maximi Im-

peratoris apud Treuiros regnantis filiam hac ab inuasione reddidit immunem. Deinde felici consummatione vitæ huius perfunctus, æternam abiit ad requiem, sepultúsque fuit in Crypta suburbana, vbi postea ad meritorum eius honorificationem insignis ædes cœnobitica constructa est, quæ nunc vsque & pignoribus eius sacratissimis pollet, & nobili nuncupatione gloriatur. Autissiodori depositio sancti ANGELELMI Episcopi & Confessoris. Hic Ecclesiam illam post B. Aaronem regens, ad cuius solium, duce spectabili virtute & doctrina prouectus fuerat: admirabili pietatis & sapientiæ fulgore eius in administratione præfulsit. Summæ autem vir fuit charitatis, in eleemosynis præcipuus, ac pene suo tempore, (vt produnt vetera monimenta,) singularis. Adeout interdum amore largitatis ægritudinem simulârit, vt absque contradictione quæ habere poterat in vsus pauperum erogaret. At nihilominus decoris domus Dei studiosus, Ecclesiam sancti Stephani cui præerat, variis pretiosísque ditauit ornamentis, cæterísque basilicis suæ diœcesis, dona plurima contulit. Cæterùm ad extremum progressus huius mortalitatis terminum, immaculato tramite, cursum peregit, ínque sancti Germani Ecclesia, quam multis beneficiis amplificauerat, prout moriens concupierat, sepultus est. Eodem die Abrincis in II. Lugdunensi sancti SEVERI Episcopi & Confessoris, qui Constantiensis tractus indigena, à tenera ætate in bonis artibus & omni munerum Ecclesiasticorum exercitio, necnon pietatis officio adeo insigniter instructus fuit, vt ad maturam iam ætatem peruenienti, nihil ad summam vitæ Christianæ perfectionem deesset. Vnde orbata Præsule Ecclesia Abrincensi, cùm plebs ieiuniis & orationibus idoneum pastorem sibi à Deo dari efflagitaret, superna inspiratione vir iste sanctitatis fama celebris, omnium consonis suffragiis electus est. Qui tamen nonnisi diu renitens & tandem coactus, delatum Episcopatus honorem suscepit. Susceptum autem non tam honorem quàm onus, ea virtute ac vigilantia gessit, vt & Dei beneplacitum impleret, & creditæ plebis salutem miris modis promoueret. Is enim Præsul Deo dilectus, prædicatione, miraculis, ac virtutibus, superstitionis ethnicæ reliquias stirpitus euulsit, atque Christianæ pietatis semen adeo felici cultura dilatauit, vt quotquot è populo suo adhuc spurcitiis gentilibus hærerent, ad purissimum Christi legis professionem perduxerit. Deinde Ecclesia quam gubernandam susceperat, faustis adeo incrementis cumulata, benéque ad præscriptum diuinum constituta, amore incensus libe-

ANGELELMVS.

SEVERVS.

rioris Deo impendendæ ſeruitutis; in ſolitudinem abdicato præſulatu, ac digno ſucceſſore relicto, ſeceſſit, Angelicámque ibi vitam inſtituit, totam diuinis ſpeculationibus ac officiis intentam. Multóſque hoc ſuo exemplo ad mundi repudium pertraxit. Quin & factus dæmonibus formidabilis, tum maximè cœlitus indita virtute eos abigendi ab energumenorum corporibus emicuit. Cúmque in Chriſti ſanctiſſimo famulatu conſenuiſſet, præſcito ſuperno afflatu deſideratæ diſſolutionis tempore, ſacris ſpei Chriſtianæ pignoribus munitus, inter pſalmos & orationes, Chriſti conſpectus amore confectus immaculatum efflauit ſpiritum. Remis feſtiuitas omnium Sanctorum Archiepiſcoporum. Ibidem depoſitio ſancti MATERNIANI huius Metropolis Epiſcopi à ſancto Iulio Papa conſecrati: cuius præcipua ſolemnitas fit in eius tranſlatione pridie Kalendas Maij. Andennæ tranſlatio ſanctæ BEGGÆ viduæ, germanæ beatæ Gertrudis Virginis. Apud Iargolium in agro Aurelianenſi reſeratio ac tranſlatio Sanctorum VERANI & HONORATI Confeſſorum, facta per Innocentium Papam IV. poſt diſſolutionem Concilij Lugdunenſis; necnon Dedicatio Eccleſiæ ibidem per ipſum Pontificem conſecratæ. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

MATERNIANVS. BEGGA. VERANVS & HONORATVS.

Geroldus. *Robertus.*

HODIE felici exitu carnis perfunctus eſt piæ memoriæ GEROLDVS Archiepiſcopus Bituricenſis, vir fide, doctrina & miraculis præclarus. Item obiit ROBERTVS conuerſus diſcipulus ſancti Bernardi, qui eum coacto in eius funere Capitulo, digno præconio laudauit: maximè ab humilitatis, obedientiæ & charitatis cultu, fidelem hunc Dei ſeruum commendans.

Octauo Idus Iulij. Luna

8 G XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
30	1	2	3	4	5	6	7	7	8	9	10	11	12			

SS. SATVRNINVS. QVINTINVS. EXVPERIVS.

TOLOSÆ dedicatio baſilicæ ſancti SATVRNINI ab Vrbano II. Chriſti vicario peracta. Auguſtæ Viromanduorum Inuentio corporis ſancti QVINTINI Martyris. In Monaſterio Gemblacenſi Namurcenſis diœceſis ſuſceptio corporis ſancti EXVPERII Vexilliferi Thebeæ legionis & Martyris præcelſi, Agauni in Gallia cum ſociis coronati: facta procurante ſancto patre Guiberto, fundatore eiuſdem cœnobij, in Eccleſia eiuſdem loci, quam in honorem ſancti Petri Apoſtoli & ipſius beati Martyris Exuperij conſtruxit, tempore Othonis Impe-

Imperatoris. Treuiris sancti AVSPICII Episcopi eiusdem Metropolis & Confessoris, qui sancti Materni Apostolorum principis asseclæ discipulus ac successor dignissimus, eam Ecclesiam magno cum Episcopalis vigilantiæ & virtutis splendore gubernauit: ac postquam sui gregis salutem omni solertia procurasset, ministerio credito piissimè perfunctus abiit ad præmium. Eodem die Tulli Leucorum sancti alterius AVSPICII Episcopi itidem & Confessoris, qui Sanctissimo Lupo Trecensi coæuus, etiam doctrinæ ac religionis gloria suppar enituit, adeout communi elogio (sicut Sidonius Apollinaris auctor est) patris ac protomystæ Galliarum titulo insigni prædicaretur. Quem & diuina eloquentia etiamnum in egregia illa epistola patens quam scripsit ad Arbogastem Comitem Treuirorum, oraculum pietatis: opera verò virtutum magistrum, Christique verum imitatorem indicarunt; merita æternùm glorificarunt, quibus radiauit sepultus in æde sancti Mansueti suburbana. Eodem die ibidem sancti DISEBODI Episcopi itidem & Confessoris meritis præclari. Item Suessione sancti EVODII Episcopi & Confessoris. Bituricis sancti DVLCARDI Confessoris. Ipso die sancti GRIMBALDI Abbatis & Confessoris, qui Taruanæ Morinorum oriundus, vix adhuc à pueritia egressus Bertiniensibus Monachis apud Audomaropolim sese adiunxit: vbi magnos pietatis & doctrinæ fructus cùm edidisset, demum in Angliam traiecit ab Alfredo Vvest-Saxonum Rege ob claram sanctitatis famam euocatus. A quo Abbas constitutus noui monasterij apud Vvintoniam, ingenti cum virtutum incremento munus exorsus, ea laude peregit qua, commisso gregi tramite veræ felicitatis, omni exemplo sanctitatis propalato, eamdem ipse apud Deum dignus supernæ mercedis repertus, fidus gratiæ cooperarius consequi promeruit lauream. Eodem die sanctæ LANDRADÆ Virginis & Abbatissæ. Hæc inclyta Francorum stirpe, ex Regiæ domus Maioribus progenita, parentibus vnica, tanto illis charior fuit quanto in illa ab inde à pueritia maiora prudentiæ & virtutis indicia lucebant. Postquam verò exactis pueritiæ annis, parentes eam nuptui tradere vellent, illa tanta apud eos grauitate perorauit vt ipsos pene genitores, de continentia & libello repudij admonuerit. Ab hinc spretis omnibus, & vnius cellulæ clausa angustiis, sed quasi paradisi latitudine fruens, eodem solo orans & recubans, sicco pane & aqua cruda corpusculum sustentabat: quando beato Lamberto Epi-

Avspicivs. Avspicivs alter. Disebodvs. Evodivs. Dvlcardvs. Grimbaldvs. Landrada.

ſcopo Leodienſi & ſubinde Martyri ob tanta ſanctitatis ſpecimina in notitiam venit. Sed & ſancto Vyillibrordo Antiſtiti Traiecti inferioris propter eximias pietatis dotes chara, eius hortatu cœnobium ſacrarum Virginum propriis ex patrimonio ſumptibus in ſaltu Beyla conſtruxit. Ibi confluentium ad ſe virginum nobili ſodalitio aggregato: magiſtra totius religionis egregia, (in cuius ore pallor ex ieiuniis, in lingua ſermo ſale conditus, in oculis nitens pudicitia:) eleemoſyna profluens in pauperes, conſtantia pollens in aduerſis, modeſtia in proſperis, iuge obſequium in omnes impendens, Chriſti ancillas ad omnem Chriſtianæ virtutis perfectionem prouexit: In quibus ſanctam Amalbergam præclaræ nobilitatis Virginem, ad ſuæ ſanctitatis imitationem plenè efformauit. Ac demum poſt longam carnis & ſpiritus luctam in lectum ægritudinis incidens, cùm nihil de aſſiduo precandi ſtudio remitteret è corporis vinculis ſoluta, ad agni cœleſtis deſideratas nuptias cum magno meritorum ornatu, virgo prudens & pura, feliciter profecta eſt: atque ab ipſo ſancto Lamberto dignis exequiis honorata, præclaris etiam adeptæ cœleſtis glorificationis teſtimoniis in tumulo emicuit, ex quo ab Angelis elata, atque decentiori loco repoſita, maioribus adhuc refulſit, diuinæ virtutis indiciis. In territorio Pariſienſi

THEOBALDVS. vallibus Cernaij ſancti THEOBALDI Abbatis & Confeſſoris. Hic in agro ipſo Pariſienſi, pago Marliaco, patre eiuſdem loci Domino natus, militiæ adoleſcentiam dedit, palæſtris, torneamentis, & id genus ludicris: non omiſſo tamen Dei cultu. Siquidem Dei matrem imprimis colebat, cuius beneficio ex eiuſmodi vanitatibus emerſit: factúſque Monachus æquales ſuos pietatis ſtudio longè prætergreſſus, cùm ad ſacræ profeſſionis regulam vitam totam componeret, non tam exemplo quàm admirationi fuit. Miro autem deuotionis æſtu in ſanctiſſimam Deigenitricem affectus, profuſis noctu precibus, opem eius aſſiduè ſibi & ſociis depoſcebat. Noménque eius venerabile in chorealibus libris deletis atris apicibus, minio conſignabat. Ad quoties ante primarium altare tranſiret, ſic Chriſti adorandum corpus venerabatur, vt iaculatoria oratione, matrem cum filio deuotè interpellaret. Cultorem autem ſuum Virgo beatiſſima maximis beneficiis cumulabat: cui & ſæpiùs ipſa in gloria apparuit. Supremæ etiam Triadis contemplatione præſtitit vt in raptu, deuotus ſuus famulus frueretur. In quo

cùm perfecta esset in omnibus virtus, pietas tamen cum incredibili humilitate & mansuetudine, ac mirabili innocentia potissimum relucebat. Cellulæ adeo amans fuit, vt quando egredi ob ingruentia cœnobij negotia cogeretur, pelli se in exilium arbitraretur, dilectámque ad solitudinem tandiù aspiraret, quoadusque, ad desideratam latebram reuerteretur. Solus in oratorio vitam agebat, pane & aqua contentus: nullius solatij nisi diuini famulatus appetens. Omnia quæ videbat aut audiebat, in spirituale emolumentum conuertebat: adeovt de minimis plerisque rebus, magna documenta diceret, vberrimáque Deo rependeret præconia. Ad cuius auditas laudes, lachrymarum profluuia totus in affectum pietatis solutus depromebat. Tantam Theobaldi sanctitatem Deus etiam miraculis illustrauit. Quorum hoc insigne fuit quod cùm sanctus Ludouicus Rex Christianissimus ex vxore sua Margarita nullam prolem susciperet, iámque de repudio ageretur: vir Dei ab ipsis, orationum vt opem præstaret interpellatus, fusis ad Dominum precibus, votorum compotes ambos fieri diuino beneficio impetrauit. Multa alia patrauit vir beatus pia & stupenda, demúmque felici consummatus excessu etiam in tumulo beatitudinis emeritæ præclara insignia edidit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Ipsomet die sancto fine quieuit felicis recordationis Evgenivs III. Pontifex Maximus, beatique Bernardi discipulus: ad quem idem diuinus Doctor libros scripsit præclaros *de consideratione*, aliáque eximia pietatis, & doctrinæ suæ cœlestis monimenta. Vir fuit admodum religiosus, iustitiæ eximius cultor, pauperum amator: cuius merita etiam miraculis, Romæ vbi sepultus est in Ecclesia sancti Petri, magnificè patuerunt. Item eodem die ad supernam Hierusalem transiit beatæ memoriæ Petrvs cognomento *eremita*, qui diuinitus afflatus, recuperationem terræ sanctæ procurauit, temporibúsque Vrbani Papæ II. primus belli sacri non modò buccinator, sed & ductor mirificus copiarum militarium Christiani orbis in Syriam: profligatis impiis, regnum Hierosolymitanum ab iis, pia sua instantia vindicauit, totúmque Christo seruatori adorando restituit. Pius ille vir patria erat Gallus ex Ambianis, captáque Hierosolyma reuersus in Belgium, apud Huyum oppidum ditionis Leodicensis Mosæ adsitum substitit: ibique monasterium in suburbio construxit, subsidiis fretus munificis Cononis Comitis Montis-acuti, & Lamberti Comitis Clarimontis; collectóque religioso cœtu, piissimè illic vitam transegit, dignáque addita demum sanctæ vitæ coronide, ad tantorum quos Christi amore subierat laborum præmium, ouans profectus est. Elegerat verus humilitatis cultor sepulturam in cœmeterio sub stillicidio, sed inde translatum est eius corpus ad cryptam Ecclesiæ ante altare Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, ab Hamano Abbate II. totóque conuentu, cum multa honorificatione. In qua translatione quæ centum & triginta circiter annis ab eius obitu euolutis per- *Eugenius.* *Petrus.*

acta fuit : cùm viri beati corpus de tumulo leuaretur : cilicium circa lumbos hærens inuentum est : capútque ferè eius integrum tonsuram habens clericalem, atque crines omnes, & crispos circa coronam abundanter respersos. Facta est autem ipsa translatio anno salutis 1242. 16. Kalend. Nouembris.

Septimo Iulij. Luna

9 A XVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
1	2	3	4	5	6	7	8	8	9	10	11	12	13			

SS. ERACLIVS. SENONIS festiuitas sancti ERACLII Episcopi huius metropolis & Confessoris : cuius beatus transitus Ecclesiasticis diptychis colendus notatur die octauo Iunij. Transla-AGILOLFI. tio sancti AGILOLFI Episcopi Coloniensis & Martyris Ambianæ in Arduenna pridem laureati, è Malmundario pago vbi sepultus fuerat ad ipsam metropolim, facta per sanctum Annonem Archiepiscopum, qui venerandum Martyris cadauer honorificè leuatum & deductum, in Collegiata Ecclesia sanctæ Mariæ in gradibus à se fundata magna celebritate collocauit, vbi hactenus obseruatur, habetúrque inter religiosa monilia quæ basilicæ ipsius sacrarium condecorant, præcipuum : exhibetúrque hoc die quo ipsius eius translatio recolitur, annua festiuitate, venerandum. Brilæ apud Batauos in Martyres Gorgomienses nouemdecim. Gallia Belgica martyrium Sanctorum Christi NOVEMDECIM ATHLETARVM pro fide orthodoxa ab hæreticis necatorum : qui vulgo Gorgomienses dicti Martyres, vt Ecclesiæ Christi Catholicæ sacra dogmata glorioso agone egregiè inito ac peracto tutantes, obfirmârunt : sic & cultum debitum, præter cœleste præmium quod à Domino feliciter sunt adepti, apud Belgas potissimùm receperunt. Nam sacratissima eorum ossa clanculum effossa, & per pios homines Bruxellam allata, ibidem pro magna parte asseruantur, in Franciscanorum Patrum templo inauratis arculis inclusa. Partes verò nonnullæ varia per loca distributæ ab eiusdem instituti ascetis (ex quorum ordine vndecim ex his diuinis pugilibus ad palmam prodière) asseruantur Louanij, Athi, Cameraci, Valencianis, Antuerpiæ, Threnis, Trudonopoli, & alibi digna cum veneratione. Eodem die Andegaui Receptio costæ Ivo. sancti IVONIS Presbyteri & Confessoris. Ipsomet die Firmitatis cœnobio in Cabilonensi præsulatu sub prima Lugdu-

nensi coronatio plurimorum Christi seruorum, nimirum Abbatis eiusdem loci, & suprà quinquaginta Monachorum, quos exercitus hæreticorum, dira grassatione religiosam domum inuadens, in odium pietatis interfecit, cúmque monasterio ipso combussit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. Martyres alij suprà quinquaginta.

EODEM die cursum mortalitatis feliciter clausit Ægidiopoli in Prouincia beatæ memoriæ RODVLPHVS Monachus, vir in diuinis humanísque literis eruditissimus, & vitæ moribus præcellens, qui à Summo Pontifice Innocentio III. in Aquitaniam prædicandæ veritatis Catholicæ gratia aduersus hæreticos Albigenses destinatus, magnam eorum multitudinem ad salutis semitas reduxit, gloriosisque exantlatis pro asserrione fidei & diuinæ gloriæ propagatione laboribus, in monasterio sui ordinis placido sopore obdormiuit in Domino. *Rodulphus.*

Sexto Idus Julij. Luna

10 • B XVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14			

AGENDICI Senonum susceptio sacrorum pignorùm SEPTEM FRATRVM, filiorum sanctæ Felicitatis, qui hodie sub Antonino, glorioso triumpho fidem Christi propugnantes, immarcessibiles coronas, pro constanti pietatis assertione reportauerunt. Fisciaci prope Afuenas Hannoniæ depositio sancti ETTONIS Episcopi & Confessoris, qui cum sancto Furseo ex Hibernia in Galliam Belgicam profectus, magna ibi religionis incrementa edidit: póstque innumera animarum lucra ad supernæ remunerationis perrexit gaudium. Cuius præclara merita, diuinæ virtutis quæ ad eius tumulum in Prioratu Fisciaci Abbatiæ Lætiensi subiacenti micant documenta vbertim declararunt. Laubiis sanctæ AMALBERGÆ Virginis, quæ sanctissimæ Landradæ in Besiliæ cœnobio se ad instituendum committens, eius sub disciplina, ad tantam castitatis & religiosæ vitæ gloriam euasit, vt veluti totius sanctimoniæ portentum à cunctis suspiceretur. Tanta autem præstabat pulchritudine vt Carolus Martellus eam sibi in vxorem adciscere cùm ardentius percuperet raperéque niteretur, reluctantis os brachij confrigerit. Qua de re suppudefactus, pudicitiæ virginali, Christi amore sæculum aspernanti, de se triumphum agere permisit. In Christi igitur famulatu quietè Amalberga perstitit, magna gratiæ fœnora accumulans, donec tandem à

SS. SEPTEM FRATRES. ETTO. AMALBERGA Virgo.

Nn iij

cœlesti suo sponso ad optatissimum consortium inuitata, carnem exuens purissimum spiritum in eius manus lætibunda efflauit. Obiit autem in suis iuris villa Tamisia ad Scaldim prope Gandauum, vbi hodiéque in eius nominis basilica sepulchrum eius ostenditur. Sed virgineum corpus amplioris venerationis affectu Balduinus Ferreus Flandriæ Comes ad Blandinense sancti Petri cœnobium transuexit: vbi vnà cum
BERTVLPHVS. reliquiis sancti BERTVLPHI ab incolis condigno frequentatur honore, hoc ipso die quo iam multis ab hinc retro sæculis, sibi festa eius exequenda, à Vvilelmo Episcopo Tornacensi tum diœcesano indici postularunt. Eodem die Ele-
AMALBERGA vidua. uatio sanctæ AMALBERGÆ viduæ & Sanctimonialis, cuius transitus Laubiis & Binchij quotannis festiuatur 4. Idus Iunij. At Binchij præcipuo cultu pollet, vbi delata pridem ex Ecclesia Laubiensi cum aliis septem beatis quiescit sacra eius gleba in theca argentea. Eodem die apud Cistercium
ALBERICVS. sancti ALBERICI secundi ipsius ordinis Abbatis, qui primus sui ordinis confirmationem impetrauit, eumdémque mira virtutum gratia & sancti regiminis laude plurimùm illustrauit.
VVALDARICVS. Item in monasterio Cluniacensi sancti VVALDARICI Monachi, sancti Hugonis Ætheriarchæ capellani ac discipuli, viri præclari sanctè actorum meritis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

IPSOMET die in Burgundia cœnobio Fontis Mauriniaci ad æternam emi-
Robertus. grauit lucem piæ memoriæ ROBERTVS conuersus vir virtutibus, miraculis; & egregia potissimum, in sanctissimam Deigenitricem deuotione insignis: ob cuius pij affectus præmium, & diei obitus sui & repositæ in cœlis remunerationis præscius, ab ipsa beatissima Virgine effici promeruit. Item in mona-
Pacificus. sterio Lendiensi in Artesia pio fine decessit beatus PACIFICVS primus Prouincialis minister fratrum minorum in Francia, qui per sanctum Franciscum sæculi fluctibus extractus, post præclaram Ecclesiæ & ordini Seraphico nauatam operam, sitiens æterni fontis pocula, Christique Regis gloriæ ardens conspectus, votis feliciter tandem pro meritis potitus est. Cuius ossa in dicto cœnobio, magna cum sanctitatis opinione condita seruantur: elogia verò præclara sanctus Bonauentura celebrauit, in historia sancti Francisci quam perscripsit.

Quinto Idus Iulij. Luna

ti · C XVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p.	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15			

VASATI tranſlatio ptetioſi ſanguinis beati IOANNIS BAPTISTÆ de altati ad altare. Eodem die tranſlatio ſancti Patris BENEDICTI ex Caſsinenſi cœnobio ad Floriacum aſceterium nobile agti Aurelianenſis, in Celtica Gallia ſub IV. Lugdunenſi. Itidémque tranſuectio virginei corporis ſanctæ SCHOLASTICÆ ſororis eiuſdem ad partes Cenomanorum. Item depoſitio ſancti NORBERTI Patriarchæ otdinis Præmonſttatenſis, cuius glotioſæ memoriæ celebritas ex Apoſtolicæ Sedis præcepto agitur in toto ipſo ordine octauo Idus Iunij. Eodem die apud Senones veneratio ſancti Sidronij & ſociorum, qui accenſi ardore pietatis, in fidei confeſſione Romæ edita ſexto Nonas huius menſis præclaras patientiæ coronas perceperunt. Pignora autem eorum honoranda hinc delata in Galliam Celricam, deinde & Belgicam digna excepta ſunt religione. Eodem die Treuiris ſancti HIDVLPHI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Neruiorum claro genere ortus, optimis diſciplinis à puero imbutus, puríſque moribus præſtans, petente Clero & populo, poſt Milonis Archipræſulis obitum à Pipino Rege, delectus tantæ ſedis Antiſtes; ſuſceptum ex Dei beneplacito munus paſtorale, omni ſolertia & virtutis laude impleuit. Verùm, ob liberiorem Dei famulatum ſolitudinis cupidine incenſus, cum rtibus Monachis Spinulo, Ioanne & Benigno ad Montem Voſagum (de Iacobi Leucorum Antiſtitis, ſui ſuffraganei licentia) ſe recipiens, in ſylua Tullenſi: illic angelicæ conuerſationis ſtudia eo mentis ardore æmulatus eſt, vt carnem omnino exuiſſe totúſque in ſpiritum (Deo ita intentus erat) tranſiiſſe viſus ſit. Cuius ſanctitatis fulgote circumquaque diffuſo, cùm multi ad eum veluti ſidus ſalutiferum, ſcientiæ ſalutis ſtudio confluerent, monaſterium diſcipulis, xenodochium egenis infirmíſque ad perfectæ charitaris exercitium extruxit. Túmque etiam diuinæ virtutis gratia irradiatus, multa ſanctitatis teſtimonia prodidit cæcos illuminans, claudos erigens, dæmones obſeſſis ex corporibus ſua oratione expellens. Ad quem cum Heſticonis Ducis filia, vtroque lumine

SS. IOANNES BAPT.

BENEDICTVS.

SCHOLASTICA.

NORBERTVS.

HIDVLPHVS.

ab ortu orbata adducta fuiſſet, hanc vir Dei (quo cum tunc ſanctus Erardus eiuſdem germanus, Ratiſbonenſis Præſul, fraternæ viſitationis cauſa aderat) miſericordiâ diuina intimis affectibus imploratâ, luſtralibus aquis tingens, vtriuſque hominis tenebras miro cum parentum gaudio & aſſiſtentium ſtupore profligauit. Deinde diſcipulorum accreſcente numero nouum in fundo Beggonis monaſterium ædificauit, quod ſub Dominicæ crucis conſecrauit patrocinio. Hiſque aliiſq. egregiè ad Dei laudem & fidelium vtilitatem peractis, vir admirandis virtutibus & ſignis conſpicuus plenus dierum & ſanctitatis, modica febre correptus, ad beatæ æternitatis perrexit coronandus brauium. Cui ad gloriæ apud homines cumulum acceſſit, quod excelſa eius præconia à S. Leone IX. Pontifice maximo, antea Tullenſi Antiſtite inſigni commentario celebrata fuerunt. In territorio Pictauienſi aduentus ſancti SABINI Anachoretæ & Confeſſoris, qui ab ineunte ætate mira Dei gratia præditus, poſt ſanctiſſimæ vitæ decurſum, meritorum copia & miraculorum ſplendore clarus migrauit ad Dominum. Natalis eius colitur ſeptimo Idus Octobris. Tranſlatio Kalend. Auguſti. Senonis ſancti VLRICI Confeſſoris itidem glorioſi. Aruernis tranſlatio ſancti Apollinaris Sidonij Epiſcopi & Confeſſoris illuſtriſſimi, quando ſacratiſſimum eius corpus de Eccleſia ſancti Saturnini, ad cuius altaris dexteram ex voto ſepultus fuerat ſanctiſſimus Præſul, ad Eccleſiam Sanctorum Symphoriani & Geneſij tranſuectum, ibi ad cornu dextrum ſummi altaris collocatum eſt. Eodem die ibidem tranſlatio ſancti QVINTIANI Claromontani quoque Epiſcopi & Confeſſoris, qui cùm obiiſſet perfectus in ſanctitate, ſepultus fuit in baſilica ſancti Stephani ad læuam altaris: deinde leuatus & ad antedictam Eccleſiam Sanctorum Symphoriani & Geneſij delatus, tituli nuncupationem ſuo nomine adauxit, intérque patronos huius ſacræ ædis aſcitus, in proprio tamen ſacello coli cœpit, vbi eius reliquiarium altari ſuperpoſitum eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

[Margin: SABINVS. — VLRICVS. — QVINTIANVS.]

IN Armorica tranſlatio ſancti MACLOVII Epiſcopi & Confeſſoris: eiuſdem ciuitatis patroni. Hodie ad Chriſtum migrauit beatæ memoriæ ALBERICVS primus Sauiniaci in Normannia Abbas, vir chariſmatibus diuinis ornatus, omnique teſtimonio ſanctitatis illuſtris. Item Ciſtercij ſanctè obiit IOANNES Monachus, diſcipulus ſancti Roberti Abbatis, non minùs virtutum gratia, clarus quàm miraculorum gloria.

[Margin: *Maclouius, ſeu Macutus. Albericus. Joannes.*]

Quarto Idus Iulij. Luna

12														D	xv.	
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16			

NATALIS Sanctorum Martyrum NABORIS & FELICIS, qui hoc die Laudi-Pompeiæ in Insubria fidei certamen ineuntes sub Maximiano diro Cæsare, militiæ cœlestis balteum eximio agone demeruerunt: magnísque in tumulo miraculis coruscârunt: quorum præclara facinora sanctus Ambrosius dignis encomiis celebrauit: sacráque lipsana Mediolani posita, dignis honoribus prosequutus est: quorum pars subinde præcipua in Gallias delata à beato Godegrando Episcopo Metensi in Hiliriaco, quod ad eorum venerationem condidit cœnobio, condecenti cultu recondita, emeritæ gloriæ & honoris insignia prodiderunt.* In præsulatu Bituricensi pago Maliaco Inuentio sancti MENVLPHI Episcopi & Confessoris, cuius ossa cœlesti nuntio reuelata, à Dagoberto Archipræsule Bituricensi, tempore ADALGASIÆ Abbatissæ, congruo honore decorata sunt, pagóque deinde ipsi antea perobscuro, ob præstita diuina beneficia, lumen plurimum addiderunt: indito etiam sancti ipsius Confessoris eidem loco (cuius iam tutelaris colitur) venerabili vocabulo. Eodem die Lugduni depositio sancti VIVENTIOLI Episcopi eiusdem Metropolicæ sedis & Confessoris, qui post sanctum Lupicinum nobili huic Ecclesiæ præfectus, ob doctrinæ & sanctimoniæ peremінentis decora, maxima pastoralis officij lumina exeruit: cúmque etiam sacræ vindicandæ disciplinæ, sarciendæque sinceræ pietatis causa congregatis nonnullis Ecclesiæ Gallicanæ comitiis, signanter verò Synodo Epaunensi, necnon Meldensi clarum sanctitatis & sapientiæ sydus interfuisset, Agaunensis cœnobij fundationem quam edidit suo hortatu Sigismundus Rex pientissimus promouisset, sanctum Ambrosium Insulæ barbaræ Abbatem huic regendo præfecisset, gregíque suo conuersatione purissima & vigilanti procuratione, cœlestis patriæ viam indicasset, complanasset: ipse quietis æternæ appetens, feliciter in Christo, cui fideliter toto vitæ tramite seruierat, obdormiuit. Tolosæ festiuitatis sancti HONESTI Presbyteri & Confessoris, cuius gloriosus transitus contigit 14. Februarij. Caput verò eius

SS. NABOR & FELIX.

MENVLPHVS.

VIVENTIOLVS.

HONESTVS.

dem in basilicæ ſancti Saturnini ſacello quod beatiſſimæ Deiparæ de conſolatione nuncupatur, ad læuam altaris glorioſo apparatu reconditum, hodie honorandum de more exhibetur. Cōſtantiæ in Normania DEDICATIO matricis Eccleſiæ in honorem ſanctiſſimæ Deigenitricis. In Tornacenſi diœceſi Elnonenſi cœnobio depoſitio ſancti IOANNIS diſcipuli ſancti Amandi & Confeſſoris, eiuſdem loci, necnon Blandinienſis antea monaſterij Abbatis, & Sanctorum familiaritate & imitatione, & præclaris ſanctæ vitæ teſtimoniis conſpicui. Hic cùm crebra miracula ad ſancti ipſius Amandi ſepulchrum coruſcarent, Eccleſiam ſancti Stephani ampliorem in fabricam dilatari curauit, in quam per beatum Eligium eiuſdem beati Amandi venerandos artus transferendos curauit. Ac tandem poſtquam aliquot annos laudabiliter rexiſſet creditum monaſterium, bonorum ſtudiorum, ac piorum actuum finem faciens, ſanctum Domino ſpiritum reddidit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

IOANNES.

Ioannes de Gerſon.

PIÆ vitæ tramitem hodie expleuit, venerabilis memoriæ IOANNES Charlierus cognomento DE GERSON, Theologus ſuo æuo præcipuus: Pariſienſiſque Eccleſiæ ac Vniuerſitatis Cancellarius: in quo neſcias plus raram ſapientiam ac indefeſſum in procuranda Eccleſiæ vnitate ſtudium: an pietatis eximiæ decus & vitæ puriſſimæ nitidam ſeriem magis debeas admirari. Ob quæ ab eo præclara in Chriſtianæ Reipub. ornatum ac commodum, edita lumina, non modò DOCTORIS CHRISTIANISSIMI elogium, piſque Gerſonij cognomen meritò adeptus eſt: ſed & beatitudinis famam ac cultum Lugduni, præſertim vbi piam efflauit animam, communi ferè omnium ſuffragio obtinuit. Adeout in monimentum ſanctitatis & gloriæ, erectum illi pridem fuerit in ſancti Laurentij Eccleſia vbi inhumatus fuit, ſacellum, cuius altari, imago eius depicta, appenſa erat, ad cuius venerationem multi confluentes, pro impetranda ſub eius præſidio diuina ope, votorum compotes ſe factos, *Beati*, vt aiebant, *Ioannis Gerſony* precibus & meritis, ſerio conteſtati ſunt. Obiit & hoc ipſo die piæ memoriæ IOANNES Abbas ſextus Ciſtercienſis, quem ordinis huius Kalendarium inter beatos conſignat recolendum.

Ioannes.

Tertio Idus Julij. Luna

13 E XIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
5	6	7	8	9	10	11	12	12	13	14	15	16	17			

SS. EVGENIVS.

ALBIGÆ in Aquitania ſancti EVGENII Epiſcopi Carthaginenſis & Martyris, qui Africæ primas, eo tempore quo Hunericus Vvandalorum Rex, illam & dira tyrannide & impietate Ariana, miſerè opprimebat; ex aduerſo inſurgens pro lege & grege Chriſti, contra exitialis huius hæreſis ſectatores,

fidem Catholicã ab his omni conatu impugnatam, cùm doctrina, tum diuina virtute qua pollebat fortiter ac magnificè vindicauit. Episcopos ac Sacerdotes plerosque exterritos, latebrásque ob sæuitiam persecutionis ineuntes, quà voce quà exemplo ad pugnam adeóque ad palmam reuocauit. Populum fidelem duro sub iugo gementem penéque deficientem in pressura roborauit, fide armauit, zelo diuino tuendæ ad extrema vsque pietatis inflammauit. Cùm verò sub inuocatione sanctissimæ Trinitatis cæcum quem Cyrola nefandæ sectæ pseudo Episcopus, dum videri vellet illuminare, visu ipso orbauerat, lucis spectatorem reddidisset, eam ob rem ab irato rege, qui sectæ suæ tam pudendum dedecus ab Eugenio vindice pietatis illatum impotenter ferebat, comprehensus cum Vindemiali sanctissimo collega, aliisque multis orthodoxorum ducibus, nimirum quadringentis quadraginta quatuor Episcopis: post eculeos, post flammas, post vngulas, tormentáque quæuis fortiter in confessione castissima deitatis superata, interfici iussus est. Hoc tamen cum sententiæ moderamine, vt si in ea hora qua feralis ensis incumberet super eius verticem, in Arianam ille partem non deflecteret: minimè quidem occideretur, ne ipsum Catholici pro martyre colerent, at in exilium pelleretur. Id verò ita contigit. Cùm enim imminenti morte interrogaretur, si lethalem ictum (quo Vindemialis iam percussus occubuerat) pro fide Catholica subire destinaret, respondit intrepidè diuinus pugil, *Sempiternam se in eo censere vitam, pro pietate & iustitia mori.* Suspenso igitur gladio, in Galliam exul deportatus est. Albigæque in Aquitania aliquot menses exegit, corpore quidem ob cruciatus inflictos fere enecto, at vegeta mente, quæ Christum vnicè spirabat. Cuius desiderio feruens productum exilio agonem, demum gloriosa morte consummauit. Ad cuius sepulchrum micantia deinde æternæ beatitudinis indicia, donatiua quæ reuexit ex tam nobili triumpho ostenderunt. In Normania monasterio crucis sancti Audoëni: aliàs sancti Leufredi cœnobio diœcesis Ebroicensis depositio sancti THVRIANI Archipræsulis Dolensis in Armorica & Confessoris. Qui puer patris gregem cùm pasceret, monitus cœlesti oraculo, vt relicto grege ad Balonense asceteriolum quod sancti Samsonis cœnobio subiacet ad discendum literas se conferret: Iussioni diuinæ acquiescens, eo in loco monasticæ professionis tyrocinia sic iniit & expleuit, vt non modò eruditione, & sanctissimæ conuersationis dotibus, sed etiam signorum diuinorum irradiationibus magnificè præfulgeret:

THVRIANVS.

adeo vt cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelam, dementibus sospitatem precibus fusis impertiretur: vnde vulgatum adagium, neminem ad eum accedere, qui non recreatus aliqua benedictione rediret. Hac cùm diuinæ virtutis præpolleret gloria Thurianus, Thiarmailum Dolensem Præsulem quem senium fatiscebat cupido pia incessit, vt eumdem consortem sibi oneris & honoris designaret. Prouexit igitur Deo charum hominem ad summum sacerdotij gradum, statuens vt prædicationis, sedis & regiminis pro se (velut pro Valerio quondam Augustinus) munus exequeretur. Non absimili vice res optatis successit. Hac etenim auctus dignitate Thurianus expectationem omnium non modò adæquauit, verùm etiam plurimum superauit, Iustum siquidem, fortem, prouidum, temperatum, pium, diuinarum omnium dispositionum studiosum, atque omnium virtutum ornamentis, dignísque Episcopalis curæ affatibus instructum se præstitit: non aliud referens in actis & dictis quàm quod Paulus cœlesti penicillo depinxit Pontificalis ideæ præstantissimum simulachrum. At quamuis Antistitis absoluti numeros omnes impleret: non tamen hoc in munere vir sanctus vltimos dies peregit. Nam tranquillioris vitæ studio, sacerdotali honore deposito fugit ad prælibatum (quod tum Madriacense dicebatur) monasterium, sancti Leufredi Abbatis fama illectus: receptóque religioso schemate, sub eius magisterio humilem Christo famulatam exsoluit, vsque ad finem dierum in suscepto latentis vitæ instituto perseuerans. Sícque admirabili stadij meta apposita, repositæ iustitiæ coronæ peruenit ad præmium. Eius corpus miris virtutibus postea in tumulo fulgens, sub Danica incursione Lutetiam Parisiorum, cum ipsius sancti Leufredi venerandis exuuiis, deuectum; in basilica sancti Vincentij Martyris, quæ nunc sancti Germani Pratensis cœnobitica est ædes, magna celebritate fuit reconditum, vbi hactenus condigno cultu obseruatur: sacrísque anniuersariis tota in Parisiensi diœcesi, hodie ipsius sanctissimi Præsulis memoria honoratur. Leodij

MARGARITA. susceptio reliquiarum sanctæ MARGARITÆ Virginis & Martyris, cuius triumphus celebris consignatur in Catholicæ Ecclesiæ diptychis die vigesimo huius mensis, Ibidem in cœnobio sancti Iacobi in vrbe depositio sancti Olberti Abbatis & Confessoris, moribus, religione, scientia, & diuinæ approbationis testimoniis illustris. Dauentriæ in Belgio veneratio reli-

MILDREDA. quiarum sanctæ MILDREDÆ Virginis Anglicanæ Deo sacratæ in Kalensi monasterio agri Parisiensis: quæ in cathedrali sancti

ſancti Lebuini Eccleſia, cum corporibus ſancti ipſius Lebuini, necnon beati Marcellini repoſitæ, tranſitus eius hodiernum diem effecêre celebrem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

EXVTA mortali ſarcina, ad filiorum Dei conſortium hodie pertranſiuit beatæ memoriæ HENRICVS Monachus conuerſus in Brabantia, vir multæ humilitatis, patientiæ & miſericordiæ, qui in xenodochio pauperibus magna charitate miniſtrauit, & quanto plus Dominum dilexit, eius membra tanto plus colere ac fouere perſtuduit. *Henricus.*

Pridie Idus Iulij. Luna

14																F XIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18			

VIENNÆ Allobrogum veneratio ſacratiſſimorum pignorum beati PHOCÆ Epiſcopi Synopis ciuitatis in Ponto & Martyris, qui illic paſtor ſtrenuus pro lege & grege decertans ſub Traiano, carcerem, vincula, ferrum, ignem perpeſſus, Chriſto nobile præſtiti fidelis obſequij monimentum fuſo cruore conſecrauit: atque ideo immortalis gloriæ ab eo diadema recepit. Huius ſanctiſſima pignora poſtea diuino munere in Gallias delata, ad præſignatam vrbem in Sanctorum Apoſtolorum baſilica, prout Ado Viennenſis ipſe Antiſtes teſtatur iampridem repoſita fuerunt: vtque incolis magna beneficia attulêre, ſic & copioſa ab his accepêre venerationis debitæ officia. Truncinnij ad Gandauum natalis ſancti BASINI Martyris, qui regia ſtirpe editus, egregia ſanctitate præſtans tres Eccleſias iuxta decurſum Liſæ ædificauit, quarum vnam Deiparæ honori deditam cùm contra Gentilium vaſtationem defenderet, grauiter in campo Meſdeſveldenſi ab iis vulneratus, pio gratóque Deo occubitu exhalato ſpiritu ad ſupernos triumphos euolauit: Inque cœnobio ordinis Præmonſtratenſis vna cum *ſancta Aldegunde* filia, ſepultus ſe perpetim apud Deum viuere aſſiduis in clientes opitulationibus teſtatus eſt. Quamobrem ibi hodie annua feſtiuitate eius memoria colitur. Ipſo die in Haſbania natalis ſancti LIBERTI Martyris, quem Dani ethici Belgium vaſtantes fugientem inſecuti, in templo cœ-

S. PHOCAS. BASINVS. LIBERTVS & ſocius eiuſdem.

nobij sancti Trudonis, ante ipsam summam aram genibus flexis religiosissimè orantem cum socio *anonymo* immaniter trucidarunt : eo loco qui etiamnum hodie religionis causa tapeto tectus visitur. Cæterùm Martyris eius socij sacræ exuuiæ ibidem magna reuerentia conseruantur. Lugduni ordinatio sancti IVSTI Episcopi & Confessoris gloriosissimi, cuius felix transitus in sacris Ecclesiæ tabulis insignis est die secundo Septembris. Item ibidem depositio sancti AMYCI Episcopi itidem & Confessoris, magis sanctitatis meritis, quàm actorum memoria conspicui. Eodem die ibidem transitus gloriosus sancti EVSTATHII cognomentò Bonauenturæ Cardinalis Episcopi Albanensis, Doctorísque vulgo dicti Seraphici. Hic penè puer in ordinem fratrum Minorum beati Francisci adscriptus, doctrina admirabili & vitæ sanctimonia singulari clarus cœlestem in patriam abiit, dum in Concilio Lugdunensi adesser, ad quod vt præfulgidum Ecclesiæ sidus fuerat euocatus à Gregorio decimo Papa, vt illius potissimum opera in componendo Græcorum schismate, qui eo cum suo Imperatore venerant vteretur. Cuius (post edita eo in augusto cœtu ingentia sapientiæ sibi diuinitus inspiratæ, necnon miræ pietatis lumina) repentinus occasus, magnum non modò Pontifici maximo & Patribus Latinis, sed Græcis etiam, qui virum diuinum magna in veneratione habebant, luctum attulit : ad quem testandum multis omnium lachrymis perfusum eius funus, corpúsque ingenti honore in sui ordinis Ecclesia tumulatum est. Porro quæ viuentem miracula clarificauerant, defunctum subsequentia magis illustrauerunt. Scripta verò quæ piè doctéque, à se exarata reliquit, memoriam eius immortali gloriæ consecrârunt. At horum odio exciti Caluinistæ hæretici, cùm Lugdunum fraude occupassent effossa, orthodoxæ fidei illustrissimi assertoris ossa (capite duntaxat falcatis harum belluarum vnguibus subducto, quod seorsim asseruabatur) igne in publico succendentes, sacros cineres in profluentem Rhodanum proiecerunt. Qua immani atrocitate suam quidem impietatem, atque conceptum quod hæreticis omnibus innatum est, in Dei amicos odium perspicuè declararunt. Cæterùm Beato viro nihil iniuriæ hoc tetro facinore intulêre: quin potiùs eius admodum amplificatuêre gloriam: cùm quæ sancto Christi præconi in terris adhuc exulanti, defuisse videbatur martyrij desideratam

IVSTVS.

AMYCVS.

EVSTATHIVS, qui & Bonauentura.

lauream post mortem, ipso suo cæco furore, (quo insanientes memoriam illius delere tentabant) inuitè impenderunt. Ipso die depositio sancti MARCELLINI Presbyteri, Transisalinæ in Belgica Gallia Prouinciæ Apostoli: qui cœlestium charismatum dotibus affluens Sanctorum Vvillibrodi & Suitberti Episcoporum in prædicatione Euangelica eximius æmulator, Gregorij Vltraiectensis Episcopi hortatu, cum sancto Lebuino, in Drenta, Tuenta, Ostensalia, Dauentria & reliquo tractu Transisalino, diuini verbi sementem disseminauit: multáque Christo parta piis laboribus sobole, Osdensaliæ, quæ veterum Saliorum sedes est, cursum absoluit Apostolicum. Primùm ibi conditus quieuit vir diuinus. At subinde supernæ gloriæ insigniis clarificatus ad cathedralem Ecclesiam sancti Lebuini sui symmystæ translatus fuit. Eodem die in Hasbania migrauit ad Christum sancta RAGENVLFA Virgo, quæ inclyta stirpe progenita à tenera ætate Christi succensa amore, eidem intemeratum suæ virginitatis florem consecrauit. Cúmque Ebroinus adolescens nobilis eam ad connubium postularet, & parentes renuentem vrgerent, instante die nuptiarum, vnà cum ancillula ad vicini nemoris latibula confugit. Móxque à sponso cœlesti vocata, ad Angelorum consortium, quorum puritatem studuerat imitari, feliciter euolauit. Cuius sanctitatem plurimis miraculis Deus testatus est: ob quorum splendorem ædificata est ad eius sepulchrum à propriis eius parentibus Ecclesia, in qua per longa temporum curricula, editis ad eius preces opitulationum beneficiis, merita eius pretiosa refulserunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

MARCELLINVS. RAGENVLFA.

OBIIT hodie piissimæ memoriæ HENRICVS Cardinalis, Legatus Apostolicæ Sedis contra hæreticos Albigenses, præcóque crucis contra Mahumetanos: vir miræ sanctitatis & humilitatis zelique planè Apostolici. Ob quæ merita cùm paranymphus pacis Attrebati, orans ante altare sancti Andreæ Apostoli placida morte obdormiisset: corpus eius ad Claramuallem, cuius Abbas fuerat, reuectum, inter Sanctorum Malachiam & Bernardum honorificè tumulatum est. *Henricus.*

Idibus Julij. Luna

15 G XII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19			

SS. Duodecim Apostoli. DIVISIO Sanctorum APOSTOLORVM iampridem in Ecclesiis Galliæ celebris, quæ ab hinc ſuæ fundationis primordia repetunt: quòd ab nonnullis Apoſtolis viriſque Apoſtolicis, poſtquam ab Hieroſolymis diſceſſerunt, vt Euangelica prædicatione orbem imbuerent, ſicut à Domino his præceptum fuerat; plures ex iis cenſeantur inſtitutæ. Bruxellæ oſtenſio trium ſacrarum hoſtiarum ſanguine tinctarum, quas Iudæi anno ſalutis 1370. impiis manibus violârunt: quæque adhuc tamen integræ & illæſæ, quotannis in miraculi perennis commendationem, die Dominica feſtum ſanctæ Margaritæ præcedente, ſupplicatione ſolemniſſima circumferuntur: triplici corona aurea, (quam Albertus pius, eiúſque religioſiſſima coniux Iſabella Clara Eugenia, Belgij Principes deuoto munere obtulerunt,) adamantibus, vnionibus gemmiſque pretioſiſſimis diſtincta, decoratæ. Eodem

Norbertvs. die ordinatio ſancti NORBERTI Magdeburgenſis Archiepiſcopi ordiníſque Præmonſtratenſis in Gallia fundatoris ac

Vedastvs. Patriarchæ. Attrebati reuectio corporis ſancti VEDASTI Epiſcopi eiuſdem ſedis & Confeſſoris ex vrbe Bellouacenſi, vbi ferè quinquaginta annis quieuerat in Eccleſia ſancti Stephani proprio in ſacello, cùm multorum ſignorum coruſcatione, ab eo ſcilicet tempore quo ob metum Normanorum fuerat illuc ad cuſtodiam delatum. In monte ſancti Petri aliàs cœnobio ſanctæ Odiliæ prope Ruremundum

Plechelmvs. in Belgio, depoſitio ſancti PLECHELMI Epiſcopi Candidæ Caſæ in Scotia & Confeſſoris, qui cùm exſcindendæ ſuperſtitionis ethnicæ, quæ adhuc in nonnullis Belgij partibus pullulabat, deſiderio, in Gallias vnà cum ſancti Virone itidem Epiſcopo & Otgero Diacono veniſſet, à Pipino Rege benignè exceptus, & ad pium opus excitatus, multos ad Euangelicæ veritatis lucem perduxit, & deletis inanium numinum delubris ad honorem veri Dei complures Eccleſias conſtruxit. Plenúſque denique dierum & meritis, eo in cœnobio placida morte quieuit, quem diuina

mirabilia circa sepulchrum eius micantia, in cœlis beatum prodiderunt: honoréſque ſanctis glorioſis conſecuti ſunt: eleuatis ad altare maius Ruremundenſis Eccleſiæ cathedralis eius reliquiis, cum Sanctorum Vironis & Otgeri pignoribus, feſtóque & officio annuali non modò in tota hac diœceſi eius cultui attributo, verumetiam Oldenſaliæ in Dauentrienſi præſulatu, vbi venerandum eius caput adſeruatum, magna populi deuotione honoratur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

MEMORIA captæ diuino beneficio vrbis Hieroſolymitanæ per Godefridum Bullonium, cæteróſque Principes Chriſtianiſſimi huius regni, ac Francorum exercitum, anno Chriſti 1099. Superna hodie petiit adyta piæ memoriæ BALDVINVS Abbas Reacinus, vir ſcientia Sanctorum inſtructiſſimus, & puriſſimæ vitæ dotibus illuſtris. *Balduinus.*

Decimo ſeptimo Kalend. Auguſti. Luna

16 A XI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20			

TREVIRIS Metropoli Natalis ſancti VALENTINI Epiſcopi & Martyris, qui ſancto Maximino ſuffectus, ſtrenuè cùm ſuam Eccleſiam gubernaret, ſub ea Vvandalorum incurſione quæ Gallias vniuerſas miſerè deuaſtauit: & in qua Remis altera Belgicæ Galliæ Metropoli occubuit ſanctus Nicaſius: ab iiſdem impiis ciuitate Treuirenſi occupata ac direpta, gregis paſtor eximius ſeſe pro ouibus ſeruandis exitio obiiciens, dirè trucidatus eſt, ſícque addita pontificali tiaræ illuſtriſſimi agonis laurea, ad æternos triumphos conſcendit: Martyríſque titulo ſacris Eccleſiæ Catholicæ tabulis inſcriptus, conſequentem agonis merita, percepit conſpicuum vbique honorem. Conſtantiæ in Normania ſancti HELERII Martyris à Vvandalis in Gerzuo Inſula occiſi. Sanctis Hannoniæ pago, natalis ſanctæ RAYNELDIS Virginis ſanctimonialis & Martyris. Hæc nobiliſſimis piiſſimíſque parentibus patre Vvitgero matre verò Amalberga progenita, cum fratre Emeberto ſororibúſque Gudila, Pharailde & Hemelaide, ſanctitatis quoque perlucidis ſideribus: ea vitæ integritate à primis annis enituit, vt ingentem omnium de ſe excitaret admirationem. Incredibile enim memoratu eſt quanta ſe inedia affecerit, quàm aſſiduis ieiuniis & orationibus corpuſculum ſuum macerârit, quo

SS. VALENTINVS. HELERIVS. RAYNELDIS.

gratam Christo hostiam sui ipsius immolatione consecraret. Cilicio carnem edomans asperrimo, vilique & modica alimonia sustentans, hordeaceo scilicet pane & aquæ simplicis haustu: nudis etiam plantis incedens; humicubationibus; assiduis ferè tota nocte ad preces prostrationibus, dum carnem extenuaret, spiritum robotabat, vegetioremque reddebat in Dei obeundo strenuè famulatu. Cuius impensius exequendi desiderio æstuans, sanctissima puella cum sorore sua Gudila Lobiense cœnobium adiit, vt in eo se totam sub seuerioris disciplinæ ac obedientiæ instituto cœlesti sponso offerret: cuius monasterij fores ipsi diuinitus reseratæ sunt. Verùm cùm locum fœminei sexus haud capacem, viris duntaxat ascriptum didicisset: maioris certaminis cursum sibi conficiendum rata, accepta à monasterij præfecto benedictione, inde Hierosolymam profecta est. Vbi biennio singula quæque loca quæ mysteriis humanæ redemptionis insignita sunt, non sine fructu copioso spiritus perlustrauit. Euolutóque septennio pretiosissimis Sanctorum aucta reliquiis, domum reuersa est, & à familia cunctísque loci eius indigenis, summa cum exultatione excepta, deinceps (recepto à sancto Auberto Cameracensi Antistite velamine sacro) ita vitam instituit, vt rebus omnibus terrenis proculcatis solis cœlestibus incredibili ardore insisteret. Túmque miraculis etiam, quæ sanctitatis indicia erant, cœpit perfulgere. Cùm autem propter hominum flagitia Gallias Hunnorum sæuitiæ vastandas diuina indignatio traderet, & omnes fuga sibi salutem quærerent: Christi Virgo Rayneldis, dilectum sibi ad Christi perennem seruitutem locum deserere noluit. Igitur irruentibus barbaris Virgo sancto Spiritu plena, & in sponsi sui amore solidata, more suo ad preces confugit, & in æde beati Quintini Martyris furorem hostium vna cum *Grimoaldo* Subdiacono & *Gundulfo* ministro expectauit. Tandem in basilicam barbari irrumpentes, instar immanissimarum belluarum, arreptis sanctissimæ Virginis capillis circumquaque cœperunt eam trahere, fustibus & flagellis cædere, calcibus tundere, multísque iniuriis, ludibriis & plagis crudelissimis afficere: postremo vt ceruicem extenderet impij grassatores compulerunt. Ouicula Christi mansueta iussis eorum festina acquieuit, collúmque carnifici feriendum præbuit: sicque corporeis soluta vinculis, purissimum spiritum ad Christum transmisit, choro beatarum Virginum, quibuscum Rex ipse gloriæ perennes agit nuptias sociandum. Quam ad gaudij cœlestis delicias, GRIMOALDVS & GVNDVLPHVS prænominati co-

GRIMOALDVS & GVNDVLPHVS.

mitati ſunt, & ipſi à feris his Chriſtianæ plebis perſecutoribus, immaniter eadem in Eccleſia interfecti. Cæterùm B. Rayneldis corpus cùm miraculis rutilaret à Ioanne Cameracenſi Epiſcopo anno 860. è terra leuatum, atque honorificè reconditum fuit in theca argentea: in qua hactenus requieſcit. Eodem die Traiecti ad Moſam commemoratio ſanctorum ſedis huius Epiſcoporum MONVLFI & GONDVLFI inſignium Confeſſorum. Item in territorio Audomaropolitano Sithiuenſi cœnobio tráſlatio corporis ſancti BERTINI primi eiuſdem loci Abbatis, ac demum patroni facta à beato Folquino Epiſcopo Morinenſi anno 846. Ipſomet die Lemouicis depoſitio ſancti IVLIANI Confeſſoris, ſanctitatis gloria, magis quàm ſpeciali præclarè actorum recenſione illuſtris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Monvlfvs & Gondvlfvs. Bertinvs. Ivlianvs.

VIAS vitæ æternæ ingreſſus eſt beatus MILO diſcipulus ſancti Norberti, Morinenſis ſeu Taruanenſis Eccleſiæ Epiſcopus: qui tanta ſanctimoniæ laude claruit, vt æui ſui præcipuis luminibus cum proprio comparationis elogio adcenſeretur hoc prouerbio vulgari. *In Bernardo præcellit charitas, in Norberto fides, in Milone humilitas.* Sed religione etiam & doctrina plurimum emicuit. Vnde in Concilio Remenſi contra Gilbertum Porretanum congregato, ab Eugenio Papa III. delectus eſt præ cæteris, vt cum Suggerio Sandionyſiano Abbate, ſymbolum fidei contra errores præfati Gilberti, Apoſtolica auctoritate promulgandum, contexeret. Poſtquam verò Eccleſiam ſuam annos viginti ſeptem ſanctiſſimè adminiſtraſſet, piiſſimè obiit, atque ante altare beatæ Mariæ matricis Eccleſiæ Morinenſis congruo honore ſepultus eſt. Móxque ad eius tumulum orans ex diuina admonitione cæca mulier fuit illuminata: ſurdique, contracti, dæmoniaci plerique ſanitati reſtituti, quanti apud Deum ſit meriti vir beatus, veraci teſtificatione profeſſi ſunt. Hoc ipſo die ad Chriſti conſpectum peruexit, Claræuallis obiens beatæ memoriæ ARNOLDVS Monachus cognomento de Maiorca, ſpiritualis ſancti Bernardi filius, cuius per illum facta ad Deum conuerſio, tam mira & potens extitit, vt à quibuſdam pro magno prodigio haberetur, adeovt illud de ea percrebuerit prouerbium: non minùs admirandum, nec minùs glorificandum Chriſtum de conuerſione fratris Arnoldi, quàm de Lazari quatriduani ſuſcitatione. Ex quo autem à ſæculi vanitatibus abſtractus fuit, tanta Chriſto hæſit perfectione, vt & Angelicis viſionibus, & cœleſtibus conſolationibus, ſæpè frui promeruerit; excedénſque è carnis ergaſtulo ad beatorum ſedes euectus, ſuæ ſanctitatis non obſcura teſtimonia reliquerit.

Milo. *Arnoldus.*

Decimo sexto Kalend. Augusti. Luna

17															B x.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21			

SS. SPERATVS. NATALIS ſancti SPERATI primi è cœtu duodecim Scillitanorum Martyrum, qui hodie Carthagine in Africa, propter Christi nominis constantem confeſſionem in carcerem Saturnini Præfecti mandato coniecti, & ligno confixi, mane gladio percuſſi ſunt. Sperati reliquias cum corpore ſancti Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi & Martyris, & capite beati Pantaleonis itidem Chriſti iurati teſtis, Legati Caroli Magni ab Aarone Ammira Perſarum venientes, inter cætera munera in Gallias attulerunt. Quæ ſimul cum prædictorum Martyrum pignoribus Lugdunum ex Arelato vbi primùm appellentes Legati conſtiterant, deportatæ, iuſſu ipſius Caroli per Lendradum primariæ illius ſedis Metropolitam, in maiori Eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ Chriſti præcurſoris & Stephani protomartyris, repoſitæ, retro ſummum altare condigno honore, ad tantæ ciuitatis munimen collocatæ fuerunt. Ebroi-

ÆTERNVS. cis in Normania ſancti ÆTERNI Epiſcopi & Martyris, qui tempore Clodouæi Regis Eccleſiam ſpiritu Apoſtolico dirigens, omnis religionis decore, palmáque denique inclyti martyrij decorauit: faſtíſque vt hodie ſuis lætificat: ſic perpetuis

THEODOSIVS. iuuat patrociniis. Autiſsiodori ſancti THEODOSII Epiſcopi & Confeſſoris. Hic mirabili virtutum panoplia ornatus, ſancti Viri in locum ſubrogatus pedum huius Eccleſiæ incomparabili quà pietate quà vigilantia geſsit: Aurelianenſíque Concilio primo, ſic interceſsit, vt ſancitis ibi legibus de ſacroſancta politia, auctoritatem plurimam ſua præſentia addiderit. Ac demum poſt Epiſcopatus exactos annos octo, cum totidem menſibus & viginti diebus, magnis locupletatus piorum laborum meritis, ad cœleſtis quietis perrexit fruitionem. Audomaro-

FREDEGANDVS. poli veneratio reliquiarum ſancti FREDEGANDI Confeſſoris vnius ex ſociis S. Foillani, Apoſtolicæ prædicationis gloria illu-

MARINA. ſtris. Eodem die beatæ MARINÆ Virginis, cuius pignoribus dudum decorata Auguſta Pariſiorum Lutetia antiquam habet ſub eius patrocinio (cui Epiſcopalis familia addicta eſt) Eccleſiam parœcialem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum*, &c.

Decimo quinto Kalend. Augusti. Luna

18 C IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22			

APVD Traiectum inferius Natalis ſancti FREDERICI Epiſcopi & Martyris. Hic patriæ huius puer ingenuus, natus in caſtro Adelenſi prope Franequeram, in ætate tenera per matrem ſuam nobilem eam ad ciuitatem adductus, ac in domo Dei cum hoſtiis & muneribus diuinæ militiæ mancipatus, à Rixfrido Epiſcopo conſpicuæ virtutis, in filium adoptiuum cooptatus eſt. Atque à iuuenilibus annis adeo laudabiliter conuerſatus, vt ad omnes ſacros ordines dignè per manum eiuſdem Epiſcopi promoueretur. Deinde obeunte diem ipſomet Pontifice, à Clero & populo in paſtorem expetitus: iuſſu Ludouici Imperatoris Caroli Magni filij, cui ob virtutem & nobilitatem dilectus erat, inuitus licet ad eam Cathedram prouectus eſt: ínque eius præſentia conſecratus. Quem tamen ipſo ordinationis ſuæ die de coniugio illicito, quod cum Iuditha Ducis Bauariæ filia, conſanguinea ſua inierat, eo quo decebat ſacerdotali zelo liberè, eóque ferè artificio quo Nathan Dauid Regem quondam redarguerat increpauit. At Imperator quidem compunctus ad horam veniam petiit, pollicitus ſe ablegaturum vetitam ſibi ſacris Eccleſiæ legibus fœminam. Fredericus verò exinde officio intentus paſtorali, præcipuam in orationibus, eleemoſynis, ieiuniis, prædicationibus, aliiſque Pontificiis muneribus, operam collocauit. Audiens verò in Valachria diœceſis ſuæ regione contaminatos plebis mores, Synodum ibi habuit, cuius auctoritate & prouidentia corruptam vindicauit ab omni ferè ordine diſciplinam. Poſtea ſuam diœceſim vndecumque perluſtrans, peruenit in Friſiam, in qua Arianæ perfidiæ virus hactenus ſerpens, cum magno laboris ſtudio prorſus extinxit. Beato Adulfo ſancti Saluatoris Canonico, cuius zelum & doctrinam probauerat Staurienſem Eccleſiam commiſit, & ex tunc omnibus feliciter peractis, Traiectum vt propriam deinceps aſsidua ſpeculatione curaret Eccleſiam regreſſus eſt. At verò cùm ſanctus Epiſcopus Imperatoris prædicti matrimonium cum propinquè agnata illegitimè contractum, pro muneris ſui ratione inſtantiùs increparet: nulliſque ipſius

SS. FREDERICVS.

Iudithæ Augustæ lenociniis flecti posset, eiusdem impulsu, in ipso Ecclesiæ Saluatoris sacrario, in quod post peractum tremendum sacrificium se receperat, gratias Deo vt redderet consuetas, adhuc ornatus sacris vestibus à siccariis pugionibus confossus est. Quibus veniam precatus, vt fuga etiam sibi consulerent celeri eosdem admonuit: & vocato Clero ac plebi benedictionem impertiuit: túmque ipsius basilicæ cryptam constanter ingressus se in sarcophago ipsemet collocauit, atque psalmodias exequiarum personaliter exorsus, in illa voce: *Placebo Domino in regione viuorum*, placida mente obdormiuit in Domino: signísque superno munere post tam illustrem agonem refulsit magnificis. In Normania sancti CLARI Monachi & Martyris gloriosi. Ipso die in Sylua Aquilina agri Carnotensis Natalis sancti ARNVLPHI Episcopi Turonensis & Martyris, qui ex antiqua procerum Francicorum editus prosapia, à sancto Remigio de sacro fonte susceptus, bonísque moribus & pietate imbutus, Regis Clodouæi in gratiam ab eodem sancto Præsule insinuatus: eius iussu Scaribergam nobilem puellam duxit coniugem. Qua cum inito religioso fœdere de seruanda integritate: Angelico monitu ad Apostolorum limina deuota peregrinatione, cunctis spretis honoribus ac opibus perrexit. Ipsóque in itinere diuinis fauoribus coruscans, vnum in Gallia, alterum Rauennæ mortuum ad vitam sua oratione reuocauit. Tum Turones adueniens vt sancti Martini sepulchrum veneraretur, cum orbata Præsule Ecclesia de eligendo Episcopo à proceribus tractaretur: Angelico indicio Præsul designatus, huius Cathedræ inuitus regimen subiit. Porro sesquianno vix elapso vir non tam oneris impatiens quàm honoris, iterum peregrinari instituit, auditóque sancti Remigij obitu, vt eius tumulum coleret Remos adiit, Sponsámque velo virginitatis amiciens Christo sponso superno consecrauit. Hinc excitatus Virginis propinquorum in Dei famulum furor: qui eumdem de sancti Remigij oratorio exeuntem impetentes impiè trucidârunt. Sícque eorum mactatus gladiis Pontifex simul & hostia pietatis ac puritatis occubuit, moriénsque iussit sponsæ castissimæ atque charissimæ, vt Turones ad sedem propriam corpus suum deferri procuraret. Id pia Virgo cùm satageret, medio in itinere sacrum cadauer diuino nutu fixum hæsit, eo in loco qui syluæ Aquilinæ agellus in tractu Carnotensi, nunc ab eius nomine sanctus Arnulphus dicitur, vbi dignè cùm conditus fuisset, mox diuina virtus inclaruit. Ipsa verò Scariberga cellulam sibi ibidem extruxit, vitámque religiosam ac solita-

Clarus.

Arnulphus Turonensis.

riam amplexata, in omni perfectione ad obitum vſque perſeuerans, ad cœleſte ſanctiſſimi ſponſi meruit conſortium feliciter peruenire. Inde tamen poſtea alterius rerum ciuilium vicibus, beati ipſius Præſulis ac Martyris corpus ſublatum, atque Creſpeium Valeſiani Ducatus caput aduectum fuit: originémque dedit monaſterio ſui nominis, vbi etiamnum religioſè aſſeruatur in diœceſi Sueſſionenſi. Eodem die Metis ſancti ARNVLPHI Epiſcopi & Confeſſoris glorioſiſſimi. Hic illuſtri Francorum Principum ſtirpe, à puero liberalibus diſciplinis eruditus, ætate prouectior, in regiam miſſus à ſuis, aulicis moribus imbuendus, Gundulphóque Maiori Palatij charus, ita ſe Regibus Auſtraſiæ probauit in omni virtute bellica, vt illum poſt ſex adminiſtratas ſumma cum virtute prouincias, poſt optimam Dagoberti Regis quem ei commiſerat informandum Clotarius, felicémque educationem ad Palatij præfecturam extulerunt. Inter illam procurationem, non minimam partem curarum diuinis officiis vir egregius impertiebatur: adeovt non minùs in religionis actibus ſacerdotem; quam in ſæcularis regiminis muneribus exequendis ſtrenuum per omnia Ducem referret. Quæ res effecit vt defuncto Papulo Epiſcopo Metenſi, eius in locum magna omnium efflagitatione, quamquam renitens plurimum, ſublegeretur. Et verò ſe in Epiſcopatu præſtitit omni ex parte admirabilem. Profuſus enim erat in pauperes, in omnes hoſpitalis & benignus, in ſeipſum durus: ſiquidem perpetuo cilicio maceratis artubus, poſt tridui aut quatridui inediam, pane tamen hordeaceo & paruo aquæ poculo corpuſculum refocillabat. Deinde vir beatus, magis ac magis Chriſti amore exardeſcens, vt perfectum de ſe holocauſtum eidem offerret, abdicato Pontificatu in ſolitudinem ſe abdidit: ordinato priùs Goërico viro probatæ religionis ſucceſſore. Sic igitur nouus velut Elias ad eremum properans, relictis cunctis ſæculi rebus, multiſque pauperibus erogatis eleemoſynis: pauper quidem cenſu Chriſti amore factus, ſed diues virtute inter beſtias & feras ſilueſtres, exiguis conſtructis domiciliis, diuinis laudibus & cœleſtium rerum contemplationi ſe totum dedit. Egenorum etiam ac maximè leproſorum miſertus, iis xenodochiolum condidit iuxtà cellulam, ipsíſque quæuis ſolatia etiam vſque ad viliora ſe obſequia demittens, vir beatus impendit. Demúmque omnibus pietatis ac charitatis officiis intentus, plenus gratiæ fœnoribus, ſancto fine conſummatus ad gloriam perrexit. Quem emeritæ beatitudinis magnifica inſignia diuinitus conſecuta ſunt: laúſque perennis in Eccleſia

ARNVLPHVS Metenſis.

eius merita hactenus comitata, in cuius tabulis diualibus adscriptus est cum elogio, Episcopi & Confessoris sanctitate, & miraculorum gratia illustris. Fuerat vt alter Hilarius ante Episcopatum vxoratus, sanctáque fœcundatus prole, è cuius prosapia, Reges, Proceresque plurimi prodierunt. Itidem Metis depositio sancti THEODORICI eiusdem Ecclesiæ Episcopi & Confessoris: qui & ipse claro altóque editus stemmate, Othonis primi Imperatoris consobrinus, filiúsque Frederici primi Mossellaniæ Ducis ex Beatrice sorore Hugonis Regis Christianissimi cognomine Capeti: natalium adeo insignium, insigniori longè vitæ nobilitate splendorem exsuperauit. Religionéque & sapientiæ decore florens, post Adalberonis Metensis Episcopi decessum, huic substitutus Ecclesiæ tanta sanctitate ac pastorali prouidentia præfuit, vt antiqua sanctorum Præsulum exempla in se vno rediuiua & peculiari virtute aucta exhibuerit. Profectus in Italiam cum Othone præmemorato Imperatore, cui & sanguinis nexu & admirandæ virtutis intuitu percharus erat: ex eius munificentia & fauore multa sanctorum corpora in Galliam retulit: cum pretiosissimis reliquiis nimirum parte cathenæ sancti Petri Apostoli, cum capillis eiusdem, & sanguine sancti Stephani Protomartyris, & parte craticulæ sancti Laurentij Martyris, à Ioanne Papa sibi donata: quæ omnia sacratissima pignora in Ecclesia sancti Vincentij Martyris à se in insula constructa honorificè collocauit. In qua & ipse magnis ditatus meritis demum sepultus, Sanctorum, quorum honorem amplificauerat consortium obtinuit. Sícque illius de se ipso prædictio feliciter impleta est. De ipso enim legitur quod cùm factus esset Episcopus, inspiciens literas nominum omnium Metensium Antistitum, quas Angelus Domini sancto Clementi I. Metensium Episcopo dicitur dedisse: animaduerténsque alias auro, alias argento, alias viliore metallo, pro meritorum qualitate esse prænotatas, séque argenteis duntaxat apicibus vidisset designatum: dixisse refertur, *se fore in Episcopatu tanta bona facturum vt ipsa nominis sui epigraphe aureo deberet decore illustrari.* Quod vaticinium diuina adiuuante gratia sanctè ab præclarè ab eo toto in Pontificatu gestis, sic impletum est, vt & eius nomen inter sanctos huius Ecclesiæ Præsules meritò relatum sit: & in cœlis inter astra paradisi indebiliter conscriptum: quod & in indice præsignato cùm spiritum vir beatus exhalaret, aureis exaratum litteris apparuit. Eodem die apud oppidum Huiense ad Mosam translatio corporis sanctæ Virginis & Martyris ODILIÆ, quæ illic colitur in primario

THEODORICVS.

rio Crucigerorum monasterio. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

In territorio Iuliacensi pago Arnsviller depositio beati Arnoldi Citharœdi Caroli Magni, & Confessoris, viri magnæ religionis, & multæ erga pauperes pietatis. *Arnoldus.* Excessit è stadio mortalitatis piæ memoriæ Bertha prima Marchetensium Virginum Abbatissa, prope Insulas, quæ è coniugio, ad cœnobium, è sæculo ad claustrum prodiens ad tantæ sanctitatis gratiam conscendit, vt religionis normam suis actibus perfectè exprimeret, & alumnis suis sua conuersatione magnam in via virtutis & pietatis capessenda voluptatem. *Bertha.*

Decimo quarto Kalend. Augusti. Luna

19 D VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23			

TOLOSÆ in basilica sancti Saturnini consecratio altaris sancti Augustini facta à Calisto Papa II. cùm ipse Pontifex Concilium ea in vrbe ageret, & sacrarium eiusdem Ecclesiæ Sanctorum pignoribus refertissimum deuotionis causa perlustraret, anno salutis 1119. Treuiris Natalis sancti MARTINI sedis illius Archiepiscopi & Martyris, qui Moysi locum auspicato replens, ad Dei beneplacitum illam Ecclesiam rexit, ínque populi sibi crediti perturbatione ab impiis excitata, magnis laborum contentionibus ad eum confirmandum perfunctus, tandem pro fide ipsa & Ecclesiæ sibi commissæ tutela, insigni dimicatione Pontificatum absoluit, destinatáque à Rege gloriæ, strenuis pietatis pugilibus præmia cumulatè adeptus est. *S. Martinus.* Ipso die, Brilæ in Zelandia natalis plurimorum sacerdotum & ascetarum ab hæreticis Caluinistis pro fidei orthodoxæ ineluctabili assertione occisorum: Quorum felicitatem quam agone compararunt adeo gloriosè, diuinæ virtutis magnalia quæ ad tumulum eorum refulsêre affatim patefecerunt. *Martyres Brilani.* Augustoduni Æduorum sancti RETHICII Episcopi & Confessoris, doctrina, moribus, & Sanctorum Patrum elogiis clarissimi, quem sanctus Augustinus *hominem Dei, Episcopúmque magnæ in Ecclesia auctoritatis* commemorat, sanctus Hieronymus *celeberrimæ famæ* fuisse in Galliis habitum prædicat; *virum eloquentem, scripturæ sacræ laudat egregium explanatorem,* intérque Ecclesiasticos scriptores insigni cum præconio annumerat: necnon *beatitudinis* adhuc viuentem titulo cohonestans, commentaria eius, quæ *Rethicius.*

ſublimiori ſenſu ſcripta ait, ſuis clientibus ſuadet peruoluenda. Hic certè beatus Antiſtes tertius in Epiſcopali cathedra huius Eccleſiæ ſedit: iiſque temporibus præfuit quibus doctrina ſua & ſanctitate admirabili non Galliæ modò, ſed & vniuerſo orbi Chriſtiano plurimùm profuit, ſtrenuus aſſertor pietatis, vindex fidei, hæreſeωn malleus, clarum ſidus religionis emicuit. Idémque ob integritatis & ſapientiæ famam, iudex inter alios primariæ notæ Antiſtes in cauſa Cæciliani & Donatiſtarum ſedit: Romámque ſemel & iterum ad ſedem Apoſtolicam perrexit, profligandi ipſorum Donatiſtarum, qui & Montenſes dicti ſunt ſchiſmatis ſtudio. Demúmque vberrimis iuſtitiæ collectis manipulis, vt repoſitam reciperet à paſtorum principe fidelis ſeruus coronam, carne exutus ſpiritum miris ornatum
HILDEGRIMVS. meritis in cœlum emiſit. Eodem die tranſlatio S. HILDEGRIMI ex Catalaunenſi Epiſcopo primus Halberſtadienſis à Lu-
RVSTICVS. douico pio conſtituti. Lugduni ſancti RVSTICI Preſbyteri & Confeſſoris, viri ſacerdotalibus inſigniis conſpicui. Diuione
VARNERIVS. depoſitio ſancti VARNERII Epiſcopi Lingonenſis & Confeſſoris, ſanctis actibus præclari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Henricus. OBIIT feliciter hac die HENRICVS piæ memoriæ Abbas trigeſimus Ciſtercienſis, verus Dei amator, mundi contemptor, virtutum ſedulus ope-
Gumarus. rator. Item Claræuallis, metam attigit humanæ peregrinationis GVMARVS Rex Sardiniæ, qui Chriſti amore ſceptra dimittens, in humilitate ſpiritus & ſanctitate vitæ diuinæ Maieſtati famulando ad extremum vſque perſtitit: multiſque virtutibus locuples, ac ſupernis etiam viſionibus illuſtris ad regni æterni euolauit, gaudium. Eodem die in cœnobio Flinenſi agri Attrebatenſis ſan-
Margarita vidua. cto fine quieuit MARGARITA vidua Theodorici Beueræ Dynaſtæ, ex regio Cypri ſanguine orta: quæ poſt viri obitum ſeſe totam Chriſti obſequio conſecrauit, monaſticóque velamine eo in conuentu aſſumpto, admirandæ ſanctitatis ſigna edidit.

Decimo tertio Kalend. Auguſti. Luna

20 E VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
12	13	14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24

SS. MARGARITA Virgo & Martyr. NATALIS ſanctæ MARGARITÆ Virginis & Martyris, quæ Olybrij Præfecti iuſſu in Diocletiani perſecutione, Antiochiæ diris variiſque tormentis excruciata, victoriæ nobilis palmam hodie retulit. Huius Chriſti glorioſæ

athletæ delata in Gallias ex Antiochia, quando à Francis capta est, aliquot sacra pignora, cultum eius in nonnullas regni Christianissimi Ecclesias inuexerunt. Maximè verò natalis eius celebris est Lutetiæ Parisiorum in suburbana sancti Germani Pratensis æde cœnobitica; vbi beatissimæ ipsius Virginis veneranda Zona, pudicitiæ insigne, magno honore seruatur, hodiéque deuotis supplicibus exosculanda exhibetur, non sine diuinæ munificentiæ testificatione. Bruxellæ etiam egregiè colitur hæc virgo, ob eius caluariam asseruatam in suburbana Ecclesia Anderlacensi, collegio Canonicorum insigni. Ipso die in Aquitania Natalis sancti CLARI Martyris: ibidem pro Christianæ pietatis propugnatione trucidati sub Galieni imperio. Eodem die depositio sancti HILDEGRINI Episcopi & Confessoris, sancti Lutgerij Monasteriensis Antistitis germani. Qui sæculo suo magnum decus, vitæ castissimæ moribus & Episcopalis vigilantiæ præstantia fuit. Vnde primùm Cathalauni cùm aliquandiù sedisset Episcopus ingenti cum omnis virtutis celebritate: à Carolo Magno, hinc in Germaniam adductus, & Halberstadiensis nouæ ab eo fundatæ Cathedralis Ecclesiæ constitutus Pontifex, sedis huius primordia sanctissimè exacti diuini muneris fulgoribus maximè illustrauit: ac tandem Gerdenæ in cœnobio quod frater suus beatus construxerat apud ipsum felici exitu conquieuit: eadémque sanctitatis qua ipsemet gloria, & memoriæ beatæ cultu ibidem clarificatus est. Vltraiecti depositio sancti BERNVLPHI Episcopi & Confessoris, viri diuini cultus amplificandi admodum studiosi, atque Pontificiæ virtutis perfectæ exemplaris: qui cùm viuens maxima pietatis insignia edidisset, tum eximiæ conuersationis actibus, tum sacrorum ædificiorum magnifica excitatione: defunctus etiam miraculis emicuit copiosis, ob quæ è tumulo leuatus, atque in choro Ecclesiæ sancti Petri quam extruxit collocatus, deuotæ plebis quam præsidiis perpetuis iuuat continua frequentatione religiosè honoratur. Boloniæ sub Metropoli Remorum depositio sancti VVLMARI Abbatis. Hic ex villa Siluiaco non procul ab ipsomet oppido Boloniensi oriundus, in primo iuuentutis flore implicitus sæculi affectibus: vxorem propter speciem duxit, quam cùm nimio amore prosequeretur, à viro priori cui nescierat coniunctam in iudicio repetitam sibíque abstractam cùm doleret grauissimè, hoc affectus ludibrio mundi contemptum concepit: monasteriúmque Altimontis petiit in pago Hanoniensi

CLARVS. HILDEGRINVS. BERNVLPHVS. VVLMARVS.

ad Sambram fluuium situm, tum monasticis institutis celeberrimum: in quo susceptus, vilibus quibusque officiis deputatus est, quæ magna humilitate exsoluit. Attamen inter quotidiana ministeria animum non mediocriter excoluit studiis literarum. Quamobrem ab Abbate priori ministerio absolutus, cleróque adscriptus: non tamen demissiora officia deseruit, ne ab humilitatis quam imprimis colebat exercitio decideret. Deinde inuitè ad sacerdotium euectus præcepto Abbatis, qui virtutem diuinam qua præpollebat nouis in dies honoribus decorare contendebat: vir Dei ruinam ex delato honore pertimescens, relicto monasterio eremum petiit, vastam syluam Casleto non longè distantem errabundus peragrauit, ibíque demum cauam conspicatus arborem domicilium constituit, triduo cibi omnis potúsque expers eo in latibulo delitescens, at animum interim explens cœlestibus epulis. Porro qui Eliam in solitudine pauerat cœlestis pater curam Vulmari non omisit. Monitus est enim vir quispiam pius diuinitus, vt seruo Dei latenti alimoniam suppeditaret. Vulmarus de allata annona gratias egit: Christíque hac paternà prouidentia exhilaratus, omnibus abiectis curis, solitariæ vitæ institutum in eius obsequio ad extremum vsque vitæ propagare decreuit: illícque, in fundo pij illius viri qui victum ei diuino iussu præbebat, rogatu eiusdem modicum extruxit cœnobium. Sed innotescente iam circumquaque tantæ sanctitatis gloria: cùm multi certatim ad eum confluerent, ille rursus elationis animi periculum metuens, ad pagum Boloniensem se clam recepit, & in sylua quæ hæreditario iure ad ipsum spectabat Ecclesiam construxit Virgini matri sacratam. Hic à fratre Vvalmaro agnitus, matrémque senem vt inuiseret in domo paterna degentem requisitus, Euangelicæ perfectionis memor, postulatis eius annuere recusauit. Mater tamen audita filij sanctissima institutione, plurimum lætata, ad eius & eorum qui Christo cum ipso seruiebant victum, cibaria frequenter transmittebat. Creuit igitur circa eum, sacræ militiæ ineundæ cupidus sexûs vtriusque cœtus. Quos ille benignè suscipiens, nectare diuini amoris inebriabat: semota tamen habitatione virorum, à mansiunculis mulierum quibus sanctissimæ conuersationis Virginem Bertrauam Abbatissam neptem suam præfecit: Ipse verò pastor monachorum, ab vtroque ouili lupum vigili admodum arcebat custodia. Interim Rex Saxonum Occidentalium Ceduala adhuc Catechumenus, audita Vulmari sanctitate & studio admirabili quod in animarum

ſalutem aſſiduè impendebat, è Britannia ad eum venit, ſalutis documenta percepturus, à quo egregiè edoctus, & Romam ad baptiſmi gratiam ſub Apoſtolorum auſpiciis recipiendam miſſus, cùm in regnum rediiſſet, ea ſe pietate cætero vitæ decurſu geſſit, vt Vulmari diuinis inſtructionibus, viuæ fidei actibus præclarè ſatisfaceret. Cæterùm Vulmarus cum hoſte humani generis ſæpiùs conflixit, cuius inſidias varias diróſque ſuprà modum impetus, ingenti quà fide, quà virtute ſuperauit. Tandem verò multo grauatus ſenio ita è vita exceſſit, vt corpus admirandis ornatum miraculis, quæ apud illius tumulum coruſcant relinqueret. Treuiris ſanctæ SEVERÆ Virginis ſororis ſancti Modoaldi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, necnon ſancti Symphoriani Abbatiſſæ: quæ omnibus virginalibus virtutibus exculta, Chriſti ſponſi quem vnicè coluit deſiderio exardeſcens, cœleſtes ad nuptias lætabunda properauit. Raptus ELIÆ Prophetæ ordinis Carmelitarum inſtitutoris, hac die ſolennis eſt in ipſo vniuerſo ordine. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Severa.

Elias.

PIISSIME hodie ad Chriſtum migrauit ROBERTVS Rex Galliæ Chriſtianiſſimus, quem ob raræ qua præpolluit ſapientiæ dotes, *Regem doctiſſimum* Patres Concilij Lemouicenſis nuncupauerunt: piiſſimum verò & ſcientiæ Sanctorum peritiſſimum, religioſa quæ Eccleſiæ conſcripſit carmina, adhuc in ſacris frequentata declarârunt. Miracula verò quæ dum viueret edidit, vt iam præſignârunt beatitudinis candidatum; ita vitæ ſanctiſſimæ acta præclara, æquè perſuadent, cœli ciuibus à morte adlectum: quorum albo meritiſſimè adſeribendum, duo præcipui S. R. E. Cardinales ac propugnatores, Baronius ac Bellarminus, graui ſua admonitione ſuggeſſerunt. Obiit item feliciter diem ſupremum MARCELLINVS piæ memoriæ Monachus Claræuallenſis, ſancti Bernardi egregius diſcipulus. Ad ſupernas quoque tranſiit ſedes beata GENTA Abbatiſſa Vallis Floridæ in Brabantia: cuius ad teſtandam ſanctitatem, triduo antequam moreretur, viſus eſt globus lucidiſſimi ſplendoris ante feneſtram eius refulgens. Item in Siluæ benedictæ aſceterio diœceſis Anicienſis, puram efflauit animam MARGARITA Virgo Sanctimonialis, virtutum decore & miraculorum etiam ſplendore præclara. Ad beatarum itidem Virginum pertexit conſortium hac die beata MARGARITA cognominata IPRENSIS Virgo ſancti Dominici alumnis ſub tertij ordinis claſſe adſcripta, tantáque puritate nitens, vt beatum Segemum Iprenſem, qui illi fuit à Confeſſionibus: ſuæ immaculatæ mentis candore, in admirationem perſæpe induxerit: panegyriſtam verò ſuum Thomam Cantipratenſem, meritorum dignitate, obſtupefecerit: quibus exquiſitam quamque ſupergreſſa eſt, commendationem.

Robertus.

Marcellinus.

Genta.

Margarita.

Margarita Iprenſis.

Duodecimo Kalend. Augusti. Luna

21																F VI.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25			

SS. VICTOR eiúſque ſocij. ALEXANDER, FELICIANVS, LONGINVS, DEVTHERIVS.

MASSILIÆ triumphus ſancti VICTORIS Martyris, & ſociorum eius quatuor, ALEXANDRI, FELICIANI, LONGINI, & DEVTHERII, qui ſtrenui reuera milites fortiſſimè pro fide Chriſtique ſummi Regis gloria dimicando, coronas immarceſſibilis honoris furente Maximiano receperunt. Horum Coryphæus Victor, iam ipſius nominis omine auſpicato triumphans, cùm nec ſub impio duce militare, nec profana vellet numina venerari, primò in tenebricoſum carcerem coniectus, ibíque ab Angelo viſitatus, deinde variis cruciamentis impetitus, nouiſſimè verò nouo atrocíque addictus ſupplicio, in mola contritus piſtoria, illuſtriſſimum martyrium peregit. Cuius exemplo animati reliqui quatuor, ſpreto, ac ſuperato omni cruciatu, datis fidei ſuæ egregiis teſtimoniis, eiuſdem gloriæ participationem adepti ſunt. Eodem die Auguſtæ Trecarum natalis ſanctæ IVLIÆ Virginis & Martyris, quæ eiuſdem ciuitatis oriunda, non minùs puriſſimæ religionis ſtudiis ac moribus caſtiſſimis, quam rara corporis forma præcelluit. Quibus nominibus à Claudio copiarum militarium duce primùm in coniugium expetita: magna virtutis & fidei imprimis efficacia, eum ipſum cum nonnullis eius commilitonibus à nefando dæmonum cultu, ad Chriſti Seruatoris agnitionem & obſequium pertraxit: ſicque & virginitatis ſuæ decus, quam Domino ſacrauerat, illibatum ſeruauit, & à perditionis via ereptum ſuum procum, Chriſti effecit ſeruum, atque in veræ felicitatis tramitem prouexit. Cuius rei ſerie comperta Aurelianus Imperator, ſuccenſus furore in Virginem, fidei in aſſeueratione Chriſtique præconio magnanimiter perſeuerantem, iuſſit illam extra vrbis mœnia decollari. Cúmque nec CLAVDIVM abducere potuiſſet à ſententia: quem videbat ipſo Virginis Martyrio factum in tuenda Chriſtiana pietate firmiorem, Ipſum vnà cum VIGINTI ALIIS qui ſalutaribus Virginis monitis baptiſma ſuſceperant, ſecuri quoque plecti eodem loco mandauit: vbi datis fortiter ceruicibus extremum Chriſto teſtimonium omnes vnanimi confeſſione reddiderunt. Ex hoc nobili agmine,

IVLIA.

CLAVDIVS Martyr.

VIGINTIQVE SOCII: ex quibus nomine clari tredecim duntaxat cenſentur.

tredecim athletarum duntaxat nomina fuêre monimentis prodita: nempe TERNI, ANTONII, HERENII, THEODORI, DIONYSII, APOLLONII, PIONICI, CVSTIONIS, PAPYRÆ, SATVRII, IVSTÆ, IVCVNDÆ, APAMIÆ: cæterorum verò vocabula quæ à memoria hominum excidêre, in libro Dei & Agni fulgent æternùm consignata. Obseruatur verò magna veneratione corpus S. Iuliæ, cum capite S. Claudij in sacrario inclyti monasterij Iotrensis in agro Meldensi, ad quod è Tricissina vrbe pridem translatum fuit, non sine diuinæ virtutis & gratiæ insigniis. Eodem die depositio sancti ARBOGASTI Episcopi Argentoratensis: qui ortu Aquitanus sancto Amando comprouinciali suo ea in sede successit: cùm enim obitu ipsius beati Amandi vacua Præsule hæc ciuitas, quæ nuper Christi sacra susceperat: superstitionibus adhuc variis & vitiis subiaceret: Dagobertus Rex idoneum pastorem vt eidem prouideret, Arbogastum in nemore prope locum vbi Haganoa iam sita visitur, degentem, Deóque in oratorio quod ibi fixerat ieiuniis & precibus profuso animo seruientem, ea ex statione abstractum ob doctrinæ & sanctitatis quæ de eo percrebruerat famam, miraculorúmque gloriam quæ edebat, iussit huic Cathedræ præfici iam senem, præcepto ad ciues directo vt hunc doctorem audirent, eiúsque voci tanquam tubæ diuinæ obtemperarent. Dici non potest quanta animarum lucra Christo perdignus hic Antistes pepererit, cùm & sanctissimis moribus doctrinam quam prædicabat salutarem commendaret, miraculísque etiam confirmaret innumeris. Immundos enim spiritus expellebat, sanabat ægrotos; mortuos etiam suscitabat. Quo in genere illud præ cæteris memorabile edidit, vt Sigebertum Dagoberti ipsius Regis filium ab apro occisum in venatione, fusa oratione ad vitam reuocaret. Tantáque insuper gratia ad corda illuminanda præualuit, vt verbo Dei perturbatas conscientias recrearet, & qui tristes ad eum accesserant, hilares ex piis solatiis quæ iis præbebat remitteret. Deinde tandem cùm Christi regnum egregius Pontifex magnificè propagasset: tot Sanctorum laborum laude cumulatus, abiit ad præmium. Moriens verò vir humilitatis amicus, studiosúsque Domini imitator iussit se iuxta patibulum sepeliri, cùm vt fastum eorum suo exemplo reprimeret, qui intra sacra ipsa templorum adyta ambiunt ad pompam tumulari: tum maximè vt Christi Seruatoris sortem imitaretur, qui extra Hierosolymam in loco sceleratorum vbi crucifixus fuerat, ad complementum humilitatis & exinanitionis suæ voluit sepeliri. Tamen vt sepulchrum

Videlicet, TERNVS, ANTONIVS, HERENIVS, THEODORVS, DIONYSIVS, APOLLONIVS, PIONICVS, CVSTIO, PAPYRA, SATVRIVS, IVSTA, IVCVNDA, APAMIA.

ARBOGASTVS.

Christi iam inde extitit ipsa ex sua ignobilitate gloriosum: sic fidelis serui sui Dominus voluit tumulum honorari: micantibus enim subinde illic miraculis, monasterium ædificatum est cum templo nobili, nomine glorioso tanti Confessoris insignitum.

SERENEDVS. In agro Cœnomanico depositio sancti SERENEDI Confessoris mirifici: qui apud vicum Salinam, in cellula se recludens, vigiliarum, orationúmque assiduis obsequiis Deo complacere instituit, pérque vitam actiuam ad contemplatiuam euectus, munditia cordis egregia præstans, diuinis colloquiis, Angelorúmque etiam amico commercio frui promeruit: qui Deo grata eius officia, præparatáque piis operibus præmia reuelabant. Raptibus frequenter ad superna pertractus mira plurima vidit, quæ mortalis hominis captum quantum cœlestia terrenis præstant longè exuperant: diuinóque irradiatus lumine, sic purissimæ mentis acie abdita cordium penetrauit, vt facta non modò quorumcumque cognosceret: sed cogitationes etiam deprehenderet: Insuper singulorum qui gratia ornati erant propria discerneret merita. His cùm promicaret luminibus, ad eum religiosorum virorum tanquam ad magistrum sanctitatis & probatum Dei amicum turba numerosa confluxit, quos benignè complexus, excellentissimam diuinæ Maiestati obsequendi edocuit Theoriam. Multi etenim ad eum temporalia subsidia conferebant: quæ vir diuinus ne deuotionem eorum contemnere videretur, cum gratiarum actione recipiens, continuò in pauperum solatia rependebat. Cuius pietatis fœnora, Deus misericordiæ & totius consolationis pater, miraculi insignis beneficio compensauit. Cùm enim clauso ob hominum scelera æthere, pluuia deficeret: tantáque hinc messis immineret sterilitas, vt immensa fame tota circumquaque regio vastaretur: orante seruo Dei Serenedo vt quondam ad Eliæ preces, reserato cœlo, copiosi imbres defluxerunt, quibus terra madefacta vbertatis copiosæ benedictionem recepit. At cùm subinde ingens successisset mortalitas: insupérque incursibus hostium tota prouincia quateretur: tantis ingruentibus malis, Clerus & populus Cœnomanicus, Episcopum adierunt, eiusdem consilium super tot calamitatibus inquirentes. Is censuit diuinum auxilium piis operibus expetendum. Indicto igitur cum missarum sacrificiis, Litaniarum triduano ieiunio: postrema denique die cœleste innotuit responsum religioso viro super his afflictionibus Domino supplicanti. Flagella eiusmodi à Deo irato immissa, nonnisi Serenedi eius fidelis serui (cuius merita immensa erant) deprecatione, auerruncari

posse. Vnde concursu ad eum facto opem poscentium, vir Dei pro populo in cilicio & cinere preces fundens, iram superni Regis grata sua intercessione placauit, pacémque & sospitatem communem impetrauit. Alia longè maxima edidit stupenda: quæ antiqua Apostolorum & Prophetarum facta ferè exæquabant; Ad quorum desideratum consortium tandem vir immaculatus, emenso feliciter huius vitæ decursu, pro strenui famulatus quem Domino iugiter persoluit remuneratione, sanctissimo excessu profectus est. Eodem die in Cellensi monasterio seu Cella sancti Gisleni in Hannonia translatio sancti SVLPITII Baionensis in Nouempopulana Episcopi, & sanctæ LEOCADIÆ Virginis & Martyris Toletanæ, cuius triumphalis dies in Catholicæ Ecclesiæ diptychis nitet recolendus 5. Idus Decembris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* Svlpitivs. Leocadia.

F. RAYMVNDVS de Plano ordinis Prædicatorum, ab hæreticis in Prouincia Tolosana comprehensus, cùm in fide Catholica quam egregiè prædicauerat perseueraret, erutis oculis, & eidem in cibum datis, tandem dirè necatus est. Diem extremum feliciter compleuit piæ memoriæ BENEDICTVS Monachus Clarævallensis: non sine magna sanctitatis opinione. *Raymundus.* *Benedictus.*

Vndecimo Kalend. Augusti. Luna

22 G v.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s	
27	28	29	30.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P				
14	15	16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26				

APVD Massiliam transitus ad cœlos gloriosus beatissimæ pœnitentis MARIÆ MAGDALENÆ Christo dilectæ, Apostolis coæquandæ: quæ in dispersione discipulorum, quæ post sancti Stephani necem contigit, Hierosolymis à Iudæis pulsa cum fratre Lazaro, necnon Maximino Christi discipulo, ac Martha sorore & Marcella pedissequa, nauíque absque remigio in certum periculum imposita, Phocensem in prouinciam deducta diuino auxilio, Massiliam appulit. Quo cognito miraculo, Euangelica quoque succedente præfatorum prædicatione, primùm Massilienses, mox Aquenses, ac finitimæ gentes cùm in Christum credidissent, Lazarus Massiliensium, Maximinus Aquensium Episcopus creatus est. Martha quoque Massiliæ degens, mirabili sanctitate & charitate ciuium omnium animos in sui amorem ac admirationem adduxit: atque in remoto à virorum frequentatione loco, piarum fœminarum collecto cœ- SS. Maria Magdalena.

tu, iis præceptæ pietatis & exempla præbuit, donec demum felicem vitæ attigit metam. At verò Magdalena assueta orationi & pedibus Domini, vt optima parte cœlestis contemplandæ beatitudinis quam elegerat frueretur, in vastam præcelsi montis (qui in altitudinem passuum trium ferè millium assurgit) speluncam se contulit, vbi triginta annos vixit, ab omni hominum consuetudine disiuncta. Vnde & quotidie per id tempus ad audiendas cœlestium laudes in altum ab Angelis deferebatur. Demúmque vt pleno tanti amoris quo in Christum feruebat desiderio, potiretur, è monte hoc ad supernam cœli arcem felicissimo efflatu purissimi spiritus euolauit: diuinæque magnificentiæ coruscationibus in tumulo clarificata est: vt mirabilia quæ in vtraque eius translatione refulserunt, & insignia adoranda, quæ adhuc in eius reliquiis nitent, etiamnum testantur.

COLVMBA. Apud Senones consecratio basilicæ sanctæ COLVMBÆ Virginis celebrata à Venilone Archiepiscopo, qui sanctæ ipsius Martyris ossa reserata in honorificentiori loculo collocauit: necnon veneranda pignora sancti Lupi Archiepiscopi & Confessoris, quæ è stillicidio, sub quo humata fuerant, intra basilicam ipsam decentiori situ condita reposuit.

VVANDREGESILVS. In Normania depositio sancti VVANDREGESILI primi fundatoris cœnobij Fontanellensis in agro Rotomagensi eiusdémque Abbatis, & Confessoris gloriosi. Is è Virdunensi tractu, stirpe adeo nobili quæ ad Francorum Regum prosapiam attinebat ortus, sancti Arnulphi pronepos, primùm sub Dagoberto Rege, Comes Palatij fuit: deinde cum sponsa sua in castitatem consentiens in aliquot monasteriis sanctissimè vixit. A quo instituto, Rex vt eum reuocaret, Procerum suggestionibus excitatus, ipsum accersiuit: Nihílque non egit quo ad pristinum tramitem aulicæ vitæ repetendum induceret. Sed vir beatus qui in ipso Palatij aditu, misericordiæ in pauperem egregio præstito facinore, Angelicum præsidium promeruerat, diuina fretus gratia facilè hos laqueos, declinauit: Regiáque auctoritate securus in Elisgangium commigrauit territorium, vbi monasterium propria in possessione cônstruxit: quod deinde maximarum virtutum fulgoribus reddidit celeberrimum. Ibi namque vigiliis, ieiuniis & orationibus viriliter insistens clarissimos de hoste retulit triumphos: Inediæ adeo patiens, vt tota hebdomada exceptis prima & quinta Sabbati, in cibum potúmve nihil admitteret. Dehinc Angelico monitu Bobiense monasterium, ad explorandam arctioris vitæ semitam lustrauit: reuersúsque suis tradidit alumnis hanc Philosophiæ Christianæ theoriam. Denique Roto-

magum veniens excitus fama prædicatione, ſanctitate Audoëni beatiſſimi Epiſcopi, eiuſdem iuſſu à ſancto Audomaro Preſbyter conſecratus, Fontanellam cœnobium longè poſtea famoſiſsimum condidit, in quo trecentos haud infima conditione congregauit diſcipulos. Interea Betto quidam cuſtos regij ſaltus, qui loco illo in quo fratres manibus victui neceſſaria comparabant cedere compulſus fuerat, liuore correptus, viro Dei lancea ad necem inferendam parata occurrit: ſed mox vltio diuina dexteram eius labefactans, ipſummet eliſum à dæmone in terram ſtrauit: quem vir ſanctus prolixis tandem erexit precibus, ſanúmque ad propria remiſit. Aliis præterea miraculis extitit admodum reuerendus: ſed nulla maior illius laus, quàm quod incredibilem populi multitudinem, à nefaria Idolorum ſuperſtitione ad Chriſti agnitionem & cultum abductum, in viam iuſtitiæ direxerit & ſemitas ſalutis. Inter quos maximè Caletorum veris ſacris moribúſque puris imbuit populos: quorum pars etſi iam Chriſti nominis charactere inſignita fuerat, laruam tamen potiùs quàm formam Chriſtianæ diſciplinæ ſolitam præferebat. Hos enim vir diuinus à mentis cæcitate & inſanientis animi temeritate ad tantam vitæ moderationem & purum adeo religionis adduxit cultum, vt in iis cœleſtis quædam reſpublica diuinis operibus florentiſſima cerneretur. Nec minor illi cura vt afflictos & pauperes & conſilio & opibus ſubleuaret, & ſe ſuáque omnia cum inopia preſſis communicaret. His virtutum inſignibus egregiè clarus, ſextum & nonageſimum impleuit annum, tandémque vltima ægritudine correptus, cùm iam glorioſum beatæ conſummationis inſtaret tempus, cœleſti munitus viatico animam Chriſto reddidit. Corpus eius in Eccleſia ſancti Pauli Apoſtoli ab eo conſtructa fuit honorificè conditum, vbi annis quadraginta admirandis virtutum ſignis clarum requieuit. Poſtea verò Baino Epiſcopus Taruanenſis & Abbas Fontanellæ, reſerato monimento, non modò corpus, ſed & veſtimenta quibus inuolutum erat ita ab omni corruptione integra reperit, ac ſi eodem plane die tumulatum fuiſſet: quod cum multorum gaudio & lachrymis in beati Petri ſacellum tranſtulit. At deinde propter Normanorum perſecutionem Boloniam tranſlatum, & inde Gandauum cum Auſberti Rotomagenſis & Vulfranni Senonenſis Archiepiſcoporum beatorum lipſanis, in Blandinienſi collocatum iacet ſacrario. Veſontione Sequanorum Metropoli commemoratio trium Sanctorum Pontificum HILARII, PANCHARII & IVSTI, qui vice quoque ſua huic Eccleſiæ

HILARIVS, PANCHARIVS & IVSTVS.

præſidentes illam non minus ſanctimoniæ ſingularis exemplis, quàm ſacræ ſtructuræ incrementis admodum promouerunt. Sícque ad Dei beneplacitum egregiè Epiſcopatu adminiſtrato, felicis diſpenſationis promeruerunt præmia. In territorio Aruernenſi natalis ſancti MENELÆI Martyris, pietatis certamine glorioſi. Eodem die in ſuburbio Pariſienſi Pratenſi cœnobio tranſlatio & repoſitio ſancti GERMANI inclyti Pariſiacæ vrbis Epiſcopi & Confeſſoris: facta in præſentia Pipini Regis & filiorum eius Caroli & Carlomanni per Lambertum Abbatem Pratenſem, iuxta ſupernam reuelationem, qua Sanctus ipſe Pontifex eidem apparens commonuerat vt ſacratiſſima ſua membra de oratione ſancti Symphoriani Martyris, in quo ducentis circiter vel eo amplius annis iacuerat, intra maioris Eccleſiæ aulam transferret: quod magna celebritate peractum eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Menelævs. Germanvs.

Godefridus. A morte ad vitam perrexit hodie beatus GODEFRIDVS, Epiſcopus Lingonenſis: qui primus fuit Abbas Fontiſaeuti: ſcriptórque non modò ſincerus trium librorum poſtremorum vitæ ſancti Bernardi, ſed & actuum eius imitator ſtrenuus: qui cùm toto animo ſæculi honores auerſaretur, rebus diuinis impensè deditus, aſſiduitate orationis, obedientia, ieiuniorum frequentia, ac vigiliarum tolerantia præſtans: ad Epiſcopatum Lingonenſem magna omnium efflagitatione euocatus cùm eſſet: adeo rigidè delatum præſulatum recuſauit, vt nonniſi ſummi Pontificis auctoritate & ſancti Bernardi monitis ſe ad hunc promoueri aſſentiretur. Hácque ſubuectus cathedra, eos exeruit Apoſtolicæ virtutis fulgores, vt Gallicanæ Eccleſiæ præcipuum decus ſuo æuo indiderit. Schiſmati exſcindendo plurimam contulit operam: cúmque Ludouico Rege VII. cognomento Iuniore in expeditione Hieroſolymitana profectus, munere Legati Sedis Apoſtolicæ iis in partibus ſumma cum laude functus eſt. Regreſſus autem ab Alexandro Papa facultate abdicandi Epiſcopatus ſumma difficultate impetrata, iterum ad Claram-Vallem ſe contulit: Vbi priſcum religioſæ vitæ tramitem repetens, ingentia meritorum pepetit incrementa. Atque ſic in egregia pietate conſummatus, ſancto fine obdormiuit in Domino: Sexto Idus Nouembris anno ſalutis 1195. Qua tamen die non claret nomen eius colendum in ordinis eius tabulis: ſed hac qua conſignamus eius venerandam memoriam. Colitur enim hodie inter beatos cœlites huius ordinis: quinimo & ab Eccleſia Catholica, peculiari obſeruantiæ conſecrata eius recordatio aſſeritur.

Decimo

Decimo Kalend. Augusti. Luna.

23 A IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	29			

DVROCORTI Remorum tranſlatio ſancti NICASII Epiſcopi & Martyris: cuius triumphalis corona colitur ab Eccleſia quotannis condigno honore die decima-quarta Decembris: quo die egregius Chriſti Pontifex ſua in Eccleſia à perfidis VVandalis cum ſorore ſua Eutropia ſanctiſſima Virgine necatus fuit. Iſto verò die à Fulcone Archipræſule pretioſa amborum cadauera, ex Eccleſia ſancti Agricolæ, vbi ſuprà annos 490. quieuerant, ad baſilicam matricem ſanctiſſimæ Deiparæ trauſuecta: inque hierothecis argenteis auro illitis condecenti honore repoſita ſunt, vbi hactenus conſeruantur. Eodem die Natalis ſancti APOLLINARIS Epiſcopi Rauennatenſis, ſanctíque Petri diſcipuli, ac Martyris glorioſi: cuius caput in Gallias delatum, Oſonij prope Inſulam in Flandria, in loci huius aſcetarum æde cœnobitica habetur & colitur frequenti piæ plebis deuotione. Cœnomanis depoſitio ſancti LIBORII Epiſcopi & Confeſſoris, cuius vita fuit cunctis, cœleſtis conuerſationis indicium, Chriſtianæ religionis exemplum, virtutis ac fidei documentum. Hic ex Celticæ Galliæ prima nobilitate ortum ducens, ab ætate primæua, qualis futurus eſſet egregia ſpecimina prodidit. Ab illecebris voluptatum prorſus auerſus, nihil leuitati indulſit: adeò ſe humilem & quietum præbens, & ſermones Domini trementem, vt Spiritus ſancti gratiâ iam abundè perfuſus, omníque benedictione diuina præuentus, meritò crederetur; hócque nomine ab omnibus bonis haberetur charus. Ingenti ardore diſcendi diuinæ ſcientiæ theoremata incenſus fuit: Deo ſic prouidente vt priùs diſceret, quod populum fidelem foret non modò verbis, ſed rebus ipſis edocturus. In Clerum igitur meritis iam promicantibus cooptatus, ampliùs ſe diuino cultui mancipauit: formámque ſe præbuit ad quam, qui diuinæ militiæ adſcribuntur, ſeſe vndequaque componerent. Hoc vir ſanctus potiſſimum poſt Dei timorem obſeruabat, vt nihil pœnitendum appeteret: nihil quod Deo gratum erat curare prætermitte-

SS. NICASIVS. APOLLINARIS. LIBORIVS.

ret. Omnis enim animi eius meditatio à rebus vanis & caducis remota, circa salutem animæ ac statum vitæ futuræ versabatur. His cùm rutilaret insigniis, sanctus Panacius Episcopus Cenomanensis feliciter salutis ministerio perfunctus ex carne decessit: nec diuturna fuit disquisitio, quis in eius locum subrogandus foret. Omnium calculo, qui omnium iam præsensione dignissimus pontificatu erat, Liborius eligitur. Cuius mores optimos quod in cæteris euenire solet, tantum abest vt delatus honor mutauerit: quin potiùs reddidit magis admirabiles. Suscepto enim sacerdotio nihil ex studio sanctitatis quam priùs exercuerat remisit, sed tanquam lucerna super candelabrum posita, ita diuina luce emicuit repletus, vt quo in eminentiori esset positus loco, eo latiùs in Dei collatæ sibi gratiæ munere refulgeret. Vitam doctrinâ ornauit, doctrinam vita informauit, assiduis monitis & exemplis instruxit plebem, multósque à vitiis & erroribus felici annisu reuocauit. Cultus super omnia diuini promouendi fuit beatus hic Antistes studiosus: cuius zeli præclara monimenta edidit. Septemdecim siquidem construxit Ecclesias: oratoria noua excitauit perplura. Nec vlla fuit Ecclesia in terminatione sua, in qua diuina officia quotidie celebrari non prouiderit. Luminaria in iis semper ardere, ad diuinæ Maiestatis testandam in ipsis locis sacris præsentiam constituit. Perstitit in Episcopatu vir Dei annos quadraginta & nouem, in quibus fecisse legitur ordinationes nonaginta & sex: consecrasse verò Presbyteros ducentos septemdecim: Diaconos centum septuaginta sex, Subdiaconos nonaginta tres: reliquorum verò graduum ministros eô numerô, quo sacris officiis congruo cum decore obeundis opus esset. Cùm autem Domino complacuit vilicum fidelem ad præmium ex tam diuturno labore euocare: anno quinquagesimo Episcopatus, eum corporis molestia ita fatigari permisit, vt is adesse diem exitus sui non dubitaret. Quem ægrotantem, iámque in extremis positum sanctus Martinus Turonensis Pontifex, diuino monitu visitauit: suauíque habito de rebus diuinis & Ecclesiasticis colloquio, placido fine consummatum, honorificis prosecutus est exequiis. Sepultus est autem ab ipso Martino beatus Liborius extra vrbem, in basilica Apostolorum, quam eorum construxit discipulus S. Iulianus primus Cœnomanorum Hierarcha; diuinæque gloriæ admirandis signis, cuius gratiæ charismatibus viuens præfulserat, in tumulo magnificatus est: quæ in transla-

tione eius suprà consignata, nouo accensa splendore adhuc impensius refulserunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

RVREMVNDÆ in Geldria sub Archiepiscopatu Macliuiensi Martyrium VIGINTI TRIVM SACERDOTVM (ex quibus duodecim fuerunt Carthusiani, duo Franciscani, tres Canonici regulares, & reliqui seculares, vt nuncupant, Presbyteri) ab hæreticis hagiomachis crudeliter occisorum. Fine pio quieuit IACOBVS conuersus Villariensis, solitudinis cultor, virtutúmque eximius operarius: quem Ascetæ huius famosi cœnobij, inter beatos domus suæ alumnos computant & venerantur.

Viginti tres Sacerdotes Martyres.

Jacobus.

Nono Kalend. Augusti. Luna

24 B iii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28			

TRANSLATIO sanctæ CHRISTINÆ Virginis & Martyris, cuius palma, quam Tyri in Tuscia retulit insigni admodum agone, quarto Idus Maij (quo die triumphum egit) ab Ecclesia honoratur. Corpus verò inde Venetias delatum: hinc Beueriam prope Bethuniam in Flandria aduectum: ea in præpositura condigno cultu obseruatur. Senonis sancti VRSINI Episcopi & Confessoris, qui post Seuerinum Sardicensis ac Agrippinensis Conciliorum suffragatorem, ea in Metropoli sedens, illam admiranda sanctitatis laude direxit. Amplificandæque religionis cupidus monasterium ædificauit Sanctorum Geruasij & Prothasij Martyrum: in quo aggregauit copiosum Christi famulorum sodalitium. Hinc ob fidei Orthodoxæ studium, quam omni vigore sacerdotali astruebat, ab Arianis Gallias deturpantibus odio graui habitus, ab iis ex Byterrensi Synodo cum sancto Hilario, aliísque pietatis Christianæ strenuis pugilibus sede deiectus, & in exilium pulsus est. At subinde fide in oriente æquè fortiter propugnatâ, cùm ab eius asseuerandæ constantia nullo terrore vel pressura deduci posset gloriosus athleta Christi, hac ex lucta in Galliam remissus, sedem recepit, magísque quàm antea sanctissimæ vitæ exemplis, ac indefessis veritatis Catholicæ prædicationibus emicuit. Sicque omni perfectione consummatus, ad æternæ felicitatis sedes beatificandus pro meritis commigrauit. Beatum hunc Præsulem redux quoque ab exilio sanctus Hilarius Senonis inuisit: eáque in domo ab illo exceptus est, quam dein-

SS. CHRISTINA.

VRSINVS.

de populi deuotio, ob tanti hoſpitis charam præclarámque memoriam, in ædem ſacram commutauit, quæ etiamnum perſtat titulo ſancti Hilarij inſignis. Ipſo die Cenomanis ſancti

PANACIVS. PANACII Epiſcopi & Confeſſoris, qui tertius ſedis huius Antiſtes omnem ciuitatem hanc ac circumiacentem regionem adhuc ſpurcitiis gentilibus magna ex parte inquinatam prorſus ad Chriſtum conuertit: primúſque Clericos ad communis vitæ rationem ſua in diœceſi adduxit: editíſque tot miraculis quot ſanctiſſimæ vitæ actibus, glorioſo exitu munus Epiſcopale abſoluens, ſtolam gloriæ in cœlis recepit à Domino. Ni-

VALERIVS. ciæ ſub Ebredunenſi Metropoli ſancti VALERII Epiſcopi itidem & Confeſſoris. Hic ex Lerinenſi monaſterio in quo ſe Chriſti iugo dedicauerat, ob præclara ſapientiæ & ſanctitatis ornamenta inuitè ad eam Cathedram ſublimatus: Sic boni paſtoris partes omnes expleuit, vt tempora quibus ſub modio delituerat, fidei & pietatis clara lucerna gregi ſuo dolenda redderet; quibus verò ſub candelabro poſitus huic præluxit, poſteris deſideranda relinqueret. Ad cumulum igitur ſanctitatis cùm perueniſſet multis miraculis declaratæ gloria inſignis, ad ſempiternam tranſiit beatitudinem. Bergis ſub Iprenſi Præſulatu, ſancti Vvinoci cœnobio, ſusceptio venerandi corporis

LEVVINA. beatæ LEVVINÆ Virginis & Martyris in Anglia laureatæ: Cuius tranſlata fuerunt plurima oſſa ex Anglia vnà cum reliquiis ſancti Vſqualdi Regis & Martyris, necnon Virginis Itiſbergæ. Tot certè poſt illius eo in cœnobio repoſitionem diuinæ virtutis hîc inſignia illuxerunt, vt de iis Drogo Morinenſis Antiſtes libellum proprium conſcripſerit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Chriſtina. ABIIT hodie ad ſponſi ſuperni deſideratum conſpectum beata CHRISTINA cognomento Mirabilis: de qua quæ ſtupenda referuntur ſic humanam mentem concutiunt; vt diuinæ ſimul gratiæ magnitudinem ineutiant adorandam.

Mathildis. Item eodem die obiit feliciter venerabilis MATHILDIS Marchioniſſa, coniux Godefridi cognomine Gibboſi Lotharingiæ Ducis, nepotis Stephani IX. Papæ ex fratre Gozelino, marito. Beatricis, matris ipſius Mathildis, quæ altera ſui æui Iudith & Debora, impios diuinæ religionis ſacerdotiíque Euangelici inſectatores magna virtute repreſſit; afflictámque Romanam Eccleſiam inſigni ſolatio recreauit, ditauitque & ſuffulſit donationibus magnificis.

Octauo Kalend. Augusti. Luna

25 C II.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	F	G	H	M	N	P				
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29				

CELEBRITAS ſancti IACOBI Apoſtoli Zebedæi filij, fratris verò ſancti Ioannis Euangeliſtæ: Hieroſolymis octauo Kalend. Aprilis ab Herode decollati: Cuius ſacratiſſimis pignoribus ſuffulta Gallia, Attrebati caput, Trecis alterum brachium, Toloſæ partem pretioſiſsimi corporis non modicam digna honorificentia aſſeruatam, aliáque alibi ſacra ſpolia deuotè veneratur. Natalis ſancti CHRISTOPHORI Martyris, qui Samone Lyciæ ciuitate, virgis ferreis attritus, & flammis æſtuantis incendij Chriſti virtute liberatus, ad vltimum ſagittarum ictibus confoſſus, capitis obtruncatione agonem ſuum compleuit. Huius pignora veneranda per orbem deinde diſtracta, & Romæ, & in Gallia iampridem, cultum illius celebrem reddiderunt. Nam Aruernis antiqua viſitur Eccleſia eius patrocinio illuſtris, necnon Lutetiæ Pariſiorum alia, titulo etiam parœciali conſpicua. Eodem die Natalis ſancti CVCVPHATIS Martyris. Hic ex ciuitate Scyllitana oriundus, cùm Barcinone inter clara religionis Chriſtianæ lumina, fidei ſplendore & ardore charitatis, necnon etiam miraculorum gloria præfulgeret: iuſſu Galeni Proconſulis comprehenſus, primóque ſub piæ confeſsionis præconio grauiſsimè tortus & cæſus, deinde mortuo diuina vltione Galeno, ob conſtantem veritatis aſſertionem, à Maximino Præſide & Ruffino decurione dirum in modum excruciatus, adeovt craticulæ ferreæ candenti impoſitus, duabúſque conſtrictus cathenis, aceto & ſinapi perfuſus aſſari iuberetur: cùm ab igne & flammarum aduſtione repentè ſanatus apparuiſſet, iterúmque in rogum vehementiorem proiectus, nihil inde detrimenti perpeſſus eſſet: Poſt hæc in tenebricoſum carcerem ferro onuſtus rurſus detruſus; at lumine diuinitùs accenſo recreatus, vegetior ad luctam inde prodiit. Ad extremum carduis ferreis & taureis immaniter dilaniatus, gladio itidem coronatus, martyrium glorioſiſſimè conſummauit. Eius corpus à Chriſtianis ibidem eo quo tunc licuit cultu conditum, poſtmodum Mauris Hiſpanias inuadentibus in Galliam aduectum fuit: atque in alma Martyris Dionyſij ſociorúmque

SS. IACOBVS. CHRISTOPHORVS. CVCVPHAS.

basilica, repositum: proprio in sacello quod in superiori ædis sacræ regione eminet, condecenti etiamnum potitur honorificatione. Treuiris sancti MAGNERICI Episcopi huius Metropolis & Confessoris. Hic ex nobilissimi Senatoris Tetradij domo in lucem editus, in disciplinam sancti Nicetij celeberrimi Treuirorum Antistitis, vix ab ephœbis egressus se commisit; atque ab ipso sacræ militiæ tyrocinio, se adeò rerum diuinarum studiosum cultorem & virtutis omnis cupidum æmulatorem præstitit, vt Præsulis ipsius sanctissimi occurrente decessu, consona omnium efflagitatione dignus qui vnus in vicem eius sublegeretur censitus, Episcopus proclamaretur. Delatum munus vir modestiæ deditus, & latebrarum quas Dei solius lustrant aspectus, impensè amans, sic suspicere renuit, vt demum inuitè susceptum summa laude administraret. Vnde à Deo electus passim æstimabatur: atque vt à nomine magnitudinis nomen perferebat, sic & magnarum rerum euaderet admirabilis opifex: discipulúsque vt non magistro minor, sic hæres meritissimus tanti Pontificis (cuius vestigia non modò tenebat, sed & facta clarioribus illustrabat actibus) vndequaque prædicaretur. Summa huius beati Præsulis laus omnium fuit, quod panem esuriens quisque, tectum hospes, amictum nudus, fessus requiem, spem afflictus in eo compererit. Quamobrem Clero & populo nedum charus, sed & Regibus admodum venerandus, multo fauore præsertim apud Childebertum Austrasiæ Regem præpolluit, cuius & filium à sacro fonte susceptum leuauit, nominauítque Theodebertum. Miraculis etiam se Deo dilectum vir beatus plurimis ostendit: atque demum vita sanctissimè peracta, ad desideratum Domini conspectum feliciter profectus est. Bellouaci in Durocorti Remorum prouincia, depositio sancti EBRVLPHI Abbatis & Confessoris, qui Francorum nobili prosapia, ex matre infœcunda, Angelico promisso natus, ab ætatis infantilis crepundiis, futuræ sanctimoniæ indicia prodidit: semel in die ad vesperam cibum sumens. Succedente verò tempore cùm adhuc adolesceret, monasticæ conuersationis suscepto habitu, constructóque monasterio, sese totum in Dei famulatum dedit: eóque enituit pietatis exploratæ splendore, vt ab Episcopo Bellouacensi accersitus, Diaconatus gradu: deinde etiam cùm miraculis polleret, quibus cæcos illuminabat, mundabat leprosos, vexatos à dæmonibus liberabat, honore etiam Presbyteratus insignitus fuerit. Hinc etiam præcognita ex diuina præsignificatione futura prouectione sua; ad regimen monasterij sancti Fusciani Ambianensis, Fredegundis

MAGNERICVS.

EBRVLPHVS.

Reginæ quæ viri ſanctitatem plurimi faciebat iuſſu, ipſe renitens quamuis promotus: vbi paſtoralem curam ſuſcepiſſet, deſolatum gregem, locúmque admirabili quà virtute quà prouidentia recreauit: tanto ſe actu præbens humiliorem, quanto ſublimior erat muneris dignitate. Siquidem viliora miniſteria nihil à ſe reputabat aliena: ſed inſinuandæ ſubditis ſpontaneæ demiſſionis ſtudio, æquè ſponte ſubire ac maiora conſueuerat. Patientiæ etiam affectus eximios prætulit. Cuius exemplum hoc inſigne edidit, quod furem qui noctu cellæ eius ſupellectilem diripuerat, conſtrictum dæmonica inuaſione, ſua oratione liberauerit: immemórque iniuriæ cum pacis oſculo dimittens admonuerit, vt ab infauſto vitiorum tramite, ad viam iuſtitiæ & ſalutis quantocyus ſe conuerteret. Poſt hæc obitûs ſui diuinitus factus præſcius, datis fratribus ſupremæ adhortationis officiis, ſumptiſque vitæ immortalis pignoribus, gaudens in Domino inter verba orationis expirauit. Atque poſt beatum tranſitum glorioſis clarificatus eſt virtutum ſupernarum inſigniis. Metis ſanctæ CLODESINDIS Virginis, quæ amore caſtitatis incenſa, ſponſum fugiens velamine capitis ſibi miſſo à Deo per Angelum, ſe & ſua Chriſto omnino conſecrauit. Conſtructóque ſubinde à ſe monaſterio ſic Virginibus quas ad diuinum famulatum illic collegerat præfuit, vt immaculato calle virtutis ſanctimoniæ ſcilicet perfectæ monitis & exemplis, viam ad cœleſtis vitæ gaudia iiſdem præmonſtrârit: finéque beatiſſimo conſummata ouans ad eadem prima fuerit euocata. Cuius merita apud Regem gloriæ præcelſa, miracula plurima; quæ ad eius tumulum facta ſunt, poſtea affatim prodidêre. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. Clodesindis.

TRAIECTI ad Moſam hodie felici obitu obdormiuit beatus IOANNES cognomento AGNVS eiuſdem ſedis Antiſtes, cùm in vita ſanctiſſimus, tum poſt mortem ſignis admirandis illuſtris: ob quorum frequentiam à Ioanne II. Leodicenſi Epiſcopo eleuatus, pone altare ſanctiſſimorum Martyrum Coſmæ & Damiani Dionanti vbi iacuit primùm, honorificè reconditus fuit. Obiit & hoc ipſo die condigno vitæ exceſſu Venerabilis THOMAS à KEMPIS, auctor percelebris libri *de imitatione Chriſti*, mirîſque chariſmatibus quæ paſſim in eius ſcriptis, ac puriſſimæ vitæ ſerie magnificè elucent, præclarus. *Joannes cognomine Agnus.* *Thomas à Kempis.*

Septimo Kalend. Augusti. Luna

26 D I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	ſ	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30			

SS. ANNA. DORMITIO ſanctæ ANNÆ matris beatiſſimæ Deiparæ Virginis, necnon auiæ Domini & Redemptoris noſtri IESV Chriſti. Corpus eius Aptæ Iuliæ Vulgienſium ſub Metropoli Aquenſi iampridem conditum magnopere illic à fidelibus colitur in ſummo templo quod iam eius glorioſa nuncupatione claret inſigne. Illius caput verò Carnuti in auguſtiſſima totóque orbe percelebri baſilica ſanctiſſimæ Deigenitricis, ex dono Ludouici Bleſenſium Comitis repoſitum, ſummo etiam quo decet honore obſeruatur. Lutetiæ Pariſiorum tranſlatio ſancti MARCELLVS. MARCELLI eiuſdem ciuitatis regiæ Antiſtitis glorioſi: quando ſacratiſſimum eius corpus ex antiqua ſancti Clementis æde quæ iamdiù ſuo nomine illuſtris erat, ad matricem Eccleſiam ſanctiſſimæ Virginis Mariæ delatum fuit, vbi hactenus quieſcit in argentea aureáque hierotheca, retro altare ſummum editiori loco reuerenter collocatum. Eodem die Bethuniæ in Arteſia IORIVS. depoſitio ſancti IORII Epiſcopi, qui ex Oriente piæ peregrinationis cauſa per Europam progreſſus, ad illud oppidum cùm veniſſet, quietis ibi æternæ aditum reperit: ínque ſancti Bartholomæi collegiata æde ſepultus, ſuæ beatitudinis præclara CHRISTIANA. prodidit teſtimonia. Teneramundæ in Flandria ſanctæ CHRISTIANÆ Virginis, quæ Regis Anglorum Migranimi filia vnica, erga Deos ſuos & Idola ſecundum patrum ſuorum traditionem extitit deuotiſſima. Hanc omnipotens Deus oculis miſericordiæ adſpiciens, de cœlo illi Angelum ſub ſpecie pauperis tranſmiſit, qui eam catechizauit, atque in Chriſti nomine baptizari præcepit: cuius etiam ductu Dickeluennam peruenit. Finéque tandem egregio conſummata, ad æternam peruenit beatitudinem. Corpus eius cùm diuinis coruſcationibus promicaret, hinc Teneramundam delatum eſt, ad cuius venerationem inſtaurato templo, quod Normanni diruerant, Ringotus Dynaſta, patrocinium ipſius ciuitatis eidem ſanctiſſimæ Virgini commendauit: vnde in hunc vſque diem ab incolis colitur vt propria tutelaris cum ſancto Hilduardo, cuius etiam reliquias prælaudatus Ringotus ibidem cum ſacris exuuiis bea-

tæ Christianæ recondidit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

LYRÆ ad Neram fluuium moritur hodie vt æternum viuat piæ memoriæ ANNA cōnuersa, Nazareth cœnobij virginei monialis, fœmina admirandæ sanctitatis; ad cuius transitum auditus est gratissimus Angelorum concentus. *Anna conuersa monialis.*

Sexto Kalend. Augusti. Luna .

27																	E*.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	19	20	21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1			

APVD Cluniacum Archimonasterium exceptio venerandi capitis sancti CLEMENTIS Papæ & Martyris, aducti ex Constantinopoli per Dalmatium de Leriaco, strenuum militem Gallum, non sine diuini auxilij significatione. Natalis sancti PANTALEONIS Martyris, qui patria Nicomadiensis senatoria stirpe genitus, professione medicus: in ætate florenti ab Hermolao sanctissimo presbytero ac subinde etiam Martyre, fidei Christianæ imbutus mysteriis, sacróque tinctus lauacro, cùm admirabilia ederet Christi, in quem crediderat virtutis magnificæ insignia: patrémque ipsum Eustorgium ab impia superstitione abductum, Christianæ pietatis sacris initiari procurasset: multósque etiam puro diuinitatis cultui subiugasset: Hac de causa Maximiani Imperatoris iussu comprehensus, tortúsque equulei pœna & lampadum exustione: inter hæc à Domino sibi apparente refrigeratus: tandem obtruncato capite gloriosissimi agonis lauream recepit. Caput ipsum tanti athletæ postea Carthaginem delatum, hinc in Galliam Lugdunum iussu Caroli Magni cum sancti CYPRIANI, & beati SPERATI ex Scillithano agmine Martyris, venerandis reliquiis aduectum; atque à Leudrado Episcopo in Ecclesia maiori Sanctorum Ioannis Baptistæ ac Stephani Protomartyris magna reuerentia collocatum fuit: vbi claruit multa glorificatione. Antissiodori depositio sancti ÆTHERII Episcopi & Confessoris. Hic laude sapientiæ & religionis excellens, post sanctum Romanum illius Ecclesiæ gubernacula gessit: qua annis decem & mensibus sex piè administrata, omni virtute Episcopali ornatus abiit ad præmium. Eodem die Metis sancti PHRONIMI Episcopi itidem & Confessoris, qui natione Græcus sancto Adelpho successit,

SS. CLEMENS. PANTALEO. CYPRIANVS & SPERATVS. ÆTHERIVS. PHRONIMVS.

magnæ virtutis & doctrinæ insigniis præclarus: datísque diuinitus sanctitatis suæ multis significationibus, ac dignè peractis in Episcopatu annis octo feliciter in Domino quieuit. Lemo-

IVSTVS. uicis translatio sancti IVSTI Confessoris facta sub Philippo Augusto Francorum Rege per sanctum Guilelmum Bituricensem Archiepiscopum, ad instantiam *Heliæ* Præcentoris viri sanctitatis eximiæ, ex Ecclesia in qua beatus ipse Confessor conditus fuerat, ad principem diœcesis ædem sancti Stephani Protomar-

CAROLVS. tyris. Eadem die Aquisgrani translatio sancti CAROLI cognomento Magni Imperatoris & Francorum Regis, ac Christi Con-

DESIDERATVS. fessoris gloriosissimi. Vesontione depositio sancti DESIDERATI Metropolitanæ illius sedis Episcopi & Confessoris. Qui vir summæ castitatis splendore tota vita conspicuus, ex nobili prosapia ortum duxit: diuináque cum promissione natus, atque antequam conciperetur, ex cœlesti vaticinio Episcopali solio destinatus, sic ipsa in pueritia cœlestis gratiæ lumine irradiatus effulsit: vt de futura sanctitate & gloria clarissima proderet indicia. Nihil enim nisi diuinum sapiebat: nihil itidem faciebat nisi quod ad sui admirationem ac amorem vnumquemque inuitaret. Militiæ igitur Ecclesiasticæ adscriptus sacro ordini decora multa accessione sua indidit, defunctóque beato Phronimio Antistite, ob meritorum gratiam, vna eodémque Cleri ac populi sententia eius in locum suffectus est. Quo in munere ea quæ Deo grata forent, & gregi suo vtilia bonus pastor tantùm quæsiuit. Sanctis siquidem prædicationibus animas sibi creditas assiduè pascens, corporum etiam languores subleuare curauit. Vinctos redimere, viduis & egenis solatia præbere, Ecclesiam sibi à Domino commissam ritè gubernare. Hísque in præclaris actibus decurso mortalis vitæ tramite, sanctissimus Præsul apud Ledonem vicum suæ diœcesis, carnem exuens, ad beatam, quam perpetuo anhelitu concupierat perrexit immortalitatem. In Salnerij ipsa Ecclesia, quam in solo natali construxerat, honorificæ traditus est sepulturæ. Ex cuius tumulo postea diù aqua fluxit, ex qua debiles & infirmi sanitatem receperunt. Leuatum fuit deinde sacratissimum eius corpus, inque capsula lignea repositum: è qua demum in argenteam illatum est per Stephanum Falquerium Abbatem Iurensem Infulatum, ad instantiam decurionum, & incolarum Ledonis Salnerij, cuius oppidi beatus ipse est patronus ac perennis opitulator, anno 1465. hoc ipso festi eius die, qui idcirco non solùm depositione eius insignitus est, sed etiam translatione. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Pie in Christo obdormiuit CHRISTIANVS Monachus cœnobij sanctæ Mariæ de Eleemosyna Carnutensis diœcesis: dæmonum profligator strenuus, assiduúsque carnis castigator: qui patria Cœnomanus, in loco de Gastineto tractus Turonênsis diu eremiticam vitam coluit: deindéque ad sancti Benedicti reflorentem transiens ordinem, cuius sanctitatis fama vbique percrebruerat: suscepto habitu in prædicto cœnobio copiosos fructus edidit omnis castimoniæ & religionis, atque demum diuinis etiam reuelationibus illustris, suæ sanctitatis multa testimonia reliquit. Ingressa est itidem hodie viam æternæ quietis piæ memoriæ BEATRIX præposita Monasterij de Nazareth, prope Liram in Brabantia, eximia animi puritate & morum sanctimonia nobilis.

Christianus.

Beatrix.

Quinto Kalend. Augusti. Luna

28 F XXIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2			

SANDIONYSIOPOLI, secundo ab Augusta Parisiorum Lutetia lapide, Consecratio altaris Apostolorum PETRI & PAVLI in templo inclyti cœnobij sancti Dionysij facta diuina admonitione per Stephanum III. Pontificem maximum: qui etiam inter ipsius consecrationis solemnia, Pipinum eiúsque duos filios Carolum & Carlomanum in Reges Francorum vnxit, Bertradam verò ipsius Pipini coniugem cycladibus indutam regiis, sacro etiam liquore consignauit. Eodem die ibidem apparitio Sanctorum Apostolorum PETRI & PAVLI, necnon beati DIONYSII & sociorum, facta eidem Papæ Stephano, quando noctu orans in ipsorum Martyrum basilica, diuinitus à vehementi ægritudine qua iam diù laborabat per sanctum Dionysium sanatus est, præceptúmque ab eo accepit ipsum altare consecrandi, & promissum tutè ad sedem propriam redeundi, è qua præcedenti anno à Longobardis pulsus fuerat. Apud Cluniacum monasterium susceptio sanctæ Crucis seu tabulæ sancti Basilij, dominicæ Crucis magnam continentis portionem: quam sanctus ipse Basilius, in theca pridem composuerat ad formam codicis Euangeliorum concinnata, Smaragdísque exornari fecerat pretiosis. Hanc enim cùm is in magna reuerentia habuisset, successorésque Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi, pari obseruantia coluissent, demúmque vt tutiori esset loco Antiochiam detulissent: fremente vndique Turcarum ferocia, Mesopotamius Archidiaconus Antiochenus Patriarchali sede viduata Præsule, cùm ciuitati ipsi excidium impendere maturè præuideret, Constantinopolim duxit sub im-

SS. PETRVS & PAVLVS.

PETRVS & PAVLVS Apostoli necnō Dionysius & socij.

periale præsidium deportandam. Vbi postea Mauricius Bracarensis Antistes, qui lustratum sacra loca venerat Alexio Imperatori factus charus, cùm moras necteret, pia fraude effecit, vt sibi à pia muliere cui pretiosum adeo pignus concreditum fuerat traderetur. Ea intentione vt tam nobili trophæo, Ecclesiam suam decoraret. Verùm redux in patriam, quam vndique bellicis feruore reperit tumultibus, veritus ne tam dignum monile in prædam impiorum cederet: id Cluniacum, ordinis cuius amicissimus erat caput, cùm ad securitatem, tum ad ornamentum loci adeo insignis magno cum honore transmisit, per fratrem suum Dalmatium: à quo adorandum pignus Pontio Abbati, totíque conuentui præsentatum est, condignáque veneratione susceptum anno Dominicæ Incarnationis 1112. 5. Kalend. Augusti. Eodem die Natalis Sanctorum Martyrum NAZARII & CELSI, Viennensis Galliæ ac Alpinæ regionis Apostolorum. Nazarius nobilissima Romanorum familia, Patre Africano viro Illustrissimo, sed Iudaïcis ceremoniis dedito: matre verò Perpetua Christianis sacris ab Apostolorum vertice Petro initiata ortus fuit. Annóque ætatis suæ nono cùm cerneret Parentes admodum in religionis negotio conflictantes, animo vehementer angi cœpit, cuius, in re adeo graui è qua æterna salus pendebat, sententiæ concederet. At motus matris pientissimæ monitis, & diuinæ gratiæ adiutus lumine, ad S. Linum se contulit, à quo salutaribus disciplinis pleniùs imbutus, cœlesti etiam lauacro expiatus est. Qua de re pater exacerbatus, filium vt à pietatis proposito deterreret: supplicia ei exposuit quæ Christi cultoribus ex principali decreto subeunda erant. Sed puer Christi spiritu mirificè confirmatus, nullatenus à fidei potuit professione auelli, quinimo perceptam Christi gratiam & religionis Christianæ præstantiam coætaneis suis referens, ad eandem hos alióśque allicere toto annisu intendebat. Veriti idcirco parentes, ne zelus eiusmodi filio extremum periculum concieret: instructum copiosis subsidiis vrbe vt excederet suaserunt. Quas opes Christianæ pietatis æmulator, continuò in pauperes distraxit: veniénsque Mediolanum Sanctos Martyres Geruasium & Prothasium in carcere inuisit, atque alios Christi pugiles suauissimis verbis ad constantiam hortatus est. Quamobrem comprehensus à Præfecto diréque cœsus, pulsus etiam vrbe in Gallias venit, matris sanctissimæ quæ nuper functa sibi apparuerat admonitione commotus, Gebennam itaque ingressus, Christi gratiam primus ciuibus prædicauit, ex quibus Celsum adhuc puerum salutaribus

NAZARIVS & CELSVS.

præceptis

præceptis instructum baptizauit: vnáque cum eo Treuirim progressus, fidem cùm disseminare satageret, vterque feruente Neronis persecutione in mare deiicitur, vnde mirabiliter euaserunt. Postea Mediolanum venientes, cùm ibi Christi gloriam omni studio propagarent Anolini Præfecti iussu diù in carcere conclusi; ac pene cruciatibus confecti, tandem quod Christi diuinitatem constantissimè tuerentur, capitis sententiam læti exceperunt, datísque fortiter ceruicibus gloriosum triumphum magna constantia ambo peregerunt. Corpora eorum fuere à fideli quodam & insigni viro priuata in domo sepulta: quæ multo pòst tempore Ambrosius diuina admonitus reuelatione, ad basilicam Apostolorum transtulit, eorúmque reliquias admiranda signorum virtute coruscantes magnis vt par erat honoribus affecit. Horum venerandorum pignorum partes per orbem diuisæ, Martyrum ipsorum claram memoriam apud Græcos & Latinos iam inde reddiderunt. At potiores in Gallias delatæ, Ebreduni & Lutetiæ Parisiorum alibíque magnam eisdem conciliauêre honorificentiam. Cuius rei monimentum insigne est moneta Æduensis antiqua cusa sub sancti Nazarij effigie. Apud Redones in Armorica Prouincia, seu Britannia minori Natalis sancti RADIMII Martyris, qui pro fidei defensione depugnans, insigni patientia & fortitudine confessionem suam præclarè confecit. Item in Britannia minori Dolensi ciuitate sancti SAMSONIS Episcopi & Confessoris gloriosi, qui regio in Anglia sanguine clarus, è matre sterili natus diuino cum prænuntio sanctitatis, *sancto Hilduto* in disciplinam à puero traditus est, qui primo intuitu futuram eius magnitudinem præcognouit. Tantum verò sub eius magisterio Samson profecit, vt virtutibus admirandis mox, signísque etiam maximis coruscaret. Vitiorum seuerus castigator, vindéxque pietatis acerrimus, inde variis persecutionibus exagitari cœpit: dirámque Saxonum Tyrannidem fugiens, versus minorem Britanniam vt tutius Christo seruiret pedem retraxit: vbi constituto monasterio de Childeberti Regis licentia & munere, vitam ibi instituit totam diuinis rebus deditam, discipulósque adscitos in eumdem tramitem sanctissimis monitis & exemplis direxit. Nec mirum si mentes ad vota flectebat, qui rupem virgæ attactu in vndas fluentes liquefecit. His dotibus mirificis cùm vir Dei præfulgeret: dignus qui totius prouinciæ gereret præsulatum diuino iudicio atque indicio declaratus, Antistes primus Dolensis, sed cum Metropolitani dignitate à comprouin-

RADIMIVS.

SAMSON.

cialibus Armoricæ Epiſcopis, conſecratus eſt: atque à Pelagio Pontifice pro meritorum præſtantia, pallium recepit, ſicque magno honore inter Patres Concilij Pariſienſis anno 559. conſedit. Demúmque Pontificatu egregiis actibus decorato, vitam ſanctitatis plenam morte feliciſſima commutauit. Cuius corpus ob Danorum ferociam, Aurelias deportatum ea reuerentia exceptum eſt, vt propria Eccleſia ad eius cuſtodiam & cultum conſtrueretur: quæ etiamnum eiuſdem glorioſo pollet patrocinio: quamquam ſacris pignoribus deſtituta, quæ impij Hagiomachi ſuperiori ſæculo ciuitatem occupantes, inter permulta aliorum beatorum veneranda cadauera, præci-
PEREGRINVS. dendis manibus exuſſerunt. Ipſo die Lugduni ſancti PEREGRINI Preſbyteri & Confeſſoris, magnarum virtutum viri: cuius beatitudinis teſtimonia ſunt crebra quæ ad eius memoriam facta memorantur miracula, in Eccleſia ſancti Iuſti, vbi poſt ſanctiſſimæ vitæ terminum honorificam ſepulturam re-
VRSVS. cepit. Item ſancti VRSI Confeſſoris, qui admirandæ abſtinentiæ aliarum virtutum à ſancto Gregorio Turonenſi laude celebratus, multíſque extructis monaſteriis in Celtica Gallia, fœnoribus gratiæ plenus abiit ad Dominum. Eodem die ſan-
LEOBATIVS. cti LEOBATII eiuſdem beati Vrſi ſocij Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Guiciardus. EXCESSIT hodie à mortis ſtadio piæ memoriæ GVICIARDVS Archiepiſcopus Lugdunenſis ex Abbate Pontiniacenſi: adeo religionis actibus in vtraque adminiſtratione inſignis, vt parta non modica opinione ſanctitatis obiens, faſtis ordinis Ciſtercienſis, cuius clarum ſidus extitit promeruerit adcenſeri.
Ægidius. Item puram efflauit animam ÆGIDIVS conuerſus, vitæ ſanctitate clarus, & cœleſtis contemplationis gratia præcellens.

Quarto Kalend. Auguſti. Luna

29 G XXVIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
21	22	23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3			

SS. MARTHA. TARASCI in Gallia Narbonenſi ſanctæ MARTHÆ Virginis, quæ beatæ Mariæ Magdalenæ & Lazari ſoror, domus hoſpitio excepit Saluatorem noſtrum IESVM Chriſtum: poſt cuius aſcenſionem in Gallias diuino nutu cum ipſis commigrans, Maſſiliæ primùm conſtitit, vbi ſui ſexus colle-

cto coetu, vitæ regularis prima huic dedit ſpecimina: deinde Taraſcum vt Chriſti cultum & idem inſtitutum ampliaret progreſſa, poſt piorum laborum perfectum cumulum, ad conſpectum æterni Regis ſupernæque Sion beatorum ciuium conſortium, eo die quem prædixerat, meritis plena & miraculis illuſtris lætanter euolauit. Ad cuius tumulum magna cùm fierent diuinæ virtutis & gloriæ inſignia, Clodouæus Rex Francorum delatus, à graui qua detinebatur ægritudine ſanatus eſt. Eodem die reuelatio capitis ſancti IOANNIS Baptiſtæ, facta Pipino Regi Carolinæ ſtirpis parenti. Auguſtæ Trecarum depoſitio ſancti LVPI Epiſcopi & Confeſſoris, ſignis & virtutibus clariſſimi. Vir hic Apoſtolicus in Leucorum oppido nobili familia, patre Epirochio natus. Ipſo parente hac ex luce ſubtracto Aliſtichio patruo ſuo multa generis nobilitate æquè conſpicuo traditus fuit: cuius opera ſcholis admotus magnos breui in arte dicendi progreſſus fecit: adeout apprimè eruditum florentis eloquij fama per omnes illas regiones eum celebrem redderet. Deinde verò cùm & ætate & moribus valde maturus à ſacro matrimonij nexu non abhorreret: fuit ei Pimeniola beati Hilarij Arelatenſis Epiſcopi ſoror, inſignis pudicitiæ virgo ſanctiſſimè copulata: qua cum poſtquam annos fermè ſeptem caſto in coniugij amore vixiſſet: factum eſt vt pietatis impenſiùs colendæ ſtudio ambo ab huius ſæculi curis & ſolicitudinibus ſe ſubduxerint. Itaque ſuperni ſpiritus feruore inflammatus Lupus, ad beatum Honoratum Lirinenſem Abbatem opibus in pauperes erogatis ſe contulit. Vbi aſſiduis vigiliis, ieiuniis & orationibus ſeſe exercuit. Cúmque annum vnum illic exegiſſet magno animi fructu: Beato Vrſo Epiſcopo Trecenſi ad requiem abeunte ſupernam, ob clara virtutum & ſapientiæ lumina, à Clero & populo electus Antiſtes, renitens ſedis huius gubernacula capeſſiuit: eáque geſſit Epiſcopalis vigilantiæ gloria, vt meritò Gallicanorum Epiſcoporum Princeps à laudatiſſimis ipſis quoque Præſulibus prædicaretur. Exacto autem biennij ſpatio in Præſulatu, cum ſancto Germano, totius quoque perfectionis & gratiæ ſpiritualis pleno, contra hæreſim Pelagianam quæ Britanniam tetra lue inficiebat, à Cœleſtino Papa & Gallicana Synodo, eam in regionem miſſus eſt: fidémque Catholicam plurimùm his in partibus labefactatam, Apoſtolicis prædicationibus, virtutibus ac ſignis ſtrenuè propugnans inſtaurauit. Hinc cum triumpho redux in patriam, Hunnis duce Attila in Galliam irrumpentibus & cuncta vaſtantibus, Trecarum vrbem ſeruauit,

Io. Ba. ...
LVPVS.

cùm barbarum Regem & religione & integritatis fama ... xisset. Vnde cùm sanctus Leo Maximus Pontifex illum eadem auctoritate à Romæ excidio coërcuisset, id inoleuit inter Hunnos milites adagium: Attilam tantùm à duabus feris Lupo & Leone victum fuisse. Sanctorum autem vulgare etiam illud fuit de hoc sancto Antistite præconium, suo æuo Lupum illum de tribu Beniamin mysticum, præstantis suæ virtutis & spiritus vehementis gratia retulisse. At qui Ecclesiæ hostibus Lupum præferebat, vera ouis mansuetúsque agnus fidelibus Christi semper apparuit. Nec enim vlli nisi sibimet rigidiorem pius pater exhibuit. Annis autem plus minus viginti, lectuli quietem nesciens in tabula cubauit. Vnius tunicæ vsu semper contentus, cilicium super carnem gestauit. Biduanis ieiuniis defatigato corpusculo libidinis refrænabat incentiua. Fletibus panem rigabat. Oratione & meditatione spiritum iugiter alebat. Totis visceribus in pauperes profusus, census Ecclesiasticos captiuis redimendis, subleuandis egenis impendebat. His cùm dotibus Apostolicus vir præfulgeret, miraculorum etiam gratia illustratus, miseris diuina etiam subsidia impertiuit. Nam & signo crucis puellam à dæmone vexatam liberauit, eidémque linguæ officio destitutæ, sanctæ Trinitatis inuocatione eloquij restituit facultatem. Paralyticum quoque suâ oratione sanauit. Deinde postquam quadraginta duo annis Trecensem Ecclesiam magnis quibusque editis absolutæ sanctitatis testificationibus rexisset: multos præclaros discipulos, qui Gallias postea Episcopatu dignissimè exacto decorarunt, atque imprimis beatum Polychronium Virdunensem, Albinum Cathalaunensem, Seuerúmque Treuirensem suis sanctissimis moribus ac doctrinis informasset: felicissimo efflatu beatam animam in Christi manibus consignauit, æternæque gloriæ præmia adeptus, multis post transitum signorum clarificationibus in tumulo refulsit, ad quem postea insignis sui nominis basilica constructa est. Ipso die in Briocensi diœcesi depositio S. GVILIELMI eiusdem ciuitatis Episcopi & Confessoris. Hic Virginalis vitæ studiosus, & in pauperes perpetuò egregia vsus eleemosyna, tum maximè aliquando ingrauescente annona, non solùm quidquid frumenti ipse habuit, sed aliunde mutuo accepit egentibus ad vitæ sustentationem impertitus est. Orationi præterea & precibus ita deditus, vt præter diuinum horarum Canonicarum officium, & alias pias precationes, totum etiam Psalmorum librum, singulis diebus intima animi pietate recitaret. Humilitate item

Gvilielmvs.

& abstinentia mirabili fuit. Zelo etiam pastorali & fortitudine præcellens. Sæpè siquidem pro ouium suarum corporali salute irruentium in ciuitatem hostium gladiis ceruices suas obiecit: vt damna & iniurias à suis depelleret, sæpè dies noctésque in fletibus & lachrymis peruigil exegit, vt iram diuini numinis, horum sceleribus offensi mitigaret. Exilium etiam pro iustitia vir Dei perpessus est. Sed extinctis diuina vltione tyrannis, iterum ad suam diœcesim condigno honore reuocatus: ibi vltimum vitæ actum, multis aliis pietatis & sanctis operibus clarum feliciter consummauit. Corpus eius in Cathedrali Ecclesia sepultum, biennio pòst incorruptum repertum est suauissimo fragrans odore: magnísque virtutum diuinarum coruscationibus testatam fecit gloriosi spiritus beatitudinem. Quem ideo Innocentius Papa IV. solemni iudicio Sanctorum catalogo colendum adscripsit. Aureliis sancti PROSPERI Episcopi & Confessoris, qui tantæ sanctitatis fuit, vt beato Aniano digno delectu succederet: cuius & laudis studiosus cultor adeo fuit, vt à Sidonio Episcopo Aruernensi eloquentiæ gloria celebratissimo, mores eius & præcelsa merita, stylo politissimo flagitaret posteris commendari. Nec minùs ardens ipsius virtutum æmulator: actibus eximios eius progressus consecutus, postquam etiam Synodis interfuisset Carpentoractensi & Vasensi, magno cum scientiæ & pietatis decore, talenti diuinitus crediti ampliatis copiosè fœnoribus, ad gaudium Domini fidelis seruus pro meritis euocatus est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* Prosper.

ABIIT hodie ad Dominum piæ memoriæ VRBANVS Papa II. quondam Monachus Cluniacensis, auctor celeberrimæ illius expeditionis qua Franci Hierosolymam, Palæstinam, quin & Syriam vniuersam ab Saracenorum infelici iugo vindicatam, Christi imperio ac gloriæ restituerant. Item Romæ quoque extremum peregit diem venerabilis ALMARDVS Archiepiscopus Lugdunensis ex Abbate sancti Benigni Diuionensis ordinis sancti Benedicti, vir moribus Apostolicis. Eadem die obiit itidem ALEXANDER religiosæ memoriæ Abbas Cisterciensis, sancti Bernardi filius spiritualis, pietate & miraculis plurimùm insignis. *Vrbanus.* *Almardus.* *Alexander.*

Tertio Kalend. Augusti. Luna

30														A XXVII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	29	30	1	2	3.	4			

SS. VRSVS. AVTISSIODORI depoſitio ſancti VRSI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic iuxta ſancti Amatoris baſilicam recluſus, eo loco anachoreticam vitam duxit, vbi poſtea oratorium eius ſub nomine dedicatum eſt. Cuius ſanctitatis euidens hoc fuit teſtimonium, quod cùm quadam die ciuitas ſubito incendio conflagraret: ipſe populi clamore permotus, ſcipionem quo ſeniles artus fulciebat illuc deferendum tradidit, quo inter minaces flammarum globos collocato, omne incendium dicto citius deflagrauit. Serui Dei merito inſigni adeo opere declarato, Cenſurio vitæ quoque ſanctimonia claro vrbis illius Pontifice decedente: vi extractum, Cleri plebiſque votis impulſi Epiſcopi Prouinciales Vrſum, ſolio Epiſcopali impoſuerunt, Cellámque eius in Eccleſiam conuerterunt, locum hac conſecratione dignum arbitrati, quem tantæ ſanctitatis hoſpes, Deo iam gratiſſimum ſuauiſſimo pij famulatus ſuffitu reddidiſſet. Porro Vrſus cùm in Pontificali munere cœleſtibus planè virtutibus præfulſiſſet, beatiſſimum ſpiritum digno exitu tranſmiſit ad gloriam. Corpus eius ſepultum eſt in baſilica ſancti Germani cum nonnullis ſanctiſſimis ſedis huius Epiſcopis, quorum memoria Eccleſiæ faſtis conſignata eſt veneranda. Metis

EXPLECIVS. ſancti EXPLECII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſancto Auctori ſuccedens eam Eccleſiam annis ſexdecim in omni ſanctitate rexit: conſummatúſque in officio pietatis ſub Siricio Papa euolauit ad cœlum.

HATEBRANDVS. In Belgio ſancti HATEBRANDI Abbatis & Confeſſoris, meritis eximij; qui Apingendanium apud Friſios cœnobium inchoans, vitæ ſanctiſſimæ illic magna decora prodidit. Conſtructóque deinde ad propagationem pietatis in Hollandia Felduuertenſe monaſterio, quod clauſtrum antiquum dictum eſt, filios multos diuinæ religionis ſemine procreauit, emeritæque demum beatitudinis præmia percepit à Domino. In ſacra æde ſui cœnobij ſepultus ſignis admirandis refulſit, quæ eam qua in cœlis potitur gloriam declarauerunt. Cùm autem deſtructum fuiſſet ab hæreticis hoc cœnobium, pia Henrici Præpoſiti ſancti Saluatoris Antuerpienſis

prouidentia, hinc ſublatum ipſius cœlitis venerabile corpus, non ita diù ad ipſam præpoſituram tranſlatum fuit, approbante Ioanne Maldero Epiſcopo Antuerpienſi, qui feſtum ſancti ipſius Confeſſoris quotannis peragi iuſſit hoc die quo conſignatum eſt. Sueſſione veneratio coronæ Sanctorum Chriſti Martyrum ABDON & SENNEN, qui hodie Romæ ſub Decio Chriſtum Deum verum & vnicum conſtantiſſimè prædi- Abdon & Sennen.
cantes, cùm falſa numina venerari recuſarent, poſtquam ad dedecus circumducti pro triumpho, atque ad ſimulacra tracti ea deteſtando conſpuiſſent, leonibus & vrſis obiecti ſunt. A quibus ne minimum quidem violati, demum percuſſi gladio æternæ gloriæ de manu Domini diadema receperunt. Quorum corpora poſtea tranſlata in Gallias Sueſſione in baſilica ſancti Medardi, cum aliis multis beatorum honorandis exuuiis, repoſita fuerunt condigna veneratione. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

FELICI exceſſu hodie Gandaui migrauit ad Dominum piæ memoriæ VVIDO Remotum Archiepiſcopus, ac demum Epiſcopus Cardinalis Præne- *Vvido.*
ſtinus Sediſque Apoſtolicæ Legatus, vitæ inculpatæ nitore, & magnæ religionis ſplendore inſignis, qui ſedis Apoſtolicæ auctoritate fungens primus inſtituit, vt ad incruentæ hoſtiæ eleuationem campanæ ſonitus ederetur, cúmque infirmis deportaretur diuinum ipſum viaticum, tintinabulum itidem tinniens ad adorationis monimentum præcederet. Sepultus eſt autem in æde ſancti Petri cum multa opinione ſanctitatis. Item eadem die piè admodum expirauit, felicis memoriæ ARNALDVS Archiepiſcopus Narbonenſis cogno- *Arnaldus.*
mine Almaricus, vir magnæ pietatis & prudentiæ, quem Innocentius Papa III. ob zelum Orthodoxæ fidei Legatum aduerſus Albigenſes creauit, magna cum Dei gloria & Eccleſiæ Catholicæ vtilitate. Is ſanctum Dominicum præcipuè fouit, eiúſque felici opera aduerſus prædictos hæreticos vſus, triumphos de perfidia illorum reuexit glorioſos.

Pridie Kalend. Auguſti. Luna

31 B 15. XXV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	30	1	2	3	4	5			

DEPOSITIO ſancti GERMANI Epiſcopi Autiſſiodorenſis & Confeſſoris præcelſi. Hic eiuſdem ciuitatis cuius SS. Germanus.
demum Antiſtes fuit nobili ex ſtirpe indigena: ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudiis liberalibus adhibitus, magna ingenij vbertate ſummum eruditionis ſibi decus peperit, foróque imprimis addictus poſt auditoria Gallicana, Romæ Iuris ſcien-

tiam acquisiuit, eo successu, vt cum patroni munere multa celebritate fungeretur, inde euocatus fuerit ad Reipublicæ administrationem. In patriam igitur cum potestate remissus, inania sæculi studia secutus est, ac immodicæ venationi deditus à beato Amatore eiusdem ciuitatis Episcopo, cum primò frustra reprehensus fuisset, at deinde fauente Deo ad meliorem frugem tactus, illius monitis se conuertit. A quo in ordinem etiam adscriptus Ecclesiasticum, Dei monitu successor quoque designatus est. Omniúmque votis admissus in Episcopum, in alterum plane virum euasit. Vxorem nobilissimam sororis loco habuit, facultates suas pauperibus erogauit, omnibus sine exceptione hospitium præbuit: eáque fuit abstinentia, vt ex quo die sacerdotium exorsus est, vsque in vitæ exitum solo pane hordeaceo, quam sub vesperam quarto sæpè, interdum septimo quoque die sumebat, corpusculum sustentarit. Nunquam sine cilicio dormiuit: Lecto vsus ex dolatis asseribus constrato. Doctrina, sanctitate & miraculis cùm in Gallia præfulgeret ad hæresim Pelagij expugnandum, tum Cœlestini Papæ mandato, tum deprecatione Gallicanorum Præsulum profectus est in Britanniam, semel cum beato Lupo Trecensi: Iterúmque cum sancto Seuerino Treuirensi Episcopo, vbi verbo veritatis & miraculorum virtute impium illum errorem profligauit. Quo tempore saluti etiam fuit Britonibus, aduersus quos coniunctis viribus Picti & Saxones acre bellum instruxerant: cùm enim illos recenti regenerationis lauacro circa Paschalia festa purgatos in prælium educeret, hostibus mortaliter territis, non clangore buccinæ, sed voce alleluya, incruentam de his victoriam reportauit. Vix domum regressus fuerat sanctissimus Antistes, cùm patriæ commiseratus, iam senex pro Galliarum pace supplicaturus, ad Valentinianum Imperatorem & Placidiam eius matrem Rauennam contendit: diuinísque virtutibus toto in itinere editis: ab Augusta summa cum reuerentia susceptus est. At paulò pòst de sua ad cœlestem regiam euocatione diuinitus præmonitus, septimo infirmitatis suæ die è corporis ergastulo ad cœlos migrauit. Reliquit verò tantum omnibus sui desiderium, vt vestes eius quamquam vides quique certatim pro patrocinij pignore diriperent: ex quibus, & beatus Petrus Chrysologus Rauennæ Antistes cuculum & cilicium retulit. Rexit autem gloriosissimus Germanus Apostolico cum decore Autissiodorensem Ecclesiam, annis triginta dies viginti quinque. Cæterùm ad Autissiodorensem ciuitatem post se-

licem obitum corpus eius relatum, diuinæque glorificationis insigniis in via coruscans, innumerabilibus postquam conditum est in propria basilica miraculis refulsit. De hoc sanctissimo Præsule illud memorabile pridem personuit elogium: Quod talis eius extiterit vita, vt si miraculis caruisset incredibilis videretur: tantáque eiusdem fuerint miracula, vt nisi piæ conuersationis merita præcessissent phantastica putarentur, quia super hominem fuit quod ab ea gestum est. Treuiris sancti BANTONIS Confessoris, præclaræ sanctimoniæ laude; cœlestiúmque virtutum donis affluentis. Item in diœcesi Tullensi, Mediano monasterio ad montem Vogesum depositio Sanctorum Confessorum IOANNIS Presbyteri & BENIGNI Diaconi fratrum Gemellorum, discipulorum sancti Hidulphi Episcopi Treuirensis, cuius immaculato calle vestigia consectantes, felici tramite ad cœleste consortium meritis piæ conuersationis peruenerunt. Ipso die sancti IGNATII Loyola Presbyteri & Confessoris gloriosissimi, qui singulari diuinæ bonitatis arcano, orbi datus ac in lucem editus imminente tempore quo aperto abyssi puteo, æternus pietatis hostis, tetra hæresëon caligine solum fidei Catholicæ clarissimum obscurare, & per ferales emissarios Christi Ecclesiam funditus subruere satagebat: Excitus zelo Dei nouæ militiæ dux, nouam in aduersum aciem, *Societatem scilicet* IESV felici prorsus auspicio instruxit: vel hoc ipso nomine, vniuersis inferorum copiis, formidandam. Quam regulæ sanctissimæ præceptis institutam, Sedis Apostolicæ authoritate munitam, diuina prorsus sapientia regens, toto orbe diffudit, aduersus impietatis cohortes, & fera peccati monstra, perpetuo certamine bellaturam. Cuius fortissimæ phalangis victoriæ, deuicta fere iam vbique hæresi, fide mirificè, etiam apud ethnicos, propagata; sepulta ignorantia, vindicata pietate, quocumque sol lucet, latè patent: hísque trophæis ouans Catholica Ecclesia, impensè Ignatio quotidie triumphanti, iámque cum Christo regnanti gratulatur. Qui Sanctorum (quorum hîc gloriosa facta recolimus) præclarè gestis animatus: tam mirandas res Christo auspice Lutetiæ Parisiorum aggressus, ipsi Christo IESV (cuius nomen altè præcordiis infixum ferebat) immensam gloriam, Ecclesiæ perpetuum munimen & commodum: sibi verò sempiternum decus peperit. Obiit vir sanctissimus in arce fidei Romæ ætatis suæ anno sexagesimo quinto. Confirmati à Sede Apostolica ordinis deci-

Banto.

Ioannes & Benignus.

Ignatius.

mo-ſexto, partæ verò ſalutis 1556. Cuius nomen ob micantia ſigna innumera ſanctitatis, Gregorius XV. Pont. Max. Sanctorum albo perpetuò colendum adſcripſit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Godefridus. EODEM die obiit piæ memoriæ GODEFRIDVS vitæ ſolitariæ egregius cultor, multarum virtutum chariſmatibus refertus. Item in Bellopratenſi cœnobio

Maria. piæ itidem recordationis MARIA monialis, cognomento de SALILLON, diuina contemplatione præcellens, atque dotibus ſacræ virginitatis & miræ deuotionis conſpicua.



AVGVSTVS.

Kalendis Augusti. Luna

1 C XXIV.XXV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	s
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6			



ESTIVITAS sancti PETRI Apostoli : ob memoriam diuinæ eius ereptionis è vinculis Herodis; necnon primæ Ecclesiæ ab eo Romæ consecratæ, sed & miraculi cathenarum eiusdem 1 ad quarum venerationem dedicata fuit, hoc ipso die, basilica sub titulo *Sancti Petri ad vincula*, in Esquiliis. Ipso die Natalis Sanctorum SEPTEM FRATRVM Machabæorum, qui Antiochiæ cum matre sua SALOMONA, pro legis Dei tutela decertantes, ab Antiocho Epiphane Rege durissimis cruciamentis affecti, præclara fidei constantia, illustrem triumphum peregerunt. Hos Patres cùm Græci tum Latini egregiis laudibus celebrârunt. Quin & sanctus Paulus Apostolus eo in cultu habuit, vt Viennæ Allobrogum, vbi Crescentem primum constituit Antistitem, primam ædem sacram ædificans, ipsorum in honorem dedicauerit, quæ etiamnum cernitur in claustro principis Ecclesiæ Viennensis. Vnde orta Sanctorum horum pugilum, quæ etiamnum ibidem viget, veneratio ; hodierna festiuitate apud incolas plurimùm conspicua & insignis. Extat etiam coloniæ Agrippinæ cœnobitica Virginum Benedictinarum Ecclesia, sub Sanctorum istorum Martyrum nuncupatione : in qua eorum corpora, seu sacer illorum cinis religiosè obseruantur. Capita verò adhuc solida conseruantur, atque deuotæ plebi hodie exhibentur piè percolenda. Sic autem ibi translata susceptáque feruntur. Nimirum cùm Antiochiæ vbi passi sunt illi diuini agonistæ, diù sacra ipsorum pignora seruata fuissent, beata Helena Constantini mater, quando Palæstinam pio affectu lustrauit, illa inde secum Constanti-

55. PETRVS Apostolus.

SEPTEM FRATRES ipsorũ cum matre SALOMONA.

nopolim aduexit: quæ & Iustinianus postmodum in sanctæ Sophiæ magnificentissima basilica à se excitata, conciliandi iisdem amplioris causa honoris collocauit cum *trium Magorum* qui Christum in cunabulis adorauerunt, pretiosis exuuiis. Constiterunt illic vsque ad Emanuelis Imperatoris tempora. A quo tum Mediolanensibus concessa in ea Capella condita fuerunt, quæ sancti postea Eustorgij nuncupationem tulit: eximiámque in amplitudinem ob illorum cultum, Magorúmque trium Sanctorum memoriam, quorum lipsana illuc etiam translata fuerant excreuit. Cæterùm Mediolano deinde à Friderico Imperatore euerso, flagitante Reinoldo eius Cancellario Coloniensi Archipræsule: tam ipsorum Machabæorum quàm trium Magorum corpora, vnà cum Sanctorum duorum Mediolani tutelarium, Felicis & Naboris sacris cadaueribus, Coloniam Agrippinam deuecta ad Magdalenæum cœnobium situm in Vrsulano agro, condigno honore reposita sunt, vbi etiamnum indita iam sacræ ædi Machabæorum inuocatione, religiosissimè asseruantur, publicéque hodie promuntur debita veneratione prosequenda. Ipso die Viennæ Allobrogum tumulatio sancti VERI Episcopi & Martyris, qui dispositione sancti Pij Pontificis, testísque Christi insignis in Galliam missus hanc Ecclesiam quintus serie rexit: à quo etiam ob ingentia merita Apostolicis rescriptis honoratus, Romanæque Ecclesiæ (dirissimis tum exagitatæ procellis, at florentissimæ nihilominus in pressuris) status suæque propriæ Viennensis fortiter obeundi patrocinij commonefactus. Cùm strenuè Apostolicum munus exequendo, ouile creditum procuraret, in diésque illud vi doctrinæ cœlestis & vitæ sanctissimæ splendore augeret: hoc nomine ab impiis impetitus, quòd impia sacra euerteret, Christíque exosum illis amplificaret cultum: edito fortiter extremo fidei salutiferæ præconio, purpura sanguinis decoratus ad æternæ gloriæ triumphos pertransiuit: atque à piis eo cultu quem ferebat temporum conditio tumulatus, magnam in cœlis receptæ immortalitatis, edidit significationem. Baiocis in Normania sub 2. Lugdunensi, sancti EXVPERII Episcopi & Confessoris perinsignis, qui à sancto Clemente Galliarum præcipuo in Christo prouectore, in has auras delegatus, ad fidei flumina diffundenda: totus cœlestibus desideriis incensus, plenúsque supernis charismatibus, hos populos quibus illuxit diuina castimonia & doctrina, veri vnicíque numinis agnitionem, & Redemptoris liberalem beneficentiam ac salutarem cultum inuexit: fanáque Ecclesiis commutans, virtute indutus diuina: Morbos sanitate,

Verus.

Exuperius.

tate, insaniam mansuetudine, ferociam patientia, vitia virtutibus, fide perfidiam, atque quæuis piis votis ac nisibus obuia oppositaque mirificè superauit. In oratione sedulus, vigiliis intentus, carnis afflictione districtus, charitate distentus: atque cùm in omnibus irreprehensibilis, sic in cunctis perfectus, vt auctoritate Apostolus, sapientia Angelus, signis & virtutibus Propheta, vírque planè diuinus & voluntatis Dei & gloriæ præco ac interpres dignissimus passim à quibusque crederetur. Nunquam ipse quæ sua erant quæsiuit: sed Maiestatis æternæ beneplacita toto corde complexus, quæ ad Christi gloriam vergerent, hominúmque salutem solummodo procurauit. Cùm autem sementis Euangelij plurimam copiam excitasset, dirutis pseudonuminum simulachris, in Dei viuentis cultum Deiparæque Virginis honorem ædiculam Baiocis construxit, & sacrauit: vbi quotidie tremenda mysteria percelebrans, atque vitæ æternæ enuntians præcepta, vna die septem energumenos, quos crucis signaculo muniuit, dæmonis ab infestatione liberauit. Quo miraculo quingenti infideles ad Christi obsequium fideíque professionem pertraxit. In quibus emicuit *Renobertus*, quem diuinæ gratiæ muneribus repletum, sacrísque ordinibus initiatum, sibi ex supernæ inspirationis afflatu successorem designauit. Sícque tandem exacto felicissimè pastoralis vilicationis decursu, vir beatus modica pulsatus febre placida morte ad æternæ vitæ gaudia & præmia meritorum, post suscepta præsidia salutis, emissáque Maiestatis diuinæ præconia, emigrauit. Cuius corpus castissimum à successore Renoberto maximo cum honore in decliui montis sepultum est: vbi deinde coruscantibus gloriosi spiritus insigniis, Ecclesia in eius venerationem fuit extructa. E qua postmodum, furentibus Danis, pignora eius sacratissima vnà cum ossibus S. Lupi (qui tertius ab eo sedit Antistes) ad Castrum Corbolium agri Parisiensis translata, atque in hunc vsque diem in proprij nominis augustissima basilica asseruata vt perenni fulgent miraculorum gloria, sic perpeti fidelium reuerentia perfruuntur.

In agro Parisiensi vico Lupera Natalis sancti IVSTINI pueri, ac Martyris fortissimi illic sub Diocletiano coronati. Hic beatus puer, Autissiodorensi ciuitate ortus patre Matthæo, viro Christianæ pietatis eximio cultore: adhuc nouennis cœlesti benedictione in gratiarum largitate præuentus, atque ita diuino spiritu irradiatus, vt iam prophetiæ polleret dono: Ambianum cum Patre profectus, vt cuidam consanguineo officium pietatis impenderet: (quo tendens pauperem nudum detracta sibi IVSTINVS.

Sſ

tunica vestiuit:) propinquum illum sibi facie incognitum superno illustratus lumine à cæteris discreuit, captiuúmque in libertatem ope superna restituit. Túmque cum patre in domum cuiusdam pij viri *Lupi* nomine hospitio admissus, cùm cælitus sibi inditæ gratiæ fœnora multa accumularet: à Rictio Varo sæuo Præside, comprehendi cum parente sodalibúsque iussus est. Sed eadem nocte puer sanctus cum iisdem elapsus, at postridie ab emissariis in via quæ à Bellouaco Lutetiam tendit interceptus, atque cùm præ cæteris asseclis tantillæ ætatis puer religiosum feruorem proderet, quis esset inquisitus: constanter admodum & suprà vires humanas se & Christianum, & pro fide Christi extrema perpeti quæque paratum esse respondisset: à carnificibus constrictus, enséque ferali ictus, capitis abcissione quod truncandum intrepidè præbuit, agonem gloriosum consummauit. Cuius funera pij comites (quos seruauit diuina potestas illæsos) congrua religione procurantes: caput sicut præscius martyrij præmonuerat Autissiodorum ad matrem detulerunt, corpus verò non procul à passionis loco, ad vicum Luperam dictum ab ipso præsignatum deportantes condiderunt, vbi constructa dehinc sacra ædes trophæum illius ad hos vsque dies conspicuum perennauit. E qua tamen ob frequentiores barbarorum in Gallias incursus, Lutetiam vsque Parisiorum (in cuius agro Lupera posita est) ad clientelæ securioris præsidium deuectum, in æde summa Sanctissimæ Deigenitricis repositum est vbi hactenus quiescit: anniuersarióque natali martyr ipse colitur, Nonis istius mensis: quòd aliis solemniis ista trésque subsequentes continuò dies sint præpeditæ, vt ex diptychis ipsius Ecclesiæ apparet. ARCADIVS. Bituricis sancti ARCADII Episcopi & Confessoris, qui post sanctum Honoratum sedis huius metropolicæ gubernacula suscipiens, magna sanctitatis claritate & vigilantiæ pastoralis assiduis excubiis, Pontificalis muneris decora ampliauit: sanctitatísque magister sanctos nonnullos erudiuit, in quibus maximè eluxit *S. Patroclus* Abbas, quem ob virtutum merita ad diaconatus honorem prouexit. Deinde inter Galliæ sidera Aurelianensi Synodo iubar virtutum interfuit: atq. demum absoluto decursu mortalitatis, ad vitę æternæ præmia profectus est. Tumulatus verò in Ecclesia S. Vrsini supernis glorificatus est insigniis. Marcianis prope Duacum in Flandria diœcesis Atrebatensis depositio S. IONATI Abbatis & Confessoris, qui IONATVS. discipulus sancti Amandi omni virtutum decore adornatus enituit, exemplísq. & orationib. multos ad Christum adduxit: beatæ siquidem Rictrudis religiosus informator, fratrúmq. & sancti-

monialium loci eiuſdem conſtitutus (ob fidei, doctrinæ, & morum præſtantiam) director: vtriuſque vitæ præcepta actis & monitis ſic præbuit; vt immaculato calle, tramitem ad cœlum iiſdem præmonſtrauerit: demúmque ſanctæ conuerſationis ditatus meritis, exuta carne, ſpiritum ſupernis ciuibus in gloria ſociandum, feliciter ad Dominum tranſmiſerit. Item depoſitio S. THEODORICI primi Abbatis ſancti Ebrulphi in Lexouienſi præſulatu & Confeſſoris, miræ abſtinentiæ, innocentiæ & patientiæ, nec minoris eruditionis & ſapientiæ viri. Qui cùm annos octo cœnobium illud laudatiſſimè gubernaſſet, ſuaque ſanctitate conſpicuum & diſciplinæ monaſticæ obſeruantia celebre admodum reddidiſſet, exagitatus ab æmulis, alter Ionas, tempeſtatem vt ſuo diſpendio ſedaret, diſpoſito abceſſu, præfecturam in Hugonis Epiſcopi diœceſani & Maurelij Metropolitæ Rotomagenſis manibus ſponte reſignauit. Híſque curæ nexib. abſolutus, Hieroſolymam filius pacis inuiſere ad redemptoris adoranda veſtigia decreuit. Cæterùm cùm in Cyprum veniſſet, quodam cum alio peregrino, vitæ ſanctiſſimæ Epiſcopo: in obuiam S. Nicolai Eccleſiam deuotionis cauſa ingreſſus, ibi dum proſtratus ante altare intenſius oraret ad Dominum: pietatis ardore feruentiſſimo conſumptus, ſpiritum feliciter efflauit. Eodem verò loco inhumatus iis miraculis emicuit, quibus imperitis plurimis ſanitatum beneficiis, inſulanis ſuæ beatitudinis indubiam præſtitit fidem, & datæ ſibi quaſi proprio ipſorum populari ſepulturæ mercedem abundè rependit. Item ipſo die Gandaui in Blandinio Cœnobio tranſlatio ſancti VVINVALOCI Abbatis & Confeſſoris, cuius beatus tranſitus condigno fulgens honore celebris eſt die 3. Martij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Theodorici.

Vuinvalocus.

OBIIT piæ memoriæ LVDOVICVS Rex Chriſtianiſſimus cognomine Craſſus, qui poſt egregiæ fortitudinis edita in regni adminiſtratione facinora, delictorum quæ bellico furore dudum admiſerat pœnitens, conſtructa magnificè prope Auguſtam Lutetiam ſancti Victoris Cœnobiarchia, cùm in animo haberet coronæ depoſitione humilem religionis habitum apud ſanctum Dionyſium aſſumere, ægritudinis anticipatus anguſtiis, quod opere non potuit, corde & voluntate compleuit: ac poſt omnium mobilium ſuorum Eccleſiis & pauperibus factam diſtributionem, frequentémque exomologeſim, atque egregiam fidei Catholicæ profeſſionem: ſumptis vitæ æternæ pignoribus ſuper cineres in modum crucis depoſitus, ibidem in omni religione ſpiritum emiſit, dignóque funere apud ſanctum Dionyſium ſepultus eſt.

Ludouicus Rex cognomine Craſſus.

Quarto Nonas Augusti. Luna

2 D XXIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7			

SS. BANDARINVS.

AVGVSTÆ Sueſſionum ſancti BANDARINI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic tempore Clotarij I. Chriſtianiſſimi Regis ſancto Lupo ad ſuperos euocato, conſonis omnium votis ſuffectus potens ſimul opere & ſermone, commiſſo ſibi gregi viam iuſtitiæ & pietatis aperire perſtuduit: quod verbis docebat priùs factis oſtendens, vt ad diuinæ religionis cultum, ſubditos efficacius permoueret. Cùm autem puritate mentis, corporis caſtitate, morum nitore polleret: abſtinentia non minùs erat commendabilis: ſed & vigiliis aſſiduus, orationibus intentus, eleemoſynis autem ita deditus, vt omnem ferè ſubſtantiam in alendis pauperibus conſumeret. Quamobrem à ſuis ludibrio habitus, & ſtultitiæ iniuria notatus: à Rege quaſi dilapidator Eccleſiaſtici patrimonij ſede excedere iuſſus, atque à ciuibus propriis ignominioſè Epiſcopatu eliminatus, in exilium magno cum vituperio pulſus eſt. Sed vir beatus confiſus in Domino, patientiæ præclarum ea in tentatione exemplum prætulit: humilitatiſque quam ſemper coluerat ſtudium egregiè exercuit. Tranſmeans ſcilicet in Angliam, ibi in quodam cœnobij xenodochio factus hortulanus, per ſeptennium magna cum animi tranquillitate & pietatis ſenſu & profectu, Chriſto in membris ſeruiens vili ſub ſchemate militauit. Interim fame & peſte affliguntur Sueſſionenſes: qui Dei exaſperati iram perſentientes, paſtoris ſui quem iniuſtè perſecuti fuerant innocentiæ recordati, ſupplices Regem adierunt petentes, vt perquiſitum inuentúmque ſuperna ope ſanctum Præſulem ad ſedem reuocaret: ad cuius reditum (ceu quondam ad conſpectum Aaron Pontificis Deo dilecti) vltio diuina protinus ceſſauit. Inimicíſque ſuis vir Dei paterno affectu opitulatus, Apoſtolorum quorum ſpiritu & virtute pollebat, miracula renouauit: Quicumque enim ægrotus benedictionem ab eo expetebat, pro munere, IESV nomine inuocato crucíſque edito ſignaculo, ab ipſo ſanitate donabatur. Dum autem his ſplendoribus receptam cathedram ſanctus Præſul ornaret: Beatus Medardus Viromanduorum Pontifex glorioſus defunctus eſt: cuius ſacratiſſimum

corpus Suessionem Rex Clotarius vt vberiori id honore impertiret deferendum curauit, iussítque vt condignis inferiis à beato Bandarino sepeliretur: qui cum thimiamateriis & crucibus ac ceroferalibus omníque cum Ecclesiastico decore iusta Præsuli prorsus Apostolico, vir ipse totus Apostolicus exoluit. Defunctum itidem paulò pòst Clotarium ipsum pius Antistes iniuriæ immemor, omni cum charitatis significatione inhumauit in ipsa sancti Medardi quam Rex ille inchoauerat æde. Hísque aliísque piis officiis perfunctus, gratiæ diuinæ fœnoribus & iustitiæ fructibus locupletatus, cœlestium ad ciuium consortium euolauit. Eius porro corpus ad sanctum Crispinum maiorem in dextra parte altaris sanctæ Mariæ conditum, diuinæ magnificentiæ refulsit postmodum signis præclarissimis. Carnuti sancti BETHARII Episcopi itidem & Confessoris, qui nobilissima stirpe antiquorum Romanorum progenitus, ferè cum lacte pietatem imbibens: eò demum Christi gratia adductus est, vt paulo adultior cunctis supernæ in se diffusæ benedictionis perspicua argumenta præberet, raram quamdam pietatis & eruditionis in se exprimens effigiem. Ob quas dotes clericali militiæ adscriptus, cæteris Carnotensis Ecclesiæ alumnis, cùm multis progressibus anteiret: defuncto Pronio Antistite, vbi de nouo eligendo Episcopo in concilium itum est: inter proceres & plebem orta dissensione in tantum vt ad arma vtrimque curreretur: tandem diuina aspirante aura, concordia ex improuiso successit, nominato Bethario, qui omnis ambitus abhorrens, longè à comitiis domi reclusus, diuinarum rerum speculationi intendebat. Omnium enim vota in hunc vnum protinus conspirarunt: sola virtutis & sapientiæ eius cunctis perspicuæ consideratione. Factus igitur ex Dei beneplacito & hominum benè consona sententia Episcopus, iter ad æternitatem bonis sanctísque operibus & monitis ouibus suis præsignauit: commissæque sibi Ecclesiæ gubernacula ea vigilantia & prudentia tractauit, vt prædecessorum sanctissimorum solertiam felici suo regimine exæquaret. Interea verò contigit Carnotenæ ciuitatis clades quam sanctus Launomarus diuino afflatu beato Malardo Episcopo prædixerat. Cùm enim Clotarius III. prælio victus à fratre Theodorico Burgundiæ Rege in Sylua Perticensi, fugam iniret: victor Theodoricus obuiam in cursu victoriæ Carnotensem vrbem, prædæ cupidus improuisa obsidione cinxit: cui & Pontificatus honore & ciuili dominatu (tum pedo pastorali annexo) præerat beatus Betharius. Fecit quidquid potuit eo in discrimine pius pater, vt

BETHARIVS.

ſtragem ciuitati imminentem auerruncaret. Primúmque vt ciues inuaſori ſtrenuè obſiſterent permiſit: at veritus ne vis hoſtilis præualeret: ad preces & obſequia conuerſus, Regis animum placare ſtuduit: factáque cum eo conuentione, de cleri ac populi locíque ſecuritate: vrbem illi dedit. Quam ingreſſus Theodoricus ſponſionum oblitus, direptioni & prædæ omnia tradidit, plebémque & Clerum cùm captiuum etiam vellet traducere, Paſtor pro ouibus miro charitatis affectu ſeſe interpoſuit: egit ſiquidem cum ſæuo principe ſanctiſſimus Præſul, vt ciuibus relictis in redemptionis pretium ſe pro omnibus obſidem reciperet. Abductus igitur eſt Betharius: ſed Dei ope paulò pòſt ereptus, atque dilectis ouibus reſtitutus, charitatis tot nominibus admirandæ, copioſam mercedem à Domino tulit: nam diuinitatis radiis illuſtratus, miraculis cœpit exinde coruſcare magnificis, vitæque demum ſanctiſſimæ actibus glorioſis perfunctus, feliciſſimè in Chriſto obdormiuit anno 679. Móxque ab obitu ob clara beatitudinis teſtimonia, ſanctis debito cultu honoratus, tranſitus diem habuit in faſtis celebrem, templáque ſuæ memoriæ conſecrata. Inter quæ eius nomine inſignita etiamnum Eccleſia inter Bleſas & Vindocinum cernitur. Pretioſæ autem eius exuuiæ hodiéque coluntur in matrice Eccleſia Carnotenſi, vbi condita ſunt retro ſummum altare in antiqui operis hierotheca. Ipſo die Martianis in Hannonia repoſitio ſanctæ RICTRVDIS (cuius depoſitio 4. Idus Maij colitur.) quando Henricus Remenſis Archiepiſcopus frater Ludouici Regis cognomento Iunioris, Martianas inſigni religioſóque cum comitatu veniens, precibus inuitatus Ioannis loci illius Abbatis: præſente Andrea Attrebatenſi Epiſcopo cum ſuo Clero, Martinóque ſancti Vedaſti, Falcone Haſnonienſi, Valtero Bergenſi, Balduino Yprenſi, Henrico ſancti Quintini Beluacenſis, cœnobiarchis, oſſa beatæ ipſius Rictrudis, de veteri vaſculo aſſumpta in nouam cum magno tremore & reuerentia intulit capſam, argento auróque ſumptuoſè adornatam. Tulli Leucorum Inuentio & repoſitio Sanctorum Epiſcoporum ALCHÆ, CELSINI, AVSPICII & VRSI. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

RICTRVDIS.

ALCHAS, CELSINVS, AVSPICIVS & VRSVS.

Stephanus. Hoc ipſo die mortali ſtadio exceſſit beatæ memoriæ STEPHANVS Prior Obazinæ in tractu Lemouicenſi: Sancti Stephani primi loci illius Abbatis præcipuus diſcipulus, vir deuotus, miræ auſteritatis & pœnitentiæ, atque regularis diſciplinæ amator feruentiſſimus: cuius copioſa coram Deo merita, quæ in vita edidit, & poſt obitum miracula, manifeſtè oſtenderunt.

Tertio Nonas Augusti. Luna

3 E XXII.

a b c d e f g h i k l m n p q r s
9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25
t u A B C D E f F G H M N P
26 27 28 29 1 2 3 4 3 4 5 6 7 8

NATALIS sancti STEPHANI Protomartyris, hodie à Iudæis Hierosolymis saxis obruti: à Christo verò gloria & honore coronati: sicut hodie suo in Martyrologio notat Notkerus probatissima monimenta secutus Græcorum & Latinorum, hac verborum rudi quidem sed veraci serie, *Hierosolymis Inuentio, imo raptus corporis sancti Stephani Protomartyris: quando lapidatus à Iudæis, & aliquandiu custoditus ne sepeliretur: à Christianis tandem compassione beati Gamalielis sublatus est: & in villa Gamaliel sepultus ac lamentatus est, sicut ipse Gamaliel septimo Honorij Principis anno cuidam presbytero nomine Luciano, in visione diuina apparens exposuit & sanctus etiam Lucas breuiter intimauit, dicens: Curauerunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. Cuius visionis seriem commodius Deo donante in tempore suo, id est, septimo Kalend. Januarij quando sacrum eius corpus patefactum & Hierosolymam translatum est vita comite curabimus aperire. Quam reuelationem quidam minus cautè legentes hoc tempore putant actitatam: cùm & circa principia Decembris inchoata, & iuxta finem eiusdem mensis probetur absque dubio consummata, ita vt celebritas Protomartyris Christi, subiiceretur natiuitati* IESV CHRISTI. Et reuera ante Inuentionem miraculosam corporis sancti Stephani, hanc diem eius memoria celebrem vbique fideles cultu maximo honorabant. Vnde ab Inuentione ipsa non potuit decus quo resplendet recipere. Ipsa tamen die insignia multa diuinitus contigêre, quæ illam effecêre solemniorem. Hac enim die in Africam cùm primùm delata fuissent pignora sancti Stephani, Hierosolymis reperta tempore sancti Augustini, atque vertente anno in Occidentem ab Orosio ipsi charissimo ex Africa quoque euecta, diuersas in Europæ partes dispergi cœpissent: ideo hoc ipso die cum passione, raptuque & sepultura concurrunt, aliæ beati ipsius Protomartyris commemorrtiones. Nempe toto in Occidente Susceptio prima beatarum eius reliquiarum. Antiochiæ, Anconæ & Tolosæ, miraculorum ex lapidibus quibus ictus fuit promicantium, solemnitas. Vesuntione Sequanorum

SS. STEPHANUS Protomartyr.

Metropoli receptio brachij ipsius Christi athletæ, illic à Placidia Augusta magna honorificentia illati ac collocati. Item ibidem memoria miraculosi cruoris ex ipso brachio imprudenter à Chelidonio Præsule tractato & confracto manantis: cuius hodiéque plena in sacrario summæ ædis phiala, à maioribus obseruata, ostenditur. At verò Bituricis iam pridem veri sanguinis quem in agone profudit Stephanus ipse beatissimus, portio aliqua allata ex Hierosolymis extitit in altari præcipuo matricis basilicæ quæ ipsi sacra est recondita, sicut commemorat sanctus Gregorius Turonensis in aureo suo de gloria Martyrum libello. Tamen & Vesuntione cruoris ipsius natiui, partem tradunt incolæ à Bernuino Archiepiscopo in concauo altaris basilicæ sancti Stephani reconditam. Ad quam etiam vrbem transmissa longè ante hæc omnia fertur à S. Helena sacra vestis ipsius Protomartyris. Cuius pignoribus sacratissimis vt felici tutela pleræque Galliarum Ecclesiæ gloriantur: nam & Metis recoli hodie debet receptio dimidiæ partis eius brachij, ex Vesuntionensi sanctuario, ad eam vrbem translati tempore S. Leonis Papæ Noni, per Theodoricum Episcopum Metensem, qui Cathedralem Ecclesiam sub ipsius beati Protomartyris inuocatione à se recens constructam & consecratam, pretioso hoc spolio maximè locupletauit. Suessione verò sancti ipsius Stephani memoria isto die fuit iam olim celebris, ob CAPVT eiusdem sanctiss. Protomartyris, ex gazophylacio Constantinopolitano dudum aduectum cum lipsanis primariorum Sanctorũ plurimis. Item in Cluniacensi augustissimo cœnobio insignis est susceptio & veneratio vnius ex digitis ipsiusmet primi Christi testis coronati, quem ab Edesseno Archiepiscopo, Gelduinus vir Gallus nobilis (qui Christo diù militauerat in Syria aduersus impios sacrorum locorum inuasores) pretioso munere accipiens, diuino monitu, Frotmundo Cluniacensi monacho Antiochiæ dedit, ad præsignatum Cluniaci cœnobium deferendum. A quo illic aduectum, magno cum honore susceptum, condignóque cultu collocatum fuit cum vno dente sancti Ioannis Baptistæ in sacrario Cluniacensis basilicæ anno salutis 1020. Deinde à Petro Venerabili loci illius Abbate digitus ipse pretiosus, vt decentiori ornatu niteret, auro inclusus, & gemmis pulcherrimè coopertus, super altare summum vnà cum sacro ipsius Baptistæ pignore similiter adornato, impositus fuit; vbi exinde asseruatur ad perpetuum religiosæ illius domus (quæ suo in ordine princeps est) decus & præsidium. Ipso die Carnuti in Abbatiali sancti Petri Ecclesia in valle, veneratio capitis

S. Abibon Gamalielis filij, qui S. Stephanum sepeliuit, eiúsq. corpus cum ipsius B. Abibon & Nicodemi, suúmq. simul abscondita reuelauit. Item Lemouicis prima dedicatio basilicæ S. Stephani facta à S. Martiale Aquitaniæ Apostolo: quam hac die maiores traditione edocti recoluerunt. Augustoduni Æduorum sancti EVPHRONII Episcopi & Confessoris. Qui vir diuinus virtutum & sapientiæ gradibus ad sacerdotium in Æduensi Ecclesia prouectus: cùm adhuc presbyter esset, magnum lumen pietatis suæ vndequaque diffudit: totus in religionis cultum augmentúmque propensus, Sanctorúmque venerator deuotissimus: quorum vt actus præclaros imitabatur: sic & memorias magno studio cohonestabat. Quo ex affectu marmor pulcherrimum ad sancti Martini decorandum sepulchrum Turones deuotè transmisit. Sancti Symphoriani Martyris prope vrbica mœnia Ecclesiam ædificauit. Factus deinde post Leontij excessum Episcopus, vt gradu auctus sic merito, ampliora diuinæ mentis lumina exeruit: eáque morum & doctrinæ claritate refulsit, vt à Sidonio Apollinari maximis inter primipilares Galliæ Præsules elogiis commendaretur. In quorum bino consessu tùm Arelati, tum Lugduni residens, Synodicis decretis plurimam auctoritatem sua præsentia contulit. Lucidum etiam presbyterum delirantem à fidei norma, paternè cohortatus, ad pœnitentiam & palinodiam flexit. Mores corruptos Cleri circumquaque correxit: déque eorum continentia, sacrísque Ecclesiæ solemniis & ritibus luculentam Epistolam cum Lupo Trecensi sanctissimo Præsule ad Thalasium Andegauensem Antistitem, ipsum ob longæuitatis honorem & sacrarum rerum peritiam consulentem, scripsit. Aliam etiam de supernis prodigiis quæ anno Christi 452. in diebus Paschatis apparuerunt in plerísque regionibus Galliæ, texuit ad Agripinum Comitem, qua cum iræ Dei imminentia flagella prædicauit, tum populos ad pœnitentiam excitauit. Deinde vir sanctus gloriosi præsulatus emenso decursu, ad quietis æternæ emerita solatia perrexit: atque in sancti Symphoriani quam condiderat æde sepultus, egregiis signis testatus est eam quam in cœlis apud Dominum consecutus est gloriam. Annuam agit de eo memoriã ab hinc Ecclesia Æduensis sexto Idus huius mensis, quod S. Stephani venerationi dies iste (quo ad præmium abiit) sit peculiari iure consecratus. Eodem die Dauaiaci in Aruernis translatio S. FLAMINÆ Virginis & Martyris, cuius corona rutilat, vernátque palma triumphalis 6. Nonas Maij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

EVPHRONIVS.

FLAMINA.

CLARÆVALLIS sancto fine quieuit Bartholomæus loci illius Prior, virtutibus & sanctæ religionis studiis admodum insignis.

Pridie Nonas Augusti. Luna

4																F xxi.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	1	2	3	4	5	4	5	6	7	8	9			

NATALIS sancti TERTVLLINI Martyris, quem beatus Stephanus Pontifex baptizatum, in albis presbyterum consecrauit. Ipse verò post biduum suæ ordinationis à Marco Præfecto raptus, atque ad Valerianum Imperatorem adductus, tormentísq. excruciatus sæuissimis: demum cum ingenti animi fortitudine fideíque ardore, omnes carnificum ferocias superaret: atq. Christi præconia magis ac magis attolleret: ictus gladio agonem gloriosum consummauit, secundo ab vrbe lapide. Cuius corpus clam sanctus Stephanus Papa, cum Clericis colligens, hymnis Deo redditis sepeliuit in eodem loco, crypta quæ dicitur arenaria: vnde postea sublatum, ac in Galliam aductum, Lutzemburgi in Belgica asseruatur & colitur. Eodem die

EVPHRONIVS. Turonis sancti EVPHRONII Episcopi & Confessoris, decessoris beati Gregorij. Qui genere Senatorio editus, magnísque dotibus præstans, cùm ab adolescentia Domini iugum tulisset: Gunthario carne soluto sublectus, huius sedis solium sic conscendit, vt in dubio reliquerit, an magis fuerit dignitate prouectus, quàm depressus spontanea humilitate, cuius maiorem in Episcopatu quàm antea curam excoluit. Vir Apostolicis planè donis ornatus, vt columba simplex, prudens vt serpens, mansuetus vt agnus. Quem ob morum suauitatem, sermonis dulcedinem, cordis puritatem, actionum honestatem, totiúsque vitæ sanctimoniam admirandum Fortunatus condignis euehit encomiis: id in eius decoris præcipuè collaudans: quod igne charitatis quo feruebat dura quæque corda emolliret. Humilitate qua præstabat pusillus in terris, excelsus in cœlis habitaret. Pietatis affectu mirè oues complecteretur, cùm sic cunctos diligeret, ac si vnum quemque de suo latere generasset: sic in singulos se impendens, vt in vniuersos plenitudinem amoris profunderet. Sub quo rapina inquit in grege non audita: quia pastor ipse iustus ac pacificus, ouili in pacis & iustitiæ spiritu anteiret. Non iacturam in caulis dominicis lupus

edidit, quia custos peruigil omnes insidias inimici eluderet. Huius tamen tempore Turonica ciuitas incendio immani conflagrauit, flammísque omnes ferè Ecclesiæ consumptæ sunt. Ex quibus ipse pius Antistes duas à fundamentis instaurauit. Sancti autem Martini Ecclesiam quæ per Vvilicharium Comitem adusta fuerat, Rege Clotario opitulante reparauit; culménque stanno compingens, venustiori specie conhonestauit. Sub ipso etiam extructa est sancti Vincentij basilica: atque duobus in vicis Cerate & Orbiniaco Ecclesiæ ædificatæ. Sub eo itidem habita est Synodus secunda Turonensis. Ipse verò secundæ Parisiensi cæteris cum primoribus Gallicanæ Ecclesiæ Patribus interfuit anno 559. Deinde vir sanctus post prorogatam ad annum vsque Christi 573. sedem: ætate septuagenaria, placido fine in Domino quieuit, atque in basilica sancti Martini, cuius sedis & virtutis consors fuerat condigno honore sepultus, sanctitatis gloriam patentibus meritorum indiciis in vniuersa Ecclesia perennauit. Ipsomet die Autissiodori sancti MAVRINI Episcopi viri diuinæ eloquentiæ & miræ admodum sanctitatis: qui Carolo Martello ob virtutis & religionis dotes percharus ac venerabilis, patrimonium Ecclesiæ recuperauit, quo cultum diuinum foueret, pauperibúsque ferret solatium, impetrato diplomate, quo iis decedentibus quibus sacrum dominium in stipendium datum fuerat, Ecclesiæ perpetuò restituebatur. Eius monitu Emonoldus primus Autissiodori Comes, vt cæteris exemplum pietatis præferret, monasterium in honore Seruatoris construxit ac dotauit: quod sanctus Antistes solemni consecrauit ritu: póstque multiplicia pietatis & pontificiæ solicitudinis facinora, æterna in pace conquieuit. Lugduni festum reuectionis sacrorum ossium beati IVSTI illius sedis Episcopi & deinde Eremitæ, ex Ægypto. Furnis in Flandria susceptio reliquiarum sanctæ VVALBVRGIS Virginis & Abbatissæ, aduectarum ex Germania magno cum decore per Balduinum Comitem cognomine Ferreum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

MAVRINVS. IVSTVS. VVALBVRGIS.

Nonis Augusti. Luna

5																G XX.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P			
28	29	1	2	3	4	5	6	5	6	7	8	9	10			

SS. Ion, ſeu Ionivs. PAGO Caſtrolio in Præſulatu Pariſienſi Natalis S. IONII Preſbyteri & Martyris, qui vnus ex primariis S. Dionyſij aſſeclis amore incenſus diuinæ gloriæ prouehendæ, ab ipſomet ad illum pagum diſſeminandi verbi vitæ cauſa legatus: incolas fere omnes, & circumdegentes pleroſque Chriſti notitia informauit, atque in eius cultum, verbis, virtutibus & ſignis non minùs ſuauiter allexit quàm potenter pertraxit. Facundia plus quàm humana præditus, puritate Angelica inſignis, diuina charitate feruidus, atque adeo admirabilium factorum ſplendore pollens, vt delapſum de cœlo numen omnes paſſim arbitrarentur. Cuius prædicationis & diuinæ conuerſationis fama circumquaque diffuſa: Iulianus Præſes Lutetianus, qui pios toto hoc tractu perſequebatur, ſatellites miſit, qui Chriſti nominis glorioſum præconem, conſtrictum, exquiſitis tormentis cruciarent, diróq. necarent excidio. Hi ſollicitè Ionium perquiſitum, tãdem vbi in monte adiacente prædicto vico inueniſſent concionantem, primo duris verbis aggreſſi, deinde virgis, demum gladio in aſſertione veritatis, & ſalutari populi cohortatione, ſuáque ipſorum admonitione ſtrenuè perſiſtentem, Chriſtúmque vnicum generis humani Seruatorem profuſis affectibus aſtruentem, cùm diutiùs non ferrent, peremerunt. At Deus athletæ ſui agonem continuo ſuæ magnificentiæ indiciis honorauit. Nam Ionius ceruicibus abciſſis, ſicut eodem quo Dionyſius martyrio, ita & trophæo illuſtratus, caput manibus, ſtabili greſſu, à monte, quem irrigauerat ſanguine (iámque nomine decorat) ad locum quem pro ſepultura elegerat, tria ferè percurrens milliaria peruexit; vbi luce ſuperna circumfuſus quieuit, ſuauiſſimóque odore membra fragrantia deponens, miraculis etiam ſubinde coruſcauit innumeris, quibus ſe & Deo beatum viuere, & populi quem Euangelio peperit perennem ſe agere curam oſtendit.

Catalaunis ſub ſecundæ Belgicæ ſede metropolica, Natalis ſan-
Memmivs. cti MEMMII primi illius ciuitatis Epiſcopi: qui Romæ antiquiſſima nobilitate ortus, à ſancto Petro Chriſti in terris primo Vicario, fidei imbutus documentis, ſacróque tinctus lauacro, charis-

charismatibus diuinis cùm repletus esset, studióque ferueret populos in idolorum cultu, veræque religionis ignoratione versantes, ad salutaria sacra conuertendi: ab ipso Apostolorum summo ordinatus Episcopus, ad cœlestem Christi legem in hac ciuitate promulgandam in Galliam directus est, cum Donatiano Diacono atque Domitiano Subdiacono. Susceptam verò ad illuminandum patriam cùm adirent, vix ab agro Romano pedem dimouerant, cùm gradum sistere oportuit. Morbus enim grauis prima hospitatione Domitianum inuasit, quo breui extinctus est. Quo inexpectato euentu consternatus; Romam repetiit Memmius, réque Apostolo Petro nuntiata, ab eo corroboratus, accepta fimbriæ vestimenti eius particula; cuius appositione cadauer socij reanimaret: ad locum vbi iacebat reuersus, fusa ad Christum oratione, fimbriæ ipsius Apostoli applicatione, defunctum ad vitam sospitatémque integram reuocauit. Túmque tramitem exorsum persequens cum bino comite, tot in via operatus est mira opera, vt vbique & diuinæ gratiæ semina & gloriæ testimonia relinqueret insignia. Tandem expetitæ vrbis mœnia attigit, illic crucis vexillum ad ciuium salutem quantocyus erecturus: sed diaboli inuidia factum est, vt populi duritia nec veritatis præconem admitteret, nec vitæ verbum audire sustineret. Exclusus igitur est protinus ab incolis, simulachrorum feruidis cultoribus, cum improperio vir diuinus: qui iniuriæ non vlciscendæ cupidus, contumacis populi conuersionem, vt precibus à Domino tandem aliquando impetraret, occasionémque præstolaretur, in ipso agro Catalaunensi non ita ab vrbe procul, solitudine reperta, illic in spelunca, diuinis reb. intentus constitit, quousque nobilem puerum delapsum in flumen aquisque præfocatum, Deo volente ad se delatum, inuocato Christi nomine vitæ restituit. Hoc admirabili facto concussi ciues, ad virum beatum properè concurrentes, vrbem vt sibi iam deuotam salutifera prædicatione erudiret, redire dignaretur obnixè rogauerunt. In cuius ingressu diuinæ virtutis fretus gratia, leprosos tres sibi obuios mundauit, cæcos totidem illuminauit, dæmonémque ab obsesso quodam abegit. Tot coruscationibus Christi gloriæ facilè omnium Memmius illustrauit mentes, effecítque sanctis cohortationibus, vt eiurato fictilium numinum cultu, fidem Christi legémque serio ciues profiterentur. Erat illic insigne falsorum Deorum delubrum, quod sacratissimus mysta diabolicis ritibus expurgans, Dei veri obsequiis, cuncto annuente populo dedicauit, sub sancti Petri Apostolorum Principis, à quo

missus primùm fuerat patrocinio. Túmque miraculorum splendore religionem confirmare pergens, eamdem vbi in vrbe egregiè constituisset, per loca vicina dilatare cœpit: oppidóque Pertensi Deo Seruatori feliciter subiugato, illic Ecclesiam in sanctissimæ Virginis memoriam ædificauit & sacrauit. Interea *Poma* Virgo pientissima, quæ inclyti huius Pontificis germana erat, auditis faustis eius prædicationis progressibus, Româ ad eum profecta, Catalaunum venit: ibique sub eius magisterio puros Christo famulatus, ad extremum vsque spiritum reddidit, perductis sua imitatione, ad sacrum virginitatis cultum, plurimis ingenuis puellis. Cæterùm beatus ipse Antistes, tot patratis mirificis actibus, post diuturnum admodum præsulatum, quem in annos ferme octoginta felicissimè prorogauit, tandem piis potitus votis laborum ingentium præmia à Domino reposita percepit: ínque pace sepultus gloriosis emicuit meritorum maximorum insigniis. Ipso die Augustoduni in Æduis depositio sancti CASSIANI Episcopi & Confessoris. Hic genere Ægyptius, Alexandriæ ortus nobili opulentáque familia, diuinæ gratiæ præuentus illustrationibus, ab ipsa pueritia sese diuino famulatui dedicauit, atque à Christi Domini nutibus penitus deinceps in vita pendere constituit. Sub sacerdotum disciplina igitur enutritus, tantam ad doctrinæ & sanctitatis gloriam cum ætate euasit, vt orbatæ Orthosiados Ecclesiæ Episcopus fuerit ob clara merita consecratus. Ei verò non modò tum Pontificalis gratia accessit: sed simul etiam virtutum omnium augmenta, quibus populo sibi commisso egregia ad pietatem & iustitiam exempla permonstrauit. Martyrij sitientissimus, gratiam illius subeundi cùm instantiùs deposceret: responsum à Domino accepit, se non ad agonem qualem cupiebat, sed ad Ecclesiæ Catholicæ magis proficuum exercitium destinari. Pergere igitur in Gallias iussus est sanctísque prædicationibus religionem illic dirè exagitatam tum hæreticorum pernitiosis motibus, tum barbarorum frequenti incursione, fulcire atque erigere labantem. Acquieuit supernis monitis Cassianus, peragratísque Galliæ Celticæ plerisque partibus tandem ad Æduos contendit: vbi comperto ciuitatis sub sancti Sympliciani vigili præsulatu, optimo regimine, quietè vt Domino seruiret diuertit ad oratorium sancti Symphoriani: hæsítque sanctis illic intentus speculationibus, donec animo adiecit studium in Britanniam proficiscendi, quam dira hæresean procella diuexabat.

CASSIANVS.

At ſanctus Simplicius præſcius futurorum, virum Dei plurima obſecratione, ne ab Æduis diſcederet perſuaſit. Vixque abſoluto triennio beatus ipſe Simplicius cùm ad Chriſtum commigraſſet: Caſſianus exploratæ ſanctitatis gratia cunctis acceptus, vicem eius replere omnium votis compulſus eſt. Háncque Eccleſiam magnarum virtutum fulgoribus illuſtrans, viginti exinde annos ad Dei beneplacitum gregiſque ingentem vtilitatem glorioſè gubernauit: ac demum placida morte defunctus ad deſiderati diù properauit, Domini conſpectus fruitionem. Ad eius tumulum mox diuinæ gloriæ indicia coruſcârunt: quibus permotus beatus Germanus Autiſſiodorenſis ſanctiſſimus Antiſtes, in Italiam dum pergeret, vt opem ipſius demereretur ſepulchrum eius ſupplex viſitauit: hácque interpellatione poſt orationem allocutus eſt. *Quid glorioſe frater Caßiane hic agis?* Cui ille. *Viuens in Chriſto, loquens de tumulo, dulci pace & quiete potior: & aduentum redemptoris expecto.* Túmque ei mutua ſermonis vice Germanus replicauit. *Quieſce ergo in pace frater, & vt diuinæ tubæ cantus, & optati clangoris ſonum, audire ad ſacra reſurrectionis gaudia tecum mereamur, pro nobis & hac plebe apud communem Dominum intercede.* Híſque dictis ad iter perſequendum ſe accinxit: paulóque pôſt Rauennæ molem carnis exuens, eiuſdem quietis & gloriæ cum ipſo quem adiutorem implorauerat ſui curſus, particeps feliciter effectus eſt. Laubiis in Belgio depoſitio ſancti ABEL Remenſis Archiepiſcopi & Confeſſoris. Is natione Scotus, ſtudio amplificandæ fidei in Galliam Belgicam Spiritus ſancti afflatu tranſmeauit: Abbáſque Laubienſis factus, irradiante doctrinæ eius cœleſtis & ſanctitatis vndique patentis gloria: ſuggerente beato Bonifacio Germaniæ Apoſtolo, Pipinóque & Carolomanno Francorum Principibus, à Zacharia Papa pallium accepit, cum Archiepiſcopi titulo, vt ipſe, Archiepiſcopi Remenſis in cuius prouincia negotium augendæ religionis procurabat maiori auctoritate partem officij exequeretur. Nec fruſtra: adeo enim grauiter ſuſceptum miniſterium impleuit, vt Apoſtolico planè ſpiritu prædicans, infideles innumeros ad ſuaue Chriſti iugum pertraxerit, præcipuúſque fuerit Leodienſium & Hannonienſium in Euangelio pædagogus. Quamobrem beato Rigoberto Metropolita Remenſi cuius fuerat Corepiſcopus, è carnis ergaſtulo, ad gloriam æternam euocato, non ſine omnium applauſu, in eius locum ſuffectus eſt. Remenſémque Eccleſiam annis ferme decem magna cum virtutum Epiſcopalium laude gubernauit. E qua tamen in odium ſolidæ pietatis & iuſtitiæ

Auct.

expulsus, Laubium repetiit celebre quod prius rexerat cœnobium. Illicque rursus ad Belgicæ gentis illuminationem studium intendens, post multa animarum lucra, è stadio mortalitatis excessit, próque meritorum fœnore, æternam ad quam diù anhelauerat adeptus est beatitudinem. Mox verò sacros honores consecutus, ea veneratione qua cælites in Ecclesia coluntur cœpit celebrari, duplici festo condecoratus. Nempe ordinationis quæ recolitur nono Kalend. Octobris, & depositionis quæ hodie solemnis est, vt Ecclesiasticæ tabulæ testantur. Apud Santones

FREDVLPHVS. sancti FREDVLPHI Confessoris, magnarum virtutum in vita splendore: pôstque obitum multorum signorum coruscatione illustris. Item Bergis in Morinis aduentus & susceptio S.

LEVVINA. LEVVINÆ Virginis & Martyris: cuius corpus sacratissimum ex S. Andreæ monasterio Zeuordiensis portus in Anglia, per Balgerum monachum Bergensem allatum, ad cœnobium ipsum Bergense, atque per vicos & castella Flandriæ ante repositionem circumuectum, fulgens miraculis, afflictis quibusque opem beatæ Christi athletæ deuotè implorantibus, medelam impendit exoptatam: sicut Drogo Morinensis Episcopus dilucidè narrat in eo quem de ipsius beatissimæ Virginis miraculis conscripsit libello.

DOMINICVS. Ipso die natalis sancti DOMINICI Prædicatorum ordinis Patriarchæ, sectæque Albigensium exitiosæ, in Tolosanis partibus præcipui expugnatoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Iustus. LVGDVNI dedicatio Ecclesiæ sancti IVSTI, in qua sacratissima eius ossa religioso cultu condita sunt. Cistertij apparitio sanctissimæ Virginis Mariæ, ordinis ipsius patronæ & tutelatis.

Octauo Idus Augusti. Luna

6 A XIX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	1	2	3	4	5	6	7	6	7	8	9	10	11			

TRANSFIGVRATIO Domini nostri IESV Christi: quæ in Gallia celebris fuit, antequam à Calixto III. Papa vbique per Occidentalem orbem percolenda commendaretur. Sicut patet ex luculento sermone quem eo die habuit, & scripto consignatum reliquit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, qui sub Innocentio II. & subsequentibus aliquot Pontificibus

vixit. Ipſo die Natalis ſancti SIXTI Papæ & Martyris nominis huius ſecundi, qui ſanctum Laurentium Archidiaconum ſuum ad pugnam verbo & exemplo animauit: atque vt gradu & ætate maior ad palmam præceſſit. Huius caput glorioſum duóque brachia Româ in Gallias allata, ad Carthuſianorum Rutilenſe ad ripam Moſæ cœnobium cuius patronus colitur, ibidem cum plurimis Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginúmque exuuiis digno cultu repoſita obſeruantur, memoriáque veneranda hodie magna celebritate colitur. In tractu Lutzemburgenſi depoſitio ſancti GEZELINI Confeſſoris, qui cùm ſæculi rigidus aſpernator eſſet: cum in opinionem ſanctitatis venit, vt à ſancto Bernardo tanti fieret, quod inter ipſius ordinis ſidera, haud cogitans, pro meritis cooptaretur. Nam abſenti ipſemet beatus pater habitum ſuum tranſmiſit, quem aliquandiu ex obedientiæ affectu & reuerentiæ debito Gezelinus geſtauit. At ſecretæ vitæ cupidus, deſerta poſtmodum ad loca diuertit, nudus montes & ſyluas pro Chriſti amore oberrans, herbíſque tantùm victitans. Cùm autem annos quatuordecim totus à mundo exulans, hoc genus vitæ duxiſſet: tandem hominibus ignotus, at Deo & Angelis charus, poſt ſuſcepta ex diuina præmonitione in pago propinquo, æternitatis pignora, carnem exuit, felíxque ad gaudia migrauit cœleſtia. Ad cuius corpus cùm miracula coruſcarent, ædificata fuit ſacra ædes, vbi diù quieuit. Sed demum vt tutiori editioríque loco gemma adeo pretioſa conſeruaretur, ad Caſtrum Lutzemburgum tranſlatum fuit, ínque ſanctæ Mariæ Eccleſia conditum, vbi magnificis refulſit gloriæ qua in cœlis potitur ſignis: atque erga incolas aſſiduæ opitulationis beneficiis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* Gezelinus.

DEPOSITIO beati HORMISDÆ Papæ, qui ſancto Remigio Apoſtolatum Francorum contulit: atque eumdem creans Sedis Apoſtolicæ in Gallia Vicarium, Legatúmque perpetuum, Metropolis cui præſidebat, decus, egregiis priuilegiis ampliauit. Ad hunc, ſuggerente ipſo beato Remigio, Clodouæus Rex coronam auream cum gemmis miſit, teſtandæ in ſanctum Petrum deuotionis ſignum, & Sedis Apoſtolicæ colendæ ruendæque pignus perpetuum; quæ hunc in vſque diem conſeruata, *Regnum*, per excellentiam appellatur. *Hormiſda.*

Septimo Idus Augusti. Luna

7 B XVIII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29
t u A B C D E f F G H M N P
1 2 3 4 5 6 7 8 7 8 9 10 11 12

SS. DONATIANVS. CATALAVNI Natalis ſancti DONATIANI Epiſcopi, qui Diaconi ordine præditus, à ſancto Petro in Gallias ad hanc ciuitatem cum ſancto Memmio Epiſcopo, Domitianóque ſubdiacono deſtinatus fuit: atque per annos fermè octogintà eidem obſecundans, regni Dei ibidem conſtitutionem admodum cum eo prouexit. Quo ſupernam ad requiem tranſlato, ferè iam centenarius Eccleſiæ illius curam ſuſcepit paſtoralem, populúmque Dei ſalutis documentis amplius inſtituens, perfectam ad religionis obſeruantiam ſumma ſanctarum virtutum exercitatione perduxit. Denique piè factorum meritis cumulatus, placidè quieuit in Domino. Eodem die Rothomagi ſecundæ VICTRICIVS. Lugdunenſis Metropoli, ſancti VICTRICII illius vrbis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic teſte beato Paulino Nolano Præſule, etiamnum miles, verum ſeſe Chriſti Confeſſorem & Martyrem præſtitit. Dúmque aduerſa pro Chriſto ipſo tolerat, vincula quibus morte plectendus manus ſuæ conſtringebantur, miraculo diſſoluit. Factus deinde mira rerum viciſſitudine Antiſtes, bene compoſita Eccleſia ſua, exteris populis euangelizauit: magnis laboribus Morinos ad fidem conuertit, item extremos Neruici littoris populos, híſque in barbaris regionibus primus monaſteria conſtruxit. Deinde redux ad ſedem ſuam cui octauus ordine præfuit: tot piis trophæis glorioſus, Confeſſor almus in pace quieuit. Hunc ſanctus Innocentius Papa Apoſtolicis honorauit reſcriptis, quibus cùm ad eius conſultationes reſpondit: tum ſapientiam & virtutem egregiam elogiis commendauit præclaris. Ipſo die apud Conſueranos in Vaſconia, GLYCERIVS. ſancti GLYCERII aliàs Licerij Epiſcopi & Confeſſoris, illiúſque Eccleſiæ ac oppidi Tutelaris glorioſi. Is cœli iter vt caperet, ab ætatis flore, ſancti Fauſti Tarbienſis Epiſcopi veſtigia ſecutus, ſub eius pia diſciplina ad omnis religionis & iuſtitiæ perfectionem proceſſit. Factúſque poſt Theodorum Conſueranorum Antiſtes, fulgentia cùm prodidiſſet ſuæ ſanctimoniæ ſubiecto gregi ſpecula, atque ad Gallicanæ Eccleſiæ præſidium & ornatum ſancitis legibus in Agathenſi celebri ſynodo ſubſcri-

psisset, sancta administratione completa emigrauit ad Dominum, signísque diu post transitum coruscauit innumeris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

TRANSIVIT felici excessu ad Dominum beatæ memoriæ GODESCALCVS Episcopus Attrebatensis. Qui primùm ordinis Præmonstratensis asceta, hinc ob præclaras vitæ religiosæ dotes, doctrinæque rara ornamenta factus est montis sancti Martini Abbas: quo munere dum defungitur ob exquisitæ eruditionis famam Eugenius Papa III. eidem examen dogmatum Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis commisit, ex Remensi Concilio capita suspectæ Gilberti doctrinæ eidem transmittens. Quæ ille diligenter perscrutatus, ex Sanctorum Patrum documentis confutauit: eidémque Pontifici cum libello ipsiusmet Gilberti, annotationibus suis instructo, præsentauit. Post hæc defuncto Aluisio Attrebatensi Antistite Philippopoli in Macedonia, vbi Theodoricum Flandriæ Comitem sacra in expeditione secutus, detentus morbo constiteratt Godescalcus cui doctrina existimationem, sanctitas reuerentiam, munifica in pauperes propensio amorem omnium conciliauerat: eius in locum, superna quasi iam præsignatione destinatum ad hoc solium, longè tametsi à prouectione abhorrens, suffectus fuit. Verùm postquam infulis ornatus est, non paucis ob virtutem & vitæ asperitatem, visus grauior, quódque in peccantes zelo Dei paululum vehementior, factus inuisus; populi sui cuius gratiam præstanti virtutum existimatione primùm demeruerat, earumdem exercitatione odium ac contemptum immeritò incurrit. Cuius duritiam atque peruicaciam diù perpessus: tandem munus suum amplius cùm exequi nequiret, quod iussis eius ac monitis, Duacenses præsertim motem gerere recusarent, ad Pontificem Eugenium iter arripuit, ibique vehementer de diœcesanorum suorum malitia conquestus est. Papa sanctissimus pij Antistitis iustum dolorem paternis solatiis deliniuit: paulóque pòst ad sedem remisit cum rescriptis Apostolicis, quibus contumaci populo seuerè prorsus comminabatur, ni se religiosissimo Episcopo subiiceret. Sic in pace receptus, Pontificatum ea prudentiæ ac pietatis laude administrauit: qua omnium animos demulcens sibi ex aduersis reddidit obsequentissimos. Tandem annis iam grandis, pastoralis solicitudinis fractus laboribus assiduis, & capitis doloribus grauiter agitatus, Henrico Remorum Archiepiscopo Metropolitæ suo mente propalata, de eius assensu infulas deposuit, & pontificia dignitate se abdicans, ad pristinum suæ professionis cœnobium vitæ solitariæ percupidus remigrauit. vbi Deo seruiens in omni humilitate, rudi tunica & pallio tectus annos extremos absoluit. Paulo ante excessum præ senio luminibus orbatus est: quàm afflictionem insigni patientia pertulit: lucísque æternæ desiderio incensus, demum in magna sanctitate, ad regnum gloriæ Christo vocante profectus est. In cuius transitu visa est copiosa candidatorum turma, felicem eius animam præstolantium, quam egressam ouantes susceperunt secum ad superna gaudia deducendam. Ipso die ad Christum perrexit beatæ memoriæ ANSVLFVS Monachus Claraeuallensis, qui viuens charismatibus diuinis plenus cluxit: defunctúsque copiosis miraculorum fulgoribus emicuit. Ipso die obiit Leodij CLAVDIVS VIVIERIVS ordinis Minimorum, vir grauis & eloquens, ac super omnia pius, qui exantlatis pro sui ordinis incremento, & Catholicæ Ecclesiæ decoro multis laboribus: secundùm Franciæ, tertiùm Belgij Prouincialis, nominis magnam famam, & memoriæ piissimam recordationem reliquit.

Godescalcus. *Ansulfus.* *Vivierius.*

Sexto Idus Augusti. Luna

s																C XVII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	8	9	10	11	12	13			

SS. SEVERVS. VIENNÆ Allobrogum ſancti SEVERI Preſbyteri, qui natione Indus, Euangelij cauſa peregrinatus, ad eam vrbem venit, in qua ethnicæ ſuperſtitionis plurima adhuc hominum millia impios ritus tenebant: quos vir ille beatus, ſanctæ exhortationis præconio, atque ingenti miraculorum gloria, ab Idolatriæ ſpurcitiis, ad immaculatam Christi legem cultúmque ſalutarem conuertit. Deinde cùm in religione & charitate mirabiliter profeciſſet, ſanctitate clarus, meritiſque iuſtitiæ affluens, peregrinatione mortali abſoluta, ad beatæ immortalitatis & æterni gaudij pertranſiuit fruitionem. Cuius ſacrum corpus ſepultum in S. Stephani quam condiderat baſilica, conſpicuis fulſit emeritæ gloriæ teſtimoniis. MVMMOLVS. Burdegalis depoſitio ſancti MVMMOLI Abbatis primi Floriacenſis & Confeſſoris. Is cùm *Leodebodus* Abbas ſancti Aniani Aurelianenſis, vir multæ pietatis, baſilicam ad Ligetim in honorem ſanctiſſimæ Deigenitricis & Petri Apoſtolorum principis ædificauit, ſanctitatis fulgebat admirandæ inſigniis. Ob quæ ab ipſomet Leodebodo reuerenter accerſitus: illic aſcetis quos non paucos collegerat in Abbatem præfectus eſt. Tantámque nouo coaleſcenti religioſo cœtui felici ſuo regimine decus attulit, vt ad antiquorum cœnobiorum qui priſca adhuc pietatis decora retinebant, exiſtimationem, illud ſuum, ſanctis inſtitutionibus ac exemplis proueheret. Quod vt fulciret Patriarchæ religioſorum præſidiis, Aigulphum prædilectum diſcipulum poſtea ſucceſſorem & Martyrem, non ſine diuina aſpiratione Caſſinum, ad ſancti Benedicti reliquias ſacratiſſimas, in neglectu iacentes, afferendas miſit: votíſque potitus condecenti veneratione eaſdem excepit, atque cultu debito in ſacrario Floriacenſi vbi hactenus requieſcunt collocauit. Poſt hæc vir Dei, ſtudio augendæ pietatis Burdigalam perrexit, vbi dum animarum intendit lucris, talentorum fœnore ſatis locupletatis, Domino ad præmium inuitante, felici clauſura curſum ſanctæ conuerſationis terminauit. Sepultus autem in Eccleſia ſanctæ Crucis, mirabilia edidit magnifica, quibus vt populo potenter eſt opitulatus,

ſic & memoriæ ſuæ venerationem peperit ſempiternam. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Quinto Idus Auguſti. Luna

9																D XVI.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	9	10	11	12	13	14			

VIGILIA ſancti LAVRENTII Martyris. Bituricis octaua ſancti STEPHANI Protomartyris: cuius cùm corpus ſacratiſſimum Conſtantinopoli Romam, ab Eudoxia Auguſta aduectum, in tumulum ſancti Laurentij ad religioſiorem obſeruationem & ſitum magis conſpicuum, illatum fuiſſet: Beatus Laurentius quo primam Martyrum coronam venerari ſe proderet: tantóque hoſpiti rependeret officioſæ ſalutationis indicia; ſpontaneo motu à ſepulchri dextra ad ſiniſtram ſe conuertit, Martyrúmque Coryphæo locum honorabiliorem detulit, vnde celebri adagio, *comis & vrbanus Laurentius* iampridem dictus eſt. Rotomagi ſancti MAVRILII Epiſcopi & Confeſſoris. Hic natalibus Remenſis, primam ætatem diuino obſequio addixit, quóque popularium ſuorum fugeret exiſtimationem; ob virtutum diuinarum quæ in eo micabant lumina: profectus in Italiam, Monachus Florentiæ Abbáſque ob religionis præſtantiam effectus eſt. Sed Monachi effrenes non ferentes eius ſanctimoniam, eum veneno perimere ſtatuerunt: quod ille reſciens fugit in Normaniam cum *Gerberto* Monacho ſapienti & religioſo: factúſque monachus in cœnobio Fiſcanenſi, magna pietatis & ſapientiæ præſtitit ſymmyſtis ſuis ſuſpiciendáque ſpecimina. Claris quibus dotibus, charus iam cùm eſſet omnibus bonis, Malgerio Archiepiſcopo Rotomagenſi Guilelmi nothi Angliæ Regis patruo, ob morum leuitatem & paſtoralis officij incuriam depoſito, dignus inuentus eſt qui tantæ ſedi ſic vacuæ præficeretur. Quo ſuſcepto præſulatu, tantum effecit ſua ſana doctrina & ſancta conuerſatione, vt maculam qua deceſſor pontificiam cathedram fœdaſſe, ſuis prauis moribus videbatur, ex toto diluerit. Nec mores duntaxat, ſed muros quoque ſacros, Antiſtes optimus ornauit. Nam ſanctiſſimæ Virginis baſilicam, cuius fabrica pridem incœpta, potentem manum ad perfectionem expectabat, ad colophonem per-

Marginal notes: SS. LAVRENTIVS & STEPHANVS. — MAVRILIVS.

duxit, ſolemníque ritu dedicauit: deinde coruſcauit etiam mirificis ſanctitatis ſuæ indiciis. Ac demum exactis annis duodecim, quibus huic Metropolicæ Eccleſiæ magna cum benedictione præfuit: depoſita carnis ſarcina, ſpiritum Deo gratum ad cœlum tranſmiſit. Sepultúſque in ipſa ſumma Deiparæ æde, præclara prodidit beatitudinis ſuæ inſignia. Catalauni Natalis ſancti DOMITIANI Epiſcopi, qui cum ſancto Memmio Epiſcopo & Donatiano Diacono, à ſancto Petro miſſus in Galliam, ciuitate iſta ad Chriſti Euangelium communi ipſorum opera conuerſa: tertius ordine Antiſtes: nempe poſt Donatianum qui proximus beato Memmio ſucceſſerat, eam in Dei timore ac amore gubernauit: amplificatáque circumquaque religione ſanctiſſima, ſenio admodum grauis, at vegetior Apoſtolico ſpiritu & ſacerdotali vigore, beatæ æternitatis tramitem ingreſſus, piorum laborum plenam remunerationem retulit à Domino. Belnæ in Æduis ſancti HERNEI Abbatis & Confeſſoris, qui cùm eſſet ex progenie nobili ortus in Aquitania, ab infantia ſacris literis eruditus, ac regularibus diſciplinis plenè imbutus, ſacris actionibus ac lectionibus aſſiduè deditus, pauperibus vltro miniſtrans, & ipſe pro Chriſto pauper & peregrinus effectus, propriam patriam, domos & ſucceſſiones opimas ſecutus dominica monita reliquit. Auditáque ſancti Innocentis Cenomanenſis Epiſcopi fama, vnà cum aliquot ſociis ad eum venit: à quo ob compertæ virtutis & eruditionis gratas dotes, diaconus, deindéque & preſbyter ordinatus; Celſiacum accepit vicum, vt aſcetas aliquot ibi degentes ſub Chriſti famulatu ſanctè regeret, familiámque ipſam pietatis fœnore ampliaret. Qui ſuſceptam obedientiam adimplens, illic Eccleſiam in honorem ſancti Martini conſtruxit: vbi adlectis triginta monachis inſtituta puriſſimæ conuerſationis tradidit. Qua in cella excepto honorificè Rege Clothario, vinum precibus ſuis quo ipſum refecit, eiúſque comitatum, mirificè augmentauit. Rex verò beati viri ſanctitatem dignè adueneratus: prædia multa quibus locum illum ampliaret, ſeruorúmque Dei ſub tanto duce militantium inopiam ſubleuaret, ei dedit. His fultus præſidiis Herneus, egentibus etiam circumquaque opem tulit adeo ſedulam, vt etiam neceſſaria ſibi ſolatia ſubtrahens, iiſdem miſericorditer erogaret. Demum meritis affluens, & clarus miraculis, puriſſimæ vitæ ſanctiſſimo exceſſu, felicem adeptus eſt conſummationem: ínque eiuſdem vici Eccleſia ſepultus, magnam ſignorum coruſcationem edidit. In Iotrenſi cœnobio veneratio ſacratiſſimorum pignorum illuſtrium Chriſti Mar-

DOMITIANVS.

HERNEVS.

tyrum SECVNDIANI, VERIANI, & MARCELLIANI, qui hodie Romæ imperante Decio sub Consulari Promotio, fustibus, igne, ferro excruciati, demum capitis abscissione, æternum gloriæ diadema promeruerunt. Quorum corpora Româ in Gallias aducta, illícque ad venerationem reposita, etiamnum eximio cultu, cum plurimis aliorum beatorum lipsanis conseruantur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* SECVNDIANVS, VERIANVS, & MARCELLIANVS.

Quarto Idus Augusti. Luna

10																E XV.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	4	5	6	7	8	9	10	11	10	11	12	13	14	15			

TRIVMPHVS sancti LAVRENTII Martyris S. R. E. Archidiaconi, multarum Ecclesiarum insignium in Gallia tutelaris. Cuius pretiosis pignoribus ipsa Gallia variis in locis exornata, præsidiis etiam fulta exultat gloriosis. Nam & pars craticulæ in qua exustus, ardentes carbones flammásque Christi amore superauit, in regali cœnobio sancti Dionysij propè regiam Lutetiam iampridem percolenda seruatur: alia parte dudum antea Cenomanis, à beato Domnolo Episcopo eiusdem vrbis, in cœnobitica æde sancti Vincentij reposita. Lauduni verò brachium illius sinistrum in cœnobio S. Martini ordinis Præmonstratensis, diuina aspiratione iam olim collocatum est, vbi innumeris radiauit miraculis: sicut & Lemouicis aliquot eius veneranda spolia, prout sanctus Gregorius Turonensis commemorat. Eodem die Lugduni depositio sancti ARIGII Episcopi & Confessoris, qui arduam virtutis semitam à teneris annis aggressus; celsos per meritorum gradus, Ecclesiasticos ordines conscendit: tantáque in iis emicuit religionis & doctrinæ gloria, vt sancto Chagnoaldo, ad regna cœlestia assumpto, Archipræsul almæ huius sedis non sine superno spiramine creatus: memoriam decessoris digna successionis vice condecorârit. Populum siquidem sibi creditum ea virtute & integritate gubernauit, qua præstantes quoslibet Domini sacerdotes, omni virtutum gratia anteiret. Magnificus in sacrorum locorum ornatu, basilicam sancti Iusti vetustate lapsam restituit, Ecclesiam sanctæ Crucis construxit, mira in Dei honore procurando & ouium salute operatus est. Demum perfectæ sanctitatis

SS. LAVRENTIVS. ARIGIVS.

clarus insigniis, vocante Domino, æternum abiit ad præmium.

AVCTOR. Metis sancti AVCTORIS Episcopi, qui Leguntio succedens egregiis luminibus virtutum Cathedram illam repleuit: atque ad pietatem vindicandam Agrippinensi Concilio præsens, suffragium decúsque haud modicum contulit. Piè denique pontificatu & vita perfunctus, ad speculationem deitatis, in qua summi boni fruitio est, carnis exutus mole felix properauit.

HVGO. Autissiodori sancti HVGONIS Episcopi & Confessoris, qui carne nepos sancti Hugonis Cluniacensis, spiritu filius: à prima ætate in Dei timore & salutis scientia eruditus, ex Abbate sancti Germani Autissiodorensis, Humbaudo ciuitatis illius Præsule demortuo, factus est magna ob morum decora sedis illius Antistes: quam virtutum sanctimonia insignis, miris gratiarum cœlestium quibus coruscabat fulgoribus, exornauit. Religionem factis amplificauit gloriosis: tribus cœnobiis scilicet Rigniaco, de Rupe & Bono radio initia dedit. Deinde postquam populum suum verbo & exemplo mirabiliter pauisset, felici fine quieuit in Domino. De cuius sancto transitu hoc memorabile proditur, quod cùm extrema ægritudine laboraret, sibíque diem sentiret adesse nouissimum, fratres circumstantes circa horam nonam diei his verbis admonuerit. *Horas quæ supersunt, quas debemus Domino persoluamus, quoniam finitis horis statim requiescam.* Cantauerunt ergo diuina quæ supererant præconia. Et horâ Completorij completâ, completus est etiam vitæ eius terminus. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Petrus de Nolasco. HOC ipso die sanctus PETRVS DE NOLASCO natione Gallus, fundauit ordinem beatæ Mariæ de mercede redemptionis captiuorum, anno Domini 1228. Ipse verò beatus, pridie Kalend. Ianuarij anno 1249. superna ad tabernacula translatus, misericordiæ & copiosæ apud Deum redemptionis munera promerita recepit. *Guido.* Obiit sancto fine GVIDO Episcopus Carcassonensis: magnus Albigensium hæresis insectator, deliciarum domitor, virtutum cultor, multarúmque in Christo parens animarum. Item abiit ad Christum *Laurentius.* LAVRENTIVS Conuersus Claræuallensis, vir magnæ humilitatis, radiis admodum sanctitatis illustris.

Tertio

Tertio Idus Augusti. Luna

11 F XIV.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 1 2 3 4
t u A B C D E f F G H M N P
5 6 7 8 9 10 11 12 11 12 13 14 15 16

LVTETIÆ Pariſiorum *ſuſceptio* ſacræ coronæ ſpineæ Domini: quam ſanctus Ludouicus feliciter à Venetis redemptam, in ſacroſancta Capella regij ſui palatij, perenniter venerandam magno cum triumpho collocauit. Ebroicis ſub ſecunda Lugdunenſi natalis ſancti TAVRINI Epiſcopi, qui Romæ ortus patre Tarquinio, Ethnicis ſuperſtitionibus dedito, matre Euticia ſacris Chriſtianis imbuta (quæ piis eum votis cœlitus repromiſſum ſuſcepit:) à ſancto Clemente diuino tinctus lauacro: ipſa à pueritia præclara futuræ ſanctitatis indicia exhibuit. Ætate verò procedente, ob ſpectatæ pietatis & ſapientiæ conſpicuas dotes, ſacris ordinibus ab ipſomet initiatus Apoſtolico Pontifice: veniente Romam ex Athenis beato Dionyſio eius in notitiam atque amicitiam ob egregias virtutes, maximè verò fidei ardorem, feruentiſſimúmque ſalutis animarum ſtudium feliciter incidit. A quo in Galliam proficiſcente, ex ſancti ipſius Clementis conceſſu, in comitem aſſumptus: vbi cùm ipſomet Dionyſio Lutetiæ Pariſiorum aliquandiu hæſiſſet: deinde ad Euangelij ſementem diſſeminandam, Ebroicam ab eodem miſſus eſt. Ibi inter ethnicæ ſuperſtitionis ſpurcitias, potiſſimum Dianæ profanus vigebat cultus. E cuius templo (cùm id ingreſſus fuiſſet Taurinus) dæmonem in Idolo loquentem & populo illudentem viſibiliter expulit, ſub Æthiopis horrida ſpecie apparentem, atque terribiliter vociferando fugientem. Quo ſpectaculo ciues perculſi, ſalutaribus monitis Chriſti nuntij aurem præſtare cœperunt. Audítíſque veritatis Chriſtianæ præconiis petierunt tandem ſacra regeneratione Deo vero conſecrari. Hoc vno die Chriſti cultum profeſſi ſunt ciuium duo circiter millia. Et deinceps, tanta acceſſit ad ſalutis fontem multitudo, vt breui poſtea interuallo, tota ſe ciuitas Chriſtianis ſacris addixerit. Tametſi diabolo inſtigante Licinius Præfectus Taurini progreſſus impedire contenderit, cuius ſæuitiam dilectus Deo Pontifex magno miraculo diſſipauit, mortuum eius filium Chriſti virtute ad vitam reuocans. Quo viſo Præſes ipſe cum vxore & filio,

SS. TAVRINVS.

aliíſque mille ducentis viris baptiſmi gratiam petiit & ſuſcepit. His partis trophæis, vir diuinus Taurinus ad coronam properauit cœleſti voce inuitatus, atque coram plebe peractis in Eccleſia tremendis myſteriis, beatum ſpiritum efflauit. Cuius corpus ſacratiſſimum Angelico monitu eo loco ſepultum fuit, vbi poſtea erecta in ipſius ſancti Antiſtitis honorem baſilica, memoriam eius venerandam prodit, ſacráque eius condit ac ſeruat etiamnum ſpolia. Cameraci (quondam ſub Remenſi metropoli) depoſitio ſancti GAVGERICI Epiſcopi & Confeſſoris. Hic apud Euoſium villam peramœnam tractus Treuirenſis primum ſpiritum hauſit, ſpectabili genere editus, patre Gaudentio, matre Aſtridiola, à quibus cùm in prima ætate, Dei cultum vehementer ſpiraret, ſacrarum literarum ſtudiis traditus eſt ſub ſacerdotis illius loci viri religioſiſſimi diſciplina. Sub quo hos in virtutum ſcientiarúmque palæſtra progreſſus edidit, vt ſocios non modò feliciori inceſſu anteiret, ſed ætatem ipſam virtutibus longè ſuperaret. Cuius vitæ continentia & morum integritate, ſibi à ſacerdote illo graui præconio commendata, Magnericus Epiſcopus Treuirenſis, dum parœciam circuiret, delectatus, eum in Clerum adoptauit, & diaconum ordinauit. At ille benedictus iuuenis leuitico ſublimatus officio, in ſingulos dies, tot virtutum incrementa adiecit, vt ſanctitatis admirandæ radiis perculſos quamplurimos peccatores, à cœno cui hærebant extraxerit, atque ab errore nonnullos ad rectum ſalutis iter reduxerit. Quanti autem iam eſſet meriti apud Deum facto illo inſigni omnibus innotuit: quòd etiamnum diaconus, leproſo gentili Chriſtum annuntians, eidem cum agnitione veritatis lucéque ſalutis, ſanitatem ſimul corporis impenderit. Increſcente igitur virtutis eius fama & odore ſanctæ exiſtimationis longè latéque ſe diffundente: contigit vt Vedulphus Cameracenſis Pontifex, ſtadio mortalitatis exceſſerit. Quare grex ille paſtore deſtitutus, diuino inſtinctu à Childeberto Francorum Rege magni Clodouæi filio ſuppliciter poſtulauit, Gaugericum ſibi præfici Epiſcopum. Qui confeſtim miſſis literis, ad Ægidium Remenſem metropolitam, iuſſit Cleri populíque votis (quæ poſtulati ſanctimonia mirum in modum commendabat) ſatisfieri. Sic conſecratus Gaugericus ſedis illius Antiſtes ſacris habendis concionibus aſſiduam operam adhibuit: nec modò verbis pluere, ſed & ſignis coruſcare cœpit. diebus ſiquidem Rogationum quos veneratione pleniſſima tranſigebat, dum ſupplicationem ſolenniter cum Cle-

GAVGERICVS.

ro & plebe ageret : transeundóque clamores vinctorum audiret, Iudicem vt in pietatis intuitum, miseros illos à se ad meliorem frugem reuocandos sibi traderet deprecatus, flectere nequiuisset : fusis ante carceris fores ad Deum precibus: eosdem diuina exorata ope, nexibus omnes expediuit, atque superno nutu solutos, monitis salutaribus erudiens, ad vitæ lapsus reparandos seria emendatione perduxit. Cuius sanctitate permotus Clotarius Rex, orationum eius subsidia sæpè expetiit, atque largas opes, eius sacratissima manu in eleemosynas dispergendas eidem commisit. Porro Gaugericus cùm ad sancti Martini sepulchrum tum voti causa, tum erogandæ regalis munificentiæ studio proficiscitur, cæcum sibi obuium prope Turones illuminauit impresso crucis signaculo. Solutis ad gloriosi Confessoris tumulum pietatis officiis, dum redit ad ouile, pueros captiuos, quos negotiator venales exponebat, paternis admonitionibus quos redimere non potuerat: directa ad Dominum deuota supplicatione à iugo seruitutis, magna diuinæ virtutis clarificatione, eripuit. Ipsúmque nundinatorem quem vrebat auaritia, ad charitatis cultum sanis adhortationibus excitauit. Redux ad sedem deinde vir beatus, montem olim dæmonum cultui dedicatum, in quo adhuc superstitiosa plebs impios ritus exercebat, his spurcitiis expurgauit. Idola etenim exterminauit, succidit lucum, & locum tot immunditiis addictum in orationis ædem & sacrificij salutaris aram commutauit, quam sub sancti Medardi consecrauit auspiciis. Eóque in monte post obitum sepultus est, vbi ad memoriam eius venerandam nobilis est Ecclesia constructa, pretiosis eius pignoribus referta, gloriæque ipsius fulgida perpetuis indiciis. Remis translatio sancti CALIXTI Papæ & Martyris, facta ex Cisonio cœnobio ad principem ædem sanctæ Mariæ. In Hasbania Sarchinio monasterio, translatio corporum gloriosorum TRVDONIS Presbyteri loci illius patroni, & EVCHARII Episcopi Aurelianensis, illic demortui & sepulti. Item ipsa die eleuatio solemnis eorumdem, facta magna cum celebritate per Radulphum Leodiensem Episcopum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Calixt.

Trvdo & Evcharivs.

Pridie Idus Augusti. Luna

12 G XIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
6	7	8	9	10	11	12	13	12	13	14	15	16	17			

SS. PORCHARIVS. APVD Lerinum cœnobium paſſio Sanctorum Martyrum PORCHARII Abbatis,& quingentorum Monachorum, qui pro fide Chriſti à Saracenis Narbonenſem Galliam inuadentibus cæſi, martyrio inſigni coronati ſunt: quorum animas COLVMBVS. COLVMBVS aſceta in cauerna deliteſcens, vidit ſicut ſtellas per aëra fulgentes, comitantibus Angelis ad cœlum euolare. Vnde animatus ipſe è latebris exiliens, vltro barbaris furentibus iugulum præbuit, & ſic lubenti animo immolatus, fratres ad coronam ſubſecutus eſt. In territorio Meldenſi Iotro Monaſterio, AQVILBERTA. ſanctæ AQVILBERTÆ Virginis eiuſdem cœnobij Abbatiſſæ, quæ illuſtri regum ſanguine procreata, patre Abobino, *Pientia* matre, Sancti Ebregeſili glorioſiſſimi Epiſcopi Meldenſis germana, primis virentis æui annis Chriſti obſequiis deuota, virginitatis florem eidem dedicauit: atque illo in cœnobio facta ſub ſancta *Theodechilde* monialis, ita ſe ſanctiſſimis religionis ſtudiis applicuit, vt omnibus exemplar & ſpeculum fieret caſtiſſimæ diuinorum placitorum obſeruationis. Vnde emigrante ad ſupernas ſedes beata ipſa Theodechilde, gubernatrix virginalis ſodalitij effecta, largíſque à Deo gratiæ perfuſionibus inundata, cœtui ſibi commiſſo vberrima chariſmatum, quibus affluebat, dona verbis & actibus ſuis influxit: quibus tandem perfectè emenſa viam pietatis & iuſtitiæ, meritis ſanctæ vitæ & adminiſtrationis plena, æternam vocante ſponſo perrexit ad gloriam. Ipſo die Caſtriloci in montibus VVALDETRVDIS. Hanoniæ tranſlatio corporis ſanctæ VVALDETRVDIS viduæ Sanctimonialis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Clara. SANCTÆ CLARÆ Virginis, primiceriæ ſanctæ paupertatis ſectatricium, quarum in Gallia plurima ſunt monaſteria: hodie vbique colitur beatus ad cœlorum regnum tranſitus, quem ad meritorum eius clarificationem diuinæ gloriæ mirabilia illuſtrarunt. Item Claræuallis celebris eſt Inuentio pluſquam *Nongenti Sancti Monachi.* NONGENTORVM SANCTORVM Monachorum, Conuerſorum & Nouitiorum eiuſdem cœnobij: qui diſcipuli ſancti Bernardi, ipſo viuente feliciter obie-

runt. Horum sacra ossa in capellam Comitum Flandriæ sub Episcoporum, Abbatúmque multorum conspectu, honorificè translata, miraculis magnis coruscârunt: quapropter condigna habentur veneratione. Cenomanis fit solemnis supplicatio, iussu Caroli Regis instituta.

Idibus Augusti. Luna

13 A XII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	f
19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	13	14	15	16	17	18			

SS. HIPPOLYTVS.

NATALIS sancti HIPPOLYTI Martyris, qui Romæ à sancto Laurentio baptizatus, Valeriani iussu, pro fide quam strenuè profitebatur fustibus primùm cæsus, cum his verberibus potius roboratus quàm debilitatus magis ac magis, Christi nomen adorandum asseueraret: muneribus etiam tentatus, neque iis neque honorum promissis à pietatis constanti præconio potuisset abduci: indomitis equis per loca carduis & tribulis consita raptatus, lacerato toto corpore spiritum Deo reddidit. Cuius corpus beatus *Iustinus* Presbyter pone sanctum Laurentium sepeliuit in agro Verano, cum sacris beatæ *Concordiæ* eius nutricis, aliorúmque decem & nouem ex ipsius familia Martyrum exuuiis. Vnde postea leuatum, atque Carolo Magno à Leone III. Pontifice pretioso datum munere, in Galliam delatum, cum venerandis sancti ALEXANDRI Papæ & Martyris necnon beati CVCVPHATIS Christi quoque testis pignoribus, in asceterio de Valle Leporis digno cultu ab ipsomet piissimo Imperatore reconditum fuit. At post eius obitum, Fulradus eius nepos, Abbas insignis cœnobij sancti Dionysij in Francia illud inde transtulit ad basilicam eiusdem cœnobij sancti Dionysij: vbi proprio in loculo & sacello illud reposuit, à posteris, sicut etiamnum colitur, perenni veneratione obseruandum. Ex cuius susceptione magnis diuinæ magnificentiæ testimoniis illustrata, factus est anniuersarius dies agonis eiusdem beati Hippolyti in ea Ecclesia celebris. Quo die cùm aliquando Robertus Francorum Rex Christianissimus, qui magna pij affectus propensione in hunc Martyrem ferebatur, venisset ad sancti Dionysij cœnobium, vt festum eius cum fratribus solemni more celebraret: ab exercitu, quo Castrum Melodunum cinxerat, clanculum diuertens: vbi missæ solemniis deuotè interfuisset, ipso in diuini mysterij complemento, cùm Diaconus de more *Ite Missa est* caneret, venit

ALEXANDER Papa & Martyr CVCVPHASque.

festinè ad Regem nuntius significans arcis mœnia funditus corruisse, sícque opitulatione Martyris, quem specialiter reuerebatur, factus Rex pius triumphator, ad suos rediit: suísque auxiliatoris præsidiis victoriam tantam adscribens, illius apud Deum egregia merita magnis celebrauit preconiis. Ipso die E-

LAVDVLPHVS. broicis in Normania sancti LAVDVLPHI Episcopi & Confessoris, is vbi ex ephœbis cœpit excedere, de ineunda piæ vitæ ratione seriam cogitationem suscepit: ascriptúsque Clero matricis illius Ecclesiæ magna lumina prodidit sanctissimæ conuersationis. Quamobrem Viatore Episcopo hominem exuente consonis omnium votis delectus est Antistes: sed ad Ecclesiæ gubernacula nonnisi multum renitens & inuitus, vir humilitatis amantissimus accessit: quæ tamen ea virtute & sanctimonia moderatus est, vt nihil ex his quæ Apostolatus in Episcopo exigit studiis ac operibus desiderandum relinqueret. Pristinum vitæ institutum in victus & vestitus austeritate: orationúmque assiduitate retinuit: in quibus etiam meruit concentum Angelicum haud semel audire. Iudicio etiam columnæ instar solis radiantis sancti Taurini corpus per plura annorum curricula occultatum, diuinitus reperit, eidémque tamdiu intermissos rependit honores. Absoluto denique magna cum Ecclesiæ vtilitate diuturno Præsulatu, vir diuinus feliciter in Christo obdormiuit, memoriámque reliquit posteris perenni veneratione percolendam. Item in Germania depositio

HARIOLPHVS. sancti HARIOLFI Episcopi Lingonensis & Confessoris, qui tempore Gregorij II. Papæ magno cum splendore pontificiæ vigilantiæ & virtutis eam Eccleliam rexit. At subinde postquam aliquot annis Episcopali munere diuinè perfunctus fuisset, vitæ solitariæ amore Episcopatu cedens, eremum petiit, vbi multos miræ sanctitatis flagrantia, ad sui amorem & imitationem traxit: quos vt piè contineret in piæ institutionis obseruantia Elefancense struxit cœnobium in diœcesi Moguntina: cui diu summa religione præfuit: donec præceptorum Euangelicorum cursu confecto, Christo parta copiosa filiorum sobole, meritorúmque sibi ingenti congerie cumulata: ad speratæ remunerationis perrexit fruitionem. Eodem die Pictauis

RADEGVNDIS. sanctæ RADEGVNDIS, Reginæ: posteáque monialis & Abbatissæ. Hæc Berthario Thuringiæ Rege nata: ipso Herminefrido fratre cæsô, euersóque non diù post Thuringiæ regno à Clotario Francorum Rege, in Galliam abducta est honestè educanda, adhuc vix decennis. In tam tenera ætate nihil tamen puerile aut ludicrum affectabat: non corporis ornatu, nec

aulicis deliciis, sed precibus ac piis humilitatis ac charitatis officiis delectabatur. Ob quas egregiæ venustati coniunctas dotes, ab ipso Clotario in vxorem accepta, ita ei hæsit, vt tamen à cœlestis sponsi placitis & famulatu omnino penderet: martyrij cupida, atque vitæ religiosæ appetens, à viro non semel separationem poposcit. Quam cùm impetrare non posset: sub pretiosis & delicatis vestibus vile & asperum cilicium gessit, quo carnis motus sic compressit, vt tandem (iuuante Deo) plane excuteret. Porro visceribus plena misericordiæ, in pauperes & calamitosos maximam curam coniecit: omni qua poterat ope eis solatia præstans: donec tandem Deo piis eius votis aspirante discessum ab aula impetrauit: fratri siquidem innoxio mors vbi fuisset illata, tunc ipsa à Rege dimissa, consilium quod in regia premere cogebatur, liberè aperuit. Carne iam spiritui subiugata, palam præponere cœpit Christum marito, monasterium regno: Nouioduni primùm, vbi amputatis crinibus, depositóque regio ornatu, sacro velamine amicta fuit à beato Medardo notæ sanctitatis Pontifice. Deinde Chinoni: postremo Pictauis in cœnobio à se constructo in honorem sanctę crucis sub S. Cæsariæ regula, vitæ religiosæ institutum amplexa, atq. gloriosè persecuta est. Suóque exemplo, ad propositi sancti cultū innumerabiles pene virgines pertraxit: quibus ob clara diuinæ gratiæ testimonia, omnium efflagitatione præfecta, potiùs ministrauit quàm præfuit. In officiis siquidem humilitatis & charitatis assiduè versabatur: suísque actibus cùm nec vilissima officia respueret, ad harum studium virtutum cæteras prouocabat vt quæ se ignobilem existimaret, nisi nobilitaretur ipsa ministerij vilitate. Porro in carnis maceratione, rigidissima, totam hebdomadam excepto die dominico ieiunabat, pane hordeaceo, modicáque aqua vitam sustentans. Corpus cilicio tectum catena ferrea constringebat: vt id sub spiritus lege mancipatum coërceret. Sorores perpetuis monitis ad diuini sponsi fidele obsequium & cœlestis patriæ desiderium hortabatur: *Agite*, inquiebat, *mecum in hoc sæculo vnde gaudeamus in futuro. Plena fide seruiamus Domino. Quæramus eum in timore, in cordis simplicitate, in corporis puritate: vt quæ repromisit syncerис mentibus gaudia mereamur consequi.* Tanta cum sanctitate polleret, piissima fœmina, sese nihilominus peccatricem vocitabat: sicut etiamnum inscripta cernitur in ea, quam ad Episcopos direxit Epistola, cùm metę felicis decursus proxima, monasterij sui tutelam ipsismet, multo cum honoris impendio, ingentes spirans pietatis affectus, commendauit. Ad extremum gratiæ plena fœmi-

ribus, miraculiſque clara plurimis, Chriſti ad optatum euocata eſt conſpectum, vitæque ſanctiſſimæ monimenta conſpicua relinquens, præſtantiſſimorum ſcriptorum qui commentariis res ſacras conſignarunt, excelſa retulit præconia. Corpus eius beatus Gregorius Turonenſis propriis manibus ſepeliuit: atque magnifica, quæ ad eius tumulum poſtmodum coruſcarunt virtutum diuinarum ſigna, luculenta recenſione teſtatus eſt. Item

IVNIANVS. Pictauis ſancti IVNIANI Abbatis magnæ ſanctitatis viri: egregij ſanctæ ipſius Radegundis in Chriſto pædagogi, qui eodem die ac hora qua ipſa, è corpore exceſſit: miraculiſque in vita & pòſt glorificatus eſt innumeris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Joannes Berchmannus. OBIIT Romæ magna cum innocentiæ & ſanctitatis fama in ætatis primæuo flore, anno ſcilicet vigeſimo ſecundo, IOANNES BERCHMANNVS ex Societate IESV Diſtemij in Brabantia natus. Cuius aſſueta vox erat, *Tria mihi chariſſima ſunt: videlicet Chriſtus crucifixus, Roſarium Deiparæ, & regula Societatis* IESV*; cum his libenter moriar.* Item diu anre in Claravalle animam puriſſimam

Bernardus. efflauit piæ memotiæ BERNARDVS Monachus, egregius carnis domitor, cuius efferatos motus cum prece aſſidua & perpetuo annıſu diu debellare contendiſſet: nec tamen periculoſæ colluctationis adipiſceretur victoriam: demum à Chriſto ope inſtantius implorata, eam grariam recepit, vt ne deinceps minimam carnis commorionem ſenriret: ſicque mente purus & cotpote virgo, victor ad ttiumphum ouans in cœlum perrexit.

Decimo nono Kalend. Septembris. Luna

14 B XI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	14	15	16	17	18	19			

SS. VVERENFRIDVS. VIGILIA *Aßumptionis glorioſæ Deigenitricis Mariæ.* Elſtæ in Belgio ſub Vltraiectino præſulatu ſancti VVERENFRIDI Preſbyteri & Confeſſoris, qui ex Anglia eas in partes veniens, cum ſancto Vvillebrodo poſtea Archiepiſcopo Vltraiectenſi à Sergio I. Papa prece Pipini Ducis ordinato: ab ipſo ob Apoſtolicas quibus fulgebat dotes verſus Medemblicam, Duroſtadium, Elſtam & Batuam miſſus, Chriſti doctrinæ ſalutaris ſementem felici manu diſperſit, Eccleſiam Vverterſuerdenſem paſtorali cura collegit, egregiè rexit, & exemplo vitæ bonæ plurimos Deo populos acquiſiuit: nec Chriſto lucra accumulare deſiit, donec continuis laboribus confectus, placido obitu ad æternam migrauit requiem. Tumulatus fuit Elſtæ in

Batauia in Ecclesia sancti Saluatoris quam dudum sanctus Clemens construxerat: in qua cùm ossa eius magnis signorum coruscationibus rutilarent, à Baldrico Episcopo Vltraiectensi honorificè leuata sunt. Deinde translatus ad locum vbi nunc collegiata eius nominis basilica conspicitur: magna pollet ibi & meritorum gloria, & perenni fruitur deuotorum clientum veneratione. Apud Arceyas oppidum territorij Trecensis, translatio sancti BALSEMII Martyris, cuius natalis conspicuus est BALSEMIVS. decimo sexto die huius mensis. Eius sacrum corpus cùm diu in mausoleo quo primùm tumulatus fuerat, iacuisset, Hersendis Comitissa pia affecta deuotione, multo cum honore leuari curauit, & ad castrum suum Ramerudum deferens collocauit in Ecclesia sanctæ Deigenitricis, quam ipsa cum filio Hilduino Comite nuper construxerat. Vbi quiescens Martyr, hospitalitatis memor, incolis multa sanitatum beneficia impendit. Leodij apparitio sancti LAVRENTII Archidiaconi & Martyris: quando omnia sui monasterij (quod in suburbio existit) visus est LAVRENTIVS. claustra deambulasse, & quosdam qui non vt filios lucis decet incedebant, virga percussisse. Ibidémque conspecta est imago crucifixi, quasi viuentis in cruce, fudisse lachrymas: Beatissimus verò Martyr Laurentius cuidam religioso monacho illius prouoluto pedibus, quærentíque ad quid venisset in visione respondisse, O frater! venio iterum assari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum*, &c.

Decimo octauo Kalend. Septembris. Luna.

15																Cx.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	15	16	17	18	19	20			

ASSVMPTIO, coronatio & triumphus, sanctissimæ DEIGENITRICIS VIRGINIS MARIÆ: in cuius honorem SS. Beatissima VIRGO MARIA defuncta, assumpta & coronata. sex Metropolitanæ Ecclesiæ, videlicet Remensis, Rotomagensis, Parisiensis, Auscienesis, Ebredunensis, Auenionensis: Episcopales verò tres suprà triginta, nempe Carnotensis, Constantiensis, Ebroicensis, Lexouiensis, Baiocensis, Virdunensis; Siluanectensis, Laudunensis, Ambianensis, Nouiomensis, Boloniensis, Claromontana, Aniciensis, Ruthenensis, Vabrincensis, Lucionensis, Aquæ-Augustæ, Tarbiensis; Eloronensis, Adurensis, Lascariensis, Nemausensis, Apamiensis, Ri-

uensis, Lombariensis, Massiliensis, Foroiuliensis, Vapincensis, Sistariensis, Vasionensis, Diensis, Grassensis & Dinensis, in Gallia; (quæ à suscepta Euangelica pietate, beatissimæ ipsi Dei Seruatoris parenti colendæ, admodum propensa fuit:) iampridem sacratæ sunt. In quibus magna celebritate triumphalis hic gloriosissimæ ipsius Virginis dies peragitur. At potissimum in Parisiensi, quæ vt regiæ vrbis splendore cæteris antecellit: sic deuotione in Sanctorum Reginam longè præeminet: cuius & beatissimum discessum, euectionémque admirandam, & gloriosam coronationem (quæ simul hodie Catholica Ecclesia vbique recolit & celebrat) præcipuo cultu inter cæteras eius festiuitates veneratur. Aldenburgi in Flandria depositio sancti ARNVLPHI Episcopi Suessionensis & Confessoris. Quem stirpe inclyta Ducis Louaniensis Comitisque Namurcensis atque Montensis procreatum, fore in conspectu Dei magnificum, adhuc in maternis latentem visceribus, mater eius cœlesti visione ac oraculo didicit: vita verò & mors gloriosa reipsa maximum extitisse coram Domino, donis ac meritis, comprobârunt. Huic nomen Christophorus, cùm cœlitus ante ortum inditum fuisset: Arnulphi, Aldernadensis Dynastæ, qui eum è sacro fonte suscepit, nomen impositum obtigit, susceptoris eiusdem, fastu inflati, voluntate. Verùm etsi Christophori non consecutus sit superno præsignatam afflatu nuncupationem, affectum tamen & virtutem Christum ferendi semper exhibuit. Puer siquidem iis in Deum propensionibus deditus eluxit: quibus iam eximia futuræ sanctitatis & gloriæ specimina præferebat. Quem cùm ideo parentes nobilissimi, Christi obsequiis destinarent, literarúmque studiis cuperent propterea mancipare: quòd tamen illum præstare corporis proceritate & robore, in ætatis processu cerneret Arnulphus ille Aldernadensis, cæteríque consanguinei, bellicis exercitiis summa eum contentione coaptarunt: balteóque militari accinxerunt, quem coniuncta nobilitati virtus generosa decorauit. Cæterùm inter sæcularis militiæ arma sic versabatur, vt cuncti ex ipso vno egregium absolutæ virtutis exemplum acciperent, & tanquam in speculo perfectissimam morum optimorum ideam contemplarentur. Erat enim diuinis rebus deuota mente intentus, pius in subditos, in egenos profusus, omnibúsque ornamentis excultus, quibus strenuum militem & sedulum Christi cultorem simul exprimebat. Sed cùm tot & tanta virtutum germina vberes fructus pro voto, præpediente sæculari pompa, haud proferrent, diuino actus spiramine statuit terrenæ militiæ deserto cingulo: cu-

ARNVLPHVS Suessionensis.

ius & labores omnes in id commutare vnde certa cœlestis vitæ præmia expectare posset. Ficto igitur ad aulam Philippi Francorum Regis aditu, cum decenti apparatu matri valedixit. At neglecta regia, rectà Suessionem profectus in sancti Medardi cœnobio religionis laude percelebri, sub Reynaldo spiritalis militiæ tyrocinium iniit ac exegit. Móxque omni pietate coruscans, eleemosynæ cœnobij operibus per obedientiam deputatus, hoc præstitit vir misericordiæ visceribus affluens, suæ charitatis instantia, vt pauperes verum patrem se in eo nactos arbitrarentur. At vir diuinus perfectioris Deo famulatus exhibendi studio inflammatus, secretæ conuersationis gratiam à Domino obnixè flagitauit & impetrauit. Eóque desiderio potitus, ab omni se hominum familiari congressu seclusit, cellæque inclusus annis tribus & mensibus sex, sese intra perpetuum silentium continuit, sola diuinorum librorum lectione & cœlestium rerum meditatione se delectans; vigiliisque & ieiuniis assiduus, pane ex hordeo semitrito corpusculum refocillabat. Interea Reynaldo Abbate, vitæ munere piè defuncto, Pontius quidem pseudomonachus per simoniam Abbatis locum inuasit, breuíque monasterium opibus & disciplinis florentissimum exhausit, vesana mente dissipans omnia pene ornamenta. Ob quæ scelera eiectus, Arnulphus cuius sanctitas in omnium oculis radiabat, renitens licet atque non sine diuinæ voluntatis significatione à fuga retractus, substitutus est. Ceruice igitur oneri supposita, collapsam monasterij doctrinam & disciplinam resarciuit, magna virtutum claritate & solicitudinis prouidentia. Quin & miraculis quibus largitore Christo insignis emicuit, fratres in omni religionis continuit officio, exteros verò ad meliorem vitæ frugem adduxit. Tantæ viri Dei gloriæ inuidus dæmon splendorem non ferens, vt quæ super candelabrum lucebat fulgidam adeo lucernam extingueret, persecutionem mouit, qua sacrum heroem in regis pertraxit odium, dum militaria tractare quæ rex exigebat, ex Abbatis asserta obligatione, quam mos iniquus inuexerat, recusauit. Abdicatâ igitur præfectura sacra vir sanctissimus, ad pristina pœnitentiæ opera & secretæ conuersationis studia reuersus, cellulæ sese iterum inclusit: vbi potiora exeruit quàm ante prouectionem, beatæ mentis lumina. Postquam igitur fato functus fuisset Theobaldus Suessionensis Antistes, Arnulphus minimè honoris appetens ad Episcopale fastigium inuitus planè & reluctans euectus est; atque infulis sacris ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi Apostolicæ sedis Legato, iussu Gregorij Papæ VII. deco-

ratus. Sed iam antè Vrſio quidam Geruaſij regij dapiferi germanus, ſedem illam armata vi occupauerat. Pacis quàm diſcordiarum ſtudioſior Arnulphus, in quodam caſtello ſuæ diœceſis quod Vlciatum vocant, fauente ſibi Theobaldo Comite, ſedem conſtituit, illícque accurrentibus promiſcuè populis impendit ſalutis ſubſidia. Donec præfato Hugone Legato agente habita eſt Meldenſis Synodus, in qua iuridicè Vrſio gregis Dominici deuaſtator inuaſórque Epiſcopalis Cathedræ depoſitus: Arnulphus verò in ſedę cuius digniſſimus erat confirmatus eſt. Qui ſuſceptum pacificè præſulatum, annis octo magna cum Dei gloria & Eccleſiæ vtilitate adminiſtrauit. Demum à Gregorio prælibato Pontifice miſſus eſt cum literis, ad Robertum Flandriæ Comitem, vt eumdem cum inimicis reconciliaret: quod ille pietate fortis, gemina inſtigante iuſtitia obedientiæ & condolentiæ fraternæ, ſtrenuè præſtitit pace compoſita apud Inſulam ciuitatem. Vnde cùm Altemburgum digreſſus eſſet, Deo ita diſponente, magna cum ſanctitatis laude immaculatum vitæ abſoluit tramitem. Illícque ſepultus in Eccleſia ſancti Petri quam cum cœnobio aſcetarum Benedictini inſtituti conſtruxerat, innumeris clarificatus eſt miraculis: quibus commotus Lambertus Epiſcopus Tornacenſis, cum Cononis Legati Apoſtolici licentia, & auctoritate Concilij Bellouacenſis, quod miracula examinauerat, corpus ſacrum è terra leuauit iuxta Eccleſiæ Gallicanæ morem, honorificóque loculo recondidit, ad quem afflicti quíque pio affectu concurrentes, diuinæ opitulationis ſolatia receperunt. Eodem die Metis tranſlatio ſancti ARNVLPHI Epiſcopi itidem & Confeſſoris: cuius corpus venerandum ſanctus Goëricus eius ſucceſſor, collecta Cleri populíque frequentia ex Eremo ad vrbem reuexit, atque in feretrum repoſuit conſpicuum fulgentibus miraculis, quibus ſacra ſanctiſſimi Chriſti Pontificis membra toto itinere coruſcârunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

ARNVLPHVS Metenſis.

Decimo septimo Kalend. Septembris. Luna

16 D IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	16	17	18	19	20	21			

APVD Arceyas in territorio Trecenſi Natalis ſancti BALSEMII Martyris qui Lemouicus origine S. Baſoli nepos, ſub perſecutione Vvandalica profectus in Campaniam, cùm zelo Dei incenſus barbaros illos qui tractum hunc dira clade vaſtabant, verbis ſalutaribus hortaretur, quatenus exitioſo infidelitatis deſerto tramite, diabolique excuſſis quib, impliciti erant laqueis, in viam ſalutis (veri vtiq. ac vnici rerum conditoris cultum amplectentes:) ac pietatis & iuſtitiæ ſemitas ſeſe reciperent, ab ipſis belluarum more in illum inſurgentibus, probris ac pugnis impetitus, raptatus atque in montis ſupercilio prope oppidum præſignatum ictus gladio, abſciſſo capite, laurea donandus æterna, beatum ſpiritum in cœlum efflauit. Móxque audita eſt Angelica melodia triumphum celebrans Martyris, qui deciſſum caput propriis manibus colligens ante hoſtiles copias ſtrenuè gradiendo reuexit. At magnificum adeo victoris ſpectaculum non ferentes emiſſarij Satanæ, Chriſti athletam glorioſum ſic ouantem proteruè inſectantes, rurſus apprehendunt, feriunt, obuiúmque demum in puteum præcipitant, ſaxorum globis onerant, atque ſic obrutum mole lapidum, dum palmam eius obſcurare ſatagût, illuſtrant erecto quaſi illius victoriæ trophæo, & ipſorum immanitatis, & tanti Martyris gloriæ perenni monimento. Puteus in quem inclytus Chriſti miles coniectus eſt, etiamnum viſitur leucæ duntaxat quadrante ſubductus ab eo loco, in quo ſecuri percuſſus fuerat: quinque ſilicibus contectus & opertus, quibus martyr obrutus fuit: pone quem cernitur ædicula eidem triumphatori ſacra, cuius hodie natalis tota in diœceſi celebratur. Pictauis Natalis S. TRIASIÆ Virginis recluſæ quæ à S. Hilario edocta, abiectis ſæculi pompis & deliciis, virginitatem ſuam Regi æterno conſecrauit, atq. in cellula ſeſe toto vitæ decûrſu continuit. Poſtquam autem præclaris omnium virtutum ornamentis dotata conſenuit, in religioſa ſtatione purum Deo ſpiritum reddidit, magníſque meritorum clarificationibus poſt felicem exceſſum inſignita eſt. In Gallia Narbonenſi depoſitio ſancti ROCHI Confeſſoris, qui vrbe Monſpeſſu-

SS. BALSEMIVS. TRIASIA. ROCHVS.

lana claro genere ortus, Christi charactere, rubra scilicet cruce ab vtero insignitus enituit : sanctitatísque tyrocinium iam à mamilla pendens iniit, quam biduo in hebdomada scilicet quarta & sexta feria sugebat. Parentibus orbatus, à quibus piè institutus fuerat, religionis ergo & studio Sanctorum Apostolorum limina Martyrúmque vestigia venerandi, veste peregrini assumpta Romam profectus est : ditione paterna patruo commendata, cæteris autem facultatibus in pauperes erogatis. Iter ingressus in hospitales domos diuertebat, & quod vnum inter alia in mandatis à pio patre acceperat, pauperes & ægros, quacumque poterat ratione atque subsidio solabatur. Peste igitur in Italia tum grauiter sæuiente, præclaram nactus occasionem exercendæ charitatis, strenuam in iuuandis iis quos lues infecerat operam nauare cœpit : plurimis signo crucis valetudinem auspice Christo restituit. Eius assiduis precibus Aquapendens, Cesenna, Ariminum, aliæque Italiæ vrbes à lethifera hac lue liberatæ sunt : Romæ autem cùm vota exolueret, Cardinalem quendam peste infectum sic curauit, vt crux quam Rochus ipse illius fronti impresserat, perpetuò conspicua remaneret. At sacer heros humanæ laudis meruens, Galliam dum reperit, plurimis vbique curationibus mirus : Placentiæ eodem morbo quo alios liberauerat, diuino consilio quo eius merita augerentur correptus est. Quæ causa fuit, vt vrbe egressus, proximam in syluam se receperit : vbi fons diuina voluntate ad languentis preces exiliens, vehementem febris illius ardorem temperauit. E vicina quoque domo nobilis cuiusdam viri canis, raptum è mensa panis frustum quotidie Christi athletæ deferebat. donec is sanitatem diuina ope adeptus, in Galliam dirè bellis vexatam reuerti constituit. Cùm autem ad oppidum suum peruenisset, creditus explorator, in carcerem coniectus est, vbi quinquennium, durè habitus, cum summa patientiæ laude & iugi passionis Christi meditatione expleuit. Demúmque ad perfectam meritorum coronidem peste iterum ictus, mortem adesse sentiens Ecclesiæ sacramenta poposcit, piè suscepit, Angelicáque visione ad præmium laborum inuitatus, feliciter ex carnis ergastulo, ad supernæ patriæ gaudia, quæ tamdiù concupierat æterna euolauit. Corpus cuius sacratissimum postea Venetias translatum multis refulsit signis, potentis opitulationis. Quæ cùm Patribus Concilij Constantiensis innotuisset, ipsorum decreto ad propulsandam eius patrocinio hanc luem, imago eius solemni apparatu, sacro ordine procedente, vndique comitante populo, per vrbem de-

lata est: quo pietatis officio, furore mitigato, pestilentia cessauit. Sancti verò huius cœlitis sic clarificata merita, memoriæ eius vbique in Occidente condignum cultum quo beati opitulatores ex Ecclesiæ more honorantur, excitarunt. Eodem die Autissiodori sancti ELEVTHERII Episcopi & Confessoris, qui sancti Droctoaldi successor quatuor Conciliis Aurelianensibus interfuit: Ecclesiámque commissam magnis virtutum splendoribus illuminans, ad lucis æternæ præmia euocatus est. Eodem die Seduni inter montes Alpinos ad Rodanum, depositio sancti THEODVLI Episcopi illius sedis & Confessoris: qui post Constantium hoc pontificatu sublimatus, sancto Regi Sigismundo charus, eum ad opera pia, religiosa instantia instigauit: cui & suasor extitit, construendi celebris cœnobij Agaunensis, in honorem sancti Mauritij Martyris illic cum sociis coronati: cuius loci fundationi cum Viuentiolo Lugdunensi, Victore Gratianopolitano, Maximóque Geneuensi exploratæ quoque sanctitatis Præsulibus subscripsit: basilicámque ipsam Pontificali ritu dedicauit. Deinde virtutum incrementis assiduus, Clerum populúmque suum sic ipsarum coloribus tinxit, vt morum purissimorum imitatores sedulos, piis nisibus (superna afflante aura) effecerit. Et ita decursa feliciter Dei mandatorum palæstra, ad supernorum Senatorum consessum, perfectæ sanctitatis purpura insignis emigrauit. Maclouiopoli sancti ARMAGILI Confessoris magnarum virtutum meritis præclari. Taruanæ Morinorum ostensio sancti HVMFRIDI illius municipij Episcopi & Confessoris: cuius beata depositio colitur octauo Idus Martij. Ipso die Natalis sanctæ GEMMÆ Virginis & Martyris, quæ summo loco nata, Christi fide illustris, pro eiusdem assertione & virginitatis quam cœlesti ipsi sponso deuouerat tutela, agonem acerrimum sustinuit, déque pugna ad palmam properans in triumpho cœlesti, beatarum Virginum choris ob victoriæ præmium associata, magnis resplenduit partæ sibi æternæ gloriæ insigniis. In huius B. Virginis venerationem piè propensus Guido I. Dux Aquitaniæ & Pictauiensis Comes: nobile asceterium construxit in Episcopatu Sanctonensi, quod pignoribus eius decorauit pretiosis, ipsiúsque titulo insigniuit glorioso. Ipso die Arelatæ sanctæ RVSTICVLÆ Virginis, quæ apud Vasionenses nobilissima Martiorum familia, eodem die nata est, quo pater Valerianus piissimo fine, stadio carnis excessit. Cúmque quinquennis iam venustate corporis eximia niteret: magis verò animi dotibus decora omnium in se affectus traheret, eam Cheraonius Guntram-

Eleutherius.
Theodulus.
Armagilus.
Humfridus.
Gemma.
Rusticula.

ni Regis familiaris, adhuc tenellam rapiens sibi connubio iungere voluit. At diuino nutu à manibus eius erepta, suadente Siagrio Augustodunensi piissimo Episcopo, annuentéque ipso Rege, ad monasterium quod Arelatæ olim S. Cæsarius sorori Cæsariæ construxerat, religionis cupiditate profecta, LILIOLÆ Abbatissæ instituenda traditur: sub cuius disciplina tot charitatis, humilitatis, prudentiæ, patientiæ & benignitatis signa in omnes edidit, vt defuncta Liliola eam adhuc octauum decimum ætatis annum agentem, sancta illa Virginum turma in coryphæam sibi elegerit. Suscepto quo, non sine renitentia, regimine, talem se omni solicitudine ac sanctimonia præstitit, qualem S. Cæsarius sororem instituens, matrem cœtus huius virginalis in omnibus se habere præscripserat. Nam imprimis Deo intenta, sic orationibus & diuinæ legis meditationi incubuit, vt Psalterium integrum, & totos sacræ Scripturæ libros memoriter teneret. Vigiliis & ieiuniis ita se dedidit, vt tertio tantùm quoque die cibum sumeret: reliquis verò sororibus nocturnis horis quiescentibus in Ecclesia excubaret, psalmis & orationibus cum lachrymis insistens. Lectum siquidem ad somnum nonnisi semel in anno sibi componi permisit. Nihil quod ad Dei cultum & sororum curam spectaret vnquam prætermisit. Sed tamen inuidia Ricamiri Comitis falsò accusata, ad Clotarium Regem per Nimphidium Præfectum Arelatensem vincta deducta est, permultis in itinere editis miraculis: quorum fulgore & euidentia sanctitatis innocens comperta, honorificè ad suum cœnobium remissa, à sororibus ingenti cum gaudio recepta est: quarum cellas post reditum ampliauit. Multa oratoria itidem in vrbe extruxit, demúmque omni ætate in Christi famulatu consummata, plusquam septuagenaria, ad cœlestes nuptias immortalitatémq. beatam Christo inuitante perrexit: ínque S. Trophimi Ecclesia, funere glorioso sepulta, dum in feretro deferebatur ęgrotantiũm qui loculo eius pio affectu colla summiserunt, langoribus optatam præstitit medelam: atque deinceps perpetuis opitulationis beneficiis, totius ciuitatis & tractus Arelatensis populorum deuotionem sibi deuinxit: apud quos hodie sacris honoribus celebris est. Rotomagi depositio sacratissimi corporis beati Christi

AVDOENVS. Confessoris ac Pontificis AVDOENI. Cùm in ipsius basilicâ solemni ritu & conuentu, pignora eius veneranda è lipsanotheca veteri, in conditorium nouum bracteis aureis intus exteriúsque decoratum, tralata fuerunt præsẽtib. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Georgio Archiepiscopo Rotomagensi & Antonio Patriarcha Bituricensi, cœnobij illius Archimandrita,

Decanóque & Canonicis matricis Ecclesiæ, quibus index dexteræ manus pretioso munere traditus est asseruandus: quem in sacrarium templi Deiparæ perpetim colendum intulerunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

CLVNIACI dedicatio capellæ Abbatialis beatissimæ Virginis Mariæ, tempore Pontij cœnobiarchæ peracta. In Prarensi cœnobio prope Duacum commemoratio beatarum Virginum FVLCEDIS, SANCTÆ & RVSSELLÆ sororum quæ idem asceterium inchoarunt, atque ibidem in Dei obsequio castissimè, persistentes religiosæ vitæ tramitem feliciter consummarunt. *Fulcedis, Sancta, & Russella.*

Decimo sexto Kalend. Septembris. Luna

17 E viii.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	17	18	19	20	21	22			

LINGONIS Natalis sancti MAMANTIS Martyris illustrissimi. Is in Cæsarea Cappadociæ (sicut ex gestis eius vindicatis breuiter exscripsit Notkerus) temporibus Aureliani Tyranni, quando persecutio maxima Christianis imminebat: cùm puer esset decem annorum, relictis omnibus fugit in montem, cum pecoribus quæ ibidem pascebat, & eorum lacte vescebatur. Vbi visitatio diuina super illum effulsit, præsignauítque qualiter pro Christi nomine pati deberet. Cùm ergo feræ syluestres ad eum venirent, ipséque sedens quotidie Euangelium legeret: mansuetissimè circa eum versabantur, quarum lacte seruus Dei & se & alios pauperes in eleemosynis iuuabat. Cùm audisset Alexander Præses eum inter feras communiter viuere, magicæ arti illud deputauit, vocatúmque ad se multis tormentis afflixit. Suspensum siquidem equuleo torsit, & in caminum ignis ardentem misit, sed in nullo eum lædere potuit ignis. Postea iussit eum lapidari, vt penè totum corpus illius saxis operiretur. Ipsum igitur persecutor credens mortuum, secessit: sed Dominus Martyrem suum illæsum seruans, postea sua vocatione ad cœlestia regna accersiuit: sícque gloriosus athleta in pace animam reddens, ad æternam requiem migrauit. Cæterùm hunc eximium Christi pugilem, Patres ob gestorum magnitudinem, agonis gloriam, miraculorum ante & post trophæum splendorem, magnum Martyrem speciali cognomento nuncuparunt: iísque encomiis extulerunt, quibus post Stephanum neminem alium laudauère: sicut legere est in vtriusSS. Mamas.

que Gregorij, Nazianzeni & Romani monimentis, Sanctorúm-que Ambrosij & Basilij lucubrationibus: quorum iste ad dignè decora tanti athletæ prædicanda, vberiorem sua, qua omnes perculit desiderauit facundiam. Porrò Martyris ipsius admirabilis, cultus in Europam inuectus est, primùm ex digiti illius susceptione, qui à sancta Radegunde Regina, Pictauis in cœnobio sanctæ crucis, condecenti honore super aram principem reconditus est, præuiis miraculis, quæ Fortunatus in historia vitæ, religiosissimæ ipsius Heroinæ recensuit. Deinde ex capitis eius brachiíque ad Lingonensem ædem Cathedraticam delatione: quæ ob mirabilia ex his micantia, patrocinium ipsius Ecclesiæ & ciuitatis tutelam ipsimet sanctissimo Christi agonistæ vendicarunt. Quemadmodum inferius insinuabitur sexto Idus Octobris, qua die translatio ipsius solemnis est in Ecclesia Lingonensi. Ipsomet die Nordouici in Hollandia natalis sancti IERONIS Presbyteri & Martyris. Is genere Scotus, natiuo ex solo, fide & gratia plenus has ad plagas Christi lumine illustrandas transmeauit, multósque à diuersis erroribus verbo salutari & vitæ sanctissimæ exemplis liberauit. Cæterùm cùm Christi trophæa magis in dies amplificaret, Danis ac Normanis sæuientibus: ob pietatis studium ab impiis capite plexus est. Corpus eius inde Egmundam ad S. Adalberti cœnobium translatum fuit per Theodoricum secundum Comitem. Eodem die octaua S. Laurentij Martyris: cuius cum venerandis pignoribus plurimæ Galliarum Ecclesiæ suffultæ sunt, sic patrociniis felicissimis perfruuntur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Iero.

ABIIT hodie ad supernas sedes, gloriæ præmia ex humilitate adeptus, beatæ memoriæ CAROLOMANVS: qui Caroli Martelli filius, patre ex hominum cœtu subducto, cum fratre Pipino curam Francici principatus partitus, Austrasiæ regimen suscepit: magnáque id gessit cùm bellicæ virtutis tum iustitiæ & prudentiæ laude, hauſtáque veræ pietatis ex pectore, oréque S. Bonifacij Germaniæ Apostoli indole, ad Christi cultum augendum, populorúmque salutem promouendam Ratisbonæ conuentum habuit celebrem, in quo plurima ad Dei gloriam & decus Ecclesiæ, ac Reipublicæ commodum, de Episcoporum & Presbyterorum consilio, Procerúmque suffragio, suadente ipsomet beato Bonifacio ordinauit. Cui & Fuldensem fundum donauit ad cœnobium construendum. Iam verò sexennium cùm exegisset feliciter in regni & prouinciarum administratione, populorum mores per diuersas Synodos composuisset, contumaciam retudisset hostium; Saxonas, Boios, Sueuos, Aquitanos compescuisset: omnium rerum humanarum & fugientium pertæsum, cœpit æternorum & immortalium cupido. Regno igitur Francorum quod in Austrasia moderabatur, & prouinciis quibusque fratri Pipino (qui natu secundus ab ipso erat) commissis, Romam ad Zachariam Pontificem, cum splendido Francorum comitatu propetauit, multáque dona regia S. Petro Apostolorum

Carolomanus.

principi dedicauit, sacrisque initiatus secessit in montem Soractem, sancti Siluestri latitatione celebrem. Vbi aliquot annis religiosissimè versatus, cùm à popularibus & clientibus, officij & honoris causa ob memoriam veteris principatus & famam sanctitatis frequens adiretur, ferre non potuit, suas cœlestium contemplationum iucunditates, à profana turba toties interpolari. Itaque communicato cum certo fidóque amico, quem à puero probum æquúmque cognouerat, consilio, noctu vel nullo conscio vel sciente, Cassinum cum socio rellictis omnibus corporis commodis, nudus nudum Christum secuturus profugit, vbi pulsatis foribus cum adeundi Petronacis Ætheriarchæ copiam peteret, admissus illico se ad genua Patris ignotus abiecit, se sicarium professus, & facinorosum omníque scelere coopertum. Damnatus à Præsulo voti, in tirocinium admittitur, & cum comite suo, cella pro more & lege sancti Benedicti, clauditur: atque hoc grauius in omni genere patientiæ exercetur, quo minus loco erat notus. Vertente igitur anno, solemnibus se votis Deo cœnobióque dicta lege totum transcripsit: atque vt vsus & officiorum vices ferunt, coquo ex ordine administer mittitur. Porro ad imperia magis quàm ad officia culinæ natum, quamquam omnes muneris sui partes explere satageret, offendentem semel ex imprudentia noui muneris, non verbis modò, sed verberibus & colaphis sæpiùs atrociter coquus illum mulctauit. Ad quas indignitates patientissimus heros alapis obiurgatus nihil respondit, nisi: *Indulgeat tibi Deus frater & Carolomannus.* Non sic ad sæuum illum Archimagirum se habuit Carolomani socius, qui barbarè itidem ab illo tractatus, pugnis illius colaphos compensauit: ob quam rem in quæstionem vocatus, cùm prope pœnas acerbas luiturus esset ex sacri cœtus sententia, rem omnem propalauit. Carolomanum indicans quondam Francorum Principem, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi dereliquerit: quíque de tanta excellentia ita se abiecerit, vt modò à vilissimis personis, non solùm contumeliis afficiatur, verùm etiam affligatur verberibus. Attoniti omnes ignorantiam excusârunt, veniámque precati, magna veneratione Carolomanum coluerunt. At ille vicissim cum lachrymis in terram fusus, se Carolomanum (nempe eumdem qui fuerat postquam abnegasset seipsum) esse inficiatus est. Altæ tamen nobilitatis, cùm effigies ipsa stemma ac decus indicaret: in omnium admiratione esse cœpit. Sed ille vt opinionem de se conceptam vinceret, omnis se religiosæ disciplinæ, exemplum præbuit adeovt, nec vilissimarum rerum officia detrectârit, quin potiùs ambierit. Abbas igitur cùm ardens ipsius desiderium Deo placendi in humilitate cognouisset, gregem illi ouium domesticum quotidie in pascua ducendum, custodiendum, reducendúmque commisit. Quo in munere, stupenda humilitatis, patientiæ & obedientiæ edidit specimina. Tum ad horti cultum translatus, quicquid ad demandatum munus spectabat, lubenti animo vigilique solettia executus est. Deinde ab Abbate ad fratrem Pipinum missus est, ad Cœnobij excidia, quæ imminebant ex minis Astulphi Longobardorum Regis, auerruncanda. At nescio quo ductus consilio Pipinus, qui sedis Apostolicæ libertatem vindicabat, fratris petita, non admisit: sed nec permisit illum in Italiam redire; quem apud Viennam Galliæ quietè in monasterio agere voluit, dum expeditionem quam parabat perageret. Illic igitur Carolomanus diuturniori languore affectus, in humilitate & omni pietate sanctissimè obiit. Cuius corpus Pipinus frater locello aureo conditum cum plerisque muneribus ad cœnobium Casfinense remisit: vt ibi quiesceret, donec cum delecto humani generis cœtu, ad meliorem vitam reuocaretur.

Decimo quinto Kalend. Septembris. Luna 18 F VII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
12	13	14	15	16	17	18	19	18	19	20	21	22	23			

SS. FIRMINVS. METIS depoſitio ſancti FIRMINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui Symmacho ſummo Pontifice, virtutum Epiſcopalium laude florens, cùm ad Synodum Agathenſem, præcipuis cum Gallicanæ Eccleſiæ Patribus conueniſſet: multóſque pro Eccleſiæ ſuæ cura ac prouectione labores ſubiiſſet, demum ſanctimoniæ gloria illuſtris, exuta carnis mole, ſpiritum beatum ad cœleſtem patriam tranſmiſit. Ipſo die Remis & Aureliis feſtiuitas ſanctæ HELENÆ Auguſtæ: quæ Conſtantini magni mater, poſtquam à ſancto Silueſtro Pontifice in fide fuiſſet confirmata, ea felicitate potita eſt, vt filium ſingulari Dei beneficio vera pietate illuſtratum, ſanctiſſimæ religionis primum ex Auguſtis apertum profeſſorem ac ſtrenuum propagatorem factum viderit. Cuius ope ac beneuolentia nixa, præclara præſtitit in Chriſti cultu augendo opera. Nam pietatis ergo profecta Hieroſolymam, crucem Domini cum clauis mirabiliter inuenit, loca ſacra, ſuperſtitionum ſpurcitiis ethnicarum iudaïcarúmque expurgauit: Ædificiis ſplendidis inſtruxit, donariis exornauit. Quin & amicæ Chriſto humilitatis æmula, epulo ibidem Virginibus ſacris exhibito, iiſdem inſeruire voluit in habitu famulæ. Romæ crucis baſilicam deinde condidit, quam ſalutiferæ crucis parte inſigniuit. In Galliæ decoramentum etiam religioſè propenſa, Aureliis principem ædem conſtruxit in Chriſti crucifixi veneratione. Cuius & tunicam inconſutilem Treuiros pio cultu obſeruandam miſit, cum pleriſque aliis redemptionis humanæ monimentis. Tandem poſt tam clara piáque edita toto orbe facinora, in Chriſto cuius gloriam zelo feruenti prouexerat, placidè obdormiuit: Romæque ſub patrocinio Sanctorum Petri & Marcellini ſepulta eſt, in porphyreo mauſoleo. deinde cùm miraculis, quæ in vita etiam patrauerat coruſcaret, à Theogiſo Monacho in Franciam corpus eius ſacratiſſimum aduectum, atque in Altouillari cœnobio ingenti cum miraculorum fulgore collocatum fuit, vbi hactenus magna religione ſeruatur: demptis aliquot particulis quæ hinc Aureliam miſſæ, ad principis Eccleſiæ or-

HELENA Auguſta.

natum & clientelam digna etiam obseruatione habentur. Ipso die in Broniensi monasterio præsulatus Leodiensis, susceptio reliquiarum sancti EVGENII primi Episcopi Toletani ac Martyris, sancti Dionysij Galliæ Apostoli, primarij asseclæ & symmystæ. In cuius Ecclesia, cùm agonem haud procul à Lutetia Parisiorum peregisset, conditum eius corpus, ad hæc ferè tempora vsque quieuit: at Caroli noni Regis Christianissimi munificentia, Hispanis non ita diu concessum, in ipsa Toletana Ecclesia, magno cum pompa quam ornauit Philippus Rex Catholicus singulari pietate, collocatum fuit: exceptis aliquot ossibus quæ ex sacratissimi cadaueris trunco pridem euulsa, dataque beato Gerardo Episcopo Leodiensi, ab eo ad præsignatum Bronium delata cœnobium, magno illic honore, nec sine miris diuinæ gloriæ indiciis reposita sunt, vbi hactenus deuotissimè coluntur. quorum contactu Stephanus tricesimus nonus eiusdem sedis Antistes, sanitati restitutus memoratur. Eodem die in Lætiensi cœnobio ad Helpiam fluuium haud procul ab Auenna oppido Hannoniæ: veneratio reliquiarum sancti AGAPITI Martyris, anno ætatis quinto decimo Præneste, pro fidei constantia iussu Aureliani Imperatoris diris cruciatibus necati. Item in montibus Hannoniæ in collegiata Ecclesia sanctæ VALDETRVDIS, reseratio sacrarum exuuiarum eiusdem beatæ, ædis illius tutelaris, facta solemniter per Petrum Albanensem Episcopum Apostolicæ sedis Legatum, & Nicolaum Episcopum Cameracensem, ad petitionem Margaritæ Flandriæ & Hannoniæ Comitissæ. In qua ostensione à corpore caput seiunctum proprióque insitum ferculo, fidelium deuotioni exhibitum est percolendum. Ebroicis octaua sancti Taurini. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Evgenivs. Agapitvs. Valdetrvdis.

PERREXIT ad lucis æternæ fruitionem piæ memoriæ ADAM Episcopus Morinensis, ex Archidiacono Parisiensi: vir omni vita laudabilis, qui confectus iã ætate & gloriosis laboribus perfunctus, abdicato præsulatu in Claræuallensi cœnobio factus Monachus, ibidem inter Christi seruos, in magna humilitate & puræ mentis tranquillitate, diem extremum peregit. Quo die etiam ad Dominum meritis plenus profectus est IOANNES asceta Cisterciensis, vir pietatis egregiæ, simplicitatis admirandæ, signísque sanctitatis illustris.

Adam Episcopus. *Ioannes.*

Decimo quarto Kalend. Septembris. Luna

19 G VI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	19	20	21	22	23	24			

SS. ELEPHIVS

CATHALAVNI ſub ſecundæ Belgicæ Metropoli ſancti ELEPHII Epiſcopi & Confeſſoris, qui cùm diuinis chariſmatibus afflueret, ſubducto è mortalium cœtu Tattinodo Eccleſiæ Cathalaunenſis Pontifice, in locum eius ſubſtitutus, magnam populo ſibi commiſſo documentis & actibus ædificationem attulit: cultúmque intemeratæ religionis indefeſſo pietatis ſtudio plurimùm adauxit. Iámque ſenio affectus, ob doctrinæ, prudentiæ & ſanctitatis exploratæ auctoritatem, in Hiſpaniam propter cauſas Brunichildis reginæ, quæ ad Gallici Imperij iura pertinebant, Legatus directus, ad Emeritam vrbem Luſitaniæ clariſſimam venit: vnde poſt compoſita feliciter negotia, ſanctæ *Eulaliæ* Virginis & Martyris ſacra attulit lipſana. Deinde in reditu correptus febre, at magis Chriſti æſtuans, quem in præcordiis ſemper inſitum geſſit, amore, de tranſitu ab Angelo admonitus, ſpiritum exhalauit beatum. Corpus eius ob ſanctitatis qua fulgebat decus ad ciuitatem ſuam relatum, in Cathedratica æde, in qua ſacris honoribus hodie colitur: reuerenter tumulatum eſt. Huic beato Præſuli ſuffectus fuit condignus germanus *Ludomirus*, voto Cleri, applauſu populi, aſſenſu Sigeberti Regis, cui mos erat dicere, ſe Elaphium dudum Præſulem coluiſſe vt patrem: huic autem ſe obſequi vt Domino, denique vt ſanctum eumdem adhuc mortalem venerari. Eodem die in Phocenſi prouincia caſtro Brincola depoſitio ſancti LVDOVICI Epiſcopi Toloſani & Confeſſoris, qui Caroli II. Regis Siciliæ, Prouinciæ & Andegaui Comitis ex Maria Hungarica filius, iam ab incunabulis virtutis & ſanctitatis eximiæ, quibus poſtmodum prouecta ætate, lumen terræ factus, orbem illuſtraturus erat ſplendentes radios emiſit. Ductus namq. tenera ætate in Cathalauniam cum duob. fratribus obſes pro liberatione patris, tam feruenter Chriſti iugo colla ſubmiſit, vt ſe nõ aliam quàm virtutis & ſcientiæ in terris nobilitatem reputare declararit. Itaque illo ſeptennio quo illic hæſit, ſub fratrum Minorum quos ſibi præceptores delegit inſtitutione, in primis ſcientiis ſacrique eloquij ſtudio ſic profe-

LVDOVICVS.

cit: vt ſapientiæ copia & pietatis ardore magnam ſui admirationem excitaret. Plus enim infuſæ doctrinæ miraculum, quàm acquiſitæ domicilium vniuerſis ipſum audientibus obſeruantibúſque videbatur. Quam gratiam mentis eximia puritate, feruida in Deum deuotione, humilitatis cultu, cunctarúmque virtutum affectu, meritò proditur conſecutus. Incenſus verò ſanctæ religionis amore, cùm ab ipſa pueritia ordinem ſancti Franciſci præcipuo affectu proſecutus fuiſſet: eius tandem rediens è Cathalaunia præclarum inſtitutum in Gallia amplexus eſt, voto emiſſo quo ſeipſum abnegando totum Chriſto dedicauit. At cùm apud Montempeſſulanum, ſanctum propoſitum ſolemniter exequi tentaret, Pater ne ſacco huius ordinis veſtiretur omninò præpediuit: effecítque apud Bonifacium Pontificem maximum, vt filium ſacris deditum, Toloſanæ Eccleſiæ morte Hugonis paſtore orbatæ præficeret: quem ætatis tantùm annorum viginti vnius ob clara gratiæ cœleſtis inſignia Cleri proceres elegerant votis conſonis in Præſulem. Cuius poſtulationem lubenter admittens Pontifex, raram eiuſmodi deſignationem ſic habuit, vt iuueni cui Deus iam dederat honorem ſenectutis, delatum munus onúſque incunctanter ſuſcipere preciperet. Iuſſis Chriſti Vicarij refragari nefas cenſuit Ludouicus: at priùs obnixè rogauit, vt ſaltem exacto triennio, voto publicè emiſſo regulam in monaſterio ſibi liceret profiteri. Quod vbi illi conceſſum eſt, ſic cum fratribus ſe geſſit, vt omnis fieret exemplum & incitamentum Euangelicæ perfectionis: charitate feruens, miſericordia in pauperes ipſe omnium pauperrimus profuſus, in oratione & contemplatione aſſiduus, quæ deinceps pro Eccleſiæ Toloſanæ, quam recturus erat, vtilitate & dignitate acturus eſſet, cum Deo conferebat: ſacrarum literarum iugi meditatione, ſalutis pabula ouibus præparabat. Igitur inferiori adhuc ætate ob Apoſtolicas dotes quibus pollebat iuſſione Pontificis Epiſcopus conſecratus, quantò altiorem in gradum ſe vidit eleuatum, tantò humilitatis magis gloriabatur officiis. Viginti quinque pauperibus quos in epiſcopio alebat quotidie, aquam propriis manibus infundebat, fercula apponebat, in iis ſcilicet Chriſtum conſiderans, cui ſeruire in membris delectabatur. Pontificatus autem officium ſumma religione & vigili inſtantia exequeqatur, Sacrificium redemptoris ſingulis diebus ſanctiſſimè offerebat, ordines religioſiſſimè celebrabat. Eccleſiis rectores magna cum prudentia prouidebat: quos antequam inſtitueret, de vita, de moribus, de doctrina, de fidei articulis examinabat diligenter.

Iudæos & cæteros infideles salutem animarum sitiens, salutaribus hortabatur monitis, atque in fidem inductos diuino lauacro expiabat: quorum & permultos vt Christo strictiùs deuinciret, de sacro leuabat fonte. Demum vir beatus, quo dignus non erat mundus, cùm tot tantísque virtutibus Angelorum se consortio dignissimum præstitisset, ad Dei cuius fruitionem ardebat, conspectum properans, sacramentáque diuina cum magna deuotione suscipiens debitum mortalitatis exoluit. Pari loco & die quo natus Brignolæ ante viginti quinque annos de terra ad cœlum iter iniit auspicatum. Sepultus est Massiliæ in templo Franciscanorum: ad cuius tumulum magna, cùm prodigia patrarentur, à Ioanne XXII. in Sanctorum album pro meritis patentibus relatus est. Ipso die in agro Bituricensi sancti MARIANI Eremitæ qui tantæ austeritatis fuit, vt nonnisi poma agrestia ad victum, & aquæ haustum sumeret: qui cùm in magna spiritus puritate Christo in loco secreto seruiisset, soluta mole carnis ad æterna tabernacula feliciter profectus est. Eius corpus sub arbore iacens exanime, diuina dispositione repertum, cùm miros diuinæ virtutis proderet fulgores, ad vicum Euenensem delatum, ablutum & dignis vestibus indutum, congruo honore in Ecclesia conditum fuit, in qua mirabilia magna ad eius inuocationem edita sunt. Huius beati viri præconia sanctus Gregorius Turonensis describens, commemorat festa eius obitus iam tunc consueuisse annis singulis celebrari, ad quæ conuenientes populi multa opitulationum solatia consequebantur, quorum plurima enarrat insignia. Apud Spinolaium vicum in eodem tractu depositio alterius sancti MARIANI Eremitæ itidem & Confessoris. Hic Bituricis oriundus ex honesta familia, sponsam suam cum mundi illecebris Christi amore derelinquens, apud vicum præsignatum annis suprà quadraginta in orationibus, ieiuniis, vigiliis solitariam vitam transegit. Qua in solitudine à sancto *Aminio* nepote suo visitatus, dum interrogaretur, quomodo cum tanta corporis inedia, vigilias ferè iuges sustinere valeret: respondit, *se Christi virtute nixum omnia quæ ardua videntur, superasse.* plurimas autem dæmonum tentationes & insidias in specie serpentium sustinuisse: quos per orationem & crucis vexillum ita debellauerat, vt postmodum nullo excubiarum piarum tempore, sopore deprimeretur. Oblatam sibi pecuniam veluti noxia venena vir cœlestis accipere, imo contingere recusabat: sícque sæculi rebus totus exutus, at gratiæ muneribus locuples abiit ad præmium. Eodem die in Gallia Viennensi pago Sigisterico depositio

[Margin: Marianus. — beside "ricensi sancti MARIANI"; Marianus alter. — beside "MARIANI Eremitæ itidem"]

positio sancti DONATI Presbyteri, qui ab ipsis infantiæ rudimentis, mira Dei gratia prædítus Anachoreticam vitam exegit, multísque annis & miraculorum gloria clarus migrauit ad Christum. Erat hic ex Aureliis oriundus: triennísque adhuc puerulus à genitoribus suis magistro traditus est, à quo literis erudiretur. At Spiritus sancti gratia præuentus, sapientiæ donum scientiæque sine vllo præceptoris officio adeptus est: adeovt ante decimum ætatis annum omnia volumina noui veterísque testamenti memoriter teneret, arcanáque ex his diuina, mirificè elucidaret. Ideóque ab Episcopo in Clerum coöptatus, quod à Deo electus ab omnibus crederetur: etiam succedente tempore ad presbyterij honorem inuitè prouectus fuit. Sed vir humilis, ne dignitate cresceret aliquando impensiori plebis fauore, clam Turones perrexit ad sancti Martini tumulum, vt patrociniis eius munitus quæ animo voluebat, ad Dei beneplacitum perficeret. Igitur hinc in eremum se recipere statuit, & postquam peragrasset plerasque prouincias, montes, syluásque sibi opportunas lustrans, tandem peruenit ad montis Iura radices, constitítque in conualle, loco qui Ragon dicitur, tanto serpentibus ferísque frequentior, quanto magis remotior ab hominum accessu. Híncque immani Dracone diuina virtute fugato, ac extinctis exitiosis quibúsque reptilibus, cœpit hic anachoreticam imo Angelicam vitam agere, corpus ieiuniis admirandus, ac ferè continuis macerans: agrestes enim fructus, radices & cortices arborum ad victum edebat, terra dura pro lectulo vtebatur. Tandem cùm multos annos ita in solitudine exegisset in religiosissimo Christi famulatu, & instaret optatæ eius vocationis dies, adueniente beato Mario diuinitus admonito vt ad ipsum accederet, inter verba diuinæ collaudationis, gratissimam Christo animam efflauit, atque ibidem ab eodem patre humatus, postmodum ad Sigistericum oppidum sede Episcopali insigne, Deo volente, translatus fuit, vbi miris refulsit adeptæ glorificationis radiis. Inde verò magnæ pars sacrarum eius exuuiarum Auenionem delata, atque in maiori Ecclesia reposita fuit, intra capsam argenteam, quæ summo altari imposita est cum reliquiis sancti Maximi Episcopi, necnon Sanctorum Confessorum Rufi & Veredemi, iis cum honoribus, quibus amici Dei in cœlis regnantes, à fidelibus soliti sunt in terris exornari. Ipso die in Bobiensi cœnobio sancti BERTVLPHI Abbatis, qui puer ex Alemania diuino instinctu relictis parenti-

DONATVS. BERTVLPHVS.

bus ethnicis in Artesiam veniens, apud Rentiacum Morinensis diœcesis vicum gratiam baptismatis recepit: donísque Spiritus sancti insignitus, clericali ordini adscriptus est, atque in famulitium assumptus, à Vvamberto Comite iugalique eius Homburga, œconomiam totius domus accipiens, opes sibi à Dominis creditas (quamquam in pauperes profusior) non solùm in cœlo, sed domi forísque multiplicauit. Hinc cum iisdem piissimis Dynastis Romam perrexit, ad Apostolorum visenda osculandáque limina. Tantámque apud illos beneuolentiam, ob probitatem spectatam, & pietatem singularem acquisiuit, vt iam deinceps non famulus, sed filius ab iis censeretur. A quibus & hæres constitutus, postquam ad superna præmia migrauerunt, Rentiaci prædium Deo consecrauit in vsum pauperum, & fratrum multorum quos in Christi obsequium accersiuit. Sicque postquam gratam Domino seruitutem exegisset, fidelis famulus repositam accepit meritorum remunerationem. Quiescit post varias iactationes in Blandinio apud Gandauenses congruenti sanctitatis cultu celebris. Pars tamen eius reliquiarum Arelate extat recondita in maiori Basilica, ad quam è propria ædicula solotenus euersa, demùm delata est pignorum eius arcula ad tutiorem situm & insigniorem cultum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Guericus. FELICITER hac die in Christo obdormiuit GVERICVS Abbas Igniacensis, ex Canonico Tornacensi humilis Claræuallensis ascera, primariúsque sancti Bernardi discipulus: cuius gesta præclara sanctitatem, scripta verò egregia sapientiam cœlitus infusam perenniter testantur. Eodem die contigit *Thomas.* secundum Martyrium sancti THOMÆ Cantuariensis: quo in Catholicæ Ecclesiæ & sedis Apostolicæ odium, sacratissima eius ossa tot rutilantia pridem diuinæ magnificentiæ insigniis, ferali edicto Henrici VIII. Regis Angliæ, manu carnificis è sacrario eruta, flammis inicta atque exusta sunt in porticu ipsius primatialis, cui sanctissimè præfuerat, Ecclesiæ Cantuariensis. At Gallia tamen multa eius veneranda pignora etiamnum asseruat: quæ diuino munere diu suscepit, antequam tam infando scelere sacrum illius cadauer combureretur.

Tertio decimo Kalend. Septembris. Luna

20																AV.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q r	ſ
	26	27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11 12	13
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P		
	14	15	16	17	18	19	20	21	20	21	22	23	24	25		

CLARÆVALLIS in territorio Lingonenſi depoſitio ſancti BERNARDI primi Claræuallenſis Abbatis, & Eccleſiæ Doctoris melliflui. Qui Fontanis prope Diuionem in Burgundia, patre Tercellino, matre Aletha, hac Monſbarrenſi, illo Caſtillonæo, nobili vtrimque genere natus, in primo vernantis ætatis flore futuræ ſanctitatis odores mira ſuauitate efflauit: duóſque & viginti annos natus ordinem Ciſtercienſem, cum germanis ſociiſque ampliùs quàm triginta ſub Stephano Abbate ingreſſus, ſuaui Chriſti iugo collum ſubmiſit. Biennio pòſt ab eodem Abbate fratribus monaſterij vallis Abſinthialis, (quam in Claramuallem mutauit) Abbas conſtitutus, ſanctam religionem admirabilis pietatis & doctrinæ ſplendoribus illuminans, mirificè adauxit. Verè enim vir Apoſtolicus, imò verus Apoſtolus, miſſus à Deo potens opere & ſermone toti orbi illuxit. Quamobrem cùm Gallia fulgores tanti ſideris effulgentis primum demiraretur: ad Concilium Trecenſe inuitatus eſt, vt ceu diuinus nuntius formam viuendi militibus Templariis præſcriberet. Hinc poſt Honorij II. obitum ſchiſmate in Eccleſia conflato, aduerſus Petrum Leonis Pſeudopontificem, pro Innocentio Chriſti legitimo Vicario, Petríque vero ſucceſſore ſtrenuè inſurgens; primùm Galliam huic reddidit obtemperantem, deinde & Europam omnem eius in obſequium inflexit. Guilelmum Pictauienſem Comitem, à prauitatibus ſuis & ipſo cui hærebat ſchiſmate, mirabiliter ad tramitem iuſtitiæ & pietatis reduxit. Quin & mortuo Petro Leonis, ſpontaneam abdicationem Victoris, à perduellibus Eccleſiæ in eius locum ſuffecti, felici inſtantia impetrauit. Sic pace Eccleſiæ conciliata, ad hæreſeon extirpationem intendit animum. Petrum enim Abailardum in Concilio Senonenſi, Gilbertum Porretanum in Remenſi, Petrobruſianos, Henricianos, Apoſtolicóſque ſic dictos hæreticos, verbis, ſcriptis, miraculis, ſpiritúque prorſus Apoſtolico confutauit & repreſſit. Deinde ſuſcepta ab SS. BERNARDVS.

Eugenio Papa, quondam suo alumno discipulóque prædicandi sacram contra Infideles expeditionem, auctoritate: in generali conuentu Carnotensi dux belli Christiani renunciatus, Dei populum ad vindicias redemptoris quà sermone, quà zelo, quà signis & virtutibus admirandis incitauit, inflammauit. Verùm cùm ex Principum discordia res non ita prosperè cessissent, oblocutiones in se graues excepit; quas patienter perpessus est, se beatum in eo prædicans, quòd se clypeo, ne blasphemarent in cœlum murmurando homines improbi, Deus vti dignaretur. Itaque Ecclesiæ dedecora abstergere, decora procurare non destitit. Eugenium ipsum Pontificem scriptis ad ipsum diuinis de Consideratione libris seriò adhortatus, vt memor officij, commisso gregi dominico, sedulò prospiceret, Antistitésque admonens ignitis Epistolis & opusculis, quatenus ministerium humanæ salutis sibi creditum adimplere, vitia euellendo, serendo virtutes, pietatem & religionem ab omni næuo expurgando, omni cura & opera eniterentur. Nec Iudæos Christi perfidos oppugnatores, à piis suis affectibus exclusit vir diuinus: aculeatè enim scripsit aduersus necis eorum crudelis, quæ passim in Gallia & Germania efferbuit incensores. Sed & Lotharium Germaniæ Regem infeliciter deposcentem restitutionem Inuestiturarum, piis monitis ad saniora consilia reuocauit. Ludouicum Francorum Regem in feruore ætatis iuuenilis nonnulla Deo ingrata molientem, paternis obiurgationibus compescuit: pietatísque spiritu sic imbuit, vt à pietate illi in posterum pij cognomentum succederet. Tandem, cùm in tantum, vita, virtutibus & doctrina clarus fulsisset, vt nullus ei existeret in orbe secundus; ingenio, ore, stylo, signis, sanctitate, seruus Dei fidelissimus, Deiparæ beatissimæ cultor encomiastésque præcipuus, Ecclesiæ Catholicæ sol lucidissimus, ordinísque sui decus immortale, post vindicatam sedis Apostolicæ libertatem, assertam vnitatem Ecclesiæ, Galliam sanctitate repletam, orbem Christianum signis admirabilibus, scriptísque piissimis, eruditissimis, imò planè cœlestibus ac diuinis illustratum; fundata centum sexaginta ordinis sui monasteria: aliáque incredibilia diuinè prorsus patrata: consummatis feliciter vitæ suæ diebus, & annis circiter sexaginta tribus expletis, inter filiorum suorum gemitus, ad obuia perrexit Angelorum agmina, quorum puritatis, gratiæ, zeli, officij, particeps fuerat, imitatórque san-

ctarum exercitationum, quibus in terris Dei gloria & salus hominum propagatur, regnique cœlestis decora instaurantur. Apud Xantonum ciuitatem Natalis sancti SERONII Martyris illic pro Christi gloria sub ethnicorum Cæsarum procellis trucidati: ad cuius testimonij aceruum, pace Ecclesiæ superno munere demum concessa, Ecclesia cum cœnobio à fidelibus extructa est: ad quam Carolus Magnus cùm aliquando diuertisset, gesta eius perlegit, & eumdem pro fide Christi Martyrio coronatum, miraculisque in vita & morte fulgentem reperit ac coluit. Ipso die depositio sancti AVCTORIS Treuirensis Episcopi, sancti Rustici successoris, benignitate in egentes, clementia in afflictos, temperantia in victu, modestia in cultu, patientia in aduersis, labore in populis erudiendis, studio & ardore in Idolis extirpandis, zelo in fide & religione prædicanda, amplianda, denique virtute omni qua Pontifex sanctus commendatur, illustris. Cuius pretiosa pignora sub Brunone Treuirorum Archiepiscopo, à Thietmaro Abbate ad Helmuuardeshusense monasterium diœcesis Paderbornensis, delata cum aliorum Sanctorum venerandis exuuiis, ibidem etiamnum eo quo decet honore conseruantur. Ipso die in Castro Cainone depositio sancti MAXIMI Presbyteri & Confessoris, discipuli beati Martini Episcopi: qui, sicut Gregorius Turonensis relator est, magnis gratiæ charismatibus cœlitus ditatus, quod erat occulere cupiens, apud insulam barbaram " monasterij Lugdunensis peregrinari expetiit. Manifestatus autem ad patriam redire disposuit. Denique dum Ararim transire cuperet naue impleta, demergitur, ac ipse sacerdos pelago " operitur, habens ad collum cum Euangeliorum libro, ministerium quotidianum, hoc est patenulam paruam cum calice, sed " diuina pietas non pertulit perire quod suum est. Ita de hoc periculo, Domino iubente, restitutus est littori, vt nec vitæ damna perferret, nec rerum detrimenta lugeret. Deinde ad Castrum Cainonense vrbis Turonicæ veniens monasterium collocauit. Quod Castrum cùm ab Ægidio obsideretur; & populus pagi illius ibidem esset inclusus, hostis effossum à latere " montis puteum, quem obsessi ad vsum habebant bibendi, obturat. Quod cùm antedictus Dei famulus, qui tunc cum reliquis intra castri munitionem conclusus erat, cerneret, videretque populum consumi potus inedia: orationem nocte tota fudit ad Dominum, vt respiciens populum, hostes improbos expelleret, & non pateretur obsessos sitis ardore consumi. Tunc " reuelante sibi Spiritu sancto ait ad plebem, quisquis habeat "

Seronius. Auctor. Maximus.

» vasculum, eiiciat foras in plateam, & deprecetur Dominum:
» dabit enim vobis hodie largitas eius aquas in abundantia, vt
» non deficiatis vos & paruuli vestri. Hæc eo dicente densa nu-
» bes citò opperuit cœlum, & descendit imber magnus de cœlo
» cum tonitruis & coruscationibus super castrum, duplum po-
» pulis beneficium præbens: pluuia arcens sitim, fragoribus fu-
» gans hostem. Impletáque sunt vasa omnia, & satiati sunt cun-
» cti, sic obtentu sacerdotis depulsis aduersariis, populus saluatus
» à castro discessit. In cuius monasterio, plenus dierum transiit
» vir beatus, ibique sepultus est; ad cuius tumulum infirmi sæ-
» piùs sanantur. In Herio insula sancti PHILIBERTI Abbatis,
PHILIBERTVS. qui tempore Clodouæi II. Regis florens, ab aulæ deliciis ac honoribus, ad claustri districtam disciplinam & humilitatem, sub sancti Agili Rasbacensis Abbatis obedientia, pertransiuit. Illícque sicut oliua fructifera in domo Dei omni religione & & sanctitate adeo excreuit, vt etiam perfecti viri cernerent quod in eo imitarentur. Quem ideo liuidus dæmon impetitionibus acerrimis aggressus est: at Christi miles superno fretus auxilio, tetras has infestationes potenter elisit. Abbas deinde factus multas contradictiones sustinuit, tanta cùm patientiæ & charitatis ostensione, vt immorigeros fratres tandem omnes sui in venerationem flecteret. Dehinc ex magistro vir humilis factus sponte propria discipulus, varia lustrauit cœnobia: vndecumque Deo acceptiora, & sibi proximísque conducibiliora discere nòn veritus: à Rege Clodouæo Batildéque sanctissima eius coniuge accersitus ob famam sanctitatis, Gemeticense cœnobium prope Rotomagum, ipsorum munifica pietate suffultus construxit. In quo cùm ob nimiam ascetarum turbam alimonia deficeret, pabula, diuina ope, cunctis subministrauit. Aliud cœnobium cui Pauliacum nomen condidit, sacrarum Virginum: quibus beatam Austrebertam præfecit pietatis magistram. Admodum pauperes tenerè dilexit: ob quorum pressuram, dirámque reipublicæ administrationem sæpè Ebroinum tyrannum redarguit, martyrij obeundi pro fraterna charitate sitientissimus. Pollebat vir Dei insigni gratia lachrymarum. Omníque virtute præclarus, sancto Audoëno Episcopo Rotomagensi percharus ac venerabilis erat. At æmulorum delationibus falsis, in eius indignationem incidit, à quo etiam in custodiam missus, in cordis innocentia confisus, diuinas laudes ex psalmis lætus canebat. Indéque innoxius repertus solutúsque, ab Ansualdo Pictauorum Præside ad se vt proficisceretur inuitatus, amplificandæ pietatis gratia, in Herio

maris insula asceterium struxit, in quem locum de Gemmetico fauo mella commigrârunt cum apum examine, sanctarum scilicet agmine animarum. At nonus vix annus effluxerat, cùm subducto ab humanis Regemtramnô, post Philiberti discessum sublecto Gemeticensi Abbate: Sanctus Audoënus facti pœnitens legatos ad sanctum Patrem destinauit, reditum eius gratiámque flagitatum. Annuit Pontificis optimi votis Philibertus, reuersúsque est tota gratulante Neustria ad proprium cœnobium. Quo egregiè instaurato, eidem regendo Aichardum religiosissimum symmystam præfecit, paulóque pòst in insulam Herio apud Pictauos reuersus est: vbi post multos exactos in Christi famulatu labores, virtutibus miraculísque coruscans quieuit in pace. De eo dum viueret illud vulgare apud omnes elogium erat. *Semper in Philiberti ore est Christus, semper eius in pectore Spiritus sanctus. Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

GLORIOSO excessu ex cœtu mortalium, ad beatorum immortalem felicitatem properauit beatæ memoriæ BVRCHARDVS Episcopus Viennensis, vir Episcopalibus dotibus ad cumulum ornatus, miraculísque tam ante quàm post obitum admodum insignis. Item GOBERTVS ex Comite Asperi montis, humilis Christi seruus, in cœnobio Villariensi: vbi ipse & sancti plerique ascetæ conditi carnis glorificationem expectant, beatis eorum spiritibus repositam: nempe CONRADVS Abbas nonus Villariensis, Eginonis Comitis Seinensis filius, deinde Claræuallensis Abbas, demúmque Cisterciensis, ac Cardinalis Legatúsque Apostolicus: FRANCO nobilis eques cruce signatus, posteáque Monachus in illo cœnobio; necnon GOFRIDVS Coloniensis Benedictinus, cuius ossa diuina reuelatione leuata, atque in sacrario reposita sunt. ABVNDVS itidem Monachus, vir prophetico spiritu & miraculorum gratia dotatus: aliíque nonnulli, qui testimonia sanctitatis præclara reliquerunt. Obiit etiam hoc ipso die piissimo fine GERARDVS cognomento magnus, Sorbonæ alumnus, clarúmque Parisiensis Academiæ iubar: qui institutor fuit in Belgio communis vitæ Clericorum. Item & BVRCHARDVS, sacrorum Canonum collector, Vvormatiensis Antistes, ex Laubiensi Monacho, in Præsulatu Cameracensi: aliíque pij viri alibi, quorum Deus merita nouit & nomina.

Burchardus Viennensis.
Gobertus.
Conradus.
Franco.
Gofridus.
Abundus.
Gerardus.
Burchardus Vvormatiensis.

Duodecimo Kalend. Septembris. Luna

21 B IV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
27	28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	21	22	23	24	25	26			

MIMATE Gabalorum passio sancti PRIVATI Episcopi, qui secundus ordine sedis huius gubernacula gerens: in- SS. PRIVATVS.

uadentibus Gallias Alemannis ſub Croco duce in Chriſti cultores efferatiſſimo ; cùm populus fidelis cui præerat Sanctiſſimus hic Antiſtes, ſæuo hoc turbine exterritus, ad montem Gredonenſem præſidiis validiſſimæ arcis munitum confugiſſet, ipſe ſalutis ouicularum ſollicitus, ſtudio religionis feruens, implendique miniſterij ſtudioſus, in eius montis ſupercilio qui viculo ſupereminet, cryptam ſibi ad paſtorales agendum ſuper gregem excubias confecit, vnde non egrediebatur, niſi cùm ad agendum de more ſolemnia, prodeundum eſſet. Aliquando igitur cùm oues viſitatum pergeret pius paſtor, à ſæuis his lupis qui caſtrum obſidebant impetitus comprehenſúſque, primùm gregem tradere, poſtremò & diis immolare, ſi ſoſpes manere velit, adigitur. At vtrumque cùm execraretur, fuſtibus tandiu cæditur, quoaduſque putaretur exanimis. Sed Dei virtute confirmatus, dum in fidei confeſſione ouicularúmque ſollicitudine illuſtrior appareret, acrioribus flagris non modò ab his barbaris dilaniatur, quin & flammis aduritur, ac horrendis excruciatur tormentis, donec ſæui illi perſecutores, admirando eius in omni cruciatu ſpectata tolerantia, eum torquere deſierunt. Tandémque de caſtri expugnatione poſt biennium fruſtra exactum deſperantes, ſubitò ad ſolutionem obſidionis conuerſi precibus meritiſque vt creditur ſancti Præſulis, pace ab obſeſſis petita, & cum iis inita diſceſſerunt. Plebs verò tandem libertate egrediendi potita, illico ad Epiſcopum & Confeſſorem gratulabunda accurrit, aliíque eius genibus aduoluuntur, alij ſuo ore eius ſacro corpori inflicta lingunt vulnera : denique ipſo duce pro tantæ liberationis beneficio, in Eccleſia, Chriſto triumphatori grates debitas exoluunt. Beatus verò Pontifex, aliquandiu poſtea licet manſerit in corpore, tamen illis cruciamentis quaſſatus, non multo pòſt ſæculo excedens, ad gloriam & ſedem ſibi in cœlo præparatam commigrauit. Et quia per id tempus (vt acta ferunt huius martyris) aduerſus Chriſtianos, Romanorum Principum impiis edictorum promulgationibus, vbique atrox perſecutio feruebat, támque fera erat inſectantium rabies, vt nec Sanctorum cineribus parcerent, quos crudeliſſimè interimebant, Gabalitani municipes, prudenti vſi conſilio ſepulturæ cryptam in loco ſubterraneo effecerunt, in eáque ſanctum glorioſi Pontificis corpus ſumma cum veneratione condiderunt, vbi Dominus gloriæ, Deus virtutum, poſcentibus beneficia perpetim ſancti Martyris ſui ſuffragatione impertit. Eodem die in Traiecto inferiori depoſitio ſancti ALBERICI eiuſdem ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic de par-

ALBERICVS.

tibus Eboracensis diœcesis in Anglia ortus, cùm ad Gallicas regiones transmeasset: ob claras raræ doctrinæ & pietatis dotes Vltraiectinæ Ecclesiæ Canonicus creatus: postea beato Gregorio sedis huius præclaræ præsule, senio deficiente, totius Episcopatus dispensator deputatus, condignè Clerum rexit & populum. Hunc & idem Gregorius Spiritus sancti afflatu, post se venturum Episcopum, fuerat vaticinatus. Absoluto igitur mortis nexibus ipsomet Gregorio, factus ex omnium desiderio Antistes Albericus, non solùm quæ ad proprij præsulatus commoda pertinebant vigilem animum intendit: sed ad salutem vicinorum populorum sollicitudinem extendens, beatum *Ludgerum* exinde Monasteriensem Episcopum, transmisit ad partes Frisiæ, vt ibidem Euangelicam veritatem prædicando, idololatriæ vanitatem aboleret. Demum postquam aliquantis annis, magna cum virtutum luce Episcopatum Traiectensem rexisset vir totus cœlestis, è terra cui nunquam corde hæserat, supernam ad requiem pertransiuit. In paceque sepultus prope sanctissimum suum decessorem, quem ordine & merito secutus fuerat, etiam in tumulo & præmio comitatus est. Ipso die transitus sanctæ HVMBELINÆ sanctimonialium ordinis Cistercienfis primiceriæ, necnon sancti Bernardi sororis, quæ ab ipso à sæculi pompis deliciisque mirabiliter conuersa, Cistercienfem vbi ordinem amplexa est, rigidissimam vitam instituit, virtutúmque egregiarum luminibus irradians, moniales eiusdem ordinis pleno spiritu religionis inflammauit: denique cùm in dies charismata meliora æmularetur, post multa pietatis opera, ad præparatam sibi in cœlis coronam profecta est. In procinctu verò prodeundi ad Dominum, multa lætitia perfusa, canticum hoc laudis ouationísque sæpiùs expromebat. Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Qua in voce spiritum demum emisit, & statim suauissimo odore ac cœlesti splendore apparuit cubiculum, vbi expirauit, repletum. Deinde post obitum (cui beatus Bernardus interfuit,) eidem apparuit, mira claritate atque vestibus speciosissimis adornata, & ingentem suam gloriam, quam à superno largitore adepta est, pro gratiæ fœnoribus, manifestauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

HVMBELINA.

Vndecimo Kalend. Septembris. Luna

22																C III.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
28	29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
16	17	18	19	20	21	22	23	22	23	24	25	26	27			

SS. SYMPHORIANVS.

OCTAVA Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ. Eodem die Augustoduni Æduorum triumphus sancti SYMPHORIANI Martyris. Is sub Aureliano principe cùm aduersus Christianos dira persecutionis procella detonaret: primæuæ indolis florentes annos Augustoduni agebat, Fausti nobilis viri filius. Atque fidei præceptis egregiè imbutus, actionum nitore & fama virtutis, coæuis suis laudabilem excitabat æmulationem. Quo tempore Heraclius vir Consularis, præfecturâ Æduorum ab Aurelio acceptâ, quod gratum Imperatori sciebat, in fideles Christi cultores quæstiones acerrimas exercuit. Is igitur ad requirendos discutiendósque Christianos sagaci inquisitione cùm esset sollicitus: hæc fama vbi Symphoriani ingenui adolescentis aures verberasset, illico ad tribunal aduolans, sese Christianum intrepidè professus est. Ideóque Berecinthiæ simulachro adolere iussus, quòd scelus adeo nefandum admittere recusaret: vniúsque veri nûminis, Christique omnium Seruatoris adorandum nomen sibi cordi insitum altè contestaretur: Præses iracundia succensus, post futiles minas, & inania terriculamenta adhibita, vt egregium iuuenem à fidei constantia dimoueret, circumstante plebe hanc dictauit in eum sententiam. *Symphorianus publici criminis reus, qui diis sacrificare detrectans, maiestatis sacrilegium perpetrauit: sacris etiam altaribus, nefariis vocibus irrogauit iniurias, gladio vltore feriatur.* Móxque raptatus athleta Christi ad victimam, obuiam matrem habuit, quæ noua Machabæa blanditiarum oblita, & ardore accensa veræ pietatis, ad agonem, miro fidei æstu, filium hac insigni voce hortata, magno omnium cum stupore animauit. *Nate, nate memento æternæ vitæ, cælum suscipe, & ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* Hoc excitatus monimento sacer heros, extra vrbis mœnia ductus, fortiter IESV Christi causa carnifici ceruices præbuit. Cuius corpus cùm exanime in agro feris expositum iaceret: pij viri latenter submouentes, ad fontem, qui extra publicum campum est, detulerunt, condiderúntque cum aroma-

tibus in parua cellula, è qua micantia deinde gloriæ diuinæ lumina, ethnicos stupore multo percelluerunt, sanitatum beneficiis cumularunt fideles, Martyrem beatum, magna virtutis & gloriæ celebritate, illustrarunt. Cæterùm gloriosi ipsius athletæ corpus deinde ad oppidum Beluacensis diœcesis delatum: inque collegiata Ecclesia de Crolio in monimentum pietatis collocatum, hæretici auitæ fidei insignia delere nitentes: sanctósque quorum religionem deseruerunt, immani odio (postquam à Christo in cœlum puri illorum spiritus assumpti sunt) in corporum reliquiis persequentes, impiè flammis iniectum in cineres conuerterunt, cineres in auras dissipauerunt. Ipso die Remis passio S. MAVRI Presbyteri & Martyris, qui Roma cum Timotheo feruentissimo Christi præconiorum buccinatore, ad hanc vrbem veniens, post sanctorum Sixti & Sinicij Apostolicorum virorum (à quibus primum nuntium salutis audierat) obitum gloriosum, scientiæ salutis magisterio destitutam: facem veritatis extinctam denuo accendit, Euangelicáque prædicatione, Apostolica conuersatione, sacerdotalíque officio, Christo filios innumeros progenuit. Sæuiebat tum Remis aduersus pios Dei cultores, Præses Lampadius, à quo Timotheus, qui ardenti spiritu salutis verbum annuntiabat, ac plerosque ciues Christianæ legis institutionibus imbuerat: ceu suasor antesignanus nouæ ac inuisæ religionis tentus, diréque excruciatus, cùm in tormentis, quà mira fidei instantia, quà eloquentia cœlesti, gloriæque ac diuinæ virtutis ostensione, plurimos spectatores Christi ad agnitionem & cultum pertraxisset, in hísque vnum ex carnificibus nomine APOLLINAREM, qui Angelos duos vidit, Martyris vulnera oleo perungentes, atque ad certamen extremum, cœlesti ostenso munerario, cum corona cohortantes: Præses hunc cæterósque omnes, quòd Christum verum Deum vnicúmque altis præconiis confessi fuissent, in carcerem detrusit: ad quos noctu veniens (fretus cœlesti virtute) sanctus Maurus Presbyter, omnes salutari lauachro piaculis expiatos, in fidei confessione roborauit. Re ad Præsidis aures delata Maurus ipse die crastino comprehensus, cùm de diuini operis perfunctione, nihil se pœnitere assereret: quin potiùs se ideo gaudere, quòd liberatoris generis humani iugo suaui, atque salutari obsequio, tot homines addixisset: Iudicis iniqui sententia damnatus impietatis, gladio cæsus; sanguine prædicationem suam, munúsque egregiè adimpletum, obsignauit. Cùm eo QVINQVAGINTA ALII ATHLETÆ, quos in carcere baptizatos, ad pugnam ipse armauerat Christianæ

MAVRVS.

APOLLINARIS.

QVINQVAGINTA MARTYRES MAVRI & APOLLINARIS socij.

signifer militiæ, extra vrbem decollati sunt: quorum spiritus cum ipso gloriosi agminis duce, ad cœlestes triumphos sibi apertos, multa cum exultatione euolarunt. Cæterùm & eorum ossa in pace sepulta, magna obseruata sunt à piis veneratione. Sed beati Mauri corpus, quod semel ad Sanctorum Timothei & Apollinaris titulum triumphalem delatum fuerat: Inde ad sancti Celsini ædem transuectum, diù ibi quieuit multo cum honore. At deinde per Gerardum tum Canonicum Remensem, pòst Cameracensem Episcopum, concessione Arnulphi Remensis Metropolitæ illius consanguinei, Florinas tralatum, ibidem in cœnobitica Ecclesia cultu eximio reconditum fuit, vbi nunc vsque quiescit, non sine religiosæ obseruationis copioso fœnore. At caput ab ipso Arnulpho Archipræsule reseruatum, in theca eburnea, Remis hactenus honoratur, vice cuius sacri verticis, Timothei prælaudati Christi illustris athletæ, caput, ipsemet Archiepiscopus Gerardo eidem dedit, vnà cum sacris artubus beati Mauri reponendum apud Florinenses ascetas, ad perpetuam venerationem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Lambertus. PLACIDA morte in Christo quieuit piæ memoriæ LAMBERTVS Cheseriaci Abbas, sancti Iunioris Tarentasiensis Archiepiscopi germanus, vir magnæ misericordiæ & charitatis. Item ipso die ad meritorum mercedem euocatus *Godefridus.* GODEFRIDVS Monachus, Virginum Cameræ sanctæ Mariæ confessarius, admirabili patientia & Angelica puritate nitens, in cuius transitu auditus est cœlestium spirituum suauissimus concentus.

Decimo Kalend. Septembris. Luna

23																D II.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
29	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
17	18	19	20	21	22	23	24	23	24	25	26	27	28			

VIGILIA sancti Bartholomæi Apostoli. Ipso die Senonis
SS. translatio Sanctorum Pontificum & Martyrum SAVI-
Sauinianus & Potentianus. Altinus, Eodaldus & Serotinus. NIANI & POTENTIANI: necnon ALTINI, EODALDI & SEROTINI purpuratorum quoque Christi testium: quando sacratissima eorum corpora Venilo Archiepiscopus ab ipsis beatis Sauiniano & Potentiano admonitus, è loco primæ tumulationis, transtulit ad basilicam cœnobij sancti Petri: illícque in thecis argenteis, magna cum honorificatione collocauit. Quam repositionem ostendit Deus sibi fuisse gratissimam: ea enim no-

cte quæ translationis ipsius solemnia præcedebat, audita est Angelica harmonia, quæ ad Martyrum occursum & venerationem plurimos excitauit. Lugduni natalis Sanctorum Martyrum MINERVII & ELEAZARI, octóque huius filiorum, qui in acti illa persecutione, quæ tot pios illius vrbis incolas absumpsit: Potini & Irenæi suorum successiuè Præsulum salutaria documenta & exempla sequentes, ceruices pro Christo intrepidè ferali gladio supposuerunt; quorum sacra cadauera eodem loco sepulta sunt. Vbi & humata recoluntur & coluntur sub sancti Irenæi patrocinio, VNDE-VIGINTI MILLIVM MARTYRVM, hoc sub turbine necatorum pro fidei testificatione, corpora veneranda. Claromonte Aruernorum sancti SIDONII, Episcopi & Confessoris. Hic stirpe, doctrinâ, sanctimonia longè suo æuo omnibus contribulis illustrissimus, Lugduni Celtarum metropoli natus est, patre Apollinare, prætorio Galliarum Præfecto: cuius studio bonis moribus ac literis à teneris annis imbutus, palmam eloquentiæ adhuc florenti ætate retulit, poëtices, orationísque solutæ venustate. Vnde & Romæ vbi Auitum socerum, Maiorianum & Anthemium Augustos publicè laudauit, proprio cuique Panegyrico, statuam in fori Traiani Bibliotheca meruit & geminam coronam. Hinc præfecturam vrbanam adeptus, in ea versatus est peroptimè. Illigatúsque coniugio *Papianillæ* filiæ Auiti Imperatoris, religiosissimæ fœminæ, (è qua sobolem tulit generosam) piissimè diuina placita obseruauit, nam & in ieiuniis ac orationibus erat assiduus, in pauperes verò adeò effusus, vt (quod scribit Gregorius Turonensis) plerumque clam vxore & domesticis vasa argentea domo auferret, & in egenos erogaret: quæ dato ipsis pretio Papianilla recuperare cogebatur, cùm id rescire contingeret. Porrò inter Imperij miras eo æuo vicissitudines, functus illustrissimis legationibus, Romanis diffidentibus, Gothísque omnia sus déque vertentibus, Reipublicæ vir optimus atque clarissimus, cùm meritis, tum Senatoria ac patricia dignitate, plurimo solamento fuit. Cúmque in dies Deo & hominibus acceptior fieret, à tribunali sicut dudum Ambrosius ad Episcopatum superno afflatu raptus, Eparchio Aruernensi Præsuli diem functo, viro iusto & sancto successit, iam ciuitatis illius præcipuus municeps. Cuius factus lumen & columen, sæculi dignitates Apollinari suo relinquens hæreditarias, poëticæ qua mirè pollebat renuntiauit, cœlestium scripturarum vt mysteria seriò rimaretur. Sicque in Theologica disciplina animum excoluit, vt de illustrioribus quæstionibus ab Aruogaste viro

MINERVIVS & ELEAZARVS Martyres cum octo huius filiis.

MARTYRES LVGDVNENSES XIX. MILL.

SIDONIVS Episc. Aru. qui extensa nuncupatione dicitur, CAIVS SOLLIVS, APOLLINARIS SIDONIVS.

illustri Franco, Eufroniöque Augustodunensi Episcopo præstantis nominis consuleretur, communéque quasi Gallicanæ Ecclesiæ oraculum haberetur, Doctor verè Catholicus & Romanus. Sed & Christi gloriæ strenuus propugnator, & expugnator Arianæ hæresis, liberrimo spiritu in Euarigem porentissimum Regem Arianum, palam inuectus est: cuius despecta rabie qua crudeliter in Episcopos sæuiebat, vitæ lubricum est expertus. Redux deinde in Aruerniam, vt Ecclesiam consecrarer quam condiderat Elaphius Ruthenensis: totus Dominicis officiis incubuit, diœcesim lustrauit, librúmque Liturgicum concinnauit, quo passim in Gallia posteri diu vsi sunt Pontifices. Rogationes à Mamerco Viennensi Episcopo instauratas, primus Episcoporum Galliæ summa religione recepit, & in Aruerniam induxit: quibus assueti incolæ, Gothorum cuneos, cædem, flammámque pertentantes, sæpè sæpiùs auerruncarunt. Tamen diuino permissu Aruerniâ à Gothis ipsis demum occupatâ, ab his per legationis speciem relegatus inclytus Antistes, aliquandiu exulare coactus est. Tum suis Dei munere tandem redditus, cùm in officij curam intentus, nullam inter barbaros optimi Pastoris partem omitteret, ac singulari in omnes benignitate, præcipuâ in egenos munificentiâ (quorum quatuor millia aliquando aluit) excelleret, neminem lacesseret: æmulorum tamen in se odia, ipsa ex beneficentia concitauit, duorum scilicet presbyterorum, qui virum Dei per summam conrumeliam exutum omni Ecclesiæ suæ potestate, in magnas rerum angustias coniecerunt. Sed non diù inultam eius iniuriam diuina prouidentia sustinuit. Siquidem presbyterorum illorum vnus, cùm in Christum Domini manum mittere minaretur, eodem interitu cum Ario, qui Petrum sanctissimum Alexandrinum Pontificem dirè lacessiuerat, extinctus est. Alter mox à sancti Sidonij glorioso occasu, cùm Episcopatum ambiret, euocatus per visum ad diuinum tribunal, infelicem animam expuit in conuiuio. At ante hanc postremam vltionem, beatus Sidonius in integrum restitutus fuerat: nec tamen diù superstes mansit. Hunc enim distenrum curis Episcopo dignis, febris lethalis corripuit: cúmque ad extrema deuenisset, cœlesti irradiatus lumine prænuntiauit, qui longè aberat, & de quo nemo penitus cogitabat, sibi successurum; Aprunculum nempe religiosissimum tunc Episcopum Lingonensem, at mox futurum, Burgundionum insectationibus, exorrem, ita per Diuionensem murum demittendum, vt fugiens, Aruernam perere cogeretur; quod vaticinium, ex rerum serie impletum est. Demum igitur vir diuinus cùm vixisset annos circiter

quinquaginta ſex tribus tranſactis Olympiadibus, quas in Dei intenſiſſimo famulatu, Eccleſiæque vigili cura expendit, dictis, ſcriptis, actis clariſſimus, gratiæque dotibus illuſtris, ac meritis iuſtitiæ & pietatis cumulatus, ad cœli præmia euolauit. Cuius funus in Eccleſiam ſancti Saturnini, (quem carminibus præclaris celebrauerat præco diuinus) illatum & ſepultum fuit ad dexteram capellæ, quæ hodie ſacellum ſancti Amandini vocatur: poſtmodum in Eccleſiam Sanctorum Symphoriani & Geneſij tranſlatum: cuius cineres ſericis inuoluti, in arca plumbea quæ capſa lignea circumdata eſt, ad dextrum cornu maioris altaris religioſè ſeruantur, dieſque hodiernus quo felix quieuit, ſacris anniuerſariis quibus honorantur in terris à mortalibus cœlites, celebratur. Ipſo die Auguſtoduni ſancti FLAVINIANI Epiſcopi, qui religionis Chriſtianæ cultor egregius ipſam ſibi creditam Eccleſiam glorioſè direxit: cœleſtique Chriſti regno in terris mirificè propagato, abiit ad coronam. Cenomanis depoſitio ſancti FRAMBOLDI Abbatis & Confeſſoris, qui Aruernus origine, frater Conſtantini monachi, ſancti Maximini diſcipulus, atque ſub eo primùm Miciacenſis ad Aureliam religioſiſſimus aſceta: deinde ſpeculator rerum diuinarum in deſerto Nuziaco reſedit: cúmque fulgore ſanctitatis niteret, aſcitis aliquot ex his qui ad ſe confluebant diſcipulis, omni gratia & pietate præluxit, ac demum miraculis etiam inſignis ad cœleſtia gaudia vocante Domino profectus eſt. Apud Heduos monaſterio Ceruiduno ſancti NEPTADII Presbyteri & Monachi, actibus & meritis glorioſi. In territorio Trecenſi Cœnobio Belincutiæ ſanctæ ASCELINÆ Virginis ſanctimonialis beati Bernardi cognatæ: multis gratiæ luminibus inſignis, nec minus miraculis claræ, cuius ſacræ reliquiæ eodem in monaſterio, (à quo non procul grata Chriſto obſequia exegit, in Parthenona nunc diruta) religioſè conditæ, in decoro lipſanodochio, hodie percolendæ deuotis ſupplicibus exhibentur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

FLAVINIANVS.

FRAMBOLDVS.

NEPTADIVS.

ASCELINA.

Nono Kalend. Septembris. Luna

24 E k.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	24	25	26	27	28	29			

SS. BARTHOLOMÆVS. NATALIS ſancti BARTHOLOMÆI Apoſtoli: cuius pretioſum caput Toloſæ in ſacrario baſilicæ ſancti Saturnini, cum ſex beatorum Apoſtolorum corporibus, nempe Simonis & Iudæ, vtriuſque Iacobi ac Philippi & Barnabæ, multíſque Sanctorum Martyrum ac Confeſſorum venerandis exuuiis, ea qua decet religione ſeruatur: brachium verò alterum cui manus hæret in Gerſiacenſi monialium cœnobio, ordinis ſancti Benedicti, Epiſcopatus Pariſienſis, præclarè conditum, prorſúſque adhuc integrum (pelle duntaxat detracta) oſtenditur piis cultoribus, qui illuc hodie magna frequentia confluunt. Porro alterum glorioſi huius Apoſtoli brachium ſeruatur carne & oſſibus adhuc amictum Bethuniæ in collegiata ipſius Eccleſia, conditum in ferculo argenteo, optimè ad tam pretioſi pignoris cultum condecorato. In agro Pariſienſi villa

AVDOENVS. Clypiaci ſancti AVDOENI Epiſcopi Rotomagenſis & Confeſſoris. Hic vir beatus tempore Clotarij magni Francorum Regis in territorio Sueſſionenſi, loco quem Sanciacum vocant ortus eſt, patre Anthario, matre verò Aiga; vtroque parente non carnis modò nobilitate, ſed pietate quod maius eſt conſpicuis, qui & alios duos filios *Dadonem* & *Radonem* itidem valde generoſos, progenuerunt. Cum quibus Audoënus, (qui & Ado) liberaliter educatus, adulta ætate ad aulam miſſus eſt Dagoberti Regis, in cuius oculis inuentus gratiſſimus, ob eximiam prudentiam, iuſtitiam, probitatem, quam religionis cultus præcipuus commendabat; primùm Regis à ſecretis, deinde & Sigilli Regij cuſtos effectus eſt, eiúſque conſilio & auctoritate regni grauiſſima quæque negotia adminiſtrabantur. At quamquam in ſummis aulæ honoribus conſtitutus, pretioſis de more veſtibus extrinſecus ornaretur, ſubtus tamen carnem cilicio indutus, ſtrenuè die noctéque precibus & ieiuniis incumbebat, omnémque pene operam in pauperibus & infirmis fouendis, orphanis & viduis tutandis, ſacris cùm extruendis tum dotandis ædibus collocabat. Quo tempore ſanctæ Deigenitricis cœnobium ad Matronam fluuium in ſaltu Iotrenſi ædificauit, copio-

sisque censibus fulsit. Item & Resbacense auito in fundo, nempe in Syluæ Brigensis intimo recessu: sed & alia nonnulla fundauit, quæ in hunc vsque diem superstanr seruorum Dei ancillarúmque domicilia, quæ ex proprij patrimonij, quod amplissimum nactus erat, facultatibus vbertim dotauit. Interea verò defuncto Dagoberto Rege, filius eius Clodouæus in regnum successit: in cuius imperij exordio, hæresis nefanda Monothelitarũ ex Oriente in Gallias irrepsit, inuectore nescio quo apostata, qui de Asia profugus, Augustoduni vbi se receperat perfidiæ suæ virus disseminare cœperat. Ad quam luem excidendam suasu Audoëni, qui fidei orthodoxæ sollicitum se curatorem præbuit, beato Eligio qui tum in aula quoque virtutibus & pietate radiabat suggerente, synodalis sacerdotum conuentus Aureliis indictus fuit: vbi Audoënus qui tametsi sacris initiatus non erat, iam à Præsulibus ob excellentiam sapienriæ & virtutis pro sacro viro habebatur: hæretici illius versutias, validissimis rationibus profligauit: cúmque de illo palam rriumphasset, tamen modestiæ causa victoriæ palmam retulit beato Saluio Episcopo, qui præcipuam ex parte Synodi operam in illius confutatione contulerat. Exinde Audoënus cum sancto Eligio amicitia sibi coniunctissimo factus Clericus, maiori cum auctoritate, non modò nouas hæreses oppugnare cœpit, sed simonicam etiam labem, qua regnum fœdè corruptum erat, extinxit. Moritur interea beatus Romanus Metropolis Rotomagi Anristes, dúmque pro successore deligendo conuenrus fiunt, Audoënus tantis virtutum insignitus, ab omnibus expetitur, dignúsque pronunciatur. Electus ergo non sibi ante assumendam eiusmodi dignitatem reputauit, quam quidquid oneris in ipso honore lateret, experientia didicisset. Quapropter sæcularibus valedicens negotiis, ethnicos exteros qui in tenebris sedebant, Euangelij luce illuminaturus adiit: quorum non mediocrem turbam, partim verbis, partim signis, ad Christi ouile traduxit: indéque Rotomagum rediens, Pontificalem ordinem secundum Canones suscepir. Auctus Episcopatu nihil de pristinæ vitæ modestia immutauit. Eamdem in corde humilitatem, eamdem pauperum curam præbuit. Animarum verò zelum prodidir feruentiorem. Rigorem etiam macerarionibus assuetis magis asperum addidit: corpus non ieiuniis tanrùm, sed & ferreis circulis constringens. Lectulum duris virgultis stratum habuit. Iugi lachrymarum profluuio diuinæ misericordiæ opem pro commissi sibi gregis salute postulauit. Cœnobia & xenodochia per vniuersam Galliam, aut de nouo extruxit, aut

vetustate collapsa propriis sumptibus instaurauit. Postea iam senex ad Apostolorum limina deuotè peregrinatus, ingenti cum piorum virorum sodalitio, vocéque cœlitus lapsa honoratus, post expleta religionis obsequia, erogatáque sacris locis egregia munera, egenis subsidia copiosa, recedens in Gallias, multas secum retulit Sanctorum reliquias, quibus Ecclesias plurimas exornauit: defunctíque sancti Eligij res gestas non minùs eleganti stylo complexus, quàm actibus sanctissimis imitatus, memoriæ eius benedictæ iusta præconia posteris feliciter consignauit. Hinc vt ortam inter Francos & Austrasios dissensionem componeret venerabilis senex, venit Coloniam, vbi quendam mutum obuium habens, qui iam annis vndecim nullum fuderat verbum, Crucis charactere consignatum loquentem reddidit. Hinc apud villam Clypiacum, vbi de pace à se procurata, nuntium Theodorico Regi attulerat, annis laboribúsque confectus in morbum incidit: cúmque corpusculum febribus attenuaretur, & obitum suum iam imminere cerneret, obsecrabat Dominum, vt ouile suum idoneo pastori cōmittere dignaretur. Denique hortabatur Regem vt Ansbertum Abbatem virum præcipuæ religionis (qui & magna sanctitate cathedram Pontificalem postmodum illustrauit) sibi concederet successorem. Piæ vbi flagitationis compos factus est, fusis ad Deum pro Rege, pro grege precibus, spiritum vir beatus efflauit cœlestibus choris pro meritis sociandum: postquam feliciter rexisset Ecclesiam Rotomagensem annos tres & quadraginta, mensésque tres & dies decem. Nonagenarius autem migrauit ad Dominum. Funus fuit multis omnium lachrymis curatum, atque à Rege, Regina, Præsulibus, cæterísque regni Optimatib. Rotomagum vsque multo cum honore deductum, vbi in basilica sancti Petri sicut vir sanctus moriens præsignauerat, sepultum est. Ad cuius tumulum admirandis virtutum signis Christus gloriam suam ostendit. Cæterùm tertio post illius obitum anno cùm beatus Ansbertus eius successor sacras ipsius exuuias mausoleo vellet insigniori honorare: corpus almi Confessoris, tam ab omni corruptione alienum reperit, quàm fuerat olim virginea integritate conspicuum. Ipso die in Cenomanensi tractu transitus sancti RIGOMERI Confessoris, qui cùm diù strenuè sub Christi legibus militasset, vltimum præmium laborum suorum percepturus migrauit ad Cœlum.

RIGOMERVS.

Eodem die Niuernis sancti PATRICII Eremitæ & Confessoris, qui in Aruernia clara propagine ortus, longè sanctitate, humilitate, morúmque integritate natalibus illustrior extitit, cal-

PATRICIVS.

catiſque ſæculi honoribus & deliciis, Dei cultui ſeſe totum ab ætate tenera dedicauit. A cuius famulatu, vt nulla poſſet occaſione auocari, monaſterium Abbatis Potciani tum ſanctitate celebris, prope Arconenſem vicum ingreſſus eſt: vbi tyrocinia vitæ monaſticæ exercens, admirabilem ſanctitatis futuræ, ſymmyſtis expectationem præbuit: quibus ita ſubmiſſus & obediens erat, vt pro Chriſti nomine fratrúmque obſequio nullum onus quantumuis difficile refugeret. At cùm ad altiora tenderet, ſolitariæ vitæ deſiderio incenſus, de Abbatis ſui licentia, ſe vnà cum *Germano* & nepote eius *Germanione* ſanctiſſimis viris in pagum Niuernenſem cui Gentilicum nomen contulit, ad locum omnino ſpinis conſitum. Ibi palæſtram conſtituit religioſæ exercitationis, aſſiduíſque cum ſociis orationibus, ieiuniis & vigiliis incumbens, admirabili ſpiritus humilitate, corporis abſtinentia, & pietatis obſeruantia, vnumquemque ad Chriſti iugum ſubeundum alliciebat: in quibus *Pomponiam* matronam prædiuitem cœleſtium ardore inflammauit, quæ & ſetuo Dei ſodalibúſque eius cœnobiolum conſtruxit. Mox ortus ad virum beatum vndique fidelium concurſus, qui ipſo auſpice inire æternitatis iter appetebant, à quibus & inuitus Abbas delectus, ſanctiſſimorum exemplorum ſplendore, viam immaculatam diuinorum placitorum quam ſequeretur oſtendit. Miraculis etiam fulſit plurimis: nam ſigno crucis & ſancti olei vnctione cæcæ lumen, languido vigorem, infirmis quibuſque ſanitatem integram impertiuit. Deinde collectis ad cumulum iuſtitiæ manipulis, abiit ad præmium, & ſepultus in Eccleſia, admiranda ab obitu patrauit: quæ ipſius Eccleſiæ, eidem tutelam ac patrocinium tandem conciliarunt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Migravit ad Dominum beatus Theodoricvs Andaini monaſterij in Arduenna Abbas ex Monacho Laubienſi, vir eximia animi puritate, nec minùs virtutibus, quàm ſignis admirandis præclarus: cuius ſacrum corpus gloriæ fulgoribus coruſcum, poſt beatæ migrationis diuturna annorum curricula, in fauillas hæretici Caluiniſtæ redegerunt: vna cum ipſo quod & ſancti Huberti cognominatur cœnobio, quodquidem impij ferro flammíſque vaſtauêre. *Theodoricus.* Eodem die mortalitatem exuit piæ memoriæ Sandradvs Abbas Gladbacenſis, qui Monachus fuerat cœnobij ſancti Maximini Treuirenſis, vnde hauſto ſpiritu pietatis, longè latéque poſtea accepta eius dona diffudit. *Sandradus.* Perrexit etiam ad repromiſſam gloriam in cœnobio Nazareth prope Lyram in Brabantia beatus Bartholomævs, qui poſt dilectæ coniugis obitum, in Vallis Floridæ à ſe fundato cœnobio Ciſtercienſis ordinis, cum filio, ac filiabus tribus religionis habitum ſuſcepit. *Bartholomæus.* Deinde & Vallem Virginum, ac tandem ipſum Nazareth ædificauit: póſtque rigidam pœnitentiam exactam ſecurus de ſalute æterna, quam Deus ſpeciali gratiæ munere eidem & ſanctæ propagini promi-

ferat, lætus carnem exuens, ſpiritum puriſſimum tranſmiſit ad gloriam. Arripuit eumdem tramitem feliciter IOANNES VERDIER Monachus Ordinis Minimorum, qui impugnatus à dæmone, illum irremiſſo ſanctæ orationis ſtudio, aſſidua carnis maceratione & vitæ auſteritate glorioſè profligauit: de quo triumphans non ſemel cœleſti ſplendore colluſtratus apparuit. Obiit vir ſanctus in Aqnitania, & in cœnobio Toloſano depoſitus eſt, multa cum meritorum veneratione.

Ioannes dictus Verdier.

Octauo Kalend. Septembris. Luna

25 F *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	25	26	27	28	29	1			

SS. GENESIVS.

ARELATE Natalis ſancti GENESII Martyris glorioſi, qui in Diocletiani & Maximiani perſecutione, ſub Rictiouaro Galliarum Præfecto, adhuc Catechumenus, adhuc à diuinis legibus peregrinus, omnia in ſe ſubitò mandata pietatis, fidei plenitudine confirmauit: atque nedum in Chriſti militiam adſcriptus inclyto edito certamine, plena ac intrepida confeſſione veritatis, victor de impietate triumphauit. Is enim cùm exceptoris officio fungeretur, atque impia edicta quibus Chriſtiani puniri iubebantur nollet excipere, proiectis codicibus ante oculos prophani Iudicis, nefarias eius voces, & feralia decreta libera iam Martyris voce condemnauit. Tormenta in oculis erant: dolor eorum quos pœna lacerauerat, vſque ad faſtidium carnificum, vſque ad ſtuporem torquentium peruenerat: & inter hæc ille ſe Chriſtianum eſſe, tanquam non ad ſupplicia quærerentur Chriſtiani, ſed ad præmia, tota animi exultatione profeſſus eſt. Ea voce edita, omnis inſania frementis Iudicis, verſo in illum furore, continuò efferbuit. Sed fortiſſimus athleta Chriſtum paginis cordis inſcriptum gerens, ante extremam pugnam fonte vitæ & ſigno ſalutis expetiit conſecrari. Miſſo igitur ad ſacrorum Antiſtitem clam nuntio, diuini lauacri flagitauit gratiam. Sed perſecutoris inſtantia ſubſidium pietatis præpediuit: miſſis lictoribus, qui ad pœnam Chriſti Confeſſorem raperent. A quibus poſt modicum interuallum non procul ab vrbe comprehenſus, ad Rhodani ripam amputatis ceruicibus, coronam gloriæ & honoris, immarceſſibilémque palmam victoriæ ſua ex pugna reuexit. Sic Chriſti heros vnda pretioſi cruoris irrigatus, baptiſmi ſacramenta compleuit: cadénſque ſub gladio in teſtimonio veritatis, factus eſt hoſtia pietatis. Ipſo die Lutetiæ Pariſiorum ſancti LVDOVICI

LVDOVICVS Rex.

Francorum Regis Christianissimi huius nominis noni. Qui Ludouici itidem Galliarum Regis egregij, & Blanchæ eius coniugis, natæ Regis Castellæ, fœminæ religiosissimæ filius: patre mortuo in hæreticorum Albigensium oppugnatione, anno ætatis duodecimo Remis cœlestem Regni vnctionem recepit, solemniter inauguratus per Ioannem de Castro Suessionensem Episcopum, Remensis prouinciæ decanum; sede Metropolica orbata Præsule. Puer autem præstantis indolis, sub tutela matris remansit; à qua sanctissima sub disciplina educatus, breui omnium virtutum flores prodidit, religionis maximè insignis feruore & iustitiæ zelo. Verùm Regni aliquot Procerum coniuratione vix dum adolescens impetitus: generosâ vi animi in illos insurgens, potenter ipsorum superbiam repressit, hósque victoris clementiam experiri, qui armati fortitudinem persenserant, coëgit. Angliæ quoque Regem Henricum, astrictum Gallico sceptro lege clientelæ iusta sibi reddere quæ renuebat compulit: Gregorióque Pontifice orante, inducias eidem Regi concessit. Hinc zelo fidei exardescens castra in Albigenses mouit, eósque planè debellauit & conuertit, Remundo Tolosæ Comite penitus sibi subiugato, & solemni ritu ac sponsione, per Legatum Apostolicum reconciliato Catholicæ Ecclesiæ. Ita Ludouicus pueritiam & adolescentiam in summa innocentia & virtute traduxit. Vbi excessit ex ephœbis, annósque pubertatis exegit, matris prouida suasione, vxorem duxit *Margaretam* Comitis Prouinciæ filiam, ex qua sobolem suscepit egregiam. Vix calamo aut eloquio exprimi potest, quâ pietate in coniugio, quâ iustitia & religione in Regni administratione, quâ denique sanctitate priuatis in moribus, Rex Deo prorsus deuinctus enituerit. Corporis domitor egregius sextis quibuslibet feriis in ieiuniis & lachrymis precibúsque, Christi pro nobis in crucem acti memoriam recolebat. Sacro verò quadragesimali tempore & aduentus Dominici, omni penitus non modò piscium, sed & frugum esu vsúque sibi interdicto, vitam sanctissimè transigebat. Multo tempore intimam vestem gestabat cilicinam: quam cùm præcepto Confessarij propter nimiam exhausti corporis imbecillitatem deponere cogeretur, libens in pauperes eleemosynam vberiorem erogabat. Quolibet Sabbato (quem diem ob Virginis Deiparæ amorem peculiari in obseruantia habebat) aliquot egentium suis ipse manibus in loco secretissimo pedes abluebat, loros tergebat; tersos exosculabatur, crebro etiam centum viginti pauperum, qui eius beneficio quotidianam in aula annonam percipiebant:

atque certis quibusdam diebus & solemnibus vigiliis, ducentis pauperibus, ipse ieiunus cibos ministrabat. Præterea quotidie tres confecta ætate inopes mensæ suæ conuiuas habebat, eísque cibos ipse apponebat: præcipuam animi voluptatem, ex his obsequiis quæ Christo rependi sciebat, hauriens: cuius intentissimo æstuabat amore. Hoc affectu piissimo incensus optimus Rex passionis Dominicæ insignia, nempe crucis in qua affixus litrum redemptionis Christus ipse insons pro sontibus exoluerat, portionem; coronam quoque eius spineam & lanceæ ferrum qua latus ipsius Seruatoris percussum fuit, aliáque pretiosissima extremæ illius in nos charitatis monimenta, per Bizantinos Cæsares Venetis oppignerata, Balduini Imperatoris Constantinopolitani sui consanguinei, multis sibi beneficiis deuincti consensu, ingenti soluto pretio redemit, nec minori gaudio & triumpho Lutetiam Parisiorum inuexit, condidítque ad perennem venerationem & præcipuum Imperij Gallici præsidium in Palatina basilica, quam in sacratissimorum horum pignorum cultum & obseruationem regio planè sumptu construxit. His porro potitus adorandis Christi insigniis, leges edidit pius Princeps: quibus ad infigendam fidelium cordibus passionis Domini memoriam & reuerentiam districtè vetuit, ne feria sexta quispiam sertum ex floribus gerere præsumeret: qua die omnium redemptor & Dominus, spinoso diademate fuisset ludibriosè redimitus, sed nec tulit vsquam vt crucis signaculum humi insculperetur: repertúmque huiusmodi Parisiis in claustro nouæ basilicæ sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris, continuò iussit deleri, ne Dei viui insigne, tot nominibus nobis salutiferum & adorandum, calcibus incedentium contaminaretur. In cuius venerationem etiam Lutetiæ Parisiorum Ecclesiam construxit, ascetis sancti Augustini, sub triumphali crucis titulo militantibus, commendatam. Quin & vt Christo crucifixo laus omnis & gloria adscriberetur, primus crucis signum in Cheradum curatione adhibuit, sanciens vt nonnisi præuio crucis signo, Reges posteri strumosos tangerent, quo iis diuina vi non humana sanitatem impendere profiterentur. Cùm tot sanctitatis lumina Rex pius exereret, in morbum incidit grauissimum: editóque voto de Ierosolymitana expeditione pro Christi vindicando nomine ineunda, vbi conualuisset vexillum à Parisiensi Episcopo petiit & accepit: matríque cura regni omni demandatâ, ingenti cum exercitu traiecit in Syriam, hinc in Ægyptum vbi primo prælio Saracenos fugauit, Damiatam ab iis desertam occupauit. Sed

eûm ex pestilentiâ magna militum multitudo periisset, victus ipse captúsque est, Heros semper inuictus. Rebus postea cum Saracenis compositis, liber dimissus est cum exercitu, quem in Syriam transuexit. Quinque annis in Oriente commoratus plurimos Christianos a barbarorum seruitute redemit: ossa cruce signatorum à barbaris occisorum sua manu collecta sepulturæ tradidit, multos etiam infideles ad Christi fidem conuertit: præterea aliquot Christianorum vrbes, quæ ex tot cladibus residuæ erant, arcésque suis sumptibus restauratas, muniuit. Interim matre eius ad piorum operum præmium diuino nutu euocata, domum redire cogitur: reuersúsque sese applicuit intensius religiosis numinis obsequiis. Nam multa ædificauit & monasteria & pauperum hospitia. Inter quæ Parisiis Mosocomi-n ad principem ædem sanctissimæ Deiparæ Virginis, à sancto Landerico primùm conditum, instaurauit. Cæcis egentibus templum & hospitium: Carthusiensibus & Carmelitis Ecclesiam quoque & cœnobium extruxit: Minoritarum & Prædicatorum nondum ad culmen perductas ædes planè absoluit. Regalis montis asceterium non procul ab Æsia flumine condidit, collocatis in eo fratribus Cisterciensis ordinis. Sed & Regina eius assensu Abbatias duas de Maloduno iuxta Pontem-Æsiæ: & Liliorum prope Melodunum ad Sequanam fundauit. Eiusdem Regis munifica pietate *Robertus Sorbona*, quem inter Theologos magno in pretio habuit: Collegium instituit Parisiis Theologicum, exinde nomine illius insigne; at magis sapientiæ & fidei splendore iam toto orbe conspicuum. Sed non est peruium cuique sacra ædificia cuncta recensere, quæ pij Regis opera vel munere extructa sunt. Verùm illud est, ipsum tot Ecclesias intra exiguum temporis fluxum erexisse, vt vix multis sæculis tot legantur ab exteris Principibus vspiam instauratæ. Nec in his religiosis exercitiis, iustitiæ cuius debitor erat Rex sanctus vnquam oblitus est. Enimuero qualibet hebdomada sedens in Palatio, querelas omnium maximè orphanorum ac pauperum benignè audiebat, iúsque reddebat cuique suum. Et seueris quidem legibus vindictæ cupidos coërcuit, ac rigidioribus animaduersionibus blasphemos, quos cauterio mandauit inuri. Ecclesiis libertates integras, inuiolabilésque manere constituit. Instituendorum prælatorum oblatam sibi ab Alexandro IV. facultatem recusauit: cuius & diploma ne noxium foret suppressit. Simoniam prohibuit, præfecturæque vrbicæ & iuridicorum munerum venalitatem. Alia præclara multa ordinauit, nec modò iustitiæ leges egregias præscripsit,

sed & pietatis & fidei plenissimæ æternum populis suis reliquit monimentum, cùm ipsi in Palatio sua in iuridica Curia sedenti nunciatum fuisset: inter manus sacerdotis in sacello regio diuina mysteria celebrantis Christum in forma pueri visibiliter apparere: videre illum renuit, asserens nihil hoc sibi conducere, qui de vera Christi in tremenda litatione præsentia plenè persuasus esset. Tandem pius Rex incitatus à Clemente IV. summo Pontifice ad subsidium terræ sanctæ ferendum, iterum bellum Saracenis illaturus, in Africam transmisit. Carthaginem obsidione cinctam, & acerrimè oppugnatam demum in deditionem accepit. Sed ad Tunetanam vrbem castris motis, terra marique obsessam dum premit: orta pestilentia, ipse lethali correptus morbo, pietatis Christianæ subsidia demissè petiit, plenóque deuotionis spiritu suscepit, ac sanctissimis præceptis Philippo primogenito consignatis, quibus in Dei timore ille regnum dirigeret, & Ecclesiam coleret ac teneretur, totus in Crucifixum intentus, totus in preces, suspiria & pia desideria solutus, in illo insigni quem in magna spei Christianæ fiducia protulit versiculo: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo:* animam beatam efflauit. Corpus eius inde in Galliam reuectum, in basilica sancti Dionysij condigno funere sepultum est. Cæterùm eius pretiosa coram Deo merita, cùm micantia in dies miracula propalarent, nomen eius Bonifacius Pontifex Sanctorum albo adscripsit. At Gregorius quintodecimus postea accuratius perpendens quantum glorioso huic Regi vniuersa Ecclesia, at Gallia potissimum deberet, non Ecclesiastico solùm officio (sicut hactenus factum fuerat) sed & festo solemni memoriam eius benedictam præcepit deinceps tota in Gallia celebrari. Eodem

GREGORIVS. die depositio sancti GREGORII Vltraiectini Episcopi & Confessoris, qui perillustri Francorum genere natus patre Alorico, Adila matre Regis Dagoberti filia, beato Bonifacio sedis huius Archiepiscopo, ac tandem Martyri ab adolescentia adhærens, dignúsque effectus eius discipulus, & Apostolicæ prædicationis ac peregrinationis comes: spiritum pietatis eius ex disciplina abundè delibauit, iámque aptus Ecclesiastico regimini, cùm vir ipse beatus, infidelis Frisiæ pagos ad illuminandum, martyrij appetentissimus adiret: ab ipso suum in locum substitutus Vltraiectinæ Ecclesiæ gerendum præsulatum suscepit. Quem illustribus virtutis Episcopalis exemplis, sanctísque monitis gregem informans, ad Dei voluntatem prorsus administrauit. Nec curauit modò suorum salutem, at de vicinarum

gentium

gentium etiam bono sollicitus, plures ex discipulis, quos ad promouendum Christi regnum magna charitate educauerat, circumquaque prædicatum Euangelicam veritatem ablegauit. Inter quos *Liuinum*, *Marcellinum* & *Vvillibrodum*, qui immensis quoque doctrinæ ac religionis fulgoribus emicuerunt, ad partes Transisellanas emisit. *Ludgerúmque* prædilectum symmystam, Dauentriam destinauit prædicationis causa & fidei corroborandæ gratia: dehinc in Frisiam, vbi per septem annos ille permansit delubra destruens, ac crucis astruens trophæa gloriosa. Sic Gregorius per summissos adiuuas gentem hanc penitus ad cultum Dei incarnati adduxit. Postea Confessor eximius; imò, vir totus Apostolicus, exactis in Christi suaui at actuosa nihilominus seruitute plurimis annis, fractus assiduis laboribus ac senio, paralysíque etiam correptus, ad valuas Ecclesiæ sancti Saluatoris voluit deferri, ibíque diuina synaxi mira deuotione suscepta, Clero populóque valedicens, in Christi pace, cuius faciem ardenter desiderabat, obdormiuit. Atque post gloriosum transitum Ecclesiam quam vitæ meritis decorarauerat, præclaris lætificauit miraculis. Gesta eius & mirabilia antedictus sanctus Ludgerus postea Episcopus Monasteriensis, ex visis, in literas conmisit: magnísque at congruis illum celebrauit diuinè actorum præconiis. Cenomanis sancti *Victurij* Episcopi & Confessoris, qui magna cum sanctitatis testificatione annis quadraginta & amplius eam Ecclesiam gubernauit: atque Conciliis pluribus, scilicet Cenomanico, Andegauensi, Turonensi, Veneticóque cùm præclarè interfuisset: deposita mortis sarcina perrexit ad gloriam. Ipso die Lemouicis sancti AREDII Abbatis & Confessoris. qui primæ nobilitatis propago, sancti Nicetij Treuirensis discipulus, Spiritus sancti testimonio, dignus qui Clero adcenseretur ostensus, columbæ, cùm capiti eius, tum humeris insidentis indicio: deinde distracto assensu *Pelagiæ* piæ matris in pauperes patrimonio copioso, sectator crucifixi factus, domesticos religiosæ intentionis conscios, quin & sodales reddidit, secúmque sancti Basilij sacris addixit institutis. Nec solùm virtutibus eis præluxit, sed & signis emicuit admirandis, quibus, solo edito cum prece crucis signo, infirmos innumerabiles ad se confluentes sanitati reddebat. nullus enim vnquam accessit ad eum æger, qui non sospes ad suos reuerteretur. Ita Deo acceptus erat in suis precibus, vt earum vi aliquando defixâ in terram arentem virgâ, ingentem copiam aquarum eduxerit. Oratione quoque impendentem sibi nimbum aliò conuerterit. Præcipuo cultu pro-

AREDIVS

ſequebatur ſanctos Chriſti Confeſſores Hilarium & Martinum, cuius & ſepulchrum magno deuotionis ſpiritu viſitauit. Hinc regreſſus ad monaſterium, iter in cœlum capeſſiuit. Funus eius celebrauit ſanctus Ferreolus Lemouicenſis Epiſcopus. Deus verò ſerui ſui merita in ipſius exequiis honorauit: dum energumenam mulierem quam viui precibus noluerat, demortui meritis, diabolica vexatione liberauit. Quintinopoli in Viromanduis, ſanctæ HVNEGVNDIS Virginis. quæ claris orta natalibus, atque à ſancto Eligio Nouiomenſi Præſule è ſacro fonte ſuſcepta, in ipſis incunabulis, cuidam deſponſata fuit, qui pari erat generis claritudine. Quo Dei nutu ex humanis ſubducto, poſtquam virgo adoleuit, iamque vultu eleganti niteret: inuita (nam Chriſto iam mente nupſerat) Eudaldo cuidam præpotenti viro, parentum iuſſu coniugio illigata eſt: cui pia fraude ſuaſit antequam mariti iure potiretur, ſimul Romam deuotionis qua obſtricta erat cauſa pergere ad Apoſtolorum Principis patrocinia promerenda. Quod vbi conſecuta fuiſſet, Romæ die quadam ad pedes ſummi Pontificis prouoluta, voti ſecreta pandens, ſacrum velamen deuotè flagitatum accepit. Qua de re Eudaldus exacerbatus, eâ ſine vllo ſubſidio relictâ, à qua ſe cenſuit contemptum, in Gallias rediit. At illa humano deſtituta ſolatio, viriliter egit, & ſeipſam in Domino confortans, ſanctorúmque ſuffragiis, ſola in patriam tenera virgo repedauit. Ibat per viam perinde ac ſi iam in monaſterio degeret, pane cineribus permixto, & herbarum arborúmque paſtu defeſſum refouebat corpuſculum, diebus ſolùm feſtis modico pane ac aqua parciſſimè vtebatur. Interim Eudaldus odio incenſus, puellæ patrimonium diſtrahere, háncque ad necem quærere incipit. Verùm diuinitus Chriſti ſponſa ab illius inſidiis euaſit libera, veniénſque in patriam omnia ſua (priùs quàm ea Eudaldus diriperet) pio voto ſanctæ Mariæ de Humbleriis cœnobio, ſéque ſimul vt concupierat religioſo munere dedicauit. Tantæ pietatis virtute concuſſus Eudaldus, non diù pòſt ex Virginis aduerſario, in amicum ac admiratorem mutatus eſt: à qua veniam ſupplex popoſcit, orans vt quem noluiſſet habere ſponſum, ſeruum ſaltem habere dignaretur. Factus igitur vt petierat cœnobij procurator, Virgini quæque poſceret neceſſitas affluenter ſuppeditabat: inſtitutóque xenodochio quod cenſu congruo inſtruxit, in operibus ſanctis vitam tranſigens, demum feliciter carnis nexibus exemptus eſt. Pro cuius anima beata Virgo Hunnegundis per ſacerdotum manus ſacrificium ſalutare Deo obtulit, corpus defuncti ſuo in cœnobio

HVNEGVNDIS.

tumulauit honesto funere. Deinceps verò se astrixit seueriori vitæ, fœdas cogitationes haud secus atq. mala opera declinans, carnémque macerans crebris ieiuniis & vigiliis. Atque adeo in sancta animi meditatione & deuota fidei operatione, sanctæ conuersationis exacto decursu, sacræ vnctionis oleum & diuinam Eucharistiam sibi petiit ministrari: quibus magno cum pietatis sensu susceptis, erigens caput paululum ex cilicio & cinere, suauissimo odore immensóque lumine perfusa, ad sponsi cœlestis læta properauit conspectum. Prumiæ cœnobio in Sylua Arduenna sub sede Treuirensi veneratio sacratissimi corporis S. Martyris EVSEBII hac die Romæ sub Imperatore Commodo, cum Pontiano, Vincentio & Peregrino, pro fide Christi laureati. *Evsebivs Martyr.* Item Molhaniæ in finibus Episcopatus Leodicensis, solemnitas sancti ELMERI Episcopi ac Confessoris eiusdem loci tutelaris, potiùs patrocinij beneficiis, & sacrorum ossium coruscatione, quàm actorum notitia celebris. *Elmervs.* *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

INTERIIT Lugduni impiè necatus GRATIANVS pius Imperator, cuius præclaras dotes & egregia in Ecclesiam merita sancti Patres sacríque historici altis encomiis prædicatunt. *Gratianus Imper.* Felici exitu discessit PAVLVS nouitius Bonæuallis sub S. Hugonis magisterio, à quo in sancto proposito roboratus, ipso in tyrocinio virum in perfectum euasit: dúmque in extremis ageret, visa sanctissima Dei genitrice, quæ apertam ei beatitudinis ianuam innuebat, multa luce cœlitus illapsa circumfusus, æternum abiit ad gaudium. *Paulus.* Item ipso die placida morte in Christo quieuit piæ memoriæ IOANNES Marionius Congregationis Fuliensis ascceta religiosissimus, ac eiusdem promotor insignis. *Joannes cognomento Marionius.*

Septimo Kalend. Septembris. Luna

26 G XXIX.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
t u A B C D E f F G H M N P
20 21 22 23 24 25 26 27 26 27 28 29 1 2

AVTISSIODORI sancti ELEVTHERII Episcopi & Confessoris, qui S. Droctoaldo ob meritorum claritudinem suffectus, sanctitatis eius vt sedis hæres extitit, atque postquam inter religionis & disciplinæ Christianæ vindices, Patres secundæ, tertiæ, quartæ & quintæ Synodi Aurelianensis magno cum splendore virtus & sapientiæ consedisset, vitæ diuinitus actæ laude clarus, boni pastoris consecutus est præmium. *SS. Elevtherivs.* Tulli Leucorum sancti ALCHÆ Episcopi illius sedis tertij & Confessoris, qui eo tempore quo gregem Domini pusillum lupina perse- *Alchas.*

cutorum rabies diriùs insectabatur, custodiam illius suscipiens: sic ouium saluti pastorali vigilantia prospexit, vt ab excidio seruârit. Gratiæ autem præsidiis easdem munitas dimittens, æternam abiit ad requiem. Sepultus fuit in æde suburbicaria S. Petri quam viuens magis coluerat, in qua hodie caput eius venerandum promitur, eiúsque natalis celebratur ex more auito multò cum honore. In Cenomanis S. TENESTINÆ Virginis gloriosæ, quæ à S. Innocentio Episcopo Cenomanensi sacro velamine amicta, se hostiam viuentem voto perpetuæ integritatis spiritu & corpore dedicauit: atque in monasteriolo sanctæ Mariæ Virginis inter muros & aquam ædificato, cum puellis Deo deuotis ope ipsius S. Innocentij & beati Domnoli eius successoris sustentata, vitam egit prorsus cœlestem, quousque immaculato tramite decursa suæ conuersationis palæstra, moriens in Christi pace, viuentium coram Deo Virginum gloriosum auxit numerum. Eius corpus animæ purissimæ domicilium Floriacum (vbi S. Benedictus cum aliis plerisque beatis quiescit) deinde delatum est, vbi decenti cultu asseruatur, festóque proprio beata ipsius memoria honoratur. Ex eius reliquiis Manasses Episcopus Aurelianensis particulam decerpsit; intulitque in monasterium Curiæ Dei ad perennem venerationem. Ipso die dedicatio basilicæ Cathedralis sancti Petri Xantonensis. Item & Lingonis encænia principis ædis, quæ primùm sub S. Ioannis Euangelistæ patrocinio consecrata: demum cùm S. Mamantis Martyris pretiosis pignoribus, ipsum sortita est tutelarem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

TENESTINA.

POST vberrima susceptæ gratiæ fœnora, felici sopore ad Christum transiuit piissimæ memoriæ HERLVINVS cœnobij de Becco in Rotomagensi diœcesi primus fundator & Abbas, vir verè mitis & humilis corde. Cui Christus in gratæ seruitutis quam ipsi exhibuerat indicium, morienti, apparere dignatus est, eum ad præparata præmia benignè inuitans. Ad cuius conspectum fidelis seruus totus in lachrymas ac pios affectus solutus, manus attollens, hanc in vocem gratulabundus erupit. *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace. quia viderunt oculi mei, quod vt viderem antequam morerer summopere optabam. Adimplesti quod volui: nunc seruus tuus abibit quacumque hora tibi placuerit.* Nec diù pòst sacro sumpto viatico, spiritum emisit. Eodem die in magna pietate vitam finiuit in territorio Furnensi in Flandria BALDVINVS Dunensis Monachus & Leuita, qui tam in vita quàm post mortem multa sanctitatis suæ insignia prodidit, non minùs signis quàm virtutibus clarus.

Herluinus.

Balduinus.

Sexto Kalend. Septembris. Luna

27																A XXVIII.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r ſ
	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19 20
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P		
	21	22	23	24	25	26	27	28	27	28	29	1	2	3		

LVTETIÆ Pariſiorum in Cœnobio Pratenſi Veneratio Sanctorum Martyrum GEORGII Diaconi, & AVRELII NATALIÆque coniugum, qui Cordubæ ſexto Kalend. Auguſti cum Felice & Lilioſa, in Arabica perſecutione, pro teſtimonio & fide Chriſti acerrimè decertando, ſpretis parentibus, filiis, cognatis, affinibus & amicis, prædiis quoque & opibus, agone glorioſo morientes, ad beatæ immortalitatis gloriam peruenerunt. Corpora ipſorum beatorum Georgij & Aurelij, Nicolao Magno ſummo Pontifice, Carolóque Caluo regnante, ex Hiſpania in Galliam allata cum ipſius ſanctæ Nataliæ capite venerando, in ſacrario præſignati Cœnobij regalis, cum pretioſis aliis cœlitum exuuiis, cultu egregio condita, ibidem hactenus omni religione aſſeruantur. Ipſo die in ciuitate Arelatenſi ſancti CÆSARII ſenioris ipſius Metropolicæ Eccleſiæ Epiſcopi & Confeſſoris. Hic Calibone in Heduis ortus proſapia illuſtri, cœleſti rore perfuſus, vix adhuc ſeptennis, flores futuræ ſanctitatis aperuit, veſtes proprias diſtrahens quas pauperibus impertiebatur. Quamobrem ſæpè obiurgatus à parentibus, maiorem in Chriſti amorem exarſit, Lerinúmque profectus religioſæ vitæ rudimenta ſub *Porchario* Abbate ſanctiſſimo exorſus eſt. Ibi immodica abſtinentia penè ſeſe confecerat: cum Abbatis ipſius iuſſione Arelatem ad vires recuperandas ſe recepit. Quod diuino contigit nutu: nam ibi cùm aliquandiu hæſiſſet diuinarum literarum meditationi intentus, atque virtutum omnium cultu præſtans, Preſbyter ab *Eonio* Pontifice ordinatur, Abbáſque ſubinde præficitur inſulæ barbaræ cœnobio. Tum demum defuncto Eonio illum in ſepulchro latitantem ordines Arelatenſes Epiſcopũ elegerunt. Coactus igitur Epiſcopatus ſarcinã ſuſcipere, à Dei cultu amplificando ſui muneris cœpit initiũ, decernens vt quotidie Clerici diuinas laudes ſtatutis horis in S. Stephani baſilica perſoluerent: Laici ſic intereſſent vt cauerent ſacro in loco confabulari. Túmque ſe diuino miniſterio, lectioni, ſcriptioni atque ſacris concionibus addixit, quibus ſpiritualis medicus, omnium morbos curabat, atque ſingulis in-

SS. Georgivs, Avrelivs & Natalia.

Cæsarivs ſenior.

gerebat religiosis actibus incitamenta virtutis. Pauperum curam gessit præcipuam, quibus & hospitium domui suæ contiguum construxit, pro hisque alendis & redimendis, propriam supellectilem, atque etiam Ecclesiæ sacra vasa distraxit. Porro Cæsariæ sorori è Massilia (vbi religiosa instituta inchoauerat) euocatæ parthenonam condidit, præscripsitque qua seipsam & virgines commissas regeret regulam egregiam. Iniquè delatus deinde sanctus Præsul ad Alaricum Gothorum Regem, per Licumannum suum notarium, quod vrbem Burgundionibus prodere cogitaret: indictáque causa ab ipso Rege damnatus, Burdigalam relegatus fuit, vbi miraculis plurimis coruscauit. Hinc compertus insons criminis, cum honore & muneribus remissus ad sedem, non priùs redire voluit quàm veniam pro calumniatore suo à Rege primitus impetrasset. In ipso reditu ciuibus suis quorum agri siccitate arescebant, fusa ad Deum oratione vberem contulit imbrem: Pastoralisque officij munera sedula instantia gregi suo exhibuit. At denuo proditionis à Iudæis & hæreticis insimulatus, durante obsidione Arelatensi à Francis instructa, primò in carcerem à Gothis detruditur, postea Rauennam mittitur ad Theodoricum Regem, sed cognita eius sanctitate cùm à Rege, tum à regiis proceribus, summo honore habitus est: sicque dimissus Romam ad Apostolorum limina deuotus accessit, atque à Symmacho Pontifice Senatúque & populo Romano, tanquam vir sanctus, susceptus est multa cum veneratione. A quo Pontifice pallium suscepit: cuius etiam vices sedi Arelatensi antiquitus concreditas obire in Gallia iussus, rediit: Apostolicáq. auctoritate, Gallicanæ Ecclesiæ inita comitia non semel moderatus est, ac causas diuersas eásque graues à se discussas magna solertia composuit. Suóque æuo vir beatus Conciliorum princeps ac Episcoporum pater, fidei præses, disciplinæ vindex, doctrinæ oraculum, virtutúmque sydus animatum passim habitus, cùm præclara innumera in Episcopatu edidisset, scriptis diuinis Catholicam religionem exornasset, Ecclesiam suam annos quadraginta religiosissimè gubernasset, septuagenarius perrexit ad fidelis vilicationis remunerationem: atque in monasterio à se condito sepultus, meritorum claritate, decus sanctitatis & gloriæ perennauit. Ipso
8,10. die Senonis depositio sancti EBBONIS Episcopi & Confessoris. Hic Gerici antecessoris è fratre nepos, parentibus orbatus, cùm ei castrum Tornodorum iure hæreditario competeret, Senonis latenter fugit, atque in cœnobio sancti Petri viui Monachum professus, ibi diù Christo sub Abbatis imperio milita-

uit. Cuius loci postmodum ob diuinas quibus pollebat dotes Abbas creatus, & inde patruo de humanis subducto, Cleri plebisque instanti efflagitatione Pontifex almæ huius sedis consecratus, munus Episcopale adeo diuinè gessit, vt exemplo vitæ & monitis salutaribus plerosque à vitiis ad virtutes reuocârit, signisque clarus & meritis, postquam etiam vrbis quam Vvisigothi obsidebant excidium, ipsorum hostium in capita retorta clade, auertisset: cupiens soli Deo placere, solitariæ vitæ appetens in inculto loco sylvis horrido se reclusit, *Arces* nuncupato: vbi duæ erant vetustæ ædiculæ, altera in honore sanctæ Mariæ, altera sancti Michaëlis. Ibi noctu diúque Domino deseruiens, dies in extrema senectute compleuit: pósque obitum apud sanctum Petrum, sicut præceperat conditus, signis refulsit emeritæ beatitudinis. Duas sorores habuit *Ygoaram* & *Letheriam*, quæ fratris pietatem æmulatæ, cœlibes in Christi famulatu consenuerunt, distributis Ecclesiis & pauperibus facultatibus suis, ex quarum fœnore sibi adytum ad æterna tabernacula aperuerunt: vitáque functæ iuxta fratrem, quem in cœlo comitantur, sepultæ fuerunt debito cum honore. Augustoduni sancti SIAGRII Episcopi & Confessoris, qui Brunechildis Reginæ frater, Desideriique Viennensis Archiepiscopi & Martyris, vt fertur patruus: suo tempore clarum Galliæ lumen emicuit. Enimvero post Odalricum ad sedis huius gubernacula renitens licet admotus, Ecclesiam illam ad præscriptum Euangelicæ legis administrans, cæteris etiam Galliæ subsidia permulta impertiuit, quibus cum Catholicæ fidei synceritas, tum disciplinæ vigor ferè marcescens, recepit decus ac vires. Mandato siquidem sancti Gregorij Papæ, qui pallio illum metropolico honorauit, è Galliis expulit Neophytos hæreticos. Comitiis sacris non semel interfuit, quibus scientia & zelo religionis præluxit, ædificatóque Augustoduni sancti Andochij cœnobio, ac editis aliis præclaris suæ pietatis significationibus, ob quas à sancto Gregorio sæpè sæpiùs laudibus magnis commendatus est: abrupto filo mortalitatis, æternæ vitæ quam ardenter sitiebat euolauit ad fontem. Ipso die Pictauis repositio reliquiarum sancti PETRI Apostoli, quas olim sanctus HILARIVS reuertens ab exilio, Roma secum detulit, atque in sancti Petri à se constructa æde sacra collocauit. Leodij translatio sancti LAMBERTI Episcopi & Martyris, quando de crypta in altare S. Crucis, venerandum eius corpus repositum est. Item Bituricis translatio S. SVLPITII. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, &c.*

SIAGRIVS.

PETRVS Apost.

HILARIVS Episc.

LAMBERTVS Episc. & Mart.

SVLPITIVS.

Aaa iiij

Alexander Papa tertius. ABIIT ad Christum felici excessu ALEXANDER Papa tertius. Qui per gradus humilitatis ad tantum culmen ascendit: póstque multas superatas persecutiones, quas Dei ope & Gallicanæ Ecclesiæ, quæ è sede extorrem suo in sinu fouit, subsidio superauit: magna sanctitatis testificatione relicta, emeritam piis in vigili gregis Christi custodia laboribus, profectus est ad coronam. Hic pius Pontifex Parisiis existens basilicæ sanctæ Mariæ primum lapidem imposuit.

Quinto Kalend. Septembris. Luna

28 B XXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
22	23	24	25	26	27	28	29	28	29	1	2	3	4			

SS. AVGVSTINVS. NATALIS sancti AVGVSTINI Doctoris Ecclesiæ præcipui. Cuius Gallia sacris monimentis edocta, in auita pietate orthodoxa perseuerat, gloriosis institutis lætatur, sacra sobole fœta est: memoriam perpetuis honoribus veneratur.

IVLIANVS. Ipso die Briuate in Aruernis triumphus sancti IVLIANI Martyris, primarij Aruernorum patroni, qui Viennæ Allobrogum natus Christianis parentibus, cum lacte pietatem fidémque sugens, ita altè præcordiis Christi amorem infixit, vt nec in tenera ætate, aspera quæque pro eo perpeti formidaret. Ex ephœbis egressus militiæ se addixit: ita tamen vt sub militari habitu castum fidei depositum conseruaret, Christóque intimo mentis affectu magnáque cum animi puritate famularetur. At cùm nonnulla latentis in animo religionis indicia prodidisset, in discrimen adductus, consilio beati *Ferreoli* tribuni cuius comes erat, declinandæ persecutionis causa, quam Diocletiani iterata edicta exasperabant, Briuatum apud Aruernos iter direxit. Verùm cùm hostium fidei furor minimè eius ex abscessu tepesceret: horúmque impulsu Crispinus Consularis satellites misisset, qui eum conquisitum occiderent, satis intellexit egregius athleta, à Deo præclaram sibi martyrij cuius æstuabat desiderio occasionem parari. Vltro igitur se insequentibus occurrit, iísque caput pro Christi testificatione intrepidè obtulit obtruncandum. Quo abscisso, palmam suo ex triumpho reuexit. Ipsum eius caput Ferreolus, qui & ipse postea glorioso agone perfunctus est, detulit Viennam. vbi posteaquam graues post pœnas capite quoque truncatus est, eodem in tumulo vbi sepultus fuit, vertex ille sacer Iuliani collocatus, tamdiu latuit, quousque cœlesti afflante aura

Ecclesia pacem recepit. Micantibus enim inde diuinæ virtutis quæ sacros artus Christi testium clarificabat radiis, pignora veneranda è receptaculo elicita, fidelium deuotioni vberique commodo patuerunt. Cæterùm Iuliani beatissimi dies passionis cùm diu ignotus fuisset, Briuatenses indicante sancto Germano Autissiodorensi, qui ipsum diuina reuelatione cognouerat, hunc esse, quem deinceps signârunt Ecclesiasticæ tabulæ, didicerunt. Rotnaci in Flandria veneratio corporis sancti HERMETIS Martyris Romæ, cuius Præfectus erat, hodie coronati. HERMES. Eodem die depositio sancti BIBIANI Episcopi Santonensis & Confessoris. BIBIANVS. Qui regali ortus prosapia, natalium claritatem diuinæ virtutis splendore magis quàm ferrum auro decoratur, illustrauit: Pastor enim eius Ecclesiæ constitutus, sic Dei placita executus est in gregis procuranda salute, vt pastorum Principis, qui pro ouibus animam posuit effigiem mira zeli & diuinorum actuum imitatione referret. Sæpè enim semet in discrimen dedit, vt afflictis ouiculis solatium afferret: quibus & Euangelicis documentis & gloriosis virtutum progressibus, ad veræ beatitatis assecutionem tramitem ostendit. Ipse verò postquam cœlitus de felici excessu præmonitus, diem suum extremum præsignasset, ad desideratam requiem profectus est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

HOC ipso die iter æternitatis capessiuit sanctæ memoriæ IOANNES Abbas Præmonstratensis, sanctissimæ Deiparæ Virgini æquè deuotus ac dilectus. *Ioãnes Abbas Prem.* Item & IOANNES cognomento Præcursor Monachus Villariensis, qui in sanctorum gestis meditatione defixus, tincturam sanctitatis eximiam ea ex lectione *Ioannes Villar.* ac scriptione imbibit, suique, mundique aspernator ac dæmonis triumphator gloriosus, emeritam accepit à cœlesti munerario lauream. Abiit itidem ad præmium VVALTERVS Abbas Dunensis, vir multæ misericordiæ & charitatis. *Vvalterus.*

Quarto Kalend. Septembris. Luna

29 C XXVII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	30	29	1	2	3	4	5			

DECOLLATIO sancti IOANNIS Baptistæ, seu potiùs secunda inuentio capitis eius in Emessa ciuitate facta. SS. IOANNES Bapt. Itémque eiusdem sacri capitis ex Alexandria in Galliam translatio, necnon reuelatio, diuinitus facta sub Pipino Rege Aquitanorum Ludouici Pij filio, qui nobilem in ipsius diuini Præ-

cursoris basilicam erexit, in quam memorandum idem Pipinus condidit. Lutetiæ Parisiorum sancti MEDERICI Abbatis & Confessoris, qui è ciuitate Æduensi ortus spectabili genere, cùm tredecim annos implesset, inuitis parentibus ad monasterium eiusdem ciuitates abiit, religiosúmque vitæ institutum amplexus in ipsis conuersationis suæ primordiis, ea vitæ morúmque sanctimonia excelluit, qua omnes in sui admirationem raperet. tantæ abstinentiæ, vt in hebdomada nonnisi bis edulij quicquam caperet, ídque nonnisi ex pane hordeaceo sumebat. modica aqua temperabat sitim. subtus schema monasticum, quod cæteris gerebat simile, corpus macerabat asperrimo cilicio: atque nil in verbis ac actibus, quod non castigatæ mentis Deóque deuoræ speciem ederet, præferebat. His cùm clareret insigniis sanctitatis, excedente ex stadio carnis cœnobij præfecto, quanto dignior, tanto magis renitens, Abbatis omnium votis sibi impositum munus sic suscepit, vt non honorem, sed onus se accepisse considerans, omnibus suæ curæ commissis, sese non dominum, sed verum patrem exhiberet. Quibus sic in Dei timore præfuit, vt non monitis solùm & exemplis, sed & supernæ sibi insitæ virtutis opitulatione, mirum in modum prodesset. Monachum enim quemdam fascibus libidinis à dæmone inflammatum: tunica sua induens ab æstu exitioso liberauit. Alius verò ita cùm esset illusione diabolica subactus, vt quandocumque diuino operi insistere deberet, statim vt synaxeos consueta oratio finienda erat, de Ecclesia exiret, hácque de re frequenter admonitus, non tamen emendaretur: demum sanctus Abbas panem accepit, & benedicens eulogias fratri tribuit, móxque ab eo inimicum exclusit. Sed verò cùm de diuersis regionibus fama eius diffusa multi ad eum solatij causa properarent: Dei famulus vt procul ab hominum strepitu & gloriæ popularis adulatione Christo liberiùs seruiret, desertum locum tandem expetiit, illícque diuinis meditationibus totus defixus hæsit, donec fratrum abcessus eius dolentium opera, per vastam eremum longè latéque perquisitus, ac tandem inuentus est. Qui tamen eorum precibns flecti non potuit, vt ad cœnobij gubernacula rediret. Igitur Episcopi auctoritate opus fuit, qui viro Dei dira interminatus est, ni ad regimen monasterij rursus obeundum, protinus reuerteretur. Obtemperauit Pontifici iubenti Dei seruus, atque diù in præfecturæ religiosæ administratione perstitit, sanctitatis luminibus magis ac magis coruscans: atque vi diuina qua pollebat infirmitates curans plurimorum. Tandem concursus frequentioris honorísque per-

tæsus, Lutetiam Parisiorum proficiscens, in sylua tum vrbi vicina se abdidit: cùm in itinere miracula magna fuisset operatus. Cúmque ad sacellum sancti Petri illa in sylua conditum cellam sibi ædificasset, exactis illic in Christi sedula seruitute duobus annis & nouem mensibus, vocatis discipulis quibus suæ migrationis diem prædindicauit, in deuota æterni numinis adoratione, sanctissimam emisit animam: signísque admirandis sic post obitum emicuit, vt ædicula ipsa in qua sepultus fuit, insignem in basilicam ipsius obtentu mutata, pristina exuta nuncupatione, patrocinij ipsius sortita sit appellationem: qua etiamnum fulget, pignoribúsque amoris fruitur pretiosis. Metis ipso die translatio sancti ADELPHI Episcopi & Confessoris: cuius sacrum corpus petente Lantfrido Corepiscopo Drogonis Antistitis Metensis, fratris Ludouici Pij; ad nouum Villare monasterium, cultu potiori repositum est. Item Cabilone in Æduis Eleuatio corporis S. LVPI eiusdem Ecclesiæ Episcopi & Confessoris, facta ob diuinas virtutes ad tumulum eius micantes, per Garboldum ipsiusmet sedis Episcopum. Eodem die in territorio Louaniensi sanctæ VERONÆ Virginis; quæ regia proles, neptis Ludouici Pij Imperatoris: patris Ludouici Boiariæ Regis fulta assensu & præsidio, sanctíque Vironis fratris sui piis consiliis, ad Rhenum, monasterium sui nominis construxit: illúdque ipsum ingressa, mundo in vniuersum valedicens, prima consecrata sui cœnobij monialis, prima & gubernatrix, ita piè & sanctè conuersationem suam instituit, vt pòst reuectos de mundo, carne & dæmone gloriosos triumphos, & palmam victoriæ à Rege gloriæ susceperit, & virginitatis in aula cœlesti lauream immortalem. Excessit quidem in agro Moguntiensi: at deinde translata ad monasterium sanctæ Crucis inter Louanium & Furnam, ibi magnis refulsit supernæ gloriæ indiciis: quibus vt perpetuam loci huius se gerere prodidit tutelam, sic sibi perennem conciliauit incolarum venerationem. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

ADELPHVS. LVPVS. VERONA.

Tertio Kalend. Septembris. Luna

30																	D XXV. 25.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	24	25	26	27	28	29	30	1	1	2	3	4	5	6			

SS. EONIVS. ARELATE ſancti EONII Epiſcopi & Confeſſoris. qui totus Dei amore incenſus, eius cultui propagando, Eccleſiæque ſuæ vtilitatibus ſeriò inuigilauit: cuius & iura tutatus, decora etiam maximis virtutibus, quibus affluebat ampliauit: meruítque ob ſanctitatis & paſtoralis vigilantiæ clara indicia, à ſummis Pontificibus Gelaſio, Anaſtaſióque, dignis quæ in illorum ad eum reſcriptionibus conſpicua ſunt, honorari præconiis. Deinde beatus Antiſtes, deſignato ſibi ex Cleri ſuffragio, populíque aſſenſu ſancto Cæſario quem ſacris initiauerat, fouerátque vt filium, diuino in munere ſucceſſore, æternam

FIACRIVS. migrauit ad requiem. Ipſo die in Meldenſi agro ſancti FIACRII Eremitæ & Confeſſoris. Hic Eugenij IV. Scotorum Regis filius primogenitus, ſub Conani Sodorenſis Epiſcopi diſciplina in Dei timore educatus, eiúſque incenſus pietate, contempto regno, quod ſibi iure natalium debebatur, rebúſque terrenis omnibus poſthabitis, patria ſecedens cum vnica ſorore ſua *Syra*, ad S. Pharonem Meldenſem in Gallia Epiſcopum venit. à quo benignè exceptus, idoneum deſiderio ſuo locum accepit. *Syra* verò in beatæ Pharæ Brigenſis Abbatiſſæ, diſciplinam conceſſit, ſub ipſius ſancti Pharonis fratris beatæ ipſius antiſtitæ, commendatione. Fiacrius igitur in agello illo, (deciſo nemore denſiſſimo) conſtructa cum cellula ædicula in honorem beatiſſimæ Deigenitricis, vitam exorſus plane cœleſtem, miros circumquaque radios ſuæ ſanctitatis diffudit. Cúmque diuinæ in eo virtutis etiam promicarent inſignia: excipiendis ad ſe confluentibus vndequaque infirmis, quos ſola manus impoſitione ſanitati reddebat, hoſpitium inſtruxit. Morbus non erat quem non oratione depelleret: ſed mira præcipuè operabatur circa Euergumenos. At verò cùm his diuinis dotibus radiaret vir beatus; Legati ad eum è Scotia deſtinantur enixè ſupplicaturi, vt patriæ miſeratus regni paterni quod frater in omne ſcelus prolapſus, extremum ferè in diſcrimen adduxerat, ius proprium recipere, ac deinceps habenas illius moderari dignaretur. Quorum aduentus diuina admonitione præſcius,

fuſis

fusis precibus cum lachrymis Dominum exorauit, vt nullis eorum illecebris auelli posset à sancto instituto. Ingredientibus igitur Legatis, Fiacrius similis leproso apparuit: cuius horrore illi consternati, cùm frigidè inuitassent secum vt patrium in solum rediret ad valetudini succurrendum: haud illo annuente, à vehementioribus suasionibus abstinuerunt. Sed Dei seruus vbi plagam hanc non naturæ vitio, sed Dei beneficio immissam sibi, præmonuisset: non modò eorum versutiam elusit, sed cœlestia æternáque animo verè regio complexus, omnium fugientium bonorum & honorum nomina fumósque & vmbras contempsit: obtestatus, cellulam sibi quouis amplissimo regno potiorem esse. Sicque illi repulsam passi in Scotiam regressi sunt. Porro Dei seruus pristina specie recuperata, reliquum vitæ in eremo transegit magis cœlo quàm solo defixus. Atque postquam in omni pietate, humilitate & abstinentia vitam traduxisset, tandem sanctissimè mortem oppetiuit, atque in beatorum societatem concessit. Innumeris in tumulo claruit miraculis, quæ cum frequentia ad eius sepulchrum edantur, perpeti deuotorum clientum concursu pollet memoria eius celebris. Nec ibi modò vbi Deo famulatus est & quieuit vir diuinus, fulgent meritorum eius insignia: quæ etiam postquam corpus eius Meldas ad sanctum Pharonem delatum fuit, illic perennia perstiterunt: sed & in parthenona Hederensi Parisiensis agri, vbi in Deigenitricis templi cœnobitico sacrario; maxilla eius, in decoro lipsanodochio quod imago eius profert in manibus, condecenti cultu asseruatur, iisque rutilat gloriosis virtutum coruscationibus, quæ celebrem ibidem illius & memoriam & festiuitatis diem reddiderunt: confluentibus vndique deuotis supplicibus, qui eum benignum sibi suffragatorem interpellantes, itidem opitulatorem experiuntur. Vsu enim hactenus compertum est, si quis tantillum aquæ, in quam immergitur sacrum pignus, morbo, quocumque laborat, cum fide infuderit: optatam continuo medelam consequi, beati Confessoris virtute. Qua & aqua ipsa, quæ hac benedictione donatur, ad longos annos limpida manet, suauis ac incorrupta. Ipso die itidem in agro Meldensi sancti AGYLI primi Resbacensis Abbatis & Confessoris, qui ex Monacho Luxouiensi vbi floruit sancti Eustachij discipulus, reuocatus ad patrium solum, ob egregias virtutes & præcipuum religionis studium à sancto Audoëno prædicti cœnobij fundatore: primus illic ætheriarcha constitutus, germina ibidem pietatis plurima excitauit, collectáque multa operum bonorum segete, candidatus gloriæ, cen- Agylus Resbac.

tenarius quieuit in Domino. Eodem die apud Aurelias ſancti alterius AGYLI itidem Confeſſoris : qui nobilis illius ciuitatis Vicecomes, Dei paterna caſtigatione, & ſancti Maximini Miciacenſis Abbatis, cuius ſepulchro affixum ſeruum abſtrahi ad pœnam iuſſerat, benigna vltione correptus : eumdem ſeruum glorioſi illius Confeſſoris obſequiis, in eius Eccleſia mancipauit. Compóſque valetudinis, cœlitus ipſius interceſſione factus, exuto veteri homine, totus in pios pertranſiit affectus. In pauperes enim miſericors euaſit, in Eccleſias munificus, humilis erga omnes, in Deum deuotus, cui ieiuniis inſiſtens, orationibus, vigiliis, omni animi intentione & puritate cordis cœpit famulari. Hinc hauſta plenius religione, diſtractis in officia charitatis opibus, cum miris viſendi Chriſti cunabula, & immortalium operum theatrum incenſus deſideriis arderet : Hieroſolymam ſupplicabundus petiit, & omnia à Chriſto diuinitatis & humanitatis impreſſa terris veſtigia, exoſculatus, limina etiam Apoſtolorum, aliáque celebria Sanctorum monimenta perluſtrauit. Tandémque reuerſus domum, Epiſcopum ciuitatis *Auſtrenum* & ſanctum Maximinum iuniorem de die ſibi imminentis obitus quem diuinitus prænouerat, admonens, orauit vt ſibi orationibus & ſacramentorum munitione ſubuenirent. Acceſſerunt ergo, & diuinum viaticum moribundo detulerunt, quo præditus, lætus ad ſpei Chriſtianæ fruitionem euolauit. Ad ædem verò ſanctæ Mariæ quam in prædio ſuo ædificauerat, cuíque id attribuerat ſepultus, crebris inclaruit diuinæ magnificentiæ teſtimoniis. Brugis in Flandria tranſlatio ſancti DONATIANI Remenſis Epiſcopi. Cuius venerabile cadauer in Eccleſia ſancti Agricolæ ſepultum ibidem tandiu iacuit, quouſque Ebbo Remenſis Archiepiſcopus id religioſis votis conceſſit Balduini Ferrei Marchioni, póſtque Comiti Flandriæ, qui id honorificè Brugis collocauit in baſilica titulo conſpicua ipſius beati Pontificis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

AGYLVS Aurel.

DONATIANVS.

Henricus. ABIIT hodie ad ſuperos Beatus HENRICVS, qui cœleſti voce excitus, ſancti Norberti quem Remis concionantem audiuit, ſeſe magiſterio ſubdidit : adeóque eius ſanctæ doctrinæ & conuerſationis felix æmulator factus eſt, vt perfectionis Euangelicæ, quam ex eo hauſerat, ideam mirificè referret. Virtutibus igitur cumulatum, Viuarienſi cœnobio S. Norbertus præfecit : vbi charitatis, humilitatis, zeli religioſi, ſollicitudiniſque paternæ, eximios prodidit fulgores. Dehinc cùm miracula eius merita declararent, ad Vallem Serenam latebræ cupidus, vir verè humilis tranſmigrauit : vbi nouo cœtu congregato

postquam iter immaculatæ conuersationis initiasset, ad consortium beatorum agminum quæ eidem expiranti apparuerunt, felicissimum consortium migrauit. Item ipso die, exitu felici obiit beatæ memoriæ RICHARDVS ipsius sancti Norberti dignissimus discipulus, à quo admissus in sodalitium, Præmonstrati tirocinium religionis expleuit, præditúsque maximè eluxit perfectæ obedientiæ spiritu, & Angelicæ conuersationis decore. Factus deinde Abbas basilicæ sanctæ Mariæ in nemore, quæ Mussiponti in Lotharingia sita, postea Ecclesia sanctæ Mariæ maioris dicta est: gregis sibi crediti clientelam vigili solertia iniit, charitate magna peregit. Deinde prophetico spiritu insignis, formidabilis dæmonibus quos imperio abigebat, at Angelis familiaris, hominibus charus, Deo gratus ex hac labili luce, ad lumen gloriæ indeficiens, filius lucis & pacis placidè commigrauit. *Richardus.*

Pridie Kalend. Septembris. Luna

31 E XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	30	1	2	2	3	4	5	6	7			

SVESSIONE veneratio immaculatæ Zonæ SANCTÆ DEIGENITRICIS, quæ capta Constantinopoli per Francos, ex templo eius in Blachernis deprompta, cum pretiosis aliis Christianæ pietatis pignoribus per Niuelonem Episcopum Suessionem allata, atque in perpetuam venerationem collocata est, in ipsius sanctissimæ Deiparæ Virginis Abbatiali æde sub Virginum sacrarum custodia, cum pepli ipsius beatissimæ parte. At alium penè integrum antea Carolus Caluus Imperator in sacrario templi Sanctorum Cornelij & Cypriani Compendiensis deposuerat: vbi etiamnum multa religione seruatur & ostenditur. Apud Treuiros primæ Belgicæ Galliæ Metropolim, natalis sancti PAVLINI Episcopi & Confessoris, imò reuera Martyris gloriosi. qui tempore Arianæ infestationis, quod æterni Verbi maiestatem, fideíque synceritatem orthodoxæ, zelo Apostolico tueretur, de Biterrensi conciliabulo, sæuiente Saturnino pseudo Episcopo Arelatensi, impiæ factionis antesignano, in exilium vnà cum sancto Hilario Christi quoque pugile acerrimo, Rodanióque Præsule Tolosano, strenuo itidem pietatis assertore; trusus in exilium, atque in odium religiosæ constantiæ, varia per loca rigidè deportatus, tandem apud Phrygiam fidei suæ veritate, diræ exagitationis forti perpessione firmata, egregiæque pietatis certamine prorsus consummato, beatæ passionis percepit à Domino coronam. Cuius venerandæ exuuiæ Treuiros relatæ, cum sanctis Martyribus PALMATIO Consulari & patricio Treuirensi, TYRSO vno de principibus Thebeæ

SS. Beatissima Deigenitrix Maria.

Paulinus.

Palmatius. Tyrsus.

Maxentius, Constantius, Crescentius, Iustinus. Leander, Alexander, Soter, Hormisda, Papirius, Constans & Iovianus. Optatus.

legionis: Senatoribúsq. MAXENTIO, CONSTANTIO, CRESCENTIO, IVSTINO, tribúsque germanis LEANDRO, ALEXANDRO & SOTERO: necnon HORMISDA, PAPIRIO, CONSTANTE, IOVIANO, quos pridem Rictius Varus ob fidei testimonium interemerat; conditæ fuerunt in crypta, per Felicem, tertium ab eo Treuirensem Episcopum, qui & in eius honorem Ecclesiam construxit, nominéque insigniuit. Autissiodori sancti OPTATI Episcopi & Confessoris. qui post sanctum Gregorium, sanctis progressibus ad regimen illius sedis accedens, ardentibus pietatis studiis ministerium quod susceperat impleuit: ac exemplo & prædicatione oues sibi commissas ad æternitatem vbi instanter excitasset, sanctè factorum gloria clarus obiit in Domino. In Ecclesia autem sancti Germani cum tribus antecessoribus itidem sanctimoniæ gloria præclaris, nempe BB. *Urso*, *Theodosio* & *Gregorio* venerabiliter sepultus: eodem cum iis vt præmio in cœlis fruitur beatitudinis, sic in terris eiusdem cultus nobili commercio honoratur. Apud Iotrum Monasterium in Episcopatu Meldensi depositio sancti

Ebregesillus.

EBREGESILLI Episcopi & Confessoris. Hic illustri Francorum stirpe editus parentibus *Abobino* & *Pientia*, iustitiæ ac religionis operibus perornatis: frater fuit S. Aquilbertæ Virginis secundæ illius asceterij virginalis Abbatissæ. diuinísque obsequiis iam à tenera ætate deditus, ipsa in iuuentute magnam sibi virtutis & pietatis laudem collegit. Cui sapientiæ doctrinæque coniunctæ dotes, cùm famam integri nominis peperissent; deficiente S. *Pathasio* qui excessit è vita ipso suæ electionis die: diuina aspiratione gratulantibus omnibus eius in locum sublectus est. Móxque ad Clerum conuersus, sacerdotes sanctis moribus instituit. Deinde populum magno concionandi, hortandi, visendi, curandíque labore, non sine cœlestium prodigiorum suffragatione, à prauis vitiorum corruptelis ad Christianam disciplinam reuocauit. Vita tandem & æuo laboribúsque exhaustus, ipso in cœnobio Iotrensi, ad quod pietatis ergo diuerterat, religiosissimè pura lumina clausit, atque in regni cœlestis, cui sol iustitiæ perpetim fulget, conscendit lucidissimas felicissimásque mansiones. Funus eius deportatum est in ædiculam sancti Pauli, in qua non ita diu è sepulchro elatum eleuatúmque sacrum eius corpus, infulis & panoplia sacra egregiè adornatum post mille annos

Hadulphus.

apparuit. Attrebati eleuatio corporis sancti HADVLPHI Episcopi, cuius natalis fulget cultu sacro pridie Idus Maij. Item in Blandinio consecratio basilicæ beatissimorum Apostolorum

Ferreolus.

Petri & Pauli. Ordinatio S. FERREOLI, quando à S. Firmino

Lemouicensi Episcopo, cuius successor fuit, Presbyter consecratus & Corepiscopus constitutus est. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

In agro Parisiensi Longi campi parthenone depositio beatæ ISABELLÆ Virginis, germanæ sancti Ludouici Regis, ipsiúsque Virginalis sodalitij fundatricis: cuius præcelsa in sæcularis gloriæ extremo contemptu, Deique feruentissimo cultu, ac sui perfecta abnegatione virtus: necnon in religionis quibusque exercitationibus eximia pietas, diuinæ testificationis indiciis comprobata: etiam Apostolica sede decernente, per Leonis Papæ decimi oraculum, honorem beatis proprium vendicauit sacræ memoriæ perennem: statuta eidem die, qua diuina litatione & solemni officio beatitudinis eius gloria celebratur. Abiit ad Christum ipso die piæ memoriæ ÆGIDIVS Camartus ordinis Minimorum XXXVI. Generalis, vir multæ austeritatis, reconditæ eruditionis, eximiæ prudentiæ, sed singularis ante omnia pietatis: ob quam iure videri possit Paulæ (vbi in visitatione generali obiit) decus sua morte restituisse, quod beatus Franciscus inde discedens, abstulisse visus fuerat. Extant nobilia excelsæ huius mentis monimenta, quibus vt ditauit Ecclesiam: sic ordinem suum perenni gloria illustrauit. Obiit ipso die Ambiani CAROLVS LE ROY eiusdem ordinis alumnus, quem vitæ puritas & in carne maceranda mirabilis & inexhausta industria commendârunt. Hic à morte nonnullis omni fide dignis in gloria visus fuisse perhibetur.

Isabella. *Ægidius Camartus.*



SEPTEMBER.

Kalendis Septembris. Luna

1																F XXIII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
26	27	28	29	30	1	2	3	3	4	5	6	7	8			

SS. LAZARVS. ASSILIÆ natalis ſancti LAZARI. Hic patre Syro, matre Eucharia è tribu Iuda natus, Marthæ & Mariæ Magdalenæ frater, vnus è ſeptuaginta Domini IESV diſcipulis, ab ipſo à mortuis ad vitam reuocatus: poſt eius aſcenſionem cum vtraque ſorore & Maximino itidem Chriſti ſectatore, aliiſque, exagitatus à Iudæis, pulſúſque patria: diuino ductu in Galliam cum ſuis peruenit, eáque in parte quæ Prouincia à Romanis cognominata eſt, humanæ redemptionis præconium enuntians, plurimos Dei incarnati agnitione illuſtrauit. Adeo vt copioſa plebe à ſe multiplici oris ac operis enixu Chriſto progenita: ipſa in vrbe Epiſcopalem primus cathedram collocârit ac inſederit. Tum admirandis operibus, ac diuina maximè ſanctimonia inſignis, quin & purpura iurati Chriſti teſtis glorioſus, cœleſtes ad triumphos euolauit: atque inter primos Apoſtolos Galliæ, cùm ob Euangelicæ veritatis, quam primus his oris inuexit, manifeſtationem, tum ob geſtorum pro Chriſti gloria & hominum illuminatione magnificentiam, dignus qui cenſeretur apud Maiores pretioſis dudum meritis adeptus eſt. Ipſo die Remis

SIXTVS & SINICIVS. Natalis Sanctorum Martyrum paritérque Pontificum SIXTI & SINICII, Galliæ Belgicæ ſecundæ Apoſtolorum. Qui patria Romani, cum beato Memmio Româ à ſancto Petro has in partes ablegati: hâncque Metropolim auſpice Chriſto adeuntes, trophæa ipſius redemptoris illic prima collocauerunt. Hinc ad Sueſſiones digreſſi, populum hunc fidei etiam ſacramentis initiârunt. Cui ciuitati Epiſcopus primus Sinicius à Sixto, Apoſtolici muneris coryphæo, præfectus eſt. Tum Sixtus ipſe Re-

mos reuersus, ciuitatem hanc ethnicis spurcitiis prorsus expurgare instituit, fana destruxit, ædiculam diuinis officiis consecrauit, Clerum constituit, populúmque plurimum Christo acquisiuit. Cùm autem decennium Apostolico operi impendisset, cupidus extremi pro Domino subeundi agonis, cœlitus imminentis excessus admonitus, post gloriosum certamen quo Martyr occubuit, ad præmium destinatum feliciter migrauit. Cuius funus religiosè curauit Sinicius: qui & vertente anno, eodem die quo Sixtus, inita pro fidei assertione suprema colluctatione, Remis vbi resederat iussu decessoris, vt orbam Ecclesiam curaret, tutarétque, laurea itidem Martyrij redimitus æternam abiit ad gloriam. Eodem verò tumulo cum Sixto illatus, basilicæ quæ in vtriusque honorem subinde constructa est, initium nuncupationémque indidit: tamdiù verò ibi vterque quieuit, quousque ad ampliorem honorificationem, intra vrbem ab Heriueo Archiepiscopo delata amborum pretiosa spolia, in Ecclesia sancti Remigij pone altare sancti Petri eorum præceptoris, cultu condigno recondita sunt, hactenúsque in sacrario illius ædis sacris monilibus ditissimæ, ea qua decet religione obseruantur. Ambiani sancti FIRMINI Episcopi & Confessoris. Qui Faustiniano patre genitus, viro Senatore, aliquandiù post sancti Firmini (qui nuntius salutis primus ad Ambianos prodierat) gloriosum martyrium, à sacro fonte vt eius nomen gerendum suscepit, sic diuinam vitæ rationem sanctis moribus, eximióque propagandæ illibatæ Christi legis studio ita imitatus est, vt defuncto *Eulogio* ipsius Christi athletæ haud propero successore, ob præcelsas virtutum dotes, ac diuina quib. affluebat Apostolici spiritus charismata, ad Episcopale solium munúsque, Cleri fideliúmque omnium communi efflagitatione fuerit prouectus. Factus Antistes vir sanctissimus verbo & exemplo gregem in viam salutis direxit, & ab omni inquinamento gentilitatis ciuitatem emundauit. Ad sancti Firmini tumulum basilicam extruxit sacrauítque: in qua & cathedram constituit Episcopalem. Beatæ insuper Virginis ædiculam condidit, ad quam succedente tempore sedes pontificia, Senatúsque Ecclesiasticus translatus est. In hac Ecclesia dum beatus Pontifex die solemni, Christianæ libationis mysteria perageret: cœlis apertis virentem sibi palmam diuinitus illapsam aspexit: accepitque exinde superno munere hanc gratiam, vt motus carnis nullatenus persenserit, sed ad cœlestis planè puritatis processerit eminentiam. Demum meritorum cumulis ditatus, quæ in assiduis Christi obsequiis, plebísque salutaribus sub-

FIRMINVS.

fidiis congessit, aulæ cœlestis conscendit ad gaudium: quæque sanctitatis testimonia viuens inter mortales prodiderat, carne exutus, susceptæ gloriæ magnificis perennauit indiciis. Ipso die LVPVS. Senonis sancti LVPI Episcopi & Confessoris gloriosissimi. Hic illustribus parentibus natus apud Aurelias, patre Bettone, matre verò Austregildi cognomento Agia, proceribus Palatinis, genúsque suum ex parte ad Reges referentibus: diuinè factorum gloria oraculum impleuit, quo ante quàm in lucem ederetur sanctitate & pontificatu fore perillustris parentibus suis cœlitus innotuerat. Exactâ enim infantiâ cùm iam gratiæ sibi inditæ specimina proderet, ab auunculis maternis *Austreno* Aurelianensi & *Aunario* Autissiodorensi spectatæ sanctimoniæ Pontificibus, summa cura enutritus ac institutus, in summum virum felici adeo sub disciplina euasit. Proptérque religioni deditos mores, ab iis in Clerum cooptatus, iam tum assiduus martyrũ sepulchra visitabat, deuotissimè diuinas laudes canebat, afflictos & hospites misericorditer recreabat: spernebat sęculum, carnem ieiunio & vigiliis macerabat, totóque pectore ad supernam patriam suspirabat. Ætatem miræ prouexerunt virtutes: vnde vacante Metropolica Senonum sede obitu *Arthemij*, etsi adhuc vix egressus ex ephœbis, Deo disponente, cunctísque expetentibus, ad sacerdotij fastigium sublimatus est. Pontificio itaque honore decoratus, mox admirandis sanctitatis & pastoralis vigilantiæ actibus insignis eluxit. Nam & sermone & opere præcellens, sibi Cleri & ciuium animos ita deuinciebat, vt ceu delapsum de superno numen ab omnibus ob pietatem, castitatem, & eximiam pauperum curam suspiceretur. Eo deuotionis æstu feruebat, vt penè singulis noctibus matutinas præueniens, omnes vrbis suæ Ecclesias perlustraret: ac demum ad seniorem Basilicam veniens pulsabat ipse primus signa, quibus ad diuina præconia excitaret sacerdotes. Cùm aliquando ad Ecclesiam sancti Aniani oraturus venisset, portam obseratam Angeli ipsi aperuerunt: quibus ob puritatem egregiam charus admodum & venerandus erat. Vtque diuino testimonio sanctitas eius commendaretur, signorum splendor meritis etiam accessit, quæ famam eius magnificè illustrârunt. At tantis percitus fulgoribus dæmon inuidus, viro Dei molestias graues facessit, excitato Farulfo quodam palatino dynasta, necnon Madegesillo sancti Remigij in Senonensi suburbio Abbate, Episcopatus ambitore, qui calumniis plerisque pium Præsulem apud Clotharium Regem onerârunt. A quo relegatus in Neustriam in pagum Vinemarum dictum, duci illius regionis

Bosoni Landegesillo, ethnicis adhuc superstitionibus dedito, custodiendus traditus est: qui illum in villam Andesaginam super fluuium Altiæ (nunc vulgò oppidum sancti Lupi dicitur) ablegauit. Hic non tam exulem egit quàm Apostolum vir beatus. Siquidem multos adhuc è Francorum gente infideles, salutari Christi agnitione illuminauit, atque diuino lauacro expiauit: omninóque gentilitatis reliquias, prædicatione & miraculis sustulit. Cùm autem cæcum quendam optato lumine donasset, ipsum Bosonem Ducem admodum sæuum ac superbum, ad crucifixi cultum perduxit: exercitúmque omnem sacro baptismo tinxit. Hinc Clotharius Rex assiduis flagitationibus populi Senonensis flexus, maximè verò sancti Vvinebaldi Abbatis delinitus obsecratione: Gregi Lupum pastorem desideratum restituit. Quem multo honore exceptum ab exilio redeuntem, ad sedem multis cum muneribus remisit. Immemor iniuriæ sanctus Antistes, maiori quàm antea in omnes benignitate se habuit, suique desiderium nouis virtutum officiorúmque cumulis compensauit. Dictu inexplicabile est: quæ pietatis in Deum, amoris & solicitudinis in Clerum, vigilantiæ in populum insignia præstiterit. At profusa potissimum in pauperes præeminuit largitate: adeo vt in eorum solatia omnia liberalissimè erogaret, omnes exhauriret loculos, nec alimentis quotidianis parceret. Cúmque familiares inopiam & rerum egestatem sæpiùs quererentur: ille egregia in Deum fide plenus, dominica monita illis incussit, diuinam sibi curam haud defuturam pollicitus, quæ ipsa alit cœli volatilia de edulio minimè sollicita. Spreuit vir Dei strenuè falsos de se in aula sparsos rumores. Nam Tulcario cuidam aulico sibi amicissimo eum monenti, quod in palatio malè audiret quasi *Eulosiam* virginem filiam Arthemij decessoris sui insano amore deperiret, candidè respondit: *Homini aliena verba non nocere, quem propria conscientia non maculat. Se Regis æterni amore virginem istam diligere. quamobrem se fretum innocentia, non metuere terrenum Principem.* Et multis quidem indiciis Deus serui sui sanctitatem comprobauit. Ei siquidem sacrificanti lucidum & mirabile magaritum cœlitus in calicem spectante Clero immissum est: quod in sacrario Senonensis Ecclesiæ reseruatum, postea Clotharius Rex suum ad sacellum voluit deferri. Dæmonum insuper domitor Lupus, insidiantem sibi antiquum serpentem diuina virtute ligauit. Apud Lutetiam vinctos sua præsentia dissoluit. In Melodunensi castro grassans incendium prece fusa repressit. Oratione quoque sua faces libidinis quibus dæmon clericos

duos inflammabat, extinxit. Futura prædixit plurima. Multa denique alia patrauit miranda: sed in his potissimùm præstitit seipsum admirabilem, quod boni pastoris absolutum exemplar sequacibus sese præstiterit. Siquidem toto Episcopatu sic Dei obsequiis institit, vt populo suo perpetem curam & subsidium impenderit. condoluit mœrenti, inopem fouit, confirmauit iustum, inuisit ægrotum, subleuauit miserum: denique nullum ab opere Dei vacuum tempus sibi excidere permisit. Expletis itaque in præsulatu multis annis, è vinculis corporis sanctus Pontifex in beatorum sedes pro meritis euocatus est. Apud Brienonem oppidum, quod ad se auito iure pertinens Ecclesiæ suæ delegauerat. Sepultus fuit sicut præceperat in basilicæ stillicidio, ad pedes sanctæ Columbæ purpuratæ Christi Virginis, quam impensè semper coluerat. Odorémque suauissimum è corpore spirauit, ac prodigia innumera edidit quæ meritorum suorum præmia propalârunt. Cæterùm hoc in sancto Confessore donum miraculorum, fulget perpetuum: quo caduco morbo laborantibus perpetim opitulatur. Vnde singularis patronus ea in re imploratur ab vtriusque sexus afflictis: quin & medelam fert infantulis viscerum torminibus vexatis. Cultus eius tota Gallia longè adeo latéque celebris hinc euasit, vt vix sit vlla diœcesis in qua memoriæ venerandæ præclara non habeat insignia. Sed potissimum gloriæ monimentis rutilat Senonis, Aureliæ & Parisiis, vbi vitæ admirabilis acta præclarissima gessit. Magno equidem triumpho dies hic eius festus Senonis peragitur. hodie siquidem Archiepiscopus & Canonici ad ædem sanctæ Columbæ conueniunt, solemníque litatione tanti Confessoris (qui lucerna fuit splendida pietatis) memoriam celebrantes, singuli cereum ponderis libræ vnius ad altare offerunt. Eodem die in Prouincia Narbonensi sub Nemausensi præsulatu

ÆGIDIVS. sancti ÆGIDII Abbatis & Confessoris itidem gloriosi. Hic Athenis, vrbe tota Græcia clarissima, stirpe regia progenitus, patre *Theodoro* matre *Pelagia*, tot tantísque pietatis & misericordiæ insigniis à tenella ætate floruit, vt adhuc infans futuræ sanctitatis non obscura argumenta daret: eáque iam proderet specimina quibus in membris infantilibus templum sibi gratissimum Spiritus sanctus, iamiam parasse omnibus videretur. vnde tanquam ex limpidissimo fonte postea multæ proruperunt virtutes. Pueritiam ingressus optimis quibusque præceptoribus erudiendus vbi traditus esset, magistrorum expectationem vsque ad miraculum superauit: sub quibus non modò literas humaniores (quarum præclara subinde edidit monimenta) altè

ebibit: sed veræ sapientiæ cupidus, diuinis scripturis ediscendis animæ vires suprà ætatem intendit: quo factum est vt crescente sensim mentis lumine ex sacris libris ingentem Christi amorem intimo pectore combiberet, domúsque paternæ aspernatus splendorem, carnis & mundi oblectamenta validè respueret. Igitur totus charitate incensus beatus puer, latentis virtutis & gratiæ, clara iam indicia prodidit: nam cùm aliquando ad Ecclesiam pergeret (cuius limina frequens terebat) ægrò cuidam in platea iacenti, stipémque petenti, tunicam suam dedit, qua indutus ille sanitatem simul recepit. Eo diuinæ potentiæ opere nobilitatus Ægidius, crescentem ætatem intensiori pauperum cura firmauit: quorum tanto amore feruebat, vt si desiderij compos fieri potuisset, amplissimas domus paternæ opes mox in eorum dispersisset solatia, vt inops pro Christo quem egenum pro nobis factum recolebat citiùs euaderet. Parentibus igitur sæculo functis, pius adolescens, remora solutus, totum semel patrimonium in miseros erogauit. Fulsit exinde maioribus diuinæ sibi insitæ virtutis insigniis: siquidem die dominico dæmonem preces populi in Ecclesia crebris mugitibus interpolantem, vocis oraculo correptum, è corpore energumeni, palam fugauit. Multáque claritudo signorum, illud miraculum subsecuta est: quæ nouum Christi seruo nominis splendorem cùm pararet: discipulus humilitatis, fuga sibi consulendum censuit. Relicta igitur patria omnibus insciis mare petit: vt ignotus transmisso freto, in aliena regione tuto delitesceret. Verùm Ægidij aduentus nautis valida tempestate iactatis salutaris fuit. Ad primum enim appulsum, repentini illorum casus imminentísque illorum periculi miseratus, procellam fusa piæ ad Christum precationis aura sedauit. Eo miraculo stupefacti nautæ, Ægidium pro numine visibili suspicientes, exceptum nauigio in insulam, vt poscebat, facili transuectu deportârunt. Vbi ille in sabulo cùm vestigium hominis impressum cerneret: progressus in intimum deserti recessum *Eremitam* nobilem exigua clausum cellula, sacra eloquia lectitantem reperit: qui ibidem annos duodecim herbarum pastus crudis radicibus in diuina seruitute transegerat: Cuius asperitatem admiratus Ægidius, venerabundus sancti senis vestigiis procubuit; atque vitæ ad diuinum beneplacitum instituendæ documentis perceptis: post triduum orationis & abstinentiæ peractum, (quod vicinior patriæ locus extaret) latebras remotiores ab ortu quærere constituit. Longo igitur maris transitu ad Rhodani ostia, qua se in Massiliacum fretum exonerat, Christo au-

ſpice appulit. Et ſecundo remigio ad beatum *Cæſarium* Arelatenſem Felicis ſucceſſorem, celebrem ſanctitate ac doctrina Epiſcopum rectà contendit. Huius ſe totum diſciplinæ tradidit: bienniúmque delibandis diuinis ex eius ore theorematis ſedulus impendit, penes viduam *Theocritam* hoſpitatus: cuius filiam oratione ſanauit, triennio febricitantem. Hinc diuini viri fama (quem caſtimonia, abſtinentia, pietáſque admirabilis omnium affectibus commendabat) circumquaque diffuſa: ipſe humanæ æſtimationis auras non ſuſtinens: iterum receptui canere ſecurius duxit, atque ad propoſitæ ſibi ſolitudinis certamen longo ceu poſtliminio regreſſus eſt. Tranſacto igitur rurſus Rhodano, ad Guardani fluminis ripam vbi ſolitarius degebat *Veredemus*, ſe contulit. Cuius magiſterio Ægidius virtutum ſuarum planè immemor, verúſque ſui aſpernator ſeſe ſummiſit. Ibi arctiſſima ſpelunca, locíque horrore mirificè delectatus, totum ſe dedit diuinæ contemplationi. Nec defuère frequentes raptus in Deum, quem ex intimis præcordiis orans, mira ſuauitate complectebatur. Humi iacens, herbis ſpontè naſcentibus victitabat, potum ex vicini fluminis laticibus hauriens: quem vitæ tenorem quamdiù hominibus ignotus latere potuit, vir quem Angeli ſibi proximum ſtupebant, obſeruauit. Mirabatur Veredemus in alumno ſuo tanta ſpiritus chariſmata: ſed id maximè quod cùm ad eius merita crebra miracula accederent, ipſe Ægidius ſua ſeſe humilitate inuoluens hanc ipſam gratiam Veredemi meritis acceptam ferebat. Sed cùm regionem longa ſterilitas occupaſſet: illo orante pulſa eſt dira fames, terráque multiplicatum reddidit fœnus. Hoc beneficio moti incolæ certatim ad Ægidium confluere cœperunt. A quo varij languores curati, ſerpentum fugatum virus, ſubacta dæmonia, innumeræque virtutes patratæ. At frequenti hominum concurſu tandem grauatus vir Dei, vlteriorem ſeceſſum meditabatur. Intempeſtæ igitur noctis ſilentio fugiens, in ſecretiſſimum horrentémque ſpinis ac tribulis locum, ad foſſas Marianas (quæ regio vulgo Septimania dicebatur) penetrauit. Ibi conſpicatus vaſtiſſimam ſpeluncam ſentibus vndique vallatam, fontémque è regione: eam veluti deſtinatum ſibi à Deo locum tutiſſimi ſeceſſus ingreditur, vt ſedens ſolitarius, taceret, ſéque ſuprà ſe eleuaret. Incredibile eſt quo animi feruore ſedem hanc delegerit: ad quam vix vlli mortalium acceſſum patere poſſe ſperabat. Ne verò exeundi neceſſitatem penuriæ victus ingereret, cerua in dies mouente Deo, diſtenta lacte vbera Ægidio ſugenda præbuit. Senuit in illius

illius eremi duritie Ægidius solo spiritu saginatus. Tandem verò lucerna sub modio delitescens, fulgentiores radios Deo propalante emisit. Cùm enim Carolus Martellus Imperij Gallici moderator, post Saracenorum à se edita excidia, vt genio indulgeret venationi insisteret in sylua Nemausensi: venatoribus eius ceruam ipsam multa canum vi insequentibus, illa ad virum Dei perfugit, immotis canibus, frequentíque latratu indicantibus hortorem. Quod vbi Carolus agnouit, ipse postridie assumpto Episcopo syluam ingressus, ferróque viam inter spineta aperiens, senem Ægidium in interiori spelunca offendit, multo sanguine rubentem ex vulnere, quod incauti iaculatoris sagitta dum ceruam appetit illi intulerat. Ad ipsum speluncæ aditum cùm senem vidisset, stupuit Princeps, Angelicum viri vultum venerandámq. canitiem, genibúsque minor venia impetrata, omnem penè retroactæ suæ vitæ seriem ab Ægidio non sine diuino afflatu arcana referante didicit. Fluebat interim è beati viri latere largus sanguis, cui nec medicinam adhibere sustinuit, eiusmodi dolore lætus: nec ad munera quæ regia magnificentia offerebat, oculos flexit. Et ita Carolus petita benedictione discessit, valde tantum sanctitatis prodigium admiratus. Nihilominus tamen ad eum sæpiùs veniebat, monita salutis, sitienti animo ab eo petiturus. Qui cùm multoties immensas viro Dei diuitias obtulisset, & ille semper eas recusasset, quadam die obnixè rogauit, vt saltem ad construendum monasterium eas admittere dignaretur. Beatus igitur vir videns illius instantiam licet diù renitens annuit, vt monasterium ædificaretur. Quo constructo illius curam suscipere coactus, etiam ad sacerdotij honorem promotus est. Susceptum munus singulari gessit prudentia, honorem verò incomparabili virtutum decore exornauit. Magísque ad occasum vergens nouos velut radios exeruit sanctitatis. Fulgebat insuper vndique signis, vt senilis ætas non minuisse, sed auxisse spiritus charismata videretur. Premebat interim pium Caroli animum pudendi cuiusdam conscientia sceleris, cuius ipsi memoria grauis erat. Eius rogatu Ægidius medicinam ægrè menti adhibiturus Aureliam contendit, ibíque in ipso limine basilicæ sanctæ crucis, energumenum non sine affluentis populi stupore liberauit. Móxque altari aduolutus, cùm sacra mysteria consummaret, vim lachrymarum profundens, miscénsque pro Rege preces, reatus veniam rogauit & impetrauit. Ad pœnitentiam deinde illum adhortatus, susceptáque eius exomologesi, vrbem egreditur: atque

Claromonte Aruernorum dum redit ad cœnobium, filiam Principis à mortuis fusis precibus excitauit. Demum Romam profectus ad veneranda Apostolorum limina: indéque cum mysticis muneribus regressus, dilectam sibi solitudinem iucundè repetiit: totúsque diuini amoris facibus ardens, vocem sponsi inuitantis ad præmium expectabat. Consummato igitur cursu, longæque vitæ stadio emenso, anhelus & suspirans ad depositionem tabernaculi, quam vicinam dictante spiritu cognouerat, totum se composuit ad desideratum felicitatis brauium. Primáque die Septembris, quæ Dominica erat illucescente, filius lucis, beatam animam iubilans & orans Patri spirituum commendauit. Auditus est illico Angelorum concentus, Deum in serui sui glorificatione laudantium, cuius sanctitatem Christus crebris miraculis testatam esse voluit: præconia verò beatus Fulbertus Carnotensis Antistes, qui officium eius primus texuit, prosa ac carmine celebrauit. Sanctus etiam Godefridus Episcopus Ambianensis tanti opitulatoris virtutem expertus, eiusdem merita plurimùm veneratus est: quæ colenda duplicis festi ritu mandauit Vrbanus Papa quartus expressa constitutione. Maiores verò multis honorificentiæ testimoniis eius memoriam exornarunt, quam colendam communi cum sancto Lupo celebritate: auito ex more Gallicana Ecclesia consueuit. Ad cuius communis gloriæ perennationem extructa visitur Lutetiæ Parisiorum via regia Ecclesia parœcialis, vtriusque sanctissimi Confessoris titulo nobilis, perennique opitulatione conspicua. Cæterùm sacrum eius corpus quod in ipsius monasterio per plura sæcula conditum quieuerat: tempore hæresis Albigensium de terra leuatum, omnino incorruptum repertum fuit. Indéque Tolosam delatum, in basilica S. Saturnini, multorum cum Apostolorum, Martyrum Confessorúmq. sacratissimis cadaueribus, condigno cultu huc vsque in ara sui nominis, atcáque pretiosa obseruatur. Ipso die in Alto-Villari

NIVARDVS. Cœnobio depositio S. NIVARDI Episcopi Remensis & Confessoris. Hic Eumæ Principis palatij filius, frater verò Blithildis Childerici Regis Austrasiæ coniugis, antiquissimum & nobilissimum generis splendorem, virtutis sapientiæque luminibus superauit: tantúmque in omni religionis cultu profecit, vt Landone Metropolita Remensi ab humanis exempto, sacer eum ordo sibi in præsidem elegerit. Itaque annuente præsentéque Clodouæo II. Rege, cui egregia viri virtus pietásque perspecta erat, solemniter ordinatus tantæ sedis Pontifex, pastoralis vigilantiæ munera sedulò adimpleuit: iisque affectibus

actibúsque enituit, quibus Deo gratam seruitutem, opémque gregi præstitit salutarem. Laude nominis clarus, morúmque sanctimonia præstans, à Vitaliano Papa non mediocri honore habitus est: cuius auctoritate Altuni-villare cœnobium à Barbaris dirutum instaurauit, ditauítque pretiosissimis beatorum exuuiis. Nimirum corpore sanctæ Helenæ Augustæ quod Româ ad se transmissum vna cum corpore sancti Polycarpi Presbyteri præcipui sancti Sebastiani symmystæ, dono ipsius Pontificis, sacrario illius asceterij perpetim colendum inuexit: ad quod etiam transtulit veneranda ossa S. Sindulphi Presbyteri & Eremitæ socij B. Basoli Abbatis ex villa Alsótia. Demum ipse vir sanctus, sacris fessus laboribus ac meritis diues, placido fine ipso in monasterio animam exhalauit, vtque in vita claruit gratię dotibus, sic post mortem & gloriæ insignibus admodum refulsit: ob quæ Remos relatus, in basilica S. Remigij maiori cum cultu conditus est. Cenomanis S. VICTVRII Episcopi & Confessoris. Hic S. Liborio ob rara spiritus charismata suffectus, à beato Martino ordinatus non sine diuino spiramine: sedis quam repleuerat splendorem omni laude Episcopali prouexit: siquidem zelo diuini muneris incensus, mox ac sacram præfecturam exorsus est, animum ad omnia, quæ Ecclesiæ vtilitatib. conferebant intendit: quæ siue in aris & templis, siue in personis seu sacris seu laicis erant emendanda sedulò correxit: populum pro concione ipse studiosissimè erudiuit, tanta sapientiæ & pietatis vi, vt eius audiendi causa magna hominum caterua, vndique longè latéque confluere: cœlestémque spiritum ex cœlesti Pontificis sui ore hauriret: & ad eius nutum vitam piè sanctéque instituerет. Cæterùm non Ecclesiæ modò suæ commodis sacer Antistes assiduam operam dedit: at totius prouinciæ etiam salutem cura paterna prosecutus est. Cuius sacræ disciplinæ vindex eximius, tribus Synodis scilicet Andegauensi, Turonensi, & Venetico interfuit. In quibus de diuino cultu exornando, Ecclesiæ asserenda auctoritate, Cleri populíque moribus ad decorum pristinum reuocandis, religiosissimæ editæ sunt sanctiones. Ad Episcopos etiam eiusdem prouincię paræneticam Epistolam vnà cum Eustochio Andegauensi & Leone Senonensi Episcopis, pro sacerdotij dignitate ac potestate, quam profani magistratus extenuabant, conseruanda rescripsit. Sicque cùm etiam ciuitatem suam à grassante incendio, signo crucis liberasset, gloriosis perfunctus laboribus pius Præsul, deposita mole carnis, spiritum æternam ad requiem transmisit. Ad eius sepulchrum multa illuxisse diuinæ virtutis

VICTVRIVS.

insignia in sanatione infirmorum testatur Gregorius Turonensis. Eodem die Salinis in Burgundia releuatio sancti ANATOLII Episcopi & Confessoris, quando per manus Nicolai Archiepiscopi Bisuntini sacrum eius corpus capsæ honoratiori inclusum fuit. Hic beatus Scotus origine, Episcopus dignitate in Galliam Christi amore transmigrans, eo loco vitam solitariam duxit, vbi nunc ad eius venerationem extructa Ecclesia visitur, in qua & corpore quiescit, opitulatorísque fulget honore. Beatæ eius depositionis dies, celebris est annuis sacris, tertio Nonas Februarij. Treuiris translatio sancti MATTHIÆ Apostoli, cuius sacratissimum corpus Româ aductum, à sancto Agritio Episcopo in cœnobio sancti Eucharij splendido ornatu collocatum, omni religione ibidem asseruatur: titulo ipsius sacræ ædis in honorem eiusdem beatissimi Apostoli commutato. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum*, &c.

ANATOLIVS. MATTHIAS.

LOVANNII in Brabantia, Dominica die prima Septembris, in basilica S. Petri, fit solemnitas recollectionis festorum sanctissimæ Deigenitricis Mariæ.

Quarto Nonas Septembris. Luna

2 G XXII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	s
10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26
t	u	A	B	C	D	E	F	F	G	H	M	N	P			
27	28	29	30	1	2	3	4	4	5	6	7	8	9			

SS. ANTONINVS.

APAMIÆ in Aquitania Natalis sancti ANTONINI Presbyteri & Martyris. Hic eodem ex oppido, genere illustri editus, à piis parentibus edoctus, Christo ab infantia seruire gestiens illibatæ castitatis decus seruare perenniter constituit. Nec virginitatis modò amans, sed & Martyrij cupidus, solo patrio excessit, quo certamen magis obuiū reperiret. Sacris literis eleganter edoctus, salutaria præcepta quæ legebat priùs opere adimplebat, quàm eadem cæteris ore commendaret. Sanctis igitur virtutibus ornatus, innocentia, simplicitate, pietate conspicuus, vigiliis & orationibus exercitatus: iter ad fœnus gratiæ multiplicandum capessiuit: oppidóque egressus, omnem ferè Aquitaniam perlustrauit, vbique Christi adorandum numen prædicans. Vnde cùm Apostolicis charismatibus eniteret à religiosis sacratissimæ præsidibus ad sacerdotium prouectus: suscepto diuini muneris officio exequendo maiora studia, ampliorâque virtutum decora adiecit. Verbum Domini feruenti pectore, oréque gratiarum pleno, longè latéque disseminauit: quo

ampliſſimam Chriſto excitauit miſericordiæ ſobolem. Nec ſapientiæ modò cœleſtis religioníſque ſanctiſſimæ, ſemina diſperſit feliciſſimo oris operíſque profluuio: at diuinæ etiam gloriæ virtutíſque indicio, diſpenſationis Euangelicæ munus creditum nobilitauit. Cùm enim ex itinere fatigatus ſiti nimia laboraret, oratione fuſa, virga humum percuſſit, & ſtatim fons viuus ſcaturiit, ad eius refrigerationem, & deinde ægrorum ſolationem. Decurſa autem pro Chriſti nominis illuſtratione, diuturnæ peregrinationis palæſtra, cùm lauream deſideratæ pugnæ athleta diuinus non percepiſſet, ad extremam ineundam luctam ſæuiente Diocletiano in patriam repedauit: agonem ſupremum ſibi vbi ortum acceperat, paratum diuina dignatione, fidelibus prænuntians. Reuerſus igitur Apamiam Gentilium profanos ritus atque perfidiam ſeriò & ſtrenuè increpare cœpit: quorum in ſe concitato furore, cùm ipſe loca ſacra vbi Martyrum corpora quieſcebant, cum Chriſtianis aliquot viſitatum perrexiſſet: paulóque remotius à ſuis orationis cauſa diuertiſſet: ab impiis (ſicut abeundo prædixerat) inſidiantibus comprehenſus raptatúſque cum pugnis & calcibus ad fluuium vſque Aurigeram, qui radices montis cui ciuitas ſita imminet, decurrendo aluit: ibi in Chriſti confeſſione, cum alto veritatis præconio perſeuerans, Chriſti ſacerdos in victimam tranſiit, gladióque ferali ceruicibus cæſis, membríſque diſcerptis, glorioſum agonem conſummauit. quem diuina mirabilia protinus illuſtrarunt. Quo loco ad Martyris venerationem aceruum teſtimonij poſtea fidelium pietas erexit, qui exinde vſque ad Cathedræ Pontificalis eminentiam, qua hodie fulget excreuit: Abbatia quæ ibidem aliquando conſtiterat, in ſedem Epiſcopalem euecta decreto Bonifacij VIII. Pontificis Maximi. Ipſo die in Ægypto obdormitio ſancti Iuſti Epiſcopi Lugdunenſis, & Confeſſoris præclariſſimi: vtpote miræ ſanctitatis & prophetici ſpiritus gratia illuſtris. Hic familia ortus inclyta, non prius infantiæ annis exceſſit, quin diuini famulatus æſtu incenſus, ſe totum Chriſti ſummi Regis obſequiis dedicaret. Lerinum igitur petens pietatis gymnaſium, ibi ſub ſancti Honorati magiſterio primos ſpiritus religionis delibauit: quibus ad excelſa inſtructus, Eccleſiaſticæ mox militiæ adſcriptus eſt. Inde Diaconus Eccleſiæ Viennenſis, ob claras virtutis dotes ordinatus, tantos emiſit circumquaque gratiæ qua præditus erat fulgores, vt orbatæ Lugdunenſi Eccleſiæ *Veriſſimi* obitu, paſtorali ſolatio; ſui deſiderium cunctis almæ huius ſedis alumnis ingereret. Votis igitur omnium acclamatus Antiſtes, atque renitens licèt ac-

cerſitus in vrbem: Pontificiæ Cathedræ faſtigio ſublimatus eſt. Tanta præfuit puritate, modeſtia, pietate, patientia: tanta circa paupçres cura, tanta diuinorum mandatorum obſeruantia, vt etiam magnificos & præſtantes Domini ſacerdotes, quibus tum Eccleſia affluebat omni virtutum gratia anteiret. Vnde & coacto apud Aquileiam aduerſus Arianam perfidiam Concilio, Galliæ decus ſingulare, Iuſtus ipſe totius Gallicanæ Eccleſiæ nomine Legatus, inter ſanctiſſimos religionis proceres, eluxit: atque à ſancto Ambroſio præclaro cum præconio interpellatus, ſuffragium tulit, quo filium Dei coæternum cum Patre profeſſus, anathema iis qui contrà aſſererent iuſſit: quam iuſtitiæ & pietatis vocem, omnes Epiſcopi communi acclamatione comprobarunt. Hinc redux inclytus Præſul: maiori quam antè vigilantiæ paſtoralis gloria, Eccleſiam ſuam rexit. Sed exarſit deinde in eum liuidi diaboli inuidia: qui tantum iubar non ferens populo Chriſti ſplendeſcere, viri Dei expulſionem hac occaſione machinatus eſt. Lugduni quidam furore correptus in publicum erumpens, obuios quoſque cùm confodiſſet, concitato in eum tumultu, inſequentem multitudinem fugiens in Eccleſiam ſeſe recepit. Ibi valuis miniſtrorum opera obſeratis, loci ſanctitas hominem iam aliquatenus ſibi reſtitutum ab inſanæ plebs motu aliquantiſper tutata eſt. Inflammato autem nihilominus (Satanæ facibus) vulgi æſtu, cùm etiam ignes templo intentarentur, niſi dederetur noxius: ſanctus Epiſcopus neceſſitate compulſus, data à primario viro fide & ſacramento firmata, nihil grauius in miſerum illum fore decernendum, noxium illum extra Eccleſiæ ſepta dimiſit. Eum verò illico furens turba colligatum pedibus, tractum vita priuauit. Violatæ religionis atrocitas, ſancto Epiſcopo in ſingultum & ſcrupulum fuit. Itaque iam tunc ſtatuit, voluntario exilio noxam eluere, quam ſibi ipſe ob deditum miſerum illum adſcribebat. Turnonem igitur aliqua occaſione diuertens, ex cuius loci Dynaſtarum ſtirpe ortum ducebat: amicos quoſdam ſuos Lugduno euocauit, iiſque benignè ſuſceptis cum turba aduentantium facultatem adeundi ferè iam præcluderet: clam ſolus cum *Viatore* miniſtro ſeceſſit, atque ipſo comite in Ægyptum nauigauit. Huc appulſus, ſuppreſſo ſtudioſè nomine & gradu ſuo, inter aſcetas ſanctiſſimos in ſumma obſcuritate vitam Deo illuſtriſſimam exegit, donec à Gallo quodam illuc progreſſo agnitus & detectus, eo maiore in honore & admiratione fuit apud omnes, quo magis ipſe demiſerat ſeſe latendi ſtudio. Exactis inde aliquot annis in ea ſolitudine,

Beatus *Antiochus* Presbyter Ecclesiæ Lugdunensis (postea Episcopus) pio visendi sanctissimi Præsulis incitatus affectu, ad ipsum transmeauit, cuius aduentum diuinè præscius vir sanctus suis sodalibus prænuntiauerat. Nec diù pòst beatus Pontifex foetam meritis animam exhalauit. cuius corpus demum Antiochi ipsius cura Lugdunum honorificè reuexit: exceptúmque à Clero & populo insigni deuotione, in æde Sanctorum Machabæorum extra muros vrbis in colle condidit, quæ tam pretiosis pignoribus aucta, antiquam nuncupationem titulo commutauit ipsius sancti Iusti. At nuperi hagiomachi eam postea diruerunt: quamobrem intra vrbem instaurata, nomine & opitulatione tanti coelitis nunc perspicua existit. Ipso die sancti HELPIDII Episcopi eiusdem ciuitatis & Confessoris, qui post prælibatum Antiochum sedis huius nobilissimæ gubernacula gerens, Sanctorum suorum decessorum præclaras actiones pia æmulatione sectatus: sanctitate, doctrina, & miraculis coruscauit. tandémque rerum diuinè gestarum in felici populi cura & assidua Christi seruitute, cumulatus, æternæ remunerationis adeptus est præmia. Tumulatus fuit in supradicta Machabæorum Ecclesia: vbi communi cum sancto Iusto, (cuius hæres non modò fuit sedis, sed & virtutis) honorificentia percolitur. Auenione sancti AGRICOLI Episcopi & Confessoris, qui sancti *Magni* eiusdem Ecclesiæ pastoris ante præsulatum vxorati filius; primos ætatis annos apud Lerinum sub sancto Maximo Abbate in pietatis disciplina exegit: vbi collecta vberi virtutum & doctrinæ messe: post parentis felicem ad Christum transitum iam Ecclesiæ illius Archidiaconus, præclara ob puræ mentis lumina, sedi Episcopali præfectus est, quam miris piæ solicitudinis actibus & sanctitatis insigniis toto pontificatu illustrauit. Sui etenim nominis omen subsecutus, sese verum ae strenuum agricolam præstitit, ex agro dominico vepres vitiorum atque errorum dumeta diuellens, omníque studio inuigilans ne bonæ sementi Patris familias superni, adulterinum lolium inimicus insereret. Ex quo breui factum est, vt accrescente fidelium numero, vnica iam non posset omnes capere basilica: quamobrem pius Pontifex aliam intra muros ædificauit Ecclesiam, paroeciali insignitam titulo, quasi munitissimam turrim in medio vineæ, quæ verbi Dei & sacramentorum sacros liquores exundans, animas pabulo spiritali reficeret, simúlque pastorali præsidio munitas tueretur. Insuper in basilica summa Deiparæ pius Antistes, datis in eum finem prouentibus annuis, horas canonicas voluit celebrari, atque quotidie pro animæ suæ

HELPIDIVS. AGRICOLVS.

ſalute, humanæ redemptionis diuinam victimam immolari. Decennium circiter interea fluxit, quo nunquam deſtitit prudens paſtor, ad illam ſe horam comparare, in qua beati ſunt ſerui illi quos Dominus inuenit excubantes. Tandem igitur cùm extremum ſibi diem inſtare aduerteret, aduocato Clero, coactóque populo vltima ſalutis hortamenta dedit, vitámque inſigni bonorum operum coronide finiens, placido velut abſorptus ſomno ad ſempiternæ beatitudinis gaudia penetrauit. Maximáque veneratione in Eccleſia ſancti Petri ſepultus: poſtea ob crebras miraculorum coruſcationes, quibus vrbi ciuibúſque perpetim ſuffragatur, vnà cum ſancti Magni ſui parentis pretioſo cadauere, oſſa eius ad ædem glorioſæ virginis tranſlata fuerunt veneranda: dehinc ad ſui nominis ſacram ædem quæ Canonicorum ſodalitio inſignitur delata, ſæpiúſque ornatioribus loculis incluſa: tandem in thecis argenteis ſub maiori altare repoſita, ea qua par eſt religione obſeruantur. Experiuntur in dies ciues tanti tutelaris virtutem, cuius patrocinio præpotenti, cùm ſæpè ab excidio, tum maximè ab hæreſis lue ipſa Auenionenſis ciuitas ſeruata hactenus creditur. Apud Traiectum ſuſceptio reliquiarum ſancti AGNETIS Virginis & Martyris, quas Baldricus Antiſtes huius ſedis ex Italia allatas, cum ſacris beatorum Martyrum PONTIANI & BENIGNI lipſanis, ſua in Cathedrali Eccleſia perenni cultu proſequendas collocauit. Dodonij non procul à Valencennis in Attrebatis eleuatio ſacratiſſimi corporis ſanctæ Virginis RAGENFREDIS, quæ ad agni cœleſtis nuptias properauit diuinis dotibus ornata octauo Iduum Octobris. Pariſiis eleuatio ſancti MEDERICI Abbatis & Confeſſoris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

[Margin: AGNES. — PONTIANVS & BENIGNVS. — RAGENFREDIS. — MEDERICVS.]

B. Alpinus. REMIS ſancto fine quieuit B. ALPINVS Epiſcopus, vir Apoſtolicæ gratiæ & virtutis. Apud Louannium in Brabantia tam felici quàm improuiſo agone, migrauit ad Chriſtum MARGARETVLA Virgo Ciſtercienſis ordinis candidata: quæ cùm itineri præcincta eſſet, vt ſacrum religionis habitum aſſumeret apud Villarienſe cœnobium, ab impiis graſſatoribus (qui noctu in domum irruentes ipſius parentes eiuſdem voti conſortes necauerant) trucidata, Martyrij coronam percepit. Quieſcit Louanij in ædicula lapidea, quæ templo adhæret ſancti Petri Apoſtoli.

[Margin: *Margaretula.*]

Tertio Nonas Septembris. Luna

3 A XXI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
28	29	30	1	2	3	4	5	5	6	7	8	9	10			

APVD Lerinum cœnobium in Gallia Narbonenſi Natalis
Sanctorum Martyrum AYGVLPHI Abbatis, & ſociorum AYGVLPHVS & ſocij Martyres.
eius, qui præciſis linguis oculiſq. effoſis, gladio demum obtrun-
cati ad cœleſtia regna immaculatos ſpiritus tranſmiſerunt. No-
minandus venit inter hos S. FROGENTIVS: cuius corpus ad Flo- FROGENTIVS.
riacenſe cœnobium delatum ibidem ſummo honore aſſeruatur.
tur. Ipſo die Natalis ſancti GODEGRANDI Epiſcopi Saienſis GODEGRANDVS.
ſub 2. Lugdunenſi, & Martyris, qui ſanctæ Virginis Oportu-
næ germanus, quam velo virginitatis amictam Chriſto Virgi-
num ſponſo dedicauit: cum omni virtutum & religionis orna-
tu in Epiſcopali Cathedra, in qua beato *Lothario* ex meritorum
ſuffragiis ſucceſſerat, præſideret: incenſus pio affectu limina
beatorum Apoſtolorum viſitandi, Grodoberto cuidam pietatis
ſpecimen præferenti, Epiſcopatus ſui curam demandauit. Sic-
que Romam profectus, dum piis votis potitur: audita nefaria
Grodoberti, qui in omne ſcelus prorupuerat conuerſatione:
ſalutis gregis quem mercenarius ille diripiebat bonus paſtor
ſollicitus, mox ad ſedem reuerſus eſt: vbi dum quæ infirmata
erant conſolidare, ſanare ægrota, confracta alligare, quæ ab-
iecta erant relucere ſatagit, atque in Grodoberti ſcelera bono
zelo inuehitur: à ſicario quem perditus ille proditor conduxe-
rat, non procul à Saienſi ciuitate impetitus, ferali mucrone oc-
ciſus eſt. At fidelis ſerui mortem ſuo in conſpectu pretioſam
Dominus demonſtrauit: magno miraculorum fulgore, quæ fu-
nus eius ſubſecuta ſunt. Tulli Leucorum ſancti MANSVETI MANSVETVS.
Epiſcopi, qui vir nobilis origine Scotus, atque inter primos
Petri Apoſtolorum Principis auditor: à quo & ſalutaribus vn-
dis tinctus, cùm veteri homine, exuto Gentilitatis vocabulo,
manſueti, ab agni quam præferebat manſuetudine, nomen con-
ſecutus: ad hanc ciuitatem facibus Euangelicæ veritatis illu-
minandam miſſus eſt. Quam ingreſſus primùm, ita nefariis ido-
lorum ritibus deditam reperit, vt parum prædicatione ſua pro-
feciſſet, ni diuina virtus verbum pietatis promouiſſet admira-
bili opere: quo præco ſalutis, filium Præſidis qui ciuitatem re-

gebat, è ſpecula, dum ludos equeſtres ſpectaret, delapſum diſcerptúmque reuocauit ad vitam. Hinc enim factum vt tota Præſidis familia, ipſéque cum copioſa ciuium turma, Chriſti ouibus, ſalutari charactere ſignata, adiungeretur. Velocitérque verbum Dei curreret, atque non modò ciues, ſed accolas pleroſque tractus huius ſcientia ſalutis informaret. Alta igitur pace Manſuetus potitus, templum Deo vni & trino, ſub ſancti Stephani Protomartyris clientela erexit & ſacrauit. Clerum ordinauit, compoſitóque ad omnem pietatem populo, vt Chriſto tandem quem vnicè ſitiebat frueretur, quadrageſimo poſtquam Apoſtolicum munus inierat anno, placido mortis ſomno conſópitus, ad ſuperna præmia euolauit. In territorio Leodicenſi Stabuleto cœnobio depoſitio ſancti REMACLI Epiſcopi & Confeſſoris egregij. Qui in Aquitania ortus nobili ex propagine, patre Albutio genitrice Matrinia, educatus fuit puer ſub beato Sulpitio in Dei timore & omni pietatis diſciplina. Poſtea adultus S. Eligij amicitiam promeruit, à quo luculentius inſtructus, in Solemniaco cœnobio ita profecit, vt increſcente gratia, iam in ætatis flore vberes iuſtitiæ fructus proderet: ſuæque ſanctitatis odores ſuauiſſimos longè latéque diffunderet. Quam ob famam à proceribus palatij in aulam regalem euocatus, animos multorum Chriſti amore quo mirè feruebat inflammauit: atque ita in ipſius Regis exiſtimationem venit, vt *Ioanne* ſanctiſſimo Epiſcopo Traiectenſi ad Superos abeunte, dignus qui vicem eius repleret cenſitus, inſtanter petente Clero ac populo, ipſóque Rege Sigeberto non tam annuente quàm iubente eidem fuerit ſurrogatus. Sic Pontificali ſublimatùs ſolio, magis animæ quæ latebant decora propalauit. Integerrimus corpore, ſolertiſſimus mente, in opere circumſpectus, facundus in ſermone, fide per omnia Catholicus, ſpe admodum patiens, charitate in omnes diffuſus. Fuit vir iſte diuinus, veritatis doctor, virtutum magiſter, pauperum pater, tutor orphanorum, viduarum omniúmque oppreſſorum conſolator: quin & multorum Sanctorum feliciſſimus in Chriſto pædagogus. Inter quos eminentia ſanctitatis præcelluerunt *Theodardus* & *Lambertus*, qui propria vice Epiſcopatum eius ſortiti, etiam ad Martyrij coronam peruenerunt: necnon ſanctus Trudo qui Haſbaniæ, & Hadelinus qui Aquitaniæ, perlucida extitêre religionis ſidera. Eius conſilio Sigebertus Rex inſignia duo cœnobia conſtruxit Malmundarium & Stabuletum: ad quod tandem beatus Epiſcopus abdicato Præſulatu, ſubordinatóque Theodardo ſe recepit, vt Chriſto purus inten-

siúsque seruiret, procul ab sæculi strepitu & inani gloria. Illic
igitur in omni sanctitate consummato mortalis vitæ decursu
inclytus Christi pugil, tandem quieuit: atque sicut in cœlis
beata immortalitate potitus, sic in terra signorum mira clari-
tate refulsit. Corpus siquidem eius honorificè curatum, cùm
in beati Martini quod condiderat oratorio tumulatum esset,
magnis emicuit prodigiis, quæ *Goduuinum* Abbatem ab ipso
tertium, compulerunt, ad sacrum eius corpus ad locum insi-
gniorem quo ampliori cultu frueretur transferendum. Id igi-
tur in Ecclesiam beati Petri inuexit, lectulúmque quo quies-
ceret auro argentóque decorauit: ex quo deinde non tam ful-
gentis auri decora, quàm diuinæ magnificentiæ insignia ruti-
lârunt. Apud Senonas sancti AMBROSII Episcopi Metropoli- AMBROSIVS.
tanæ huius Ecclesiæ & Confessoris: qui post *Sindinum* sedens,
egregiis virtutum fulgoribus ornatus eluxit. Tandémque post
ingentia animarum lucra, quas Christo sedula prædicatione ac
vitæ cum Euangelicis præceptis conformatione, peperit; ad
beatorum conscendit optatissimam mansionem. Conditus in
templo Sanctorum Geruasij & Protasij, cum antecessorib. *Theo-
doro* & *Sindino*, eo ampliorem iis cultum percepit, quo sanctita-
tis euidentiorem per signa quæ subsecuta sunt beatitatis, prodi-
dit testificatione. Habet Meloduni ad Sequanam in eadem diœ-
cesi Ecclesiam parochialem sui nominis. Remis S. REOLI Episco-
pi & Confessoris: qui ex Comite monachus, ex monacho Episco- REOLVS; aliàs REGVLVS.
pus, multorúmque sanctorum operum patrator, post augmen-
ta copiosa creditorum sibi talentorum: præmio æternitatis di-
gnus, abiit ad Dominum. Ipso die Fossis in agro Leodiensi trans-
latio corporis beati FOILLANI Martyris, in Sylua Carbonaria FOILLANVS, aliàs FOISANVS.
loco Ampollinis dicto cum tribus discipulis occisi pridie Kal.
Nouemb. Item in Blandino monte susceptio Sanctorum cor-
porum VVANDREGESILI Abbatis, ANSBERTIque & VVL- VVANDREGESILVS.
FRANNI Archipræsulum, ex Boloniensi oppido, ad quod pro- ANSBERTVS.
pter Normanorum incursum, antea fuerant traducta. *Et alibi in* VVLFRANNVS.
*Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum,
atque Sanctarum Virginum.*

IN territorio Andegauensi dedicatio basilicæ Monasterij Glannifolij facta *Antonius & Constantinianus.*
à Calixto Papa II. Necnon ibidem eleuatio corporum Sanctorum ANTONII
& CONSTANTINIANI, qui de Cassinensi Cœnobio ad Gallias cum sancto
Mauro, iubente sancto Benedicto perrexerunt. In Lotharingia obitus B. SY- *Symeon.*
MEONIS solitarij. Apud Lerinum B. ARNVLPHI Abbatis. Turonis memo- *Arnulphus.*
ria sancti ANTIDII Martyris ibi à Vvandalis interempti: temporibus Hono- *Antidius.*
rij Imperatoris.

Pridie Nonas Septembris. Luna

4																B xx.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
29	30	1	2	3	4	5	6	6	7	8	9	10	11			

SS. MARCELLVS Preſb. & Mart.

CABILONE in Æduis natalis ſancti MARCELLI Preſbyteri & Martyris. Qui ciuis Lugdunenſis, & primarius inter eos qui cum ſancto Pothino in perſecutione Antonini ſunt comprehenſi, patefactis diuinitus clauſtris cuſtodiæ qua detinebatur aufugit, cum Valeriano Chriſtianæ etiam veritatis aſſertore. Et hic quidem Auguſtodunum petiit, ille Cabilonem tendit, vt vtriuſque ripæ accolas, flumine non fide diuiſi, ad verum Dei cultum, ſalutaribus monitis conuerterent. Incidit Marcellus in quemdam Cabilonis ciuem *Lationum* nomine, qui peculiari cultu equeſtrem Martis ſtatuam & Mercurij ac Mineruæ ſimulachra, in ipſo domus veſtibulo locata proſequebatur: dedoctum impiam ſuperſtitionem breui cum vniuerſa familia ad Chriſtum aggregauit. Cùm autem non irrito labore illic hæſiſſet, perſecutione vbique acrius excitata: Cabilonenſi relicta vrbe ſeceſſit in vicum Argentomagenſis aggeris non procul diſſitum: vbi in Priſcum Præſidem ſolemni epularum apparatu profana ſacrificia pſeudonuminibus immolantem incurrit: à quo inuitatus ad conuiuium, cùm renueret profanis epulis contaminari, vt Chriſtianus eſt agnitus, Priſci & aſtantium omnium ſententia, damnatus eſt, vt arboris duobus ramis admodum diſſitis violenter adiunctis, alligatus validis nexibus, poſtmodum dimiſſis ramis, & natiuam laxitatem repetentibus, diſcerperetur. Sed ſancto Martyre in confeſſionis præconio fortiſſimè perdurante, nihilque hoc atrociſſimi ſupplicij genere territo: Præſes mutata mente, quo pluribus diuturnioribúſque tormentis Chriſti præco torqueretur, ſub populi conſpectu diuerſis pœnarum generibus ſtatuit excruciandum: niſi deductus ad Saturni & Solis ſtatuas Chriſtum eiurare & diis ſacrificare in animum induceret. At fides Martyris cœleſti virtute confirmata frangi non potuit. Proteſtatur ſe eò nunquam adductum iri, vt tam impiis ſacrificiis contaminaretur, qui veri numinis ſacerdos, Chriſto vnico rerum dominatori, quotidie hoſtiam ſynceram (agni ſcilicet immaculati immaculatam carnem & pretioſum cruorem) immolaret.

Præſes

Præses igitur perſtantem in falſorum numinum execratione & Christi laudibus, inaudito crudelitatis genere iubet cingulotenus defodi, & rectum ſtare: vt ſepultura viuo eſſet ad pœnam, quæ vita functis impenditur ad requiem. Sic igitur diuinus athleta poſt triduum in idolorum deteſtatione & veræ fidei profeſſione exactum, ſecundo à Cabilone milliario, agonem glorioſum peregit: viuúſque ſepultus, vitæ immortalis perenníſque gloriæ à Domino cui impollutum ſpiritum reddidit, promeruit donatiuum. Hinc ad trophæum tanti herois, miracula multa in clientum gratiam coruſcârunt: quæ Gregorius Turonenſis ampliſſimis præconiis deſcribit. Condidit inde illius memoriæ Gunterannus Rex piiſſimus illuſtre templum: in quo Patrum quadraginta Concilium ipſius tempore habitum eſt. Qui Rex impenſe in ipſum Martyrem deuotus (cuius præſidio à nece ſibi à ſicario intentata liberatus fuerat) eum & tota vita coluit, & moriẽs ſub ipſius patrocinio voluit ſepeliri: vbi tamdiù quieuit, quouſque furentibus ſectæ Caluinianæ hæreticis, baſilica ipſa impiè deuaſtata, Regis illius qui tanti Martyris ope, ad ſanctorum vſque cœleſtem proceſſit chorum, oſſa defoſſa barbarè prorſus diſperſa ſunt, quæ omni veneratione, vtpote Dei ſerui ſynceri, Martyris huius cultoris præcipui, Sanctorúmq. conciuis glorioſi, reliquiæ meritò fuerant proſequenda. Ipſo die Treuiris natalis S. MARCELLI Epiſcopi huius metropolicæ ſedis & Martyris: qui S. Auito ſuccedens eo tempore quo perſecutionum procella aſperis motibus dirìſque fluctibus nauim Eccleſiæ quatiebat: proreta peruigil & ſtrenuus aduerſus tot atros turbines in puppi vndique concuſſa ſedit: creditáſque animas ſuperatis quibúſque vorticibus, in ſalutis portum felici remigatione direxit ac euexit. Nam verbo & opere potens vt impios fidei hoſtes fortiter expugnauit, ſic pios Chriſtíque amantes, vera in religione ſolidatos animauit ſedulò, ad iuſtitiæ & virtutis, qua ad cœlum itur, tramitem beatum conſectandum. Quibus & cruore fuſo purpuratus, aditum ad ſupernæ felicitatis gaudium, præmonſtrauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* Marcellus Epiſc. & Mart.

HAC die Carolo Magno procurante ac præſente, facta eſt ſolemnis canonizatio ſancti *Suuitberti* Epiſcopi Vverdenſis à Leone Papa III. Quiquidem ſanctus Confeſſor opitulationis perenni dono conſpicuus vbique terrarum inuocatur patronus peſtis ſquinantiæ, ſicut teſtis eſt ſanctus Ludgerus in libro quem edidit de eius eleuatione, canonizatione & miraculis. Obiit hoc ipſo die vir venerabilis SIMON quondam Abbas Caziaci, qui dimiſſo regimine in quo beati Bernardi (à quo totus pendebat) monitu, diu quàm voluiſſet perſtiterat: in Claram-vallem poſt eius tranſitum humilitatis amore ſe recepit: vbi ſepten- *Simon.*

nium in magna religione perseuerans, Angelorum quorum puritatem imitabatur, alloquia sæpè promeruit: sed & eorum præconia, cum carne excessit, etiam consecutus est. Auditæ siquidem fuerunt ipso defuncto suauissimæ illorum voces, quæ funus eius quem ad Christum ducebant ouantes cohonestârunt.

Nonis Septembris. Luna

5 C XIX.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ

13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29

t u A B C D E f F G H M N P

30 1 2 3 4 5 6 7 7 8 9 10 11 12

SS. ANSARICVS.

SVESSIONE depositio sancti ANSARICI Episcopi & Confessoris. Hic ex vico Espaniaco in ipso tractu Suessionensi orthodoxis parentibus oriundus, cùm ab ipsis pene incunabulis, suauissimos pietatis ac iustitiæ fructus libare incœpisset: fœnus religiosæ educationis copiosum parentibus ac patriæ mox ac adoleuit, rependit. ab eunte enim ætate, rerum laudabilium, ac maximè diuini cultus, ita studiosum se præbuit: vt se à Deo ad magna excitatum, hominúmque communi bono destinatum (tantæ gratiæ in ipso specimina effulgebant) non obscurè proderet. Moribus enim castissimis & doctrina præcellenti omnium animos prouocabat ad sui imitationem & venerationem. Vnde *Landulpho* Episcopo Suessionensi carnis nexibus absoluto, ad præsulatum expetitus, clauum tantæ Ecclesiæ suscipere ad moderandum coactus est, totius sacri ordinis voto, ac populi flagitatione: quos equidem concepta de eo existimatio haud fefellit. Factus enim Pontifex Ansaricus, studia omnia in hoc conuertit, vt gregis forma fieret, atque omnibus ad salutem quantum exigit pastoralis cura opitularetur. Impensè enim de omnium prouectione sollicitus, diuites in officio pietatis continuit: pauperes consilio & solario adiuuit: aberrantes in viam reuocauit, omnes denique ad sanctè agendi studium accendit assiduo horratu, ac virtutum suarum admirabilium exemplis. Sed & cœlitum deuotus cultor, sacra quæ presserant suo in solo vestigia, à squalore extersit, basilicis nitorem restituit, aris splendorem indidit. Corpora sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani (in quos speciali reuerentiæ affectu ferebatur) euocatis sanctissimis Præsulibus Audoëno Rotomagensi, Pharone Meldensi, Eligio Nouiomensi, ex loco vbi diu abdita iacuerant post agonem, ad basilicam

à se eorum nomine dedicatam, magna cum veneratione transtulit. Dehinc & inter Galliæ lumina ad vindicandam sacram Ecclesiæ disciplinam, Synodo Remensi indictæ à Sonnatio Archipræsule, sedis Apostolicæ Legato, interfuit. Demúmque post tot edita clara fidei pietatis & iustitiæ opera, peruigil ac fidelis villicus, vocatus à Domino ad præmium profectus est. Ipso die apud Laudunum Clauatum S. GENEBALDI Episcopi & Cōfessoris, qui genere nobilis, sacrísq. ac profanis literis eruditus, cùm neptem S. Remigij vxorem duxisset, Christo intensius obsequendi affectu incensus, vitam segregatam ab omni sæculi commercio, de coniugis assensu iniit. Cùm autem Clodoueus Francorum Rex Christi sacra amplexus, S. Remigio multa prædia ad Ecclesias suę prouinciæ dotādas contulisset: Beatus Pontifex, Ecclesiæ S. Mariæ Lauduni, vbi nutritus fuerat, multas ex his possessiones attribuit: locúmq. sanctissimæ Deiparæ amore cohonestare cupiens, sedem Episcopalem ibidem constituit, cui Genebaldum sanctitate pollentem præfecit Antistitem. Hic sub Præsulatus exordio, omnem pastoralis vigilantiæ & virtutis exhibuit præstantiam: suæque Ecclesiæ sanctè actorum splendore egregia indidit crepundia. At dum incautius vxorem sæpiùs ad se venientem specie pietatis, benignè admittit, blandis carnis illecebris emollitus, lapsus est in libidinem. Miscuit se illicitis amplexibus veteri sodali, binámque ex ea sobolem progenuit, diù in cœno volutatus. Sed tandem sceleris recordatus, petiit supplex à S. Remigio quem accersierat, in se canonicam animaduersionem exerceri: qui hominem stolam sponte deponentem, qua indignissimum se aiebat, totúmque in lachrymas solutum, in cellula cui oratorium hærebat, conclusit, eámque illi pœnitentiam indixit, quæ perpetuum posteris monimentum rigidæ correctionis, at synceræ conuersionis præberet. Hac in reclusione mirabiles pœnitentiæ fructus Genebaldus edidit, totóque septennio inibi præstitit in ieiuniis, assiduísque orationibus, magnáque spiritus humilitate Dei misericordiam opperiens. Qui tandem gemituum serui sui miseratus, eidem Angelum in ipsa cœnæ Dominicæ vigilia, media nocte, magno cum splendore misit, denuntiatum, acceptam coram se illius non modò pœnitentiam, culpámque dimissam esse: sed diuino iam iussu, sacro muneri restitutum, ad Ecclesiam progredi diluculo elucescente oportere, ministerium Episcopale in pœnitentium reconciliatione impleturum. Tenax pij propositi ac imprimis humilitatis & obedientiæ Genebaldus, cœlestem nuntium deprecatus est, vt Remigium patrem suum accerseret, obtestatus se ex ergastulo minimè egressurum, ni ab ipso

GENEBALDUS.

per quem inclusus fuerat pro peccato, ex Ecclesiæ norma, solutus à reatu quem contraxerat, inde abduceretur. Monente igitur Angelo accurrit Remigius, ínque ostij limine, saluo sigillo seráque iam diuinitus reserati, Genebaldum reperit iacentem orationíque intentum, quem protensis brachiis, cum lachrymis lætitiæ amplexatus erexit: Dominíque collaudans clementiam diuino ex decreto sedi & officio restituit. Cæterùm Genebaldus misericordias Domini altè pectori infigens, toto vitæ cursu prædicauit, suóq. exemplo peccatores ad pœnitentiam cohortatus, post grati Deo famulatus obsequia, exacto gloriosè Episcopatu, placido fine quieuit, atque Sanctorum consors effectus, meritorũ præmia in cœlorum regno feliciter adeptus est. Cuius gloriæ id apud homines accessit, vt filium (*Latronem* nomine) quem ex vetito furtiuóque complexu coniugis susceperat, successorem habuerit, quem reliquit raro gratiæ munere, fidei, pietatis, ac iustitiæ hæredem. In agro Taruanensi S. BERTINI Abbatis & Confessoris: qui patria Constantiensis, Luxouiensis in Burgundia famosi asceterij alũnus: hinc cum SS. *Mommoleno* & *Bertrammo* egressus, diuina aspiratione, ad prædicandam fidem sanctissimæ Trinitatis, sub S. Audomari auspiciis Apostolicum munus diuinæ prædicationis impleuit: multísq. ad Christum adductis cultoribus, in cœnobio prædicto quod construxerat, vita & miraculis insignis, plenúsq. dierũ, iter felicitatis ingressus, ad ciuitatis supernæ gloriam euolauit. Ipso die apud Laudunum S. PROBÆ Virginis, quæ sæculi fastidiens illicia Christo Virginum sponso carne & spiritu adhæsit: atq. fœta gratiæ fœnoribus, diues meritis, & miraculis clara, ad cœlestes agni nuptias læta properauit. Vesuntione Sequanorum Metropoli Inuentio beatorum Martyrum FERREOLI & FERRVTIONIS: quorum corpora Christi stigmatibus illustria, B. Anianus ipsius vrbis Pontifex diuino beneficio reperit, atque insigni triumpho transtulit ad basilicam S. Ioannis Euangelistæ: donec in loco confessionis eorumdem, titulum spectabilem erexisset. Quo constructo ad nouam Ecclesiã idẽ B. Antistes, ipsamet pretiosa cadauera detulit, atq. cum aromatib. recondidit, Cleri cum insigni comitatu, deuotíq. populi fidei suæ auctores venerantis concursu copioso. Item ibidẽ depositio ipsius B. Pontificis ANIANI, qui octauus ordine nobili huic Ecclesiæ præfuit: sed antecedentib. Episcopis meritis cõpar, posteris vti lucidũ sidus totius gratiæ & virtutis præluxit. Ornatúsque omni religionis decore, perdignè exacto pastorali officio, ad præmiũ perrexit. Corisopiti in minori Britãnia ordinatio S. CORENTINI Episcopi huius ciuitatis & Cõfessoris, qui sedis huius

Bertinus. Proba. Ferreolus & Ferrutio. Anianus. Corentinus.

Antiſtes primus, à beato Martino, ob diuinæ mentis claras dotes conſecratus, gregem concreditum in intellectibus manuum ſuarum pauit, póſtque mirabilium operum editionem ad vitæ metam perueniens, datis ad Clerum & populum ſalutaribus monitis, in Chriſto feliciter obdormiuit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Octauo Idus Septembris. Luna

6 D XVIII.

a b c d e f g h i K l m n p q r ſ
14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30
t u A B C D E f F G H M N P
1 2 3 4 5 6 7 8 8 9 10 11 12 13

TOLOSÆ eleuatio corporis ſancti SATVRNINI Epiſcopi & Martyris; ipſius ciuitatis, adeóque totius Galliæ Narbonenſis Apoſtoli, facta tempore Alexandri Papæ IV. per Raymundum Præſulem Toloſanum, qui ſacratiſſima tanti cœlitis membra è crypta monaſterij eius nominis, vbi tempore Caroli Magni condita fuerant, editiorem in locum quo vberiori clarerent cultu euexit: qui & poſtea cupidus amplioris gloriæ pretioſis oſſibus conciliandæ, eadem capſulæ incluſit artificio ſingulari ex argento confectæ. Apud Senonas Natalis Sanctorum Martyrum SANCTIANI, AVGVSTINI, FELICIS & AVBERTI, ac BEATÆ Virginis itidem purpuratæ: qui Aureliani Imperatoris tempore, amore Chriſti omnia relinquentes ab Hiſpaniis in Gallias profecti, ad hanc ciuitatem peruenerunt: vbi dum Chriſti cultoribus adiuncti, ſacros piorum conuentus frequentarent, intemeratæque quam profitebantur pietatis, ſanctis operibus proderent vel incautè inſignia: hoc nomine ſæuo ipſi Principi delati, quod Chriſtianæ eſſent fidei ſectatores: eius iuſſu comprehenſi ſunt. Quódque ingenuitatem generis ipſo vultu præferrent, blandè primùm ab eo inuitati, vt abiecto Chriſtiano cultu, ad auita ſacra redirent: ſicque pro dignitate natalium, opibus honoribúſque ab ipſo cumularentur. Inclyti Chriſti pugiles ſcelus Idololatriæ magno feruore execrati, Chriſti vnicum numen, in quo eſt omnis ſalus, ſeſe ad ſupremum vſque ſpiritum adoraturos profeſſi ſunt. Quorum conſtantia exacerbatus tyrannus, poſt probra & preſſuras diras quibus eos exagitare fruſtra tentauit, capitali iuſſit plectendos ſupplicio. Igitur extra vrbis ſepta raptati, omnes, (ipſaque vir-

SS. SATVRNINVS.

SANCTIANVS, AVGVSTINVS, FELIX, AVBERTVS & BEATA.

go Beata, quæ ſexus & ætatis teneritudinem, virili animo ſuperans, fratres intrepidè ad agonem ſequebatur) fortiter gladio capita ſupponentes, ceruicibus amputatis, Chriſti confeſſionem quam magnifica voce ediderant, fuſo cruore obſignarunt: Vnóque ac eodem triumpho in cœlos euecti immortalis gloriæ laureas perceperunt. Quorum veneranda cadauera clam Chriſtiani tumularunt. Sed tandem Eccleſia feliciter è fluctibus perſecutionum emergente: fidelium deuotio Ædiculam excitauit ſuper ipſorum Martyrum ſepulchra: quæ poſtea ampliorem in molem excreſcens, Martyrum eo loci venerandam memoriam reddidit perſpicuam. Ipſo die inuentio Sanctorum Martyrum

FLORENTINVS, HILARIVS & AFFRANDIVS. FLORENTINI, HILARII & AFFRANDII. Apud Laudunum

CHAGNOALDVS. Clauatum ſancti CHAGNOALDI Epiſcopi & Confeſſoris glorioſi: qui Sanctorum Pharonis & Vvalberti Epiſcoporum, ſanctæque Pharæ Abbatiſſæ frater: beatorúmque Columbani & Euſtaſij in Cœnobiarcha Luxouienſi diſcipulus, iam à pueritia diuinis operibus præſtans, cum mentis pietate, vitæque ſanctitate niteret poſt *Richbertum* Epiſcopus Laudunenſis electus eſt. quo in diuino munere (quod nonniſi ægrè ſubiit latebris pio humilitatis ſtudio deditus) ita ſe geſſit, vt cœleſte Chriſti regnum & vitæ Euangelicæ exemplis & miraculis diuinè editis plurimùm propagârit. Itaque cùm egregiis monimentis Eccleſiam ſuam inſtruxiſſet, meritis ornaſſet, legibúſque ſacris vindicandis indictæ Synodo Remenſi cum multis Gallicanæ Eccleſiæ Patribus, ætate & virtute conſpicuus interfuiſſet: demum Pontificatu & vita feliciter conſummatis, oculos carnis in mortem clauſit, æternúmque cum Chriſto victurus, ad cœ-

HVBERTVS. lum perrexit. Leodij tranſlatio ſancti HVBERTI Epiſcopi, Chriſti Confeſſoris beatiſſimi, facta Karolomanno cum proceribus præſente, anno à tranſitu ipſius beati Pontificis decimo ſexto, magna cum Eccleſiaſticæ magnificentiæ pompa, imò & diuinæ gloriæ coruſcatione. Nam & defuncti corpus prorſus integrum apparuit, virentéſque herbæ quæ cùm ſepeliretur appoſitæ fuerant repertæ ſunt, & prodigia facta ſunt maxima, quæ quantis apud Deum polleat meritis oſtendêre. Ipſo die in

HVMBERTVS. Hannonia eleuatio ac depoſitio S. HVMBERTI Confeſſoris: cuius corpus mirè odoriferum, centeſimo quinquageſimo anno poſt obitum, ita illæſum & incorruptum inuentum eſt, ac ſi eadem die ſpiritum emiſiſſet. Facta autem eſt ſepulchri eius reſeratio Angelico monitu per *Rodinum* Abbatem. Item tranſ-

CLODVLPHVS. latio ſancti CLODVLPHI Epiſcopi, quando eius corpus ſacratiſſimum è Metenſi agro vbi deceſſerat ſede Treuirenſi (cui

postquam Episcopatum Metensem rexisset præfectus fuerat) expulsus: ad Laudunum Lotharingiæ pagum delatum est magno cum diuinæ virtutis splendore. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

EVOCATVR ad desideratum Christi conspectum IOANNES Monachus, qui prodigium humilitatis factus, cùm inter Ecclesiæ principes diù consedisset, cum magna doctrinæ & integritatis commendatione: ex Archiepiscopo Lugdunensi & sedis Apostolicæ Legato, eò se dimisit, vt inter ascetas Claræuallis omnium se nouissimum profiteretur: vbi in magna spiritus puritate, animam Angelicis ordinibus sociandam exhalauit. *Ioannes.*

Septimo Idus Septembris. Luna

7															E XVII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
2	3	4	5	6	7	8	9	9	10	11	12	13	14			

AVGVSTÆ Trecarum Natalis sancti MEMORII & sociorum sex Martyrum: qui sancti Lupi Præsulis Trecensis Archidiaconus, ab eo Attilæ Hunnorum Regi cùm vrbem Trecensem ad perdendum inuaderet, obuiam missus cum clericis septem sacris vestibus indutis, crucísque insignia præferentibus: vbi in eius conspectum venisset textum Euangeliorum aureum pectori admotum tenens, Tyrannum quem omnis honoris obsequio, blandóque ac humili alloquio ad misericordiam flectere satagebat: sic ipso pietatis insignium exacerbauit intuitu, vt mox illius iussu à militibus cum sacro comitatu comprehensus, illusus, dirè excruciatus, demúmque fuerit gladiis obtruncatus quinto ab vrbe lapide, loco tunc Brolium vocitato ad ripam Sequanæ. Sex cum sancto viro Clerici ibidem necati occubuerunt. Septimus diuina ope euasit, beatóque Lupo intimauit quæ facta fuerant. Qui placato superna gratia impio Rege: cum Clero & populo veniens ad locum vbi sancti martyrium compleuerant, eorum corpora cum Dei laudibus sepeliuit. Horum etiamnum antiquissimi tumuli cernuntur in crypta Ecclesiæ vici, qui iampridem sub sancti Memorij nomine censetur. Vnde postea eruta sacratissima illorum pignora in capsam ligneam illata sunt, quæ in sacrario ipsius Ecclesiæ asseruatur. SS. Memorius & sex socij Martyres.

Ipso die Augustoduni Æduorum Natalis sanctæ REGINÆ Virginis & Martyris, quæ Proconsule Olybrio, equuleo, carcere & facibus horribilem in modum cruciata: demum cum Ty- Regina.

rannum mirabili fidei constantia stupefaceret: capitali damnata sententia, ense præciso capite, palmam egregij triumphi reportauit. Teneræmundæ in Flandria sancti HILDVVARDI Episcopi & Confessoris, qui primus facem Christianæ lucis huic oppido inuexit: ob quam veritatis Euangelicæ prædicationem durè à Magryptio Dynasta loci exceptus, dirisque tormentis excruciatus: nihilominus admirabili patientia superata eius sæuitia, ipsum cum tota familia Christo tandem subegit, populúmque vniuersum ad agnitionem veritatis perduxit. Sícque glorioso Apostolatu perfunctus, Dicliuennæ in Christo summa pace obdormiuit. In oratorio sanctissimæ Deigenitricis quod construxerat sepultus, vnde processu temporis cum meritorum eius insignia prodigiis crebris micarent: spolia eius veneranda Teneramondam magna deuotione translata sunt, quæ in templo Canonicorum beatissimæ Deigenitricis collocata, ibidem hactenus multo cum honore adseruantur. Arelate transitus sancti AVGVSTALIS Episcopi & Confessoris, qui Leonis magni temporibus florens sanctitatis & doctrinæ gloria, Arausicano I. Concilio inter primores æui sui Episcopos consedit: legibus sacris illic sancitis de Ecclesiastica œconomia, suffragium addidit: atque ab ipso beatissimo Pontifice nominatim salutatus est in sententiæ limine quam tulit pro Ecclesiarum Arelatensis & Viennensis firmanda concordia. Denique gloriosis exantlatis pro Christi regni amplificatione laboribus, in æternam requiem placido fine concessit, eámque reliquit vitæ sanctè actæ apud omnes approbationem, vt mox ab obitu sacris Ecclesiæ tabulis adscriptus, perpetuæ consecratus sit fidelium venerationi.

HILDVVARDVS. AVGVSTALIS. EVVRTIVS.

Ipso die Aureliæ sancti EVVRTII Episcopi & Confessoris gloriosi. Hic Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus sub Pontificibus Romanis Melchiade & Siluestro, cùm Roma venisset in Gallias vt fratres suos *Eumorphium* & *Cassium* captiuos redimeret, Aureliam peruenit eo tempore quo de eligendo Episcopo post mortem *Desiniani* disceptabatur. Seditio vsque ad sanguinis effusionem processerat. Missúsque fuerat Porphyrius Præfectus ad sedandos motus, quibus vrbi excidium impendebat. Qui præcipuos Galliæ Episcopos eò vocans: rem eorum arbitrio decernendam disposuit. Episcopi accersiti, precibus & ieiuniis satagendum apud Deum censuerunt, vt idoneum Præsulem populo concederet. Euurtius eo mane quo de electione tractabatur, ad Ecclesiam sancti Stephani ex charitate cum cæteris oraturus venit, exceptúsque ab ostiario iuxta ianuam stetit incognitus. Et ecce positis in oratione Pontificibus & Cle-

ro populóque, demissa cœlitus columba capiti Euurtij superuolitans insedit. Quam ille verecundia suffusus abigit. Stupet interim populus, perquirítque quisnam ille sit, cuius sanctimoniæ columba cœlitus missa testimonium perhiberet. Quæ bis & tertiò post repetita orationum suffragia, cùm per omnem Ecclesiam circumuolitasset, resedit super eiusdem verticem. Rem diuinis nutibus Episcopi adscribentes, iubent hominem, superno indicio designatum ad se accedere: inquisitúmque de nomine & patria ac munere: acclamante vniuerso populo, at ipso renuente, Pontificem pronuntiāt, ad Marci basilicam extra muros deducunt solemni comitatu; primóque Leuitam, inde Sacerdotem, postremò Episcopum consecrant. Porro non diù post anniuersarium ordinationis eius diem, ingens incendium ciuitatem inuasit. At furentes flammarum globos vir Dei statim compressit oratione sua, qua & cum summa omnium admiratione sæpè afflictis repentino subsidio fuit operum certè mirabiliū patrator insignis: cuius virtus enituit in curandis paralyticis, cæcis etiam lucis vsura donandis; quin & omni genere morbi laborantibus sanitatem plenam restituit. Basilicam sanctæ crucis, miro opere construxit, cuius sumptibus latentem thesaurum dum fundamenta locabantur diuinitus reseratum, Pontifex sanctus impendit: pium cuius conatum promouit Constantius Imperator regali munificentia. Ecclesiæ igitur ædificio intra triennium consummato, ipso die Inuentionis sanctæ crucis, dedicationem eius beatus Antistes celebrauit, insigni solemnitate: euocatis ad tantæ ædis encænia honoranda plurimis Episcopis, ad quorum preces cùm diuinus Pontifex sacra mysteria perageret: nubes splendida super caput eius delapsa apparuit, visaque manus est, porrectis digitis tertiò oblata benedicens. Quod miraculum longè latéque diffusum effecit, vt intra triduum septem ferè millia infidelium quod contigerat admirantium, percepto baptismo, Christum crucifixum vnicum hominum redemptorem, Dominúmque confitendo adorarent. Sic Domini lucris fidelis seruus intentus, consenuit, ac postquam in Synodo Valentina, quæ sub Damaso Papa coaluit pro sarcienda sacra religionis disciplina, inter primores Galliæ Patres, quorum lumen & decus erat, præcipuum suffragium tulisset: redux, obitum suum, cuius diuinitus præscius factus erat, Clero suo populóque prænuntiauit: designatóque ex superno nutu Aniano successore, correptus febre, at æstu potiùs diuini amoris quàm caloris consummatus, spiritum gratiæ plenum, ad gloriam efflauit. Solemni funere elatum eius cor-

pus in agro Tetradij viri Prætorialis, in Occidentali parte ciuitatis sepultum est: vbi oratorium postea in eius honorem est extructum: quod deinde, è viri Dei tumulo promicantibus prodigiis, ampliatum, in basilicam excreuit, cœnobiúmque in hunc vsque diem præstans & nuncupatione beati ipsius Confessoris insigne. Cuius ossa veneranda segreges, labente superiori sæculo ad testandum quod cœlitibus iurârunt immane odium, de sacrario educta, probrísque affecta, impiè combusserunt, ædémque ipsam indignè deturpatam, sacrilegiis repleuerunt. quæ Deus ex alto respiciens, Sancti sui apud homines honorem hoc ex opprobrio duplicauit, nefarios illos grassatores temporali ac æterno exitio addixit, loci sacri dedecora, ampliorem in gloriam commutauit. Eodem die in agro Parisiensi sancti CLODOALDI Presbyteri & Confessoris: qui Clodomiri Francorum Regis filius, (patruorum tyrannidem fugiens, qui fratres eius immaui regni ambitu interfecerant;) cùm ad necem quæreretur, diuinitùs seruatus illæsus, contemptóque terreno principatu, totum se ad regni cœlestis desiderium conuertit, propriáque sibi manu capillos incidens diuinæ seruituti sese totum subdidit. Vt verò nudus nudum Christum sequeretur, abdicatis quæ supererant opibus, atque in egenos erogatis, ad sanctum Seuerinum, qui Lutetiæ in cellula inclusus erat, clam se contulit, cuius factus discipulus sacríque instituti æmulator, diuinæ scripturæ lectioni, orationi & cœlestium rerum contemplationi prorsus se addixit. Sed erumpente sanctitatis fama, fucorum humanæ existimationis pertæsus, procul fugere constituit, ideóque in Prouinciam profectus, sese in locum recepit penitus ab hominum accessu & frequentatione secretum. At lucerna ardens & lucens minimè latere potuit. Cùm enim aliquando paruum oratorium construeret, à paupere quodam vaganti detectus est: cui petenti stipem cucullum in eleemosynam tribuit. è quo nocte sequenti lumine renidente, quòd pij largitoris sanctitatem innuebat: gloriæ ne quid inde in se redundaret, latebrarum amicus ac veræ humilitatis tenax, solum protinus vertit, Lutetiámque repetiit: vbi ex miræ operationis fulgore factus, quamquam latibula quæreret, conspicuus: populi efflagitatione sacerdotali honore, ab *Eusebio* Episcopo decoratus est. Cuius dignitatis se haud dignum arbitratus; rursus se subduxit, lustratáque circumquaque regione, sese in montem recepit vicinum nemori, Sequanæque alueo imminentem. In cuius antro delitescens, Deo hæsit totus intentus: quousque in omni virtute consummatus Angelicæ vir pietatis,

CLODOALDVS.

carnis mole deposita, beatum spiritum ad gloriam transmisit: locúmque ipsum quem incolatu suo sanctificauerat, tumulo, nomine, ac miraculis, quibus nunc vsque coruscat illustrauit. Ipso die S. STEPHANI Diensis Episcopi in Prouincia Viennensi & Confessoris. Hic Castellionis Dynastæ filius, sanguinis & religionis ornamentis insignis, etiam infans futuræ sanctimoniæ indicia dedit. Nam sextis feriis papillas obfirmatè recusabat, planéque ieiunus exigebat diem. Grandior factus, cum literis daret operam, vt carnis luxuriem contunderet, in eo ætatis lubrico, carnium vsu sibimet interdixit, & auctiore in dies Spiritus sancti luce perfusus, à sæculi discriminibus sibi timens, elongauit fugiens, mansítque in solitudine Cartusiæ Portarum. In sacro illo secessu vigiliis & inediæ vltra communem mensuram addictus, omníque virtutum genere excultissimus, eos fecit progressus, vt cœlestibus visis compluribus & conspicua cœlestium spirituum forma recrearetur. Hinc domus illius exacta diuinè præfectura, ad Episcopatum Diensem vacuum Præsulis Roberti obitu, iterata Innocentij III. iussione abductus, Viennæ à tribus Archiepiscopis in Episcopum consecratus est. Qua in Cathedra collocatus nihil quod ad muneris pastoralis spectaret onus, curámque prætermisit: quin absolutam cunctis exhibuit formam perfectissimi Antistitis, subditis prælucens verbo & opere, quo magis quàm ore iustitiæ & pietatis eisdem tramitem præmonstrauit. Tandéinsumptis per annos sex in gregis sui solicitudine excubiis: miraculis in vita & post mortem clarus, fontis æternæ vitæ ad optatos latices perrexit. Corpus eius in basilica Diensi, quo dignum erat funere tumulatum, mox diuinæ virtutis exeruit radios: vnde sicut gemma perlucida de puluere leuatum, loculóque pretioso inditum in omni honore ad superius vsque sæculum incorruptum perstitit, donec Caluiniano furore ignibus profanis illatum est, quibus in cineres conuersum, auro fulgores puriores emisit. Remis sancti VIVENTII primariæ huius sedis Episcopi & Confessoris. qui Clericus Laudunensis, cùm doctrina & virtute præstaret, Romam ad Apóstolorum limina pij voti causa profectus, à sancto Siricio Papa, Præsul Remensis Ecclesiæ (quæ orbata erat, sancti Donatiani ad Christum nupera emigratione:) consecratus est. Ad quam velut Sol accedens, virtutum suarum & sapientiæ splendore, omnem mœstitiæ caliginem depulit, vitiis intulit exitium, virtutibus incrementum. Clerum denique ac populum incredibili solatio affecit: quibus se animatum pietatis expressit simulachrum. Demúmque postquam diuino prædi-

STEPHANVS.

VIVENTIVS.

candi munere, atque sancta operatione animos omnium ad piè agendum inflammasset, omni decore gratiæ & virtutis ornatus abiit ad præmium. In Ecclesia S. Agricolæ Martyris humatus est: vnde propter opitulationis gloriam ab Ebbone Archiepiscopo leuatum sacratissimum eius corpus Clericis Braquensibus ad Mosæ littus, datum fuit ad tutelam. Metis S. GONDVLPHI Episcopi & Confessoris magnarum virtutum: præsertim verò castitatis & charitatis decore conspicui: qui Angelramno, non ob natalium, sed meritorum sublimitatem suffectus: illam Cathedram cum Dei honore sex propeannos gubernauit: Synodo apud Theodonis villam petente Ludouico pio interfuit, deinde ad cœlos plenus meritis euolauit. Ipso die apud Valencennas in Cameracensi diœcesi translatio sancti SALVII Martyris Engolismæ ciuitatis Episcopi & Superij eius discipuli, cùm à Carolo Magno inuenta superno munere sacra eorum corpora: eo loco vbi nunc Prioratus sancti Saluij visitur extra Valencennas, condigno honore reposita sunt: vbi deinde signorum plurimæ coruscationes refulsère. Augustoduni in Æduis veneratio sanctæ REGINÆ Virginis & Martyris, quæ Olybrio Proconsule, equuleo carcere & facibus horribilem in modum cruciata, demum pro Christi gloria capite plexa (quod nomen diuino fauore inditum ominabatur) regnum sempiternum pro fidei & castitatis quam ad extremum vsque spiritum propugnauit munere, à sponso cœlesti recepit. Teneræmondæ in Episcopatu Gandauensi susceptio S. CHRISTIANÆ Virginis. Quæ Migramni Anglorum Regis filia, cum Dicliuennæ in Christi Virginum sponsi puro persuauíque famulatu, stadium virtutis absoluisset: ibidem cum magna æstimatione sanctitatis sepulra fuit. Postmodum signis innumeris clarificata, quo & vberiori cultu polleret, essétque incolis speciali præsidio; Teneramondam translata in æde collegiata sanctissimæ Deigenitricis, cum sancti Hilduuardi oppidi eiusdem Apostoli ac tutelaris pretiosis artubus recondita, communi cum eo opitulationis iure à ciuibus accolísque totius huius tractus honoratur. In Hannonia Malbodiensi cœnobio sanctæ MADELBERTÆ Viginis Deo sacræ: quæ Spiritus sancti luce perfusa, cùm à teneris annis virginalis integritatis florem Domino consecrasset, in omni virtute & gratia hoc in asceterio effloruit: deinde abeunte ad superos sancta *Aldetrude* loci illius Abbatissa eius sorore: huic ob decora religiosæ mentis suffecta, in omni pietate, annis nouem sacro Virginum collegio præfuit, iis in omni bono opere præambulans, factúque, quæ dictis suggerebat, vim exempli incutiens:

Marginal notes: Gondulphus. — Saluius & Superius. — Regina. — Christiana. — Madelberta.

tiens: quouſque ad præmium euocata, ad beatarum Virginum quæ agnum in cœlis vbique ſequuntur, chorum conſcendit glorioſum. In æde ſacra Malbodij ſepulta fuit, at deinde Leodium tranſuecta, in Cathedralis Eccleſiæ ſacrario recondita honorificè quieſcit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Ipso die fortiter pro Chriſti nomine decertans in prælio contra Saracenos commiſſo apud Aſſur occubuit, inclytus agminum Chriſtianorum Dux Iacobvs de Auenna, eques magnanimus: quem ſui æui Macchabæum, glorioſa quæ edidit in bello ſacro aduerſus impios pro locorum ſacrorum vindiciis facinora nominarunt. *Jacobus de Auenna.* Obiit piiſſimo exitu Morimundi Otto Epiſcopus Friſingenſis: quondam loci illius Abbas ſanctitate ſuo æuo præcipuus, qui nepos Henrici IV. Imperatoris, religionis amore in Gallias cùm veniſſet, ibidem ſanctæ profeſſionis votum emiſit: auctioréque luce gratiæ illuſtratus, cùm in regimine Abbatiæ (cui ob merita præfectus fuerat) admiranda totius virtutis & pietatis lumina proderet, ad præſignatum Epiſcopatum vi iuſſionum abductus potiùs quàm euectus; Illic inito glorioſis actibus, Præſulatu, atque Clero & populo, aſſiduo hortatu & exemplo, in viam ſalutis deductis: maternorum vberum memor ad cœnobium vnde ſpiritum pietatis hauſerat rediit, vbi in ſumma Spiritus pace vitam feliciter conſummauit. *Otto.* Item Claræuallis obdormiuit in Chriſto Hvmbertvs primus Igniacenſis Abbas ſancti Bernardi percharus diſcipulus, vir gratiarum multitudine glorioſus, quem defunctum ipſemet ſanctus Bernardus copioſa oratione, beatæ æternitatis poſſeſſorem celebrauit. *Humbertus.*

Sexto Idus Septembris. Luna

8 A xvi.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
3	4	5	6	7	8	9	10	10	11	12	13	14	15			

NATIVITAS BEATISSIMÆ DEIGENITRICIS MARIÆ: quam S. Maurillus Andegauenſis Epiſcopus, diuino monitu, primus in Gallia celebrandam indixit. *SS. Beatissima Virgo Deigenitrix Maria.* Tornaci Neruiorum paſſio multorum Martyrum, qui cùm S. Piatvs comprehenſus eſt ab impiis, in præconio veritatis obtruncati ſunt. *Martyres innumeri.* Ipſo die apud Gerardum montem in Flandria veneratio ſacrarũ exuuiarum S. Adriani Martyris, Nicomediæ hodie pro Chriſto dum certaret viua fide, eximio agone coronati. *Adrianus.* Quæ è Græcia Romam, Roma in Gallias delatæ primùm apud Ranticuriã in Hannonia quieuerunt: deinde ad oppidum Gerardi montem appellatum allatæ, Abbatiam excitârunt nomine & miraculis ipſius Chriſti athletæ conſpicuam, è qua ob crebras fidelium peregrinationes, nomen ipſius B. Adriani, in ciuitatem redundauit. Item depoſitio S. Corbiniani Friſingenſis Epiſcopi & Confeſſoris, viri planè chariſmatibus Apoſtolicis referti. *Corbinianus.* Qui Gallus

origine, ex Meloduno oppido ad Sequanã Senonensis parœciæ, cùm in flore ætatis miris sanctimoniæ moribus Pipino Heristello regiæ domus Principi innotuisset: ob gratæ Deo mentis opinionem, rogatus est ab ipso Principe Primarij viri internuncio, vt è secessu sancto vbi Deo puro famulatu seruiebat, vota precésque pro sua salute profunderet. Offensus ea in re vir humilis, frequentioríq. interpellantium concursu, Romam abiit cum aliquot piæ intentionis consciis, votísq. ad Apostolorum Principis ædem factis, sese ad Gregorij II. summi Pontificis pedes abiicit, angulum ad S. Apostoli basilicam flagitans, quo cum suis latitans vni Deo vacaret. Permotus viri sanctis affectibus & facundiâ Pontifex, in aduersa se flectit: promotúmque per sacrorum ordinum gradus Episcopum creat, addito honoris causa pallio, & sacra benedictione, amplissima formula, qua exercendæ dignitatis vbicumq. terrarum fieret potestas. Pontificis imperiũ detrectare non ausus, contra quam sperarat nouum in Galliam onus inuitus & coactus retulit: Apostolicóq. spiritu inflammatus, diuino largiter ex eius ore emanante verbo, intemeratæ religionis augmẽtis operam egregiam impendit. Deinde progressus in Germaniã, in Norico multam segetem fideliũ puro verbi semine excitauit: precatúque Theodonis ducis ac Grimoaldi eius filij, Frisingæ vt subsisteret obstrictus: primùm ibi Episcopatus impressit vestigium, signis & virtutibus cœlestísque sapientiæ decore præstans. At paulò pòst honoris quem fugiebat pertæsus, Romam secundò venit, vt demissionem ab Episcopi officio peteret. Igitur apud Pontificem lachrymis fusis, obsecrat, vt ad gratæ solitudinis secretum, quo liberè Christo hæreat redeundi veniam sibi impertiatur, vel saltẽ cellulam concedat, cui inclusus mentem expiare à sæculi sordibus, & cœlo iungere liceat. Habito sacrorum procerum conuentu, quibus petentis vota retulit: Pontifex abnuit, adductísq. scripturæ sacræ auctoritatibus, quæ Episcopum non permittunt priuatam ac residem vitam ducere: compulit hominẽ diuina ad munia, quæ dignè admodum obierat repetendum. Paruit Corbinianus victus argumentis & iubentis auctoritate. Cui redeunti Luitprandus Rex occurrens, ad genua eius accidit, sese eius orationibus quàm-demissè committens, multũ de sanctimonia eius confisus, cui & feræ parebant: nam Vrsus viri Dei sarcinas, inuisibili astrictus iugo, ferebat. Reuersus igitur in Noricum Corbinianus, sedem Frisingæ figit, vbi sanctissimæ Deiparæ construxit elegantem Ecclesiam, ædémque etiam Pontificiam: Templum insuper sub Sanctorum Martyrum Valentini atque Zenonis patrocinio erexit. Sed non his piæ

munificentiæ insignis affixit mentem. Cui vita Christus, amor & gloriatio vnica fuit. Igitur conspectus eius percupidus, tandem post exactum pietatis, iustitiæ, fortitudinis & patientiæ stadium, dissolutionis suæ nuncium peroptatum cœlitus recipit: séque ad mortem quasi ad nuptias parat, octauóque pòst die lotus rasúsque sacram vestem induit, sacrificium offert & mysteriis perceptis domum redit, in fronte cruce signata, extremum spiritum nulla cum doloris significatione reddidit, atque ad S. Valentinij humatus, Ecclesiam nocte sequenti à tumulatione fulgoribus, qui diem vincebant impleuit: ac perflauit iucundissimo odore. In territorio Cenomanensi natalis S. BERTEVVINI Martyris: cuius coronam Lauallensis potissimum Ecclesia veneratur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c. BERTEVVINVS.

BOXTELLÆ in Campania Brabantiæ celebratio miraculi hostiæ sacrosanctæ, è qua manans cruor mirificus, linteum suppositum inundauit. Item in colle aspero sub Machliniensi Præsulatu, veneratio imaginis sanctissimæ Deiparæ, illic innumeris prodigiis coruscantis. Apud Attrebates in templo sanctissimæ ipsius Virginis ostensio mannæ, quæ de cœlo dudum defluxit. Namurci obdormitio venerabilis VDÆ inclusæ, multarum virtutum titulis & dono contemplationis illustris. Claræuallis depositio piæ memoriæ ALPHONSI conuersi, qui Hispanus natione, illic religiosis disciplinis informatus, humilitate maximè præeminuit, qua ad fastigium virtutum euectus, euolauit ad Dominum. Ipso die transiit ad lucem æternam piæ memoriæ ALANVS Rupensis ordinis sancti Dominici, insignis beatæ Virginis cultor, & Christi gloriæ multis in prouinciis quas peragrauit prædicando studiosus prouector. Sæua itidem nece, ab hæreticis Caluinistis occisus occubuit, pius Christi Sacerdos CORNELIVS Mucius suprà septuagenarius, dictus sui æui Christianus Apollo. *Vda.* *Alphonsus.* *Alanus.* *Cornelius Mucius.*

Quinto Idus Septembris. Luna

9 G XV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
4	5	6	7	8	9	10	11	11	12	13	14	15	16			

APVD Constantiam in 2. Lugdunensi S. PELAGII Martyris ibi sub Numeriano Imperatore, sæuiente Euilasio Præside necati in confessione pietatis. In Aquitania territorio Riuensi S. VIDIANI Martyris: in loco qui *Martres* vulgò dicitur à Gothis Arianis, propter orthodoxæ fidei professionem impiè trucidati. Ipso die in S. Dionysij cœnobio prope Augustam Lutetiam, S. OSMANNÆ Virginis, quæ Regum Hiberniæ clara proles: fidei lumine ferè à cunabulis illustrata sanctæ virginitatis voto sese Christo deuinxit. At formæ venustate conspicua, cum à parentib. Principis ethnici tradenda esset connubio, clam se Christi amore subduxit, relictáque patria & opibus, regnóque SS. PELAGIVS. VIDIANVS. OSMANNA.

terrę contempto cum *Anclitena* ancilla in Britanniam Gallicam, quę Armorica nuncupatur, nauigio se committens transmeauit. Appulsa Bidacium, quæ S. Briocii vrbs est inter Tritium & Argennum fluuios, Episcopum adiit, mentísque puræ prodit, sibi vt suffragetur, consilia. A quo pleniùs edocta quæ Christi sunt, cum pedissequa diuino lauacro expiata: deposito prisco nomine (nam Argariargua dũ inter Gentiles erat, vocabatur) Osmannæ vocabulum accepit. Hinc cellulæ inclusa, tanta puri spiritus intentione Domino seruiuit, vt nihil nisi quæ ei placita sunt cogitaret. Tandem cùm ætatis florem in omni castimonia, ieiuniis, orationibus, ac sanctis meditationibus exegisset, æternitatis cupida viaticum diuinum ab Episcopo flagitauit: quo suscepto pura carnis lumina sic in mortem clausit, vt de caducæ lucis vsura, ad æternos Sanctorum splendores spiritum beatum transmiserit. Qua verò gloria apud præpotentem sponsum potiatur, signis præclarissimis postmodum testata est. Cæterùm pretiosum eius corpus Danica sub incursione, ex Britannia interiorem in Galliam allatum, in insigni S. Dionysij cœnobio reconditum fuit argenteóq. feretro, auro illito ab Episcopis duobus Adurensi & Leonensi compositum cultu egregio, venerationi fideliũ patuit, quousque ab hæreticis Caluinianis surrepta fuit sacra illa theca, in qua sponsæ Christi ossa honore congruo quiescebant: quæ ne heroi beatæ virginitatis laurea coronatæ, palma martyrij deesset, post direptum ab his impiis conditorium, ea diritate disiecta ac dispersa sunt, vt iam ex tunc prorsus exciderint ab hominum conspectu. Verùm aucta inde apud pios tantæ cœlitis gloria, æternæ venerationi consecrata præclarior vigebit. In Morinis

AVDOMARVS. sancti AVDOMARI Episcopi & Confessoris, qui inclyta stirpe prognatus, eo loco qui Vallis aurea dicitur, haud procul à Constantia patre Friulpho, matre Domita: ab ipsis parentibus iam adhuc in cunis Christi obsequio dedicatus fuit. Excultúsque à puero optimis disciplinis, ætatem primam ita literis incumbens exegit, virtutis ac pietatis odore singulari, vt omnes in eo eximium aliquod Dei consilium præsagirent. Mortuis parentibus pius adolescens Christi vocem, quæ vt sæculo valediceret interpellabat, secutus: erogatis in pauperes quibusque suis facultatibus, S. Eustacij Luxouiensis Abbatis cœnobium petiit, sub quo monastici canonis rigorem complexus, mox eam virtutum formam induit, qua symmystis ipsíque magistro maximam sui admirationem excitârit, humilitate, castitate, mansuetudine, parcimonia, charitate, pietate, nec minori doctrinæ ac sapientiæ gratia præditus. Tanti sideris splen-

dore, Dagoberto Regi ignotus esse non potuit. qui moriente sancto Aichario Episcopo Nouiomensi, ornatum tot charismatibus hominem ceu ardentem lucernam super candelabrum attollere, vt radios circumquaque diffunderet, constituit. Itaque demortuo Taruanensi Antistiti *Atalberto*, Episcopali Cathedræ Audomarum iussit præfici. Quam ille dignitatis accessionem non vulgari virtutum & sanctimoniæ accremento cumulauit, de omnibus boni animarum rectoris numeris, quàm accuratissimè explendis sollicitus. Ratus enim Episcopi partes omnes, & iis quæ ad Deum sunt, & iis quæ ad iuuandos in spiritu proximos, ipsúmque qui aliis præest ritè componendum spectant, contineri: nullo in capite passus est Audomarus desiderari studium suum, Deóque (qui supernæ virtutis insigniis ipsum decorabat) cooperandi voluntatem. Tum igitur diuini verbi semina in credentium pectora deiiciens, animarum & corporum languores sanans, viduarum curam gerens ac inopum, plebem sibi à Deo commissam incitabat ad æterna præmia promerenda. Consectabatur tum adhuc multa Taruanensium turba Idolorum cultum, relapsi scilicet, postquam Fuscianus & Victoricus ab iis profecti, in Ambianensi territorio martyrium obiissent: Victriciúsque nouus ceu Apostolus, Euangelij lumen penè extinctum aliquandiu illic reparasset. Sed non destitit Christi Antistes Audomarus donec sacrilegum cultum ab ea vrbe, & omni circumposita regione funditus exturbasset. Fama sanctitatis tantæ Mummolinum, Bertramnum & Bertinum, ex patria traxit, vt ad virum Dei theoremata pietatis hausturi cœlesti ex eius ore, venirent: quos ille benignè susceptos ad magnum religionis fastigium euexit. Bertino, quem percharum habuit villam Sithiu impetrauit ab *Adroaldo* viro nobili ad monasterium excitandum: vbi ille ascetarum nouo sodalitio præfectus quid religionis imbibisset, sub educatione tanti Pontificis clarè prodidit, sanctissimis actibus & felici admodum gubernatione. Porro Audomarus Sanctorum suo æuo pater, Vvandregesilum, multorum postea Sanctorum etiam parentem, scientia salutis à se informatum sacerdotem ordinauit. Deinde confectus senio, vt patientia quæ amicorum Dei probatio est, coronaretur, offusa caligine occæcatus vir Deo ex corde submissus, omni spiritus tranquilitate id genus calamitatis tolerauit: At in stuporem omnes pertraxit raro feréque singulari, patiendi aduersa desiderio. Cùm enim in translatione corporis beati Vedasti, quam cum sanctis Auberto Cameracensi & Lamberto Traie-

ctenſi Epiſcopis peregit, viſum recepiſſet: ægro id animo tulit, ratus ſe Dei viſitatione orbatum. itaque precibus impetrauit vt reſerata lumina, rurſum oborta cæcitate velarentur, quam in ſalutem ſuam à Deo ſibi immiſſam dictitabat. Porro ad extremum ſicut ferax Euangelicæ vitis palmes, à cœleſti agricola excultus, omníque generè probationis exercitatus, vir Dei iam maturus præmio, ad limina matris Eccleſiæ progreſſus, diuinis epulis ſacrum communiuit pectus, móxque vt alter Simeon vlnis auctorem vitæ complexus in pace quieuit. Cuius beata membra colligens ſanctus Bertinus in ſuo cœnobio ſepeliuit, ſicut Dei ſeruus edixerat: ex quibus ſanitatum miræ virtutes in clientum ſolatium poſtmodum, ſicut ex viui fontis riuulis, grata fluenta, eruperunt. Diuione in Baſilica ſancti Stephani Protomartyris cœnobitica, repoſitio reliquiarum ſancti MEDARDI Epiſcopi & Confeſſoris glorioſiſſimi: quæ è ſuburbano Sueſſionenſi monaſterio allatæ, per Iacobum de Vitriaco Cardinalem Legatum, in thenſa, ſeu capſa collocatæ fuerunt ſuper maius altare. Treuiris monaſterio Horreo depoſitio ſanctæ ANASTASIÆ Virginis tertiæ Abbatiſſæ illius cœnobij: quæ indefeſſo ſtudio vſque ad vitæ conſummationem Chriſto placere contendit, partáque multiplici gratiæ ſobole, egregios manipulos iuſtitiæ reportans, feliciter migrauit ad Dominum. Merbeccæ iuxta Nixouen in Flandria tranſlatio Sanctarum Virginum BERLENDIS, CELSÆ atque NONÆ: quarum ibidem feſta eſt memoria depoſitionis tertio Nonas Februarij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

MEDARDVS. ANASTASIA. BERLENDIS, CELSA & NONA.

IPSO die Canonizatio facta eſt ſancti SILVANI Monachi Claræuallis per Cœleſtinum Papam. Piorum ad laborum præmium eodem die petrexit piæ memoriæ ODO ex Abbate Vrſicampi Cardinalis Legatus, qui cum ſancto Ludouico Rege in terram ſanctam profectus, fidem & zelum Apoſtolicum in conuerſione infidelium Chriſtum prædicando, diſputando, docendo, ſcribendo & orando omnibus patefecit: atque demum religioſo fine defunctus eſt, magna vbique ſuæ ſanctitatis opinione relicta.

Siluanus. Odo.

Quarto Idus Septembris. Luna

10 A XIV.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 1 2 3 4
t u A B C D E f F G H M N P
5 6 7 8 9 10 11 12 12 13 14 15 16 17

LEODII Natalis ſancti THEODARDI Epiſcopi & Martyris: qui è Gallorum antiqua ſtirpe ortus, à pueritia puerilibus ludicris nihil inſueuit, ſed virili animo quæ verè magna ſunt conſectatus, in Stabulenſi monaſterio, quod Sigebertus Rex vndecim aliorum fundator, ſancti Remacli hortatu condiderat, quæ ſub ſancti illius patris diſciplina imbiberat documenta pietatis, felici noui cœtus (cui præfectus primùm fuit) regimine, propalauit. deinde beato ipſo Remaclo Pontificatus honorem arctioris vitæ deſiderio ſponte declinanti, in ſede Traiectenſi eius voluntate ſucceſſit: atque à beato Cuniberto Archiepiſcopo Colonienſi conſecratus, talem ſe irreprehenſibili vita & moribus exhibuit, qualem diuina præſcriptio idoneum Epiſcopum exigit, ad gregis vtilitatem. Igitur ſuæ diœceſis Eccleſiis, luſtrandis, inſtaurandis animum applicuit. Quarum poſſeſſiones cùm doleret per domeſticos raptores ablatas, (vnde & diuini cultus ſplendor imminuebatur, & pauperes deſtituebantur ſolatio) zelo Dei incenſus, ab iniquis poſſeſſoribus eas ad ius Eccleſiæ propter pios vſus quibus deſtinatæ erant, reuocare conſtituit. Childericum igitur Regem adire dum parat, apud eum ſuper iniuriis Eccleſiæ illatis legaliter expoſtulaturus, diuinitus edoctus imminere ſibi diem paſſionis, Clero ſuo vltimum vale dixit, ouéſque ſuas commendans illi qui ſibi ipſas crediderat, duce mentis conſcientia cum paucis iter arripuit. Iámque ſuæ diœceſis vicum exceſſerat, cùm in pago alienæ ſedis in ſaltu Biuualt nominato, haud procul ab vrbe Nemetensi ab ipſis Eccleſiæ ſuæ prædonibus interceptus eſt, diffugientibus comitibus, cum ſolo puero, inter eorum ferales cuneos ſtetit intrepidus. Hóſque paterno affectu allocutus, demum teſtatus eſt, ſe eorum ſpiculis non terreri, nec recuſare, calicem paſſionis ſibi paratum ebibere, quin magnas Chriſto gratias agere, qui mortis ſuæ poculi, efficere ipſum participem dignaretur. Si ſic, inquit, Deus diſpoſuit, voluntas eius fiat. Mihi ſufficiat quod ad hoc vſque certaui. Gregem mihi ab illo commiſſum reddo, & ſic pro eius dilectione lætus occumbo. Hæc

SS. THEODARDVS.

dum fundit pia eloquia vir beatus, à prædonibus illis contumeliis afficitur, cæditur, & in terram prosternitur, oculísque in cœlum sublatis moritur diris mucronibus confossus, verticéque sacro cui corona pontificalis hærebat impressa, ictibus plurimis dissecato. Completo agone Christi pugilis, vbi paricidæ discessissent, vnus ex Clericis qui aufugerant, ad stadium Martyris recurrit, reliquias pretiosi corporis disiectas collegit, quæ mox prodigiis diuinis emicuerunt: luminibus mulierculæ restitutis, quæ quòd ancillam quæ filum ad sepeliendum Martyrem dederat pugnis contudisset, caligine repentina fuerat occæcata. Martyris corpus postea sanctus Lambertus eius successor de loco vbi primùm humatum fuerat, non longè à certaminis palæstra sublatum, miris iam coruscum gloriæ insigniis ad basilicam Leodiensem reuexit, & summa cum reuerentia tumulauit in presbyterio. Sed postquam ipse Lambertus Episcopatum martyrio quoque feliciter consummauit: beati Theodardi feretrum, iuxta eius corpus fuit repositum, vt id quod de summis Apostolis canit Ecclesia, in duobus his Apostolicis viris iterum impletum videretur. *Quòd sicut in vita sua dilexerunt se, ita nec in morte fuerunt separati.* Vincij Nerutiorum in Phocensi
VERANVS. prouincia depositio sancti VERANI Episcopi & Confessoris, qui sedis Venciensis primum lumen & columen fuit. Is sancti Eucherij filius, frater *Salonij*: ex Monacho Lerinensi, vbi copiosas religionis & scientiæ merces quæsiuit, factus pro meritis Antistes: tanta sanctimoniæ, & pastoralis vigilantiæ ac virtutis laude enituit, vt æui sui syderibus, solari velut splendore anteiret: adeovt *magister Ecclesiarum* cum fratre *Salonio* eiusdem gloriæ consorte à Saluiano appellaretur: Sidonióque Apollinari suæ ætatis oraculo, magnæ admirationi ac venerationi esset, vti *Ecclesiasticæ strenuus vitis colonus, fœcundatórque egregius.* Qui tandem vberi laborum messe comparata, quietis æternæ ad fruitionem perrexit. Sepultus in Ecclesia Venciensi in sarcophago marmoreo, multis signorum virtutibus eluxit. Ipso die
SALVIVS. Albiæ ad fluuium Tarnem in Aquitania prima sancti SALVII Episcopi & Confessoris. Hic de foro ad sacra conuersus ex Iudice, monachus, dehinc Abbas, postremò Episcopus: iis diuinis charismatibus conspicuus effulsit, quibus non modò Aquitaniam, sed & vniuersam Galliam mirificè illustraret. Qui Prophetiæ spiritu clarus, & admirabilium operum fulgore, postquam plebem suam in tramitem iustitiæ & salutis, Euangelicis documentis ac Apostolicis actibus deduxisset, demum carnis nexibus solutus, ad emeritæ beatitudinis properauit fruitionem.

Cuius ſacrum corpus eo vrbis loco quieſcit, vbi ad eius memoriæ cultum, Abbatia viſitur illius nomine celebris. Matiſcone ſancti SALVINI Epiſcopi & Confeſſoris pontificali virtute & ſanctimoniæ gloria clari. In agro Ruremundenſi ſancti OTGERI Diaconi, qui natione Scotus, cum S. Vvirone Epiſcopo ac Plechelmo eodem poſtea apice decorato, profectus Romam ad Apoſtolorum limina veneranda, ſolutis votis poſtquam in patriam cum illis reuerſus: iiſdem in Galliam tranſmeantibus latendi, ad Deo liberiùs vacandum deſiderio, adhæſit. Cum quibus à Pipino duce Francorum benignè ſuſceptus, in monte Petri qui nunc à ſancta *Odilia* nuncupatur, ab omni ſtrepitu ſemoto (quem iis pius Princeps pietatis intuitu contulerat) vitam inſtituit Angelicæ æmulam. Inde ſibi ne ſoli gratia data ad ſalutem proficeret, ad proximorum commoda conuerſus, vbi multos verbo & exemplo ad rerum præſentium contemptum & æternarum amorem inflammaſſet, talento Domini egregiè aucto, præmium ab eo, morte beata conſummatus, recepit. Nouiomi ſancti ENVCHII Epiſcopi & Confeſſoris, qui poſt Guidonem huius & Tornacenſis Eccleſiæ, quæ connexæ erant gubernacula capeſſens, piis vitæ inſtitutis & religionis ſtudio indefeſſo, admirabilem ſe præbuit: teſtificatáque etiam diuinis miraculis ſanctitate, ad repoſitam piorum laborum vocatus eſt remunerationem. Huius diuini viri cùm pignora ſacra virtutes magnas ederent: caput venerandum Radulphus Epiſcopus Nouiomenſis ad Mônaſterium tranſtulit ſancti Lupi, à ſancto Eligio fundatum, cuius iam nomine inſignitur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Saluini. *Otgerus.* *Enuchius.*

APVD Cluniacum puriſſimum ſpiritum efflauit ſanctæ recordationis GVILLERMVS Preſbyter & Monachus, qui diabolo ita formidabilis erat, vt eius orationem hoſtis ille hominum ferre non poſſet. Sæpè dum orationi inſtaret vir ille ſanctus, eleuatus à terra quaſi cubitis duobus viſus eſt, diuinóque ſpiramine multa prænuntiauit. Beato exitu cœli limina petiit GVARINVS Abbas ſancti Martini Laudunenſis, ſancti Norberti percharus diſcipulus, vir vita, verbo, virtutibúſque præclarus: cui Deus inter orandum arcana multa cœleſtia patefecit, ipſiúſque migrationis diem reuelauit. quâ prædictâ, pignoribus æternitatis munitus, ad meliorem patriam exceſſit. Feliciter vitæ ſtamen abrupit piæ memoriæ SERLO ex Abbate Sauigniaci humilis Claræuallenſis monachus, qui ſancti Bernardi pura lumina clauſit, factúſque eius ſucceſſoris Roberti indiuiduus comes & ſtrenuus adiutor, in opere ſanctæ prædicationis, qua fratres multum ædificauit in Domino, vitam meritis fœtam exegit. Hic vir venerabilis, ſicut regalis fluuius qui dum in mare illabitur, amnes, riuulóſque plurimos ſecum trahit: ſe Claræuallem recipiens, purioris obſeruantiæ ſtudio, triginta monaſteria quæ illi parebant, eiuſdem cœnobij religioſo imperio ſubiecit, præſente Eugenio Papa III. qui factum miratus eſt & probauit, virúmque tanti operis patratorem multa beneuolentia complexus eſt.

Guillermus. *Guarinus.* *Serlo.*

Tertio Idus Septembris. Luna

11																	B XIII.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	• 6	7	8	9	10	11	12	13	13	14	15	16	17	18			

SS. PATIENS. APVD Lugdunum ſanƈti PATIENTIS Epiſcopi primæ illius ſedis & Confeſſoris. Hic ab incunte ætate ingenti Chriſti charitate incenſus, turbulento calamitoſóque ſuo ſæculo ſidus ceu nouum felicitatis emicuit. Eo enim tempore quo Euaricus Gotthorum Rex ex Hiſpania in Gallias erumpens templis, aris, ſacriſque viris præſertim, dira intulit odio pietatis Catholicæ excidia: Epiſcopus inſignis adeo Eccleſiæ, non ſine diuinæ miſericordiæ beneficio creatus, cùm ſanƈtitatis luminibus tota Gallia præfulgeret, virtutum ſuarum obieƈtu bacchantem Ariano furore in Eccleſiam hunc tyrannum, adeo percelluit, vt qui Romani Imperij fœdera barbaro faſtu dedignatus fuerat, ſe tantæ pietatis vertici, veneratione ſubiiceret: eiúſque obtutu feritatis ſuæ ferè oblitus, pacatiorem ſeſe orthodoxis ac rebus ſacris præberet. Nec modo Patiens fideles Chriſti affliƈtos exitioſo hoc turbine donis gratiæ, iuſtitiæ meritis, prudentiæ officiis eripuit, ſed & mœrore tabeſcentes, fameque propè eneƈtos ingenti nec opportuno minùs, recreauit ſolatio. Cùm enim dira fames poſt Gotthicam depopulationem & ſegetes incendio abſumptas Galliam premeret: ſanƈtus Epiſcopus totus effuſus in miſericordiam, etiam longè poſitorum anguſtias ope paterna ſubleuauit: nam & ſuis ſumptibus gratuita frumenta per deſolatas prouincias ſubmiſit, inſtituto per Araris & Rhodani ripas non vno granario, quod vnus ipſe verè nouus Ioſeph impleuit: *charitatis indage porreƈta, qua* (vt Sidonius Apollinaris grauiter prædicat) *manibus præuenire ſolebat, qui non valerent ad ipſum pedibus peruenire*; *ſæpéque tergebat eorum lachrymas, quorum oculos non viderat.* Ipſe interim abſtemius, ieiuniíſque admirandus, cultus proprij curator indiligens, at Eccleſiæ ſibi creditæ decoris ampliator ſollicitus, quam ſic conuenuſtabat, vt dubitaret inſpeƈtor, meliúſne noua opera conſurgerent, an vetuſta reſarcirentur. Per quem & plurimis locis baſilicarum (in quibus enituit, magis ſtupenda ædis ſanƈti Iuſti quam euexit erexítque, ſacratiſſima moles:) fundamenta conſurgebant, ornamenta duplicabantur. Eius diſpoſi-

tionibus multa in fidei ſtatu augebantur. Solùm hæreticorum minuebatur numerus: quorum feræ mentes venatu Apoſtolico, ſpiritualium prædicationum caſſibus ab eo implicabantur. Fuit æuo ſuo beatus Pontifex Epiſcoporum pater, Synodorum Præſes, fidei & ſacræ œconomiæ vindex, morum magiſter, fidus virtutum : *quem ideo malo tempore natum*, Sidonius ipſe aſſerebat, *vt ſua bonitate temporum malitiæ mederetur.* Qui tandem cùm Photinianos ad rectum fidei callem reduxiſſet, Lucidum Preſbyterum delirantem ab hæreſi prædeſtinatorum, ad ſanæ reuocaſſet doctrinæ confeſſionem, dogmatum Eccleſiaſticorum codicem in Synodo Lugdunenſi (poſt Arelatenſem) à ſe collecta, vt fides ipſa foret inuariabilis probatum ſuo & communi Patrum calculo promulgaſſet: ſancti Germani Autiſſiodorenſis geſta diuina per Conſtantinum Preſbyterum literis mandari curaſſet, abſoluta felici curſu tam præclaræ conuerſationis palæſtra, fidelis villicationis præmia pro meritis adeptus eſt, vir ſi quis vſquam ſanctus, ſtrenuus, ſeuerus, miſericors, atque quantumuis magnis, par tamen laudibus; imò etiam his longè maior præconiis. Sepultus fuit in chariſſima ſibi ſancti Iuſti Eccleſia, in marmoreo tumulo: vbi reliquiæ eius venerandæ quieuerunt ſub celebri titulo, donec ab auitæ fidei deſertoribus, baſilica ipſa ſolo adæquata, quæ dignæ omni cultu erant, eius & aliorum cœlitum exuuiæ impio furore direptæ ſunt. Ipſo die iterum Lugduni ſancti BODONIS Epiſcopi Tullenſis & Confeſ- Bodo. ſoris, qui illuſtri genere natus in pago Odernenſi diœceſi Veſontionenſi, in Voſagi angulo, ſuprà fluuij Araris initia, patre Bertaldo, matre Bertilde, poſt aliquot annos in matrimonio traductos ex quo Thetbergam filiam ſuſcepit, exuere hominem Godone Tullenſi Epiſcopo, egregia ob virtutum decora in eius locum ſuffectus eſt. Porro hoc faſtigio euectus, humanitate maior, pietate feruentior, omni ſtudio dignè obeundi muneris paſtoralis, intentus; Deo actibus complacere, hominibus quà monitis quà exemplis prodeſſe, potiùs quàm præeſſe ſatagens, mira prorſus zeli quo ſuccenſus erat inſignia prodidit. Siquidem non quæ ſua, ſed quæ Domini erant vnquam fidelis ſeruus quæſiuit, in cuius cultus amplificationem & ſaluris animarum ſubſidium plurima condidit ſacra ædificia. In monte Voſago etenim monaſterium extruxit iam nomine ſuo inſigne, at in honorem ſanctiſſimæ Deigenitricis Virginis ab ipſo conſecratum, vbi Virgines congregauit, quarum *Thetberga* eius filia primiceria fuit. Alterum inſtituit in memoriam ſancti Petri ad Murtam amnem, in quo canonicos poſuit di-

ctos regulares, quibus tractu temporis Præmonstratenses successerunt. Tertium prope natalitium locum, ad Offonis villam condidit, quod sacrum esse voluit sancto Leodegario Martyri. Quæ pia domicilia amplis facultatibus proprio ex patrimonio dotauit. Deinde Præsul gloriosus sanctitate in vita, in gerendo Episcopatu pietate, doctrina, iustitia, puritate, charitate, vigilique ouium custodia; in morte denique affluente meritorum copia admirandus, felici exitu à morte defluente ad vitam indeficientem emigrauit. Et Lugduni quidem vbi publicæ vtilitatis causâ aliquandiù hæserat, sepultus fuit, vnde sacra eius spolia Tullum aduecta, in monasterio sancti Mansueti recondita sunt. Redonis in Armorica sancti MARBODI Episcopi & Confessoris. Qui serie hac in Cathedra duodecimus, duodecim Apostolorum agni nomina, tanquam viuus lapis virtutum eorumdem eximia imitatione sibi diuinitus indita gessit: vnde in supernam Sion euectus lapidibus pretiosis quibus illa rutilat annumeratus est. Ipso die in Cenomanis depositio S. ALMIRI Confessoris, qui Sanctorum Auiti & Carilephi discipulus, cœlestis gratiæ rore conspersus, per virtutum gradus eam ad sanctitatis sublimitatem ascendit, qua symmystas omnes, etiam piissimos longè antecederet. Ideóque ne propter virtutum quibus mirè fulgebat insignia, iis cæterísque venerationi esset, vir latendi quàm patendi cupidus, vt eo purius quo secretius Christo cui soli placere ardebat seruiret, in solitudine secessum petiit, atque largiente sancto Innocentio Cenomanensi Præsule in rupis concauo *gressus* fixit, quæ postea in aquarum gratiæ fluenta longè latéque erumpens, *Gressus* ob sancti ipsius hospitis memoriam cognomen adepta est. Illic Dei seruus, diuinarum rerum speculationi defixus, Angelicæ prorsus puritatis studia exercuit, ad cuius splendorem circumquaque nitentem, Dei nutu euocati quadraginta sæculi fucorum aspernatores se tanti viri aspectibus obtulerunt, enixè rogantes, vt suæ conuersationis obseruandæ cupidos, paternum in gremium recipere dignaretur. Quibus benignè annuens lucrandæ charæ Christo mercimoniæ studiosus Almirus, cellulas (quas *obedientias* vocitabat) iuxta se assignauit, ac oratorium struxit sub sanctissimæ Deiparæ ac beati Apostolorum principis patrocinio. Eósque omnes eam ad præceptorum Dei obseruantiam, placitorum studium, morum castimoniam suis actibus ac documentis prouexit, vt cœtus ille continuò euaserit in gratam cœlesti sponso aromatum areolam. Erat enim cœlestis ille sapientiæ professor, donis supernis affatim instructus, vitiorum strenuus extir-

Marbodus.

Almirus.

extirpator, gnauus sator virtutum, rigidus carnis domitor, spiritus cultor indefessus: imo etiam, quæ sanctæ mentis indicia erant, miraculorum patrator magnificus: quibus dæmones abigebat, morbos sanabat, atque cùm à vitiis terrebat malos; tum pios excitabat ad virtutes. Hoc tempore copulationes illicitæ, incestæque nuptiæ cum ea in regione pullularent, vir beatus zelo diuinæ legis æstuans huic cœno vt subduceret immersos, aduersus scelera adeo exitiosa inuectus, detentos infaustis his nexibus intrepidè redarguit. Quorum aliqui resipuerunt salutis suæ studiosi. At vnus quispiam nobilitate, opibus, potentiáque elatus, sic indignè ea monita tulit, vt viro Dei necem sæpiùs interminaretur, ni à reprehensione illa desisteret: sed iustitiæ tenax, charitatísque officij memor Almirus, nihil his terriculamentis cessit: quin mortem pro Dei honore & animæ quam quærebat salute oppetere paratus; magis ac magis institit corripiendæ illius militis in peccato pertinacis nequitiæ, à quo sæpè probris infamiísque lacessitus est. Sed Deus patientiam serui sui peccatoris illius lucratione tandem compensauit. Cùm enim aliquando dirius ille exacerbatus necem beato viro pararet: inquisitúsque ab aliquo, *si adesset Almirus, aduersus quem ita excandescebat: quo pacto se erga eum gereret?* mox furibundus manum exeruit, sicuti præsentem ferali ictu esset percussurus. At illico sic eius dextra obriguit, vt protensam nequiuerit nisi serui Dei ope implorata, ad se retrahere. Quo facto attonitus ad cor rediit, aliíque multi concussi repudiatis vxoribus quas illicitè duxerant, legi diuinæ cuius custodiam vrgebat Almirus, deinceps paruerunt. Cæterùm homo Dei pietatis operibus locupletatus, tandem in Christi pace conquieuit, atque in ædicula sui cœnobij sepultus, à sancto Domnolo Episcopo (cui moriens charas ouiculas commendauit) honorifico funere, diuinæ etiam magnificentiæ fulgoribus, in tumulo diù clarificatus est. Vvinterhouiæ in Hasbania sanctæ VINCIANÆ Virginis. Quæ Romæ claris orta natalibus, vnà cum fratre suo Landoaldo, Archipresbytero Romanæ Ecclesiæ à sancto Martino Pontifice & Martyre ordinato, Amantióque Diacono ac aliis decem: ex Italia in Galliam Celticam profecta, Christianæ religionis propagandæ causâ: magnos gratiæ qua supernè dotata erat fructus, ea in peregrinatione protulit. Siquidem dum Landoaldus factus sancti Amandi Traiectensis Episcopi suffragator, cum sociis in Tungrorum Flandrorúmque conuersione gnauiter laborarent, ip- Vinciana.

ſe interim quibuſcumque modis potuit illis cooperans, prædicationis opus maximè promouit. Demúmque onuſta manipulis iuſtitiæ, pietatis, caſtitatis, feliciter emenſo viæ immaculatæ tramite, ad optatam ſponſi cœleſtis properauit contemplationem. Cuius corpuſculum puræ animæ domicilium, decenter à fratre ſuo Landoaldo ibi conditum: poſt annos ab obitu eius trecentos triginta ſeptem, ex illo loco ad ſacrarium Eccleſiæ ſanctiBauonis Gandenſis, ſimul cum ſancti Landoaldi aliorúmque Sanctorum corporibus, ab Vvomaro Abbate tranſlatum eſt: ídque concedente Ioanne XIV. Pontifice Maximo; Heraclio Epiſcopo Leodienſi & Othone ſecundo Imperatore. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

MORTIS nexibus abſolutus, vitæ fruitionem æternæ hodie adeptus eſt
Daniel. beatus DANIEL Grimbergenſis in Brabantia cœnobij, ordinis Præmonſtratenſis alumnus, eiuſdémque Prior, vir morum nitore zelo diſciplinæ, exemplis diuinæ conuerſationis admirandus. Cui ob Angelicæ vitæ puritatem, Angeli ſæpè viſibili ſpecie apparuerunt: ac ipſimet ſacrificanti multa cum vene-
Henricus. ratione miniſtrârunt. Felici etiam ſomno in Chriſto obdormiuit HENRICVS dictus de Soliaco Archiepiſcopus Bituricenſis, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Odonis Præſulis Pariſienſis frater, qui Regum Chriſtianiſſimorum conſanguineus, tantorum natalium ſplendorem non dignitatis modò apice, ſed magnitudine virturis, & veræ ſapientiæ quæ in pietate ſyncera ſita eſt admodum illuſtrauit: ſanctiſſimæ verò conuerſationis exemplis, ouili ſuo ſic præluxit, vt aditum ad æternam patriam præclatis veſtigiis, quæ impreſſit eidem mu-
Franciſcus. nierit. Piè item quieuit FRANCISCVS du Croiſet ordinis Minimorum profeſſus, qui patria Aruernus, per rara mundi ſuíque contemptus, ac patientiæ
Maria. exempla ſibi ad regni cœleſtis gloriam aditum parauit. Item MARIA du Drac nobilis fœmina Pariſienſis, quæ mirabili charitate afflictis regiæ vrbis ciuibus, per miſerrima tempora opem præſtitit eximiam. Raptibúſque ſupernis dotata & iam candidata æternitatis ad cœlum euolauit.

Pridie Idus Septembris. Luna

12 C XII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6
t	u	A	B	C	D	E	ſ	F	G	H	M	N	P			
7	8	9	10	11	12	13	14	14	15	16	17	18	19			

SS. Sacerdos. LVTETIÆ Pariſiorum depoſitio S. SACERDOTIS Lugdunenſis Epiſcopi & Confeſſoris. Hic defuncto Leontio primæ illius ſedis Antiſtite, cum religioſis & Eccleſiaſticæ doctrinæ laude floreret, Cleri voto, populíque prece, Regióque potiùs iuſſu quàm aſſenſu Pontifex renunciatus, ſuſceptum

inuitè pastorale munus, in Dei timore ac summa cum Episcopalium virtutum testificatione administrauit. Ecclesiasticam disciplinam penè collapsam strenua vindicatione restituit. Sacrorum murorum dirutas reparauit moles. Ædes etiam sacras insignes, gloriæ Dei cupidus amplificator: nempe sancti Pauli basilicam & sanctæ Eulaliæ, quæ postea sancti Georgij dicta est, Ecclesiam magnifica fabrica construxit. Deinde & posterorum salutis solicitus, postquam Concilio Aurelianensi, in quo sanctiones saluberrimæ editæ sunt præfuisset, imminere sibi vitæ metam præsentiens Lutetiam perrexit deprecaturus Childebertum Regem, vt Nicetium sacerdotem charismatibus diuinis plenum, quem successorem potiùs ob meritum quàm sanguinis nexum optabat, regio cum beneplacito acciperet. A quo Principe dum interim extremum in morbum incidisset, benignè visitatus, etiam voti compos redditus, in magna spiritus pace, vir benè actorum conscius, iustitiæque meritis insignis, animam superis sociandam efflauit. Conuenis in Aquitania sancti EBONTII Episcopi & Confessoris. EBONTIVS. Qui ex Balbastrensi ciuitate regni Aragoniæ, vbi Episcopus erat, Conuenas veniens magna pietatis præditus gloria, ibidem abrupto stramine mortalitatis ad vitæ indeficientis gaudia pertransiuit. Treuiris ordinatio sancti MAXIMINI Episcopi & Confessoris. MAXIMINVS. Augustoduni sancti Euentij Episcopi & Confessoris. Hic à pueritia àd omnem pietatis virtutem eruditus, cœlo se deuouit, animúmque totum ad diuina studia retulit. Vnde gratiæ supernæ muneribus exornatus à S. Gregorio Lingonensi Episcopo Presbyter ordinatus est: quódque in Clero sanctimoniæ dotibus, doctrinæque & prudentiæ gratia perfulgeret ad Concilium III. Aurelianense directus: vbi statutis pro Ecclesiastica œconomia editis, nomine ipsius beati Gregorij sui Præsulis subscripsit. Hinc redux, cùm meritorum gloria in dies cresceret, Deíque & hominum dilectionem studio pietatis, vitæque innocentia, sibi conciliasset: exeunte ab humanis *Simplicio* iuniore Augustodunensi Episcopo, ei magno Cleri populíque desiderio sublectus fuit. Suscepto sacro regimine vir diuinus omnes ad sanctè agendi studium accendit, cùm assiduis ad pietatem monitis, tum virtutum suarum admirabilium exemplis. Impressis denique Cathedræ Episcopali sanctissimæ conuersationis vestigiis, ex hac vita discessit, æternámque ad gloriam profectus, beatitudinis suæ non exilia prodidit indicia, ob quæ pridem sacris diptychis adscriptus, cœlitum quorum fruitur apud Christum felici consortio, honores apud homines promeruit, quibus gloriosa eius memoria cultu anniuersario, qui hac die recurrit celebratur. Apud

REVERENTIVS. Baiocam sub Lugdunensi 2. sancti REVERENTII Presbyteri & Confessoris, qui amore Dei inflammatus, animas multas quarum zelo feruebat, diuini ministerij officio & vitæ religiosissimæ actibus acquisiuit: gloriosísque perfunctus laboribus dignam mercedem accepturus abiit ad Dominum. Ipso die Anderlaci apud Bruxellam S. GVIDONIS Confessoris. Hic tugurio rusticano, eodem vbi colitur loco natus, Deigenitricis obsequiis ab ætatis flore deuotus enituit: cuius basilicæ Lacensi multis annis seruiuit, floribus & ramis eam exornans, omniáque velut alter Nepotianus à sancto Hieronymo celebratus, in nitore conseruans. Hinc cum venerabili sacerdote *Vuonedulpho* Decano Anderlacensis Ecclesiæ, Romam, Hierosolymam, aliáque ad Sanctorum loca profectus est. Qua in peregrinatione (in qua Vvonedulphus eius ductor obiit) septennio exacto domum rediit: vbi cœlestem vitam agens & charitatis operibus mirificè intentus, sanctissimè demum obdormiuit in Domino. Sepultus fuit in cœmiterio, sed Deo virum sanctum per crebra miracula illustrante, Gerardus II. Cameracensis simúlque Attrebatensis vltimus Episcopus: (vir si quis alius suo æuo Sanctorum gloriæ studiosus) ipsum è terra leuauit, & ex confluentium populorum oblationibus, noua atque insignis basilica super eius tumulum postea ædificata est, in qua celebre Canonicorum octodecim collegium à toparchis Gesbecanis, & aliis cœlitis huius memoriæ deuotis, institutum residet. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum,* &c.

Vualeranus. FELICI funere ad supernam patriam migrauit, piæ memoriæ VVALERANVS erector, primúsque rector seu Abbas monasterij Vrsicampi in Nouiomensi Episcopatu, vir genere, doctrina & vitæ sanctitate, quin & miraculis præclarus.

Idus Septembris. Luna

13																D xI.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
8	9	10	11	12	13	14	15	15	16	17	18	19	20			

SS. NECTARIVS. AVGVSTODVNI Æduorum S. NECTARII Episcopi & Confessoris, qui virtutum titulis gloriosus; eam Cathedram vbi conscendit, pauperibus solatia, infirmis remedia, ignaris documenta, exempla denique omnibus omnis virtutis, & salutis multiplicia subsidia impertiuit. Sanctúmque Germanum Parisiensem postea Episcopũ, ob clata religionis insignia sibi charũ, Abbatem

sancti Symphoriani, constituit. Deinde interfuit quintæ Synodo Aurelianensi, in qua Eutychetis & Nestorij hæreses damnatæ, legésque sanctissimæ de Cleri ac populi disciplina, theoriisque sacris editæ sunt. Demum religionis propagator insignis, gregis sibi commissi sedulus custos, post exactæ villicationis lucra, ad præmium æternæ patriæ euolauit. Iuliomagi Andium sancti MAVRILII Episcopi itidem & Confessoris. Hic ortu Mediolanensis nobili genere natus, cùm esset eximiæ expectationis adolescens, præceptorúmque diuinorum indagator studiosus, à S. Ambrosio in lectorum ordinem cooptatus, *velut apis argumentosa*, quidquid lectu vel auditu ad pietatem conducens percipiebat, in memoriæ aluearium recondebat. Defuncto patre qui Hesperiæ præfectus erat, ac matre relicta, erogatísque in pauperes facultatibus, quo Christo gratum magis famulatum rependeret, in Galliam profectus Turonas venit, vbi à beato Martino quem Mediolani nouerat benignè exceptus, atque ob clara quibus micabat Spiritus sancti charismata gradatim ad sacerdotium prouectus: eidem in Ecclesiasticæ solicitudinis perfunctione aliquandiu cooperatus est. Sed paulò pòst quietis animæ cupidus vt diuinarum rerum speculationi vacaret, remotiórque fieret à sæculi strepitu, secretæ habitationis latibula expetiit. Verùm diuino impulsu, quo magis quàm sua, Ecclesiæ afflictæ solatia quæreret ad stadium regressus, facem Euangelij offusis adhuc ethnicæ superstitionis tenebris huius tractus incolis strenuè proferens inuexit. Cúmque audiisset fanum antiquissimum in vico Calonna ad Ligeris littus existere, vbi nefandus falsorum numinum ritus potissimum pullulabat: eò intrepidè accedens, delusos arte dæmonum homines, zelo diuino increpauit: fusáque ad Deum prece, omnium sub aspectu ignem de cœlo detraxit, qui templum cum simulachris omnibus repentè vorans absumpsit. Quo prodigio exterriti inspectores, eiurato impio cultu, Christi tremendum nomen venerati sunt, fidémque eius & legem salutarem amplexi, vitæ lauacro labes animæ expiarunt. Eodem in loco vir sanctus Ecclesiam in honorem sanctæ Deiparæ Virginis, qua conuenirent noui fideles construxit. Nec monitis solùm & exemplis, sed diuinæ etiam virtutis signis beneficis, eosdem in sanctissimæ religionis obseruantia confirmauit. Interim dum diuinis his actibus immoratur Maurilius, contigit vt abeunte ad præmium Prospero Episcopo Andegauensi, sedes Pontificia vacaret. Móxque adfuit Martinus sanctissimus Præsul Turonensis, cui ex Metropolitano munere cura deserti gregis competebat, vt huic idoneus pastor

MAVRILIVS.

præficeretur. Ea de causa ad Ecclesiam protinus ille proficiscitur Maurilio comitante. Vbi discissa plebs à Clero de successore sufficiendo acriter contendebat. At diuina prouidentia mirabili indicio, futurum Antistitem, sibi gratum designauit. Illapsa supernè niueo candore columba, quæ Maurilij scapulas volatu suo obumbrans, demum super eius verticem cœlesti vnctione iam sacratum descendit ac insedit. Igitur ex diuina indigitatione ordinatus Pontifex: sanctissimæ quoque Deigenitricis fauore eo donatus est, vt natiuitatis eius propaganda per ipsum totam per Galliam celebritas, ipsimet primùm ab ea reuelaretur. Cui & illud accessit ad gloriam, vt mediatum successorem prodigio memorabili sibi præpararet. Quadam etenim die, ipso diuino mysta in beati Petri basilica sanctam solemnitatem celebrante, aduenit cum moriente puero matrona postulans, vt manuum suarum impositione infantulo daret Spiritum sanctum, antequam extremum habitum efflaret. Sed remorante in sancta corporis & sanguinis Christi consecratione paululum Præsule, puer de medio excessit. Itaque expletis tremendis mysteriis, & obitu pueri qui absque chrismatis inunctione excesserat percognito, vir timoratus, suæ id negligentiæ deputauit, lachrymis multo tempore, hanc quam sibi tribuebat culpam deplorans. Qui (cùm nec fletus sufficerent) induxit in mentem longè in exilium abire, vt diutina pœnarum laborúmque perpessione, admissum reatum abstergeret. Transmisso igitur mari, mutato habitu, maiorem in Britanniam secessit, vbi hortulanum professus, Dynastæ cuidam famulatus est. At Andegauenses tanto patre orbati, cum circumquaque vbi hæreret perquirerent: demum diuina significatione repertum, ad sedem magno cum gaudio reduxerunt. Qui mox ad locum vbi defunctus puer iacebat veniens, solo prostratus, totúsque in fletus & preces effusus, à Deo poposcit, vt si iam venia dignus esset, ad vitam puer protinus reuocaretur. qui voce sancti Antistitis interpellatus, festinè de tumulo exiliens, vegetus atque ea magnitudine quam annorum septem ferebat prærepta ætas apparens, surrexit, sícque viri Dei vestigia sacra complexus, Chrismatis salutari linitione ab eo lætanter perfusus est. Ideóque *Renatus* vocitatus quod reuixerit sancti Præsulis imperio; vt hac eius benedictione non modò frueretur: sed ipsi in Episcopatu dignus post Nefindum, qui immediatè successit hæres accederet. Tam magnificis sanctitatis insigniis clarificatus tandem Maurillius, expletis in sacra animarum præfectura triginta annis, felicem laborum finem adeptus est, anno ætatis

nonagesimo, Christi verò quadringentesimo trigesimo sexto; sempiternæ gloriæ consecratam relinquens diuinè gestorum memoriam: quæ natali hodierno apud Andegauos solemnis claret, repetitáque ob translationem festiuitate die decima nona Octobris est celebris. Turonis sancti LIDORII Metropolis huius Episcopi & Confessoris egregij. Is ea ex vrbe oriundus, sancti Gatiani Protopræsulis discipulus successórque: Martini verò beatissimi antecessor, (qui sub eius Pontificatu in Galliam veniens prædicare exorsus est) medius inter tantos Antistites dignissimè consedit. Qui multa religione pollens, vniuersam fermè ciuitatem ad Christum conuertit, atque ex domo cuiusdam Senatoris facta Ecclesia prima est, in qua Christianos ritus celebriter initiauit. Cúmque Episcopatum per annos triginta tres gloriosè prorogasset, placido fine in Christo obdormiens, in ipsa quam sacrauerat basilica sepultus est, quæ postea nomine eius enituit. Redonis in Armorica sancti AMANDI illius vrbis Episcopi & Confessoris. Qui in pontificali serie septimus: septemplicis gratiæ donis ornatus enituit, meritísque cumulatus præmium adeptus est gloriæ sempiternum. Apud Senonas sancti AMATI sedis huius Metropolieæ Episcopi & Confessoris. Is ab ineunte ætate parente studio piè educatus, cum doctrina, religiosam viuendi disciplinam coniungens, ita profecit, vt Euangelij disciplinæ totus deditus, magnum nomen quod humilitate declinabat, sibi vel inuitè pareret. Adeovt Lupo sanctissimo Senonum Pontifice ad gloriam abeunte, dignus præ omnibus sit habitus, qui tanti sideris vicem repleret. Quo sacræ potestatis fastigio sublimatus, assiduis prædicationibus cœpit populum instruere, bonorum operum in se omnium exempla præbere: sibi parcus & egenis largus, superbis rigidus, humilibus mansuetus; fortis in aduersis, sobrius in prosperis, temperatus in omnibus, nec minùs Deo & hominibus, quod nomine præferebat amatus, quàm verbo & opere admirandus. Quæ omnia gratiæ lumina (sicut & antecessori Lupo) tandem ei inuidiam acerrimam conflauerant. Nam Ebroino Regiæ domus magistro in quosuis pios sæuienti, cùm vir Dei, Regni & Ecclesiæ desolationem, quam Procerum Præsulúmque necibus optimorum, tyrannus ille in dies augebat, intrepidè exprobrasset, atque iræ diuinæ nisi efferatæ menti modum poneret ocyus, fulmina nefario capiti impendentia interminaretur: sic in eius odium incurrit vt parum abfuerit quin nece cruenta, illo furente mactaretur. Solum igitur vertere coactus, atque à satellitibus ipsius

LIDORIVS. AMANDVS. AMATVS.

Ebroini interceptus, in municipio Viromanduensi cui Peronna nomen, sub custodia militari detentus est, donec Abbati *Vltano* commissus, in cœnobij constrictus angulo aliquandiu perstitit. At Vltano hominem exeunte, *Mauronto* duci traditus est sanctus Episcopus, qui inde abductus, in asceterium Haimaticum detruditur, dehinc Broylium perducitur, vbi in cellula, quam sibi iuxta basilicam fabricari poposcerat, sese vt in ergastulo continens, vigiliis, orationibus, atque ieiuniis indesinenter corpus macerabat. Contemplationi verò sic hærebat defixus, vt vni Deo viuens, mundo mortuus videretur. Igitur in omni virtutis genere exercitatus, fidei, charitatis, puritatis, pietatis, iustitiæ, patientiæ meritis pollens, ad coronam perrexit incruenti, sed inclyti agonis gloriosam. Eius sacra membra apud Broylium vbi naturæ debitum exoluit funerata sunt, in monasterio, beati Mauronti pietate ad Lisam extructo. At inde ob Normanorum incursiones Duacum translata, cum ipso ascetarum sodalitio, in Canonicorum collegium mutato, illic in sui nominis clara æde, magno cum cultu, venerationéque requiescunt. Eodem die Rotomagi secundæ Lugdunensis Metropoli sancti MAVRILII Episcopi itidem & Confessoris, qui Remis exortus, à pueritia cœlestibus studiis deuotus in Fiscanensi cœnobio rudimenta religionis didicit, quibus ad altiora virtutis conamina incensus, vt vitæ sanctioris instituta capesseret, in Italiam se contulit, locóque secreto ab hominum frequentia subsistens, vitæ seueritate supra humanam conuersationem sese exercuit, manuum labore sibi parans quæ ad fomentum vitæ erant necessaria. Hinc famâ nominis circumquaque diffusâ, vir qui nihil nisi soli Deo notus esse cupiebat: Florentinum monasterium vt regeret in vrbem per potestates ascitus: cùm laxatas disciplinæ habenas coërcere inciperet, ab monachis licentiori vitæ genio assuetis, regulæque sacræ à iugo abhorrentibus: veneno impetitus, ceu alter Benedictus desperatos illos reliquit. Regressúsque in patriam, Fiscannum sese recepit, vbi propter claræ virtutis insignia Abbas paulò pòst creatus est. Sed eius sanctitatis quam doctrinæ decus maximum illustrabat, splendore increscente: eo ex regimine ad sacrum Prouinciæ principatum facilè processit. Orbata enim Metropolica sese Rotomagensi Præside, abdicatione Malgerij ob culpam ab Archiepiscopatu depositi: Comprouincialium communi suffragio eidem Maurilius surrogatur. Qui quæ desidia decessoris collapsa erant vigili studio restituit. Sanctæ Deigenitricis basilicam stupenda qua extat mole absoluit, atque solemni ritu

MAVRILIVS.

consecrauit. Synodum & ipse Rotomagi indixit coepiscopis suis, quorum consilio malos correxit mores, Simoniam toxico lethali regionem inficientem repressit, ritus sacros à næuis irrepentibus vindicauit; Clerum in ordinem redegit; populum à tramite iustitiæ & pietatis deuium, rectam in viam reduxit. Deinde actibus eximiis insignis, animarum lucris locupletatus, & meritis & diebus plenus, clarus etiam miraculis euolauit in cœlum. Sepultus est in Ecclesia sanctæ Mariæ quam perfecerat: vbi sanctitatis suæ gloriosa indicia perennauit. Eodem die apud Romerici montem sancti AMATI Presbyteri & Eremitæ: qui Dagoberti Regis ætate florens in suburbano Gratianopolitanæ ciuitatis cœnobio tyrocinium sanctæ religionis impleuit. Hinc à Spiritu sancto impulsus ad altiora diuinæ speculationis studia, secessum petiit atque in rupe se abdidit, magno pietatis sensu totus Christo inhærens. At ab Abbate quæsitus repertúsque cùm solitudinis amatæ delicias nollet deserere, petiit duntaxat vt panis & aquæ paululum sibi post vnumquodque triduum pro omni alimonia afferretur. At dæmon liuidus abstinentiæ tantæ prodigium non sustinens, sub specie corui panem abstulit, & aquam effudit. Technas cuius aspernatus vir Dei totum se supernæ prouidentiæ commisit: percutiénsque baculo petram aquam eduxit fide viua limpidissimam, agellúmque manibus coluit, ex quo hordeum sibi ad victum colligebat. Cùm autem in agello illo nonnihil foderet, ab excelsa montis rupe saxo immani ruente, quod cellulæ repentinum minabatur excidium, vir Dei crucis signum exprimens, lapidem ne in tuguriolum decideret, IESV nomine inuocato cohibuit, rupíque eodem momento infixit. Vestitus erat amicus Dei ex veruecum pellibus, tantæque victus tenuitati assuetus, vt quadragesimalis ieiunij tempore, pro quotidiana refectione, quinque nucum nucleis cum exiguo aquæ poculo, nec nisi post vespertinas persolutas laudes, corpusculum refocillaret. Iis gratiæ testimoniis pollentem sanctus *Eustachius* Abbas rediens ab Italia multa veneratione visitauit, atque vt viuam sanctitatis ideam ascetis suis proponeret, secum adduxit Luxouium: vbi ille aliquandiu versatus, omnium admirationi fuit. Hinc digressus, cum diuini eloquij dono virum nobilem ac prædiuitem amore Christi inflammatum eò adduxit, vt diuitiis, fucísque sæculi contemptis, monachus fieret: cuius & ope sexui vt vtrique prodesset in vastis Vosegi spatiis puellarum monasterium construxit, vbi multas virgines colligens, easdem in septem turmas distributas, noctu diúque per vices

Amati Confess.

ſine intermiſſione pſallere voluit, ita vt ſemper duodecim Virgines in ſponſi occurſum paratæ, ſacris officiis inuigilarent. Non hinc procul Amatus ſe in ſpecu ipſe incluſit, ad rupis radices, panis particulam & vaſculum aquæ quotidie ſummiſſum funiculo per miniſtrum, pro alimonia accipiens. Dominicis verò diebus inde progrediens fratribus vel ſororibus, quas inuiſebat viciſſim, ſacras Scripturas exponebat. Tanto erat diuino lumine intus irradiatus, vt cordis cuiuſque ſecreta penetraret: futura præuideret, qua & claritate præditus obitus diem prænuntiauit. Quo imminente iacens in cinere & cilicio coram fratribus culpas quas ſe admiſiſſe meminerat, voce publica confeſſus eſt: acutis doloribus extenuatus, adeo vt cute & carnibus exeſis nuda oſſa paterent, interim cum lachrymis ſemper Domino loquebatur. Cùm autem finem adeſſe ſentiret, Epiſtolam ſancti Leonis Papæ ad Flauianum directam, in qua Catholicæ fidei pleniſſima ratio continetur ſibi iuſſit afferri: quæ cùm illi legeretur, magno excitus ſpiritu fidei inclamauit. *Sic credo, ô Trinitas ineffabilis: ita fili Dei Chriſte* IESV *de te ſentio. Spiritus ſancte aterne Deus ſic de te intelligo. Ita vnum Deum in Trinitate trinúmque in vnitate confiteor.* Eáque in voce dignum beatitate ſpiritum exhalauit. In aditu baſilicæ vir Dei, cum fratrum ſororúmque Pſalmodia ſepultus eſt: quod cultor humilitatis ſe indignum reputaſſet, intra ſepta ædis ſacræ quæ matris Dei gloriæ dicata erat, tumulari: eíque id quod ſibi ipſe præſcripſerat epitaphium appenſum eſt. *Omnis homo Dei, qui in hunc locum ſanctum ad orandum introiens, ſi merueris obtinere quæ poſtulas, pro anima Amati pœnitentis hic ſepulti Domini miſericordiam digneris deprecari, vt ſi quid mea prauitas de meis peccatis impetrare non potuit tepidè pœnitendo, obtineat veſtra tantorum charitas, ſedulo Domini miſericordiam exorando.* Ita vir iuſtus ſuis in oculis puſillus, æternam ad felicitatem perrexit: hoc ſingulari humilitatis exemplo eorum faſtum retundens, qui peccatis dum decedunt obruti, ſibi prope ipſa Dei tremenda altaria non pœnitudinis indicia, non miſeriæ ſigna, non monita auxilij & gratiæ: ſed gloriæ inſignia, quaſíque non intereuntis, ſed tumentis etiam in tumulo ſuperbiæ trophæa extruere marmore, auróque ornare, haud verentur. Ipſo die in monaſterio Luxouienſi ſancti AMATI Martyris, qui ſanctæ vitæ titulis conſpicuus, eiuſdem loci archimandrita, poſt prorogata pietatis ſtipendia in extremo iuſtitiæ luctamine, palmæ immarceſſibilis percepit à cœleſti munerario donatiuum. Ipſo die Seduni ſancti AMATI Epiſcopi eiuſdem ciuitatis, qui ex Agaunenſi Ab-

AMATVS Martyr.

AMATVS Epiſc.

bate factus Præſul huius Eccleſiæ: editis multis ſanctæ vitæ teſtificationibus, Dagoberto Rege, exceſſit è ſæculo. In pago Ebroicenſi ſancti BARSANORII Abbatis, miro religionis ſtudio, & pietatis ac iuſtitiæ cultu præclari. Ipſo die apud Cluniacum S. TEVTONII Abbatis, qui ſancti Maioli eo loco diſcipulus, cùm ſanctæ obſeruantiæ zelator exiſteret, ab ipſo cœnobij ſancti Mauri Foſſatenſis prope Auguſtam Lutetiam Abbas inſtitutus eſt, vt in eo regularem diſciplinam reformaret. Quod cùm felici conamine peregiſſet, ſolitariæ vitæ cupidus ſeceſſit in vicum agri Remenſis, qui iuris erat ſui cœnobij, vbi ieiuniis, orationibus & vigiliis ſe totum addixit: ſuiſque monachis per *Vvalterum*, quem in Dei famulatu impenſius nutriuerat, paſtoralem baculum remiſit. Rediénſque demum Cluniacum, vbi ſpiritum pietatis hauſerat, in omni ſanctitate defunctus eſt, ad cuius tumulum permulti infirmi merita eius implorantes ſanitatum ſolatia recuperarunt. Apud Vernonium ad Sequanam in Eccleſia ſanctæ Deigenitricis, ſuſceptio reliquiarum ſancti MAXIMI Epiſcopi Regienſis & Confeſſoris præclariſſimi, cuius natalis clara ſunt ſolemnia 5. Kalend. Decembris. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

BARSANORIVS. TEVTONIVS. MAXIMVS.

Decimo octauo Kalend. Octobris. Luna

14 EX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
22	23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
9	10	11	12	13	14	15	16	16	17	18	19	20	21			

EXALTATIO ſanctæ Crucis. Cuius viuifici *ligni* maior portio à ſancto Ludouico Rege conceſſione Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani, Lutetiam Pariſiorum allata, cum *corona ſpinea* Domini & *chlamyde coccinea*, eáque qua deluſus fuit *arundine*, ac *ferro lanceæ* quo latus eius percuſſum eſt: *ſpongia*; *ſudarij ipſius Seruatoris parte*: aliiſque adorandis paſſionis eius inſigniis, in ſacroſancta Capella, quam ſuo in regali Palatio ædificauit, magna pompa & veneratione collocata eſt. Quo in ſacrario ab ipſo beato Rege ſimul condita aſſeruantur *linteum*, quo Chriſtus ipſe ſe præcinxit, quando lauit pedes diſcipulorum ſuorum, & quo eos extersit. *Panni* quibus fuit in præſepio inuolutus. Inſuper *virga Moyſi*, pars ſuperior *capitis ſancti Ioannis Baptiſtæ*: *Capita* Sanctorum *Simeonis*, *Clementis & Blaſij*,

aliáque pretiosa religionis monilia, diuinæque protectionis pignora, ad defensionem regiæ vrbis, ac Imperij Gallici perenne decus & præsidium illic cum eximio cultu & decore feliciter reposita. Natalis sancti CORNELII Papæ & Martyris Romæ via Appia illustri certamine laureati: cuius corpus venerandum Carolus Caluus Imperator Réxque Christianissimus Româ è cœmeterio Callisti in Galliam transferens, vnà cum S. CYPRIANI Episcopi Carthaginensis, ipsius B. Cornelij perchari symmystæ, hac ipsa die in Africa extremo quoq. agone coronati, pretiosis exuuiis (quas ex Africa dono Aaron Ammiræ Caroli Magni Legati Lugdunum aduexerant:) In cœnobio a se sub beatissimæ Deigenitricis sanctorúmque ipsorum Pontificum & Martyrum patrocinio, constructo apud Compendium in Suessionensi præsulatu, cum digna veneratione collocauit. Ex cuius Monasterij (in quo & *Sindon dominica* ab ipso Imperatore reposita seruatur) sacratissimo penu, decerpta aliqua ossium beatorum illorum Martyrum portio, Rotnacum in territorio Tornacensi illata, ínque loci illius insigni æde recondita fuit, vbi nunc vsque omni cum honore recondita ostenditur. Ipso die ad Rhodani ripam Inuentio sacrorum corporum inclytorum Christi bellatorum DEFENDENTIS & sociorum militum, qui Maximiano Imperatore illic pro Christi fide & gloria diris cruciatibus affecti, generosos spiritus præclara in victoria effuderunt. Quorum pretiosa cadauera cùm diù ibi delituissent, à piis funeratoribus clanculum humata: deinde diuina reuelatione reperta à beato Theodoro Massiliensi Episcopo, eo quo decebat cultu recondita sunt in basilica, quam pius is Antistes ad eorum venerationem construxit. Treuiris sancti MATERNI Episcopi. Qui sancti Petri Apostoli discipulus, ab eo Belgicam destinatus in Galliam cum Euchario & Valerio, Tungrenses, Colonienses & Treuirenses, aliósque finitimos populos Euangelica primus face illustrauit, ad cultúmque Christi seruatoris perducens, vitali aqua tinxit, & charactere salutis consignauit. Denique cùm annos quadraginta in diuini ministerij officio sedulus exegisset, egregiis virtutibus præstans, signísque admirandis clarus, Coloniæ quieuit in Domino. Translatus inde Treuirim vbi primùm Antistes sederat, magna veneratione, pone comilitonum beatorum Eucharij & Valerij (qui eum ad consortium gloriæ paulo antequam excederet, oblata vernantium florum corona, inuitauerant:) sacratissima corpora, pari honorificentia humatus est. Vbi & in hunc vsque diem quiescit sub sancti Matthiæ Apostoli, illuc quoque corpore depositi, glorioso titulo. Cæterùm hunc

SS. Cornelius. Cyprianus. Defendens & socij Martyres. Maternus.

hunc primum Belgicæ Apostolum incolæ huius tractus Christi sectatorem ex classe septuaginta duorum discipulorum, veteri traditione astruunt: filiúmque illum esse volunt Euangelicæ viduæ, quem Dominus ipse à mortuis excitauit. Ipso die depositio sancti FLEDERICI Presbyteri & Confessoris, qui zelo Dei Fledericus. æstuans interiori è Gallia in Belgium progressus vt lucra animarum quæreret, in agro Alostano apud Flandros parœcialis Ecclesiæ Vliderselæ curam suscepit: pietatísque & religionis virtutibus, ouibus quas regebat præeundo, cùm pastorale munus fideliter impleuisset, bene exactæ dispensationis remunerationem copiosam percepit à Domino. Cuius superna virtute clarificatus, felicitatis qua fruitur in gloria, patentia prodidit signa: Hícque sicut alumnis perpetim suis opitulatur: sic & vicissim ab ipsis obseruatur & colitur, proprius vt patronus præpoténsque apud Christum tutelaris. Ipsomet die Gandaui in Flandria susceptio corporis S. ANSBERTI Episcopi Rotomagensis: cùm è Bo- Ansbertus. lonia vbi aliquandiù repositum quieuerat, cum sacris beatorum VVLFRANNI & VVANDREGESILI artubus, ad Blandi- Vulfrannus & Vvandregesil. niense cœnobium est delatum. Item apud Mareolum in Attrebatis eleuatio sanctæ BERTHILIÆ Virginis; cuius natalis S. Berthilia. illic celebratur tertio Nonas Ianuarij. Bruxellæ dedicatio Ecclesiæ, & ad illam translatio corporis sanctæ GVDILÆ Virgi- Gudila. nis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

PRODIIT ad desideratos solis Iustitiæ aspectus piæ memoriæ PETRVS Ab- Petrus. bas Morimundi in Campania: qui sæculi primùm illectus gloria, affectu scientiæ in diaboli laqueos incautè incidit: sed pòst diuina ope erectus, atque Cisterciensem ingressus ordinem, vitæ Deo gratæ, atque hominibus admirandæ miro tramite, post rigidam corporis castigationem, spiritus sedulam expurgationem, gregísque intentam sollicitudinem, animam plenam gratiæ fœtibus, suo reddidit creatori. Hunc Ecclesiæ tranquillitatis adeo commemorant fuisse studiosum, vt deposito Abbatiali honore quinquies Româ Capuam profectus sit, à festo sancti Michaëlis ad quadragesimam, vt pacem inter Innocentium III. Pontificem & Othonem Imperatorem componeret. Item Grandis syluæ cœnobio diœcesis Tolosanæ obiit STEPHANVS Conuersus, pietate morum celebris, ac mysteriorum diuinorum meditator indefessus, qui solutus corpore, vt Christo Stephanus. sicut ardenter cupiebat iungeretur, gloriosus post mortem apparuit, séque à Domino in pace receptum, ea felicitate potiri, quæ omne delectamentum superat intimauit. PASCHASIVS Broërus Ambianensis, Sacerdos Societatis IESV Paschasius. religiosissimus, postremus è decem primis Patribus eiusdem ordinis, sanctis perfunctus laboribus Parisiis piissimo fine decessit anno Domini 1562. Societatis 22. Congregatio *Exaltationis sanctæ Crucis* ad fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ propagationem, hæresean extirpationem, sectariorum conuersionem, Christo auspice, hoc ipso triumphali die saluriferæ crucis Lutetiæ Parisiorum anno salutis 1632. feliciter inchoata: atque ab illustriss. D. Ioanne Francisco de Gondy primo Parisiensi Archipræsule canonicè instituta, Apostolica deinde auctoritate approbata ac confirmata fuit per sanctissimum Patrem & Dominum

noſtrum *Vrbanum VIII.* Pontificem Maximum, ſacroſanctis tabulis Romæ datis tertio Nonas Iunij anno 1634. Cui ſacro ſodalitio piè fauens *Ludouicus Iuſtus*, Francorum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, primùm breui codicillo, ſed poſtmodum authentico diplomate dato Siluanecti menſe Martio anno 1635. ſubditis ſuis cuiuſque ſexus, ſtatus ac conditionis cenſeantur permiſit pio huic cœtui licitè, vt adſcribi poſſint: adſcriptique omnibus priuilegiis per Apoſtolicas literas ipſimet congregationi indultis, quietè ac pacificè gaudeant & fruantur. Mandauit inſuper Princeps piiſsimus ſuis in Prætoriano aulæ conſeſſu Conſiliariis hoc ſuum placitum, vt ſolemni ritu promulgarent, curarentque ſeriò obſeruari. Quæ Regia iuſſa iuridicis calculis Prætoriani illi proceres comprobarunt, publicíſque monimentis conſignarunt, decernentes è bono publico fuiſſe ſodalitium eiuſmodi regia auctoritate admitti ac muniri. Cuius finis magnopere laudabilis eò tendit, vt vindicata orthodoxa religione ab exitiali hæreſeon contagio, per ſacram doctrinam & quæuis pietatis ſubſidia, animæ errantes, ad veritatis viam redeant, & in tramitem iuſtitiæ & pietatis quin & inter perennes ſemitas adducantur. Interimque corporalibus ſimul & ſpiritualibus fulciantur auxiliis. Quamobrem zelo diuinæ gloriæ & publicæ ſaluris, ſucccenſi plerique primæ notæ viri, cum honeſtiſsimis vrbis regiæ ciuibus, huic ſacro cœtui ſua vltro nomina dederunt: in quo præſide illuſtriſsimo vrbis Archiepiſcopo, ſeu eo qui vices eius gerit ambitioſo quaſi pietatis æſtu conuenire paſſim cernuntur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Doctoréſque inſignes religione & doctrina: Præſides etiam & Senatores antiquæ integritatis & raræ ſapientiæ. Faxit DEVS Optimus Maximus, vt tam fauſtis initiis rem ſuſceptam, optati ſucceſſus ſubſequantur, ad ipſius ſupernæ maieſtatis ampliorem glorificationem, Galliæ vniuerſæ perenne decus & commodum, Fidei tutelam & incrementum, errantium conuerſionem & ſalutem: Eorum verò qui tam laudabile inſtitutum piis ſtudiis proſequentur & promouebunt, æternam commendationem & benedictionem.

Decimo ſeptimo Kalend. Octobris. Luna

15 F IX.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
23	24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
10	11	12	13	14	15	16	17	17	18	19	20	21	22			

OCTAVA natiuitatis beatiſſimæ Virginis Mariæ. Ipſo die in territorio Cabilonenſi Caſtro Trinorchio Natalis ſancti VALERIANI Martyris. Hic ciuis Lugdunenſis ex primariis inter quinquaginta pro Chriſto cum beato Pothino in Antonini perſecutione comprehenſos compactus in carcerem cum beato Marcello cognato ſuo, patefactis diuinitus carceris ianuis, aufugit ſeorſim ab ipſo Marcello verſus Auguſtodunum. Cúmque ad præfatum Caſtrum (decimo quinto milliari à deſignata Cabilonenſi vrbe) perueniſſet, & Domini IESV Chriſti adorandum nomen æſtu diuino prædicans, ad eius fidem conuertiſſet: reuertenti ab vrbe Cabilonenſi Priſco Præſidi (qui Marcellum illic necauerat) delatus eſt. Primúmque minis & terroribus ab illo impetitus: deinde cùm Chriſti præconium magis efferret ſuſpenſus, & graui vngularum ſulcatione cruciatus: at nec

SS. VALERIANVS.

cæſus cederet, ſed læto animo tormenta omnia excipiens ferociam torquentium ſuperaret: ad extremum ſecuri percuſſus, immortali triumpho ad Regem gloriæ (qui apertis cœlis pugili ſuo apparens paratam coronam oſtenderat) feliciter euolauit: eodémque loco quo victor occubuit tumulatus, prodigiorum magnifica claritate refulſit. Imò potiùs Chriſtus quem in corde dilexit, in operibus inuocauit, in tormentis confeſſus eſt; ſuæ per eum gratiæ beneficia, gloriæque mirabilia edidit ac præſtitit. Eodem die Lugduni ſancti ALBINI Epiſcopi & Confeſſoris, qui ALBINVS.
beato Iuſto Pontificium abdicanti ſublectus, ſe abſolutiſſimum exemplar totius iuſtitiæ ac religionis, Clero populóque ſuo exhibuit, vita integerrimus, doctrina præcellens, cultu pietatis præcipuus. Cuius affectus ſtudio ſancti Stephani Protomartyris baſilicam ædificauit, itidémque conſecrauit, in qua poſt abſolutum glorioſi præſulatus decurſum, humatus; beatitudinis ſuæ perſpicua dedit inſignia. Tulli Leucorum ſancti APRI itidem & Confeſſoris, qui quo tempore ſæuius in Eccleſiam ethnica perſecutio ſub Adriano Principe detonabat, regimen huius ouilis, tutelámque capeſſens paſtorale munus, cum docendo, tum agendo ſtrenuè executus: vt murus æneus, columnáque ferrea domum Dei nutantem ſuſtentauit, populum fidelem exterritum acritate procellæ texit ac protexit: cúmque multorum animas cœlo aſſidua opitulatione euexiſſet, ipſe tandem fide & charitate præpollens feliciſſimè emigrauit ad præmium. Sororem habuit ſanctam APRONIAM, quam Chriſto virginem deſponſauit. Cuius caput cum corpore, in Principe Tullenſi Eccleſia quieſcit cultu congruo adornatum. Porro ipſe in ſui nominis Abbatiali Eccleſia ſuburbana conditus iacet, corporis hoſpitium, patrocinij gratia quam clientibus, ſuo apud Chriſtum interuentu impendit, perenniter compenſans. Tanta verò poſt eius exceſſum perſecutionis immanitas in Chriſti familiã, quam Tulli rexerat, efferbuit: vt ab eius obitu ad centeſimum vſq. annũ nullus cõparauerit, qui auſus ſit Epiſcopalem ſpeculam conſcendere, ſed vacua remanſit Cathedra: dum enim aliqui ad ſupplicia rapiuntur, & aliqui mulctantur exilio: alij fuga ſecuritatẽ quæſierunt. Quorum omnium nomina Deus ſcit, pro cuius amore & honore furias adeo funeſtas ſubierunt. Carnuti ſancti LEOBINI Epiſcopi & Confeſſoris glorioſi. Hic apud Pictauos humili genere natus, atque ob ſortis tenuitatem pecudum cuſtodiæ à puero deputatus: ſuperno munere ſicut alter Eliſæus vocatus eſt ab animalium cura, ad maieſtatis diuinæ famulatum & animarum paſtoratum. Cùm enim aliquando armenta

APRI. APRONIA. LEOBINVS.

in paſcuis cuſtodiret, Dei nutu euenit vt illic tranſiret *Noui-geſilus* monachus, à quo Leobinus ſupplìciter popoſcit vt ſibi literarum elementa ſuper cinctorium exprimeret, Cui lubens ille neſcio quid inde fauſti auſpicatus, exaratos characteres conſignauit. Addidit animum inſigendis memoriæ Leobinus his figuris, ſed Deus ſatagenti ad honeſta gratiam vberiorem indidit. Qua non ſolùm vim literarum facilè perciperet, ſed inde etiam non tam vſu lectionis, quàm inſpiratione ad ſcientiæ ſanctorum aſſurgeret ſtudia. Incenſus igitur vitæ religioſæ affectu, nouus Chriſti tyro ad Carnotenſe aſceterium profectus, monaſticum inſtitutum amplexus eſt, breuíque æſtuans feruore pietatis eam in formam euaſit, qua cunctis ſymmyſtis ideam Euangelicæ perfectionis actibus ſuis expromeret: Ieiuniis, ſilentio, meditatione, aſpernatione ſui, fratrum obſeruatione, fide, charitate totus conſpicuus, tantáque deuotione & miſericordia prædìtus, vt impetrando afflictis ſolatio, noctes in oratione & fletu quo diuinam demereretur opem impenderet. Acceſſit tantæ ſanctimoniæ ſignorum, quæ patrabat ſplendor diuinus, quo nomine eius illuſtrato, *Hetherius* Carnotenſis magnæ religionis Pontifex illum è cœnobio aſcitum, (vt gratiæ fulgores exereret) ſacerdotalem ad gradum euexit. Nec diù pòſt cùm ipſe hominem exuiſſet: quaſi huic iam apici deſignatus Leobinus, illius in locum Cleri voto, populi prece, iuſſu Regis Childeberti ſuffectus eſt. Et magno quidem vt omnium applauſu, ſic ingenti creditæ Eccleſiæ commodo, cuius nouus Antiſtes ſacros imperij limites interturbatos refixit: Canonicos ad numerum ſeptuaginta duorum diſcipulorum Domini reduxit, quibus normam præſcripſit, & ſtatuit certam alimoniam. Populum itidem ſolutiorem ad Chriſtianæ diſciplinæ obſeruantiam ſanctis prædicationibus, & diuinorum actuum exhibitione reuocauit. Supernæ virtutis quanta pollebat gratia hinc patuit, quod nullo morbo oues afflictarentur, quin prece & pio contactu ſubleuaret. Hydropicum ſiquidem à medicis deſperatum ſola oratione ſanauit. Puellam quam dæmon exagitabat vi fimbriæ ſui veſtimenti, quam illa attrectauit meritis eius confiſa, liberauit. Energumenos duos pueros, porrecto quod benedixerat edulio, immunes ab eiuſmodi vexatione reddidit. Febre tabeſcentes nonnullos recreauit. Immane incendium efformato crucis ſigno extinxit: turbine vaſtatos agros, vi orationis reparauit. Diuina denique tot operatus eſt, vt ipſe magnum ſanctitatis prodigium cunctis ſpectantibus appareret. Qui cùm ad diſpenſationis metam perueniſſet, *Cale-*

tricum ſacerdotem piæ vitæ, longa ægritudine fatigatum adiit, *ſacróque oleo poſtquam vnctum ſanaſſet*, ſpiritu prophetico plenus, ſibi ſucceſſorem futurum aſſeuerauit. Nec diù pòſt glorioſus Confeſſor, feliciter depoſito corpore, dignam regno perenni animam in cœlum tranſmiſit. Quieuit diù in æde ſancti Martini in Valle, meritorum decore conſpicuus. At erumpente è puteo abyſſi Hagiomachorum recentiorum ferali agmine, quorum dux pſeudo-Angelus exterminator eſt: violata ſepulchri religione, oſſa eius ab iis eruta, contrita, atque in puluerem redacta ſunt. At puluis ille ſanctus per agros Carnotenſes diſperſus, incolis piis præſidium, nefariis verò illis prædonibus mox excidium conciuit. Cæterùm ſancti Leobini caput adhuc ſacrum ſupereſt, in Eccleſia Carnotenſi cum beati *Caletrici* eius ſucceſſoris capite religioſè conſeruatum. Eodem die depoſitio ſancti AICARDI Abbatis Gemelicenſis in Lugdunenſi ſecunda. Qui ſancti Philiberti alumnus, deinde & ſucceſſor nongentis ibi monachis cum magna diuiuæ ſapientiæ laude præfuit: glorioſíſque pro crediti gregis vtilitate perfunctus laboribus pius in Deum, in pauperes miſericors, iuſtus in omnes, depoſita mole carnis, ſanctæ conuerſationis mercedem percepit à Domino. Corpus eius pretioſum tamdiù in cœnobio illo conquieuit ſignorum ſplendore coruſcans: donec Normanorum feruente incurſione, vnà cum S. Hugonis Archipræſulis Rotomagenſis ſacris oſſibus, ne diriperetur, in Belgium tranſuectum, in præpoſitura Haſprenſi Cameracenſis diœceſis, quæ tum ſedi ſuffragabatur Remenſi, magna reuerentia, collocatum eſt: vbi poſtea virtutibus plurimis diuinæ opitulationis radiauit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.* AICARDUS.

APVD Cluniacum monaſterium dedicatio capellæ Abbatialis in honorem ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ vniuerſorúmque eius myſteriorum recordationem. In Clara Valle obiit piæ memoriæ ACHARDVS Monachus ſancti Bernardi percharus alumnus, quem cùm adhuc iuuenis eſſet, ob probatos mores & patentes prudentiæ & religionis dotes ad conſtruenda diuerſa cœnobia ſanctiſſimus ipſe pater direxit. Christus verò emeritum iam ſuæ militiæ ſenem, dæmonum inclytum profligatorem, omniúmque bonorum operum patratorem indefeſſum, donatiuo æternæ gloriæ honorauit. Felici itidem exceſſu à ſæculo tranſiuit LIGERIVS Anachoreta ſanctiſſimus, qui Dunenſe in Morinis cœnobium antequam ſecederet in eremum inchoauit. Lugduni Dedicatio Eccleſiæ Metropolitanæ. *Achardus.* *Ligerius.*

Decimo sexto Kalend. Octobris. Luna

16 G VIII.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
24	25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
11	12	13	14	15	16	17	18	18	19	20	21	22	23			

SS. EVPHEMIA. NATALIS ſanctæ EVPHEMIÆ Virginis & Martyris, quæ Chalcedone ſub Priſco Proconſule tormenta & carceres, verbera & ferrea circulis infixa rotarum acumina, ignes, & pondera lapidum angularium, plagas virgarum, teſtas acutas & ſartagines ignitas pro Chriſto ſuperauit. Sed rurſus in theatrum ad beſtias ducta, cùm oraſſet ad Dominum, vt ſpiritum ſuum reciperet: vna ex iis morſum ſancto corpori infigente, cæteris pedes eius lambentibus, immaculatum ſponſo cœleſti reddidit ſpiritum. Portio reliquiarum cuius inſignis, non ita diù à Magiſtro equitibúſque Melitenſibus Sorbonici gymnaſij Doctoribus conceſſa, illícque per Legatum ſpecialem ſtipatum ſpectabili equitum comitatu allata: magna veneratione à Doctoribus ipſis obuiam procedentibus cum numeroſa ſacerdotum pſallentium turma, ſuſcepta eſt: atque in æde ſacra illius collegij repoſita, vbi hactenus, condigno cultu obſeruatur. Cenomanis ſancti PRINCIPII Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſedem hanc non tam dono quàm merito adeptus, poſt ſancti Victurij deceſſum, admodum laudabiliter ſuſceptæ Eccleſiæ gubernacula geſſit, ſanctarúmque actionum gloria clarus, poſtquam Concilio I. Aurelianenſi cum vno & triginta Epiſcopis interfuiſſet (vbi ſanctiſſimæ conſtitutiones de ſacris theoriis Eccleſiaſticáque diſciplina editæ ſunt:) exactis in felici glorioſóque præſulatu annis viginti nouem, diutini laboris ſui mercedem dignam accepit à Domino. Ipſo die reſeratio corporis ſancti GODONIS Confeſſoris, cuius depoſitio annuo cultu claret die vigeſima ſexta Maij. Item dedicatio templi Rotnaci in Tornacenſi territorio, vbi ſanctus HERMES Martyr quieſcit, dæmonum perpetuus triumphator. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

(Margin notes: S. PRINCIPIVS. — GODO. — HERMES.)

Ludouicus. AD æternam feliciter euolauit requiem beatæ memoriæ LVDOVICVS Alemandus Archiepiſcopus Arelatenſis ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis titulo ſanctæ Ceciliæ, qui nobili apud Burgundos familia Arbanenſi natus, dotibus pietatis & doctrinæ præfulgens: primùm Epiſcopus Maclouienſis, tum Arelatenſis Archipræſul, deinde Cardinalis creatus, non minùs ſanctiſsimis his muneribus commendationis integritate vitæ attulit, quàm ab iis accepe-

rit dignitatibus ornamenti. Qui tamen in Concilio Basiliensi cùm aduersus Eugenium Papam IV. stetisset: Felicemque consectasset, facti pœnitens ad successoris ipsius Eugenij Nicolai V. obedientiam, rediit, Ecclesiæque vnitatem resarciuit Felicis ipsius, quam pacis amator procurauit spontanea abdicatione, à quo Nicolao inter Ecclesiæ Cardines receptus ipso sanctæ Ceciliæ titulo honoratus est. Demum propagata plurimùm religione, calcata sæculi gloria, superatis diaboli artibus, impressis Gallico solo æternis sanctæ vitæ vestigiis, sumpto diuino viatico ad cœlitum optatum migrauit consortium. In Atelatensi Metropolitana æde sepultus est, vbi tot miraculis clatuit, vt horum multitudine excitus Clemens Papa septimus Romæ dato diplomate illum in cœlitum numerum beatitatis nomine retulerit, honoribúsque quibus beati coli consueuerunt, vnà cum beato Petro de Luxemburgo prosequendum decreuerit, elato de subterraneo situ, ad basilicæ intimum gremium eius corpore venerando. Abüt eodem die ad superos piæ memoriæ MILO Abbas vndecimus Caroli loci in Siluanectensi Episcopatu, vir eximiæ puritatis, diuinæque contemplationis gratia insignis. *Milo.*

Decimo quinto Kalend. Octobris. Luna

17																A VII.
a	b	c	d	e	f	g	h	i	K	l	m	n	p	q	r	ſ
25	26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
12	13	14	15	16	17	18	19	19	20	21	22	23	24			

APVD Legiam Villam passio sancti LAMBERTI Episcopi Traiectensis ad Mosam & Martyris. Hic cœlesti gratia præeunte à primo ætatis flore nobiliter in sancta religione conuersatus sub Landoaldo sanctissimo Archipresbytero, deinde & Theodardo Episcopo Tungrensi religiosissimo, cui laurea aucto martyrij demum successit: liberalium disciplinarum atque monasticæ institutionis theoremata imbibit: iisque moribus claruit adhuc vix ex ephœbis egressus, vt priuilegio sanctitatis & prudentiæ laude magnam auctoritatem apud Clodoueum secundum reperiret: à quo, *vir Apostolicus*, ob diuina quibus affluebat charismata appellabatur. Theodardo igitur stola martyrij purpurea decorato, Lãbertus adhuc vnius & viginti annorum, magna omnium ordinum acclamatione, lubentique Regis mandato, in Episcopatum subuectus est. Raptus potiùs quàm electus, mirabili vitæ gratia solium quod conscenderat illustrauit. In omnibus irreprehensibilis, strenuus iustitiæ cultor, pietatis assertor, diuinarum operationum gloria, zelóque animarum mirificè conspicuus eluxit. Quo virtutum Episcopalium fulgore, vt pios omnes in sui venerationem pellexit: sic nefariorum in se concitauit (quorum salutem quærebat) inuidiam. Itaque Ebroinus Tyrannus qui Maior domus sub Theodorico Rege, sæpiùs Franciam turbauerat, Lambertum iustitiæ SS. LAMBERTVS.

& publicæ libertatis defenſorem Epiſcopatu expulit, & Faramundum quemdam eius in ſedem intruſit. Cuius aggreſſu potiùs quàm ingreſſu experiendo didicit Tungrenſis Eccleſia, diſcrimen quod notauit Dominus inter furem & paſtorem. Ceſſit irruenti turbini, quem auerruncare haud poterat vir Dei Lambertus: *dánſque locum iræ* ſeceſſit; & per ſeptem annos degit in Stabuleto cœnobio Angelicam vitam ducens vſque ad Ebroini infauſtam cataſtrophen. Interim nihilominus talentis cœleſtibus diues, fœnora gratiæ, in conuerſione Taxandrorum, qui barbaro etiamnum more viuebant, edidit: quos quod ab Idolatria ad Chriſti cultum perduxerit, illorum meruit nuncupari Apoſtolus. Occiſo deinde Ebroino ad Epiſcopatum rediit ſanctæque conuerſationis inſignia propagans. Demum zelo diuino incenſus, cùm Pipinum Heriſtallium ob ſuperinductam Alpaidem ſæpiùs adulterij argueret: à Dodone ipſius Alpaidis fratre dum in Villa Legia expanſus in modum crucis ante altare Sanctorum Coſmæ & Damiani oraret impetitus, haſtáque lethali transfixus eſt. Sic beatiſſimus Martyr omni virtutum gratia adornatus, cum Ioanne Baptiſta ob impugnatum adulterium, illuſtris agonis palmam, quam meritis parauerat, recepit. Corpus eius Traiecti ad Moſam in baſilica Principis Apoſtolorum ſepultum eſt, vbi cum prodigiis crebris pretioſæ mortis trophæa protenderet, hinc anno decimo tertio per ſanctum Hubertum vnà cum ſede Epiſcopali ad villam Legiam, quæ Leodium iam dicitur tranſlatum eſt, quæ meritorum eius celebritate, in vrbem deinde ingentis famæ commutata, capútque effecta diœceſis, ſancti ipſius Martyris cuius pignoribus munitur, agone maximè & patrocinio gloriatur. Ipſo die Natalis Sanctorum Martyrum PETRI & ANDOLETI, qui ſancti Lamberti conſanguinei ibidem cum ipſo in oratione occiſi ſunt. Quorum itidem necem Dominus pro martyrio computans, eorumdem merita ſignorum magnorum inſigniis exornauit. Ipſo die Auguſtoduni Æduorum natalis ſancti FLOCELLI Martyris. Hic decem annorum puer, rore diuinæ gratiæ perfuſus, dum ſanctos Chriſti athletas, quem Valerianus Antonini Imperatoris ſæuus Præſes, odio Chriſtianæ religionis torquebat, ad agonem fortiter obeundum excitaret: tentus, ſuſpenſus immanitérque flagellatus; deinde flammis iniectus, aliáque dira perpeſſus, tandem obiectus feris, ac ab eis diſcerptus, inſigni certamine ad trophæum euolauit: déque manu Domini cuius laudem puerili voce at virili præconio perfecerat, diadema decoris & gloriæ feliciter accepit. Ipſo die Læliis

PETRVS & ANDOLETVS.

FLOCELLVS.

Cameracensis territorij, in Ecclesia sancti Lamberti eleuatio purissimi corporis sanctæ Virginis HILTRVDIS, facta per Erluinum Episcopum Cameracensem, cum magna solemnitate. HILTRVDIS.
Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.

FESTVM impressionis Stigmatum sancti Francisci: est hodie insigne in toto eius ordine, adeóque vniuersa in Gallia, vbi potiora augmenta sanctæ propaginis recepit. Eodem die in Vesontionensi agro placido fine in Christo quieuit piæ memoriæ RAYNAOLDVS sanctissimus Anachoreta: ad cuius tumulum in cœnobio Balmæ frequens & penè innumera variis morbis ac doloribus languentium turma, fusis precibus incolumitatem recepit. *Raynoaldus.* Hoc ipso die Claræuallis defungitur piæ memoriæ STEPHANVS conuersus, discipulus sancti Bernardi, vir admirandæ humilitatis: cuius beatitudinem per multa miracula diuina maiestas propalauit. *Stephanus.*

Decimo quarto Kalend. Octobris. Luna

18 B VI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
26	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
13	14	15	16	17	18	19	20	20	21	22	23	24	25			

IN territorio Vesontionensi Natalis Sanctorum Martyrum DESIDERII Redonensis Episcopi & RAINFRIDI eius Archidiaconi: qui ab impiis interfecti, in agni sanguine stolas dealbatas, ad regna cœlestia, ouantes detulerunt. SS. DESIDERIVS & RAINFRIDVS. Quorum sacratissima spolia illic vbi triumphalem agonem peregerunt condita, memoriam æternis fulgoribus radiantem, perpetuæ venerationi consecrarunt. Vicus enim Alsatiæ superioris adhuc micat sancti ipsius Desiderij, vt agone sic nomine, ac pignorum custodia percelebris. Ipso die Briuate in Aruernia Natalis sancti FERREOLI Martyris, qui Diocletiano imperante, Tribunitia potestate in vrbe Vienna pollens, & magis fide Christi & cultu nobilis: iussu Crispini impiissimi Præsidis comprehensus, primúmque acerbissimè cæsus: deinde graui cathenarum pondere oneratus, in tenebricosum carcerem conie-ctus est. CASTVLVS. Vnde opitulatione diuina qua ianuæ eidem carceris patuerunt, eductus, at denuo prope Briuates tentus ab insequentibus, postremò securi percussus, egregio veritatis testimonio ad æternam martyrij coronam peruenit. Corpus eius cum capite sancti Iuliani socij illius paulo antea ibidem obtruncati, Viennam relatum est, & condigno cultu in basilica conditum quam *Castulus* vir præcipui nominis de primoribus

præfatæ ciuitatis adhuc Catechumenus, in honore eiusdem Martyris condiderat, tãto opere quanta & fide in ripa vlteriore Rhodani. Nouioduni in Niuernis Sanctorum VALERIANI, MACRINI & GORDIANI, sub Decio necatorum ob assertionem Christianæ pietatis. Ipso die Lemouicis sancti alterius FERREOLI Episcopi illius sedis & Confessoris. Qui inclyta prognatus stirpe, opibus affluens, literis eruditus, abiecta sæculi pompa, Christi amore rigidæ vitæ institutũ suscepit. Vsu siquidem cilicij ex pilis camelorũ confecti, ieiuniis quotidianis (exceptis dominicis diebus) & frequẽtib. genuflexionib. domito corpore, animũ assiduis Deo precib. immolabat. Ardore pio inde succensus, Romana peregrinatione suscepta, Apostolorũ limina Sanctorúmq. Martyrum trophæa religiosè inuisit: atque in aditu & reditu, multis sanitatem restituit, salutis viam plerisque sanctis actibus ostendit. Hinc redux in patriam Exochio Præsuli demortuo, magno omnium desiderio suffectus est. Pontificatu sublimatus, ita se gessit vt cœleste Christi regnum & vitæ Euangelicæ exemplis, monitis, virtutibúsque diuinè editis, in terra mirificè propagârit: nihil quod ad seduli pastoris officium pertinet prætermittens. Quo tempore cùm populus Lemouicensis insanabili, arte humana, lue affli-ctaretur: vir Dei paternam suorum curam gerens, triduo ieiunus, cinere conspersus, cum fletu & gemitu sacrificio oblato in basilica S Martialis, sanitatem impetrauit. Tanta auctoritate valebat apud populum, vt reuerentia sanctitatis, tumultus quosque emergentes reprimeret. Ædibus sacris extruendis, instaurandis, opes operámq. plurimam impendit. In quibus S. Martini basilicã in vrbe Briuensi hostili inuasione crematam reparauit, marmoreísque columnis instruxit. Ipséque vera columna Ecclesiæ, fulciendæ religionis causa, inter præcipuos Galliarum Patres II. Matisconensi Concilio, sub Pelagio II. Pontifice coacto, meritis vitæ & doctrinæ laude sublimis interfuit. Demúmque cum B. Aredij funus pio affectu curasset: mortis suæ præcognito tempore, Clericos ad omnes officij partes explendas adhortatus, mœrentes etiam consolatus, ruptis carnis vinculis, ad optatam filiorum Dei libertatem regnúmque, spiritum immaculatum transmisit. Corpus eius in æde S. Pauli primùm conditum, inde propter ruinam in monasterium S. Augustini, eóq. hostium incursu diruto, in castrum de Turribus, postremò Annexonium translatum est, vbi futuræ glorificationis expectat decora repromissa. Lingonis Inuentio corporum Sanctorum TERGEMINORVM Martyrum. Et dedicatio basilicæ eorumdem. Abrincis sub Rotomagensi Metropoli S. SEVERII eiusdem ciuitatis Episcopi

Valerianvs, Macrinvs & Gordianvs.
Ferreolvs.
Tergemini Martyres.
Severivs.

& Confessoris, qui à pueritia sua signis futuræ sanctitatis enitens, suaui Christi iugo sese pio affectu mancipauit. Castimoniæ & abstinentiæ dotibus prædirus, eam ad religiosæ conuersationis peruenit existimationem, vt exeunte à mortalium consortio sancto Paterno Abrincensi Antistite; illam ad dignitatem, renitens quamuis admodum, promotus sit: quàm mira vitæ sanctimonia, assiduóque Deo placendi & populo opitulandi conatu, plurimùm illustrauit. Deinde & gratia miraculorum afflictis tanta præstitit solatia vt surdis auditum, cæcis luminis vsuram, languidis sanitatem, quasi ad nutum restituerit: absoluta demum virtutum omnium palæstra, placido fine defunctus, beatarum mentium sublimioribus gradibus, animam felici efflatu inuexit. Ipso die Bergis translatio sancti VVINOCI Confessoris, facta pio conamine Balduini Calui Flandriæ Comitis, qui magna honorificentia, corpus illius sacrosanctum de Vvormoltiensi mausoleo vbi iacebat, miraculis stupendis refulgens, ad basilicam quam Bergis extruxerat, Ecclesiastico ritu ac apparatu transuexit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* *Vvinocvs.*

PERREXIT ad Dominum HVGO Monachus Curiæ Dei in Aurelianensi tractu, vir sanctissimæ conuersationis, miraculorúmque gloria cùm in vira tum post mortem illustris: qui febricitanrium patronus, summa deuotione à populo inuocatur. Eodem die apud Vrsicampum spolia morris exuit STEPHANVS ascera natione Anglicus, sed vita Angelus; sancti Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi gentilis sui, cùm publicè doceret in Gymnasio Parisiensi discipulus: olimque Abbas Sauigniacensis. Quo honore indignè orbatus, in humilitate & puritate spiritus, Christo, (reclusus in Vrsicampi cœnobio) seruiens, viræ reliquium traduxir: dúmque à Ponrifice summo ob magnæ pietatis & sapientiæ decora ad Episcopalem dignitatem euocaretur: piis poritus voris, ad patriæ supernæ præmia euectus est. Item æternæ vitæ tramirem ingressus est beatus HENRICVS Colstrius ex otdine Prædicatorum cœnobij Louaniensis supernis charismatibus plenus. *Hugo. Stephanus. Henricus.*

Decimo tertio Kalend. Octobris. Luna

19																Cy.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	27	28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
	t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	14	15	16	17	18	19	20	21	21	22	23	24	25	26			

TVRONIS depositio sancti EVSTOCHII Episcopi & Confessoris. Is vir magnificæ sanctitattis, Senatorio genere prognatus, Dei timore pariter & amore maximè conspicuus erat, cùm sanctus Briccius in sedem suam regressus anno *SS. Evstochivs.*

ſeptimo à reditu, ad quietis æternæ præmia tranſmeauit. Cuius in locum prouectus, ſanctimoniæ lumina maxima exeruit. Et pietate quidem in Deum flagrantiſſima deuotione, abſtinentia, zelo religionis æſtuans, egregia edidit deditæ diuino honori mentis teſtimonia. Cœlitum etiam quorum erat imitator ſtudioſus, cultor etiam operoſus, memorias ſedulo exornauit. Maximè verò deuotus in ſanctos Martyres Geruaſium & Protaſium Eccleſiam ædificauit eorum in honorem: in qua ipſorum reliquias, quas ſanctus Martinus ab Italia attulerat, reuerenter condidit. Vtque ſubleuaret populi incommoda, Eccleſias per vicos inſtituit, in quibus Maieſtati diuinæ debita obſequia rependentes ſalutis etiam perciperent ſubſidia. Charitate in pauperes, affatim effuſus, quam potuit opem Paſtor bonus ſemper contulit. Denique in omni iuſtitia conſummatus, ad Dei beneplacitum omnia relinquens diſpoſita, anno Epiſcopatus decimo ſeptimo oculos carnis in mortem clauſit, atque ad ſanctorum indeficientes ſplendores lætanter profectus, in baſilica digno funere humatus eſt, quam beatus Briccius eius deceſſor ſuper tumulum ſancti Martini conſtruxerat. Treuiris ſancti MELETII Epiſcopi itidem & Confeſſoris. Is ſacrum pietatis ignem à puero, cordis in ſacrario concipiens, ita religionis feruore excanduit, vt ſuo tempore zelotem Heliam igneo verbo ac opere referre videretur. Lucerna ſiquidem lucens & ardens, doctrinæ ſimul veritatem, & puritatem vitæ diuina conuerſatione oſtendebat. Quibus radiis enitens, Voluſiano ad præmium abeunte, cathedram eius aſcendere compulſus eſt. Tantáque virtutum gratia ornatus, Clero populóque præluxit ſuo, vt viam ad beatitatem peruiam quibuſque redderet: ſanctis quæ diurnis iuſtitiæ progreſſibus imprimebat veſtigiis. Quibus demum ſtadium præfixum emenſus, laborum quos in Dei famulatu, Eccleſiæ præſulatu, animarum ſedula ſolicitudine, exegit, mercedem in cœlis deſtinatam adeptus eſt. Ciuitate Metis ſancti GOERICI Epiſcopi & Confeſſoris præclari. Is ex nobili proſapia, Anſelberti Senatoris (aui ſancti Arnulphi, ſui deceſſoris) pronepos, in Aquitania primum lumen aſpexit. Ingenuéque pro natalium ſplendore educatus, poſt exacta bonarum literarum tyrocinia, militaria ſecutus, dignitate Comes, deinde & Dux, Prouinciæ huius ampliſſimæ, potiorem adminiſtrationem ſuſcepit. Non tamen ſic hæſit poteſtatis tantæ muneribus, quin cœlo intentus præcipua animi ſtudia, ad Dei obſequium reuocaret. Quantumuis enim negotiorum mole premeretur, ſingulis noctibus ad maieſtatem æterni Regis pacatius adorandam ſurgebat:

Margin notes: MELETIVS. GOERICVS.

gebat: die verò quolibet à turba & strepitu se subducens, deuotis precationibus, diuinam sibi gratiam, ad agendum quæ recta sunt flagitabat. Mentis erat dotibus egregiis perornatæ, miráque pollebat facundia. At potissimum rectæ fidei nitore, cultu veritatis & iustitiæ; castitatis, abstinentiæ, prudentiæ, pietatis studiis erat insignis. Porro cùm his floribus ætatéque vernaret, casto connubio copulatus, sic eo in vitæ genere versatus est, vt religiosa familiæ gubernatione, Pauli ad vxoratos præcepta iustè factis adæquauerit: magnámque benè regendæ aliquando Ecclesiæ prodiderit, quam Apostolus ipse hoc ex specimine exigit, peritiam. Ex immaculato thoro castam prolem suscepit duas nimirum filias, *Preciam* & *Victorinam*, quæ studiis pietatis & virginitatis illibato decore, venustatem corporis & excelsam mentis indolem admodum collustrauerunt: vnde à cunctis, duo ceu naturæ miracula, gratiæque prodigia suspiciebantur. Sed tam florida benedictione dum Goëricus fruitur, Deus qui sibi charos semper exercet, ad meritorum eius augmentum hac illum tribulatione affici permisit, vt oculorum binis luminibus orbaretur. Quam visitationem etsi grauissimam filiali dum ille demissione suscipit, promeruit, vt paternæ manus cuius flagella persenserat, solatia quoque experiretur. Diuina siquidem inspiratione admonitus fuit, Mediomatricũ (quæ Metis est) ciuitatem adiret: atque in basilica Protomartyris (vbi silex quo in capite percussus fuit inclytus ille Christi testis, eiusdem adhuc tinctus cruore ac aliquot capillis adglutinatus, religione multa seruatur) vota effunderet: fore enim vt his optatum lucis vsum consequeretur. Paruit diuinis monitis Goëricus, eò mox profectus cum vtraque nata. Et pium quidem clientem, nexu sibi sanguinis deuinctum, castáque cinctum sobole, patulis vlnis suscepit Arnulphus sanctissimus Antistes: qui eidem non tenue fomentum deuotionis indidit, hortatus, vt concepto voto petita sua maturiùs fulciret. At ille quo cœlitum patrocinium apud Christum demereretur, votiuo munere basilicam extrui curauit Petro Apostolorum coryphæo (qui Stephanum ipsum sacræ militiæ adscripsit, & ad pugnam instruxit) nuncupatam, in qua mystarum collegium instituit, nunc vsque titulo sodalitij canonicorum maioris domus sancti Petri conspicuum, in cuius dedicatione suæ fidei & deuotionis præmium retulit, vtroque oculorum redintegrato lumine. Quo miraculo in numerosæ plebis edito conspectu, Deo magna vt data est glorificatio, sic Goërico lætitia ingénsque existimatio accessit, cuius ita numini grata essent opera, splendidis vt huiusmodi be-

neficiis muneraretur. Cùm igitur beatus Arnulphus pertæsus dignitatis & solitudinis cupidus, secessum iampridem meditaretur, ipse hominem diuinæ gratiæ insigniis illustratum, dignum esse qui Pontificatu eueheretur illico contestatus, successorem sacri muneris renunciauit, ordinémque sacrum subinde & plebem admonuit, quatenus huius designationem ratam haberent, quam diuina dignatio præuenisset perspicuo grati sibi obsequij indicio. Annuerunt omnes præcordiali morigeratione: sícque onus & honorem Arnulphus in Goëricum transcripsit. Qui Episcopali solio sublimatus, omni pietatis officio, omnísque virtutis pastoralis cultu coruscus emicuit. In eius moribus id stupendum maximè erat: quòd ipsum vix nisi Dominica die aut Sanctorum natalitiis idem sol viderit comedisse. Vitiorum seuerus reprehensor, virtutum prouector strenuus, afflictorum solatio, senum subsidio, tutelæ viduarum, orphanorum patrocinio, defensioni oppressorum, atque quibuscumque ope sua egentibus ferendo auxilio sedulus erat. Interimque nihilominus aris assiduus, diuinum sacrificium quotidie litabat. Nunquam verò diuina tractabat, quin totus in lachrymas piósque gemitus solueretur: horæ quadrantem nusquam ludicris concessit, semper serius, semper deuotus, vitæ momenta quæque Deo vel orando, vel prædicando, lectitandóque codices sacros, vel operi cuidam pio edendo studiosè impendit. Delectabatur ornatibus sacris. Nam vt tremendum mysterium cum decoro perageret, vasa magnifica summæ aræ ciendo splendori adornauit. Cui & imposuit Crucifixi Seruatoris ingentem ex auro effigiem. Mysticæque panopliæ tantum decus addidit, vt stuperent omnes, sacræ vt supellectili augendæ tot adminicula conferret: interímque egentibus quibusque tam largè opitularetur. His distentum religiosis curis animum, vt relaxaret atque quò magis creatis rebus abstractum, eò propiùs eueheret ad Deum, se intra Vogesi montis intimos sinus succisiuis vicibus recludebat: in cuius solitudine ad Mosam Parthenonam condidit in filiarum Virginum (quarum & hodie sacra est memoria) earúmque sodalium gratiam: quarum *Precia* meritis potiùs quàm natalium iure primiceria fuit. Perstat etiamnum domus illa, morum puritate ac opum affluentia præstans, auctáque oppido adiacenti Spinalium dicto, quod loci celebritate sensim coaluit. Deinde Goëricus corpus sancti Arnulphi ex Vogesi ipsius eremo Mediomatricum reuexit condecenti ornatu: atque in sancti Ioannis

Euangelistæ Ecclesia (postea noui istius hospitis nuncupatione insigni) collocauit , miro refulgens signorum splendore. Tum denique beatus Episcopus cùm oues suas annos octodecim indefessa solicitudine pauisset: senio, vigiliis & abstinentia confectus , metam caducæ vitæ attigit diu desideratam, morbóque pulsatus ad requiem lectulo cineribus consperso decubuit, in quo orans psallénsque magno cum pietatis sensu & puræ mentis tranquillitate defunctus est. Huius sacrum corpus primùm ad sanctum Symphorianum sepultum, retro altare Sanctorum Crispini & Crispiniani, inde Spinalium transuectum est: vbi hactenus multa fulget deuoti populi veneratione, seiuncto capite quod apud sanctum Symphorianum relatum, illic religiosè hactenus conseruatur. In territorio Lingonensi sancti SEQVANI Presbyteri & Eremitæ sancti Ioannis Reomensis Abbatis discipuli: beatíque Eustachij Presbyteri religiosissimi charissimi symmystæ. Hic priusquam in vtero formaretur à Deo in benedictione preuentus: mox ac in lucem editus est, inditæ gratiæ specimina protulit. Infantili enim adhuc ætate futuræ sanctitatis radios emisit, abstinentiæ rigore, & innata quasi pietatis quam spirabat idea. Pueriles inde annos excedens , diuinis precationibus ita deditus enituit, vt orandi frequentia, psalterium memoriter teneret. Sed à parentibus quibus vnicus erat, cum perennandæ stirpis desiderio ab officio clericatus, in quod propensior erat dissuaderetur: veritus ne à pietatis intenso cultu quam ardebat, carnali illorum auelleretur affectu, secessit è natalium loco (Magismontensi oppido) atque in villam Valeriacum dictam aufugit, secretámque ibi vili opera cellulam construxit, vbi æterni numinis adorationi defixus, votiua orationum libamina cœpit Christo offerre, & abstinentiis impuberes artus, molli adhuc corpusculo macerare, non cibum sumens antequam psalterium totum orando recitasset. Impetitus dæmonum vexatione, abstinentiis, ieiuniis & orationibus tandiù se affligebat, donec iuuante Christo, à se eos victos expelleret. His sanctis exercitationibus eam ad sanctitatem euasit: vt mirandorum etiam operum patrator fieri mereretur, cæco visum refundens, energumenos sanans, paralitium erigens aliáque diuinæ virtutis qua pollebat exerens indicia. Denique cum Angelica conuersatione solitudinem suam solo natali illustriorem reddidisset, ascitis superno afflatu in cœtum aliquot ascetis, Deo gratus, Angelis familiaris, hominibus charus, dæmonibus formidabilis, pietatis operibus locupleta-

SEQVANVS.

tus, hac ex labili luce ad perpetuum lumen gloria coronandus migrauit. Inque cœnobioli sui Ecclesia sepultus est: cui nunc vsque ope vt nomine suffragatur. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Arnulphus. PIE ad Christum transiuit beatus ARNVLPHVS Episcopus Vapincensis, ex monacho sanctæ Trinitatis Vindocinensis ab Alexandro II. Pontifice maximo ad hanc Cathedram euectus, ob gratiæ perspicua charismata. Vir Angelicæ puritatis, singularis modestiæ, præcipuæ humilitatis, zeliique sacerdotalis miro succensus feruore. Qui cum sanctis operationibus cœlestis patriæ tramitem subditis indicaret: miris etiam virtutum diuinarum signis quantum Deo gratus esset sæpissimè ostendit, nam cæcum tactu suo illuminauit, monialem à dæmone abreptam oratione sua eripuit: elisum hominem recreauit, puerum flumine suffocatum reuocauit ad vitam, viuénsque ipse post mortem apud Deum, miseris ad suum tumulum subsidij causa confugientibus, innumera sanitatum beneficia impertitus est, cæcis dans lucis vsuram, mutis loquelam, surdis auditum, leprosis munditiem. *Balsamus.* Claræuallis sacro fine quieuit BALSAMVS monachus Italus, qui monasterij sancti Anastasij Romæ cœnobita, ad famosam hanc domum veniens, in magna animi puritate vitæ reliquum traduxit: diuinísque visitationibus honoratus, ad conspectum redemptoris desideratissimum pertexit.

Duodecimo Kalend. Octobris. Luna 20

D III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
28	29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
15	16	17	18	19	20	21	22	22	23	24	25	26	27			

SS. EVSTACHIVS. NATALIS sancti EVSTACHII Martyris Illustrissimi, Romæ sub Adriano, cum vxore & filiis, inclyto pro fide Christi certamine coronati. Cuius sacratissimum corpus Româ pridem interiorem in Galliam allatum, in insigni sancti Dionysij cœnobio, proprio in sacello requiescit conditum in lipsano theca deaurata: ante quàm lampadem inextinguibilem appendi curauit Robertus Meulanti Comes, aliámque Albericus Franciæ Marescalus: tertiam denique Vvillelmus Dominus de Alneto. Manasses verò venerabilis Aurelianensis Episcopus reditum annuum assignauit ad tredecim cereorum fomentum, qui accendi debent in natali ipsius Martyris, qui solemni officio in illo cœnobio de more celebratur. At Lutetiæ Parisiorum in famosa sancti Eustachij parœciali æde: gloriosi ipsius Christi athletæ pignorum haud exilis portio, in sacrario condecenti cultu & ornatu reposita, ab aliquot annis asseruatur. AMANDVS. In Cœnobio Elnonensi Præsulatus Tornacensis eleuatio sancti AMANDI Episcopi & Confessoris loci illius patroni: cuius corpus post

centum & quinquaginta annos à transitu ita integrum & incorruptum inuentum est, vt ablatis geminis dentibus de ore eius, stillæ sanguinis memorentur fluxisse. Eodem die apud Sonegias sodalitium Canonicorum diœcesis Cameracensis, translatio beati VINCENTII Confessoris Comitis Hannoniæ, eius VINCENTIVS. denique loci fundatoris: cuius annua festiuitas ob egregia pietatis monimenta, in vniuersa Hannonia colitur ab incolis die decima quarta Iulij. Ipso die Vigilia sancti Matthæi Apostoli. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

AD æthereas sedes hodie euolauit B. IOANNES cognomento Eustachius, *Ioannes cognomine Eustachius.* qui primò Clericus congregationis Scholasticorum in monte Hannoniæ: deinde monachus in cœnobio Molendini instituti Cistereiensis: hinc tandem Hortuli creatus Abbas primus rigidissima abstinentia, eximia paupertate, profunda humilitate, charitate, feruenti & profusa misericordia, aliisque admirandæ sanctitatis luminibus enituit: pristinámque pietatem in multis monasteriis restituit. Deinde abdicato Abbatiali regimine (quod annos nouem super triginta in Dei timore & gratia gessit) miraculis clarus, spiritu prophetiæ insignis, quieuit in pace. Eodem die Villarij in Brabantia feliciter denatus est FRANCO ex nobili *Franco.* Dynasta humilis conuersus, qui generis opúmque quam spreuit claritudinem, religiosæ vitæ meritis, puræque mentis splendore, qua Deo famulatus est, admodum superauit.

Vndecimo Kalend. Octobris. Luna

21 F III.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
29	30	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15

t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P
16	17	18	19	20	21	22	23	23	24	25	26	27	28

NATALIS sancti MATTHÆI Apostoli & Euangelistæ: SS. MATTHÆVS. cuius in Æthiopia martyrio laureati corpus sacrosanctum inde Salernum aduectum est: è quo excerptum venerandum caput, pridem in Galliam delatum fuit: reconditúmque in summa basilica Bellouacensi, in qua egregio cultu conseruatur: dempto vertice, qui Carnuti in sacrario nobilis ædis Virginis Deiparæ, magna cum veneratione habetur. Ipso die Truncinij iuxta Gandauum passio sancti GERVLPHI Martyris. GERVLPHVS. Hic Merendræ secundo lapide à Gandauo natus, clara ac Christiana prosapia, pietatis ab infantia amantissimus fuit: monasteria & Deo dicatas Ecclesias religiosè frequentauit, sacerdotes & clericos magno studio coluit: atque potissimum annisus est vt vitam suam quam optimè ad normam diuinæ legis institueret. Qui cùm diuino spiramine, perfectus vt Christi

miles fieret, ſacramentum confirmationis Gandaui percepiſſet, in reditu, ab eo ipſo quem ſuſceptorem habuerat, inuidia exagitato, eius egregiæ pietatis, lethali vulnere confoſſus, paulò pòſt in magna innocentia animam efflauit: villam ipſam in qua natus erat Truncinenſi monaſterio impertitus, in qua ſepeliri voluerat. At pater eius piis filij votis haud aſſenſus, nec prædia illa Eccleſiæ Truncinenſi dedit: nec corpus eius illo in loco ſed Merendræ in æde ſanctæ Radegundis ſepeliri curauit. Quo in loco manſit multis clarus miraculis, donec tandem diuina commonitione, ad Eccleſiam Truncinenſem, quam pro loco quietis elegerat tranſlatus eſt ſolemni pompa atque honore.

LAVDVS. Ipſo die Conſtantiæ in inferiori Normania ſancti LAVDI quinti præfatæ vrbis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui Childeberti Regis tempore, nobili genere prognatus haud procul ab ipſa Conſtantia, à puerili ætate ſpretis ludicris, quibus hæc ætas occupari ſolet, literis ac pietati incubuit. Miróque ſapientiæ & religionis progreſſu promeruit, vt *Poſſeſſore* qui *Leontio* ſucceſſerat illius ciuitatis Præſule demortuo, cùm de futuro eligendo Epiſcopo comitia agerentur, diuinitus hanc ad cathedram vocaretur. Cœleſti enim inſpiratione in ſomnis admoniti ſunt duo probatæ vitæ & fidei ſacerdotes, vt Laudum duodennem puerum Epiſcopum renuntiarent. Quorum teſtimonio Regis itidem diuinitus admoniti aſſenſus acceſſit. Secutæ hinc populi acclamationes, delatæ ad ſanctum Gildardum Rotomagenſem Metropolitam ſupplicationes, quibus vt delectum conſecraret enixè à Clero & populo rogabatur. At Archiepiſcopo canonum obſeruantiſſimo, ob ætatis defectum Laudum conſecrare recuſanti, per quietem vir veneranda canitie viſus eſt, qui eum cœleſti præcepto adhortabatur, vt puerum cui Deus honorem ſenectutis ceu alteri Danieli dederat, Epiſcopali ſacrare vnctione non dubitaret. Paruit ſupernis iuſſionibus beatiſſimus Præantiſtes. Sícque Laudus eadem ætate qua Chriſtus inter Doctores ſedens magiſterium iniit pietatis: exorſus Epiſcopatum, in Eccleſia Dei verbum prædicauit, non minori audientium fructu quàm admiratione. Hinc ſenſim ad meridiem ætatis progreſſus, ampliores gratiæ, quæ merita in dies (munerum cœleſtium incremento) augebant, edidit ſplendores. Adeovt clarum iam religionis iubar, ſacris in Galliæ Comitiis, præcipua inter lumina huius æui, ſanctitate, doctrina, ſignísque diuinis radians colluceret. Concilio enim ſecundo & tertio Aurelianenſi interfuit, magna cum omnium veneratione. Redux inde ad patriam, ſancti Marculphi funus pio affectu cu-

rauit. Móxque ipse sanctis laboribus fessus, quos in diutino pontificatu Christi pro gloria, & communi gregis sibi commissi vtilitate exegerat, æterna in requie obdormiuit: iísque post transitum refulsit gloriæ qua pollet in cœlis coruscationibus, vt beatæ memoriæ sempiternum, per beneficia sanitatum, quas Christo largiente impertit supplicibus, pepererit honorem. Aptæ sancti CASTORIS huius sedis Episcopi, qui sub Arcadio Imp. claruit meritis Apostolicæ virtutis. *Castori.* Augustæ Trecarum sanctæ MAVRÆ Virginis, quæ Mariano Seduliáque nobilitate ac opum affluentia conspicuis parentibus edita, *Maura.* calcatis florenti ætate carnalibus nuptiis, post admirandæ vitæ exercitia, insigniáque eximiæ sanctitatis: vix anno ætatis peracto vigesimo tertio exuta carnis veste, chlamyde immortalitatis, aureoláque immarcessibilis gloriæ ornata, ad sponsi cœlestis puros optatósque thalamos ouans properauit. Cuius alma præconia eleganti encomio celebrauit sanctus *Prudentius* Trecensis Episcopus sanctimoniæ eius oculatus testis, petentibus *Sedulia pientissima matre*, *Eutropióque* fratre ipsius Virginis: *Leonéque* Abbate beato, qui eam in Christo verbo vitæ & aqua salutis progenuit. Apud Crispinium in agro Cameracensi eleuatio & repositio pretiosi corporis, Christi Confessoris LANDELINI: *Landelinus.* cuius festa dies quotannis elucet 17. Kalend. Iulij. Ipso die translatio sancti PEREGRINI Episcopi & Martyris, *Peregrinus.* cuius corpus venerandum Autissiodorensi è solo quod pretioso cruore rigauit, ad agrum Parisiensem diuino ductu delatum, in sancti Dionysij illustri monasterio conditum quiescit in capella memoriæ eius consecrata. Ad quam supplex & venerabundus venit Petrus Episcopus ex Autissiodorensi Præsulatu ad Parisiensem translatus per Honorium III. Pontificem Maximum, vt opem Martyris, sui quondam decessoris, nunc patroni, ineundo regiæ vrbis pontificio opportunam, impetraret. Dedicatio basilicæ Fontaneli Cœnobij diœcesis Æduensis, facta per Eugenium Papam III. præsente sancto Bernardo. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

IPSO die obdormitio beatæ memoriæ MARTINI Presbyteri Cardinalis tituli sancti Stephani in Cœlio monte, sedis Apostolicæ in Gallia Legati, viri admirandæ paupertatis, humilitatis, castimoniæ, prudentiæ, religionis: *Martinus.* quem ob rara charismatum dona moresque suo sæculo incorruptos admiratus sanctus Bernardus, *Ecclesiam multis eiusmodi columnis fulciri*, *Pontificem summum consiliariis pluribus adeo integris, piisque stipari* vehementer (vt innuit scribens ad Eugenium) exoptauit. Eodem die felici funere ad meliorem patriam profectus est *Bonifacius.* piæ memoriæ BONIFACIVS XXII. Abbas Cisterciensis, qui toto Ordini cum

magna ſanctitate præluxiſſet : ſtudio humilitatis depoſita dignitate, in ſumma demiſſione, ſpiritum exhalauit. ANGELVS DE IOYEVSE, qui oobiliſſimorum natalium ſplendorem, rerum geſtarum claritudioem, aulæ blandientis fauores muodi illecebras & gloriam, ſuoimóſque fere Galliæ honores pro Chriſto contemnens : Dueis, Paris, Proregis & Mareſchalli Franciæ abdicata dignitate, opúmque ingentium abiecta copia : omnium eum ſtupore ordinem Capucinorum ingreſſus, Heros verè ioelytus, aſpectu decorus, eunctis amabilis, breui Prouinciæ Franciæ Præpoſitus omni genere virtutum enituit : maximè verò ſingularis pietatis, paupertatis, humilitatis, auſteritatis, & regularis obſeruantiæ exemplo ſuprà modum autem orationis ſpiritu, charitatis feruore, & aoimarum zelo totus collueens & flammans : iterum Prouinciæ ſuæ præfectus, ſimul definitor, generalis, & eitra montes viſitator diuinè factus illuſtris, Riuoli in Chriſto feliciter obdormiuit.

Angelus de Ioyenſe.

Decimo Kalend. Octobris. Luna

22 F II.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
30 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16
t u A B C D E f F G H M N P
17 18 19 20 21 22 23 24 24 25 26 27 28 29

AGAVNI in finibus Sedunorum : haud longè à Rhodani fluminis in lacum Lemanum ingreſſu, Natalis beatiſſimorum Martyrum MAVRITII, EXVPERII, CANDIDI, INNOCENTII, & ſociorum ſex millium ſexcentorum ſexaginta ſex militum Thebææ legionis, qui ſub Aurelio Maximiano pro Chriſto necati, glorioſa paſſione mundum illuſtrârunt. Cùm enim Maximianus ipſe in Gallias profectus eſſet, ad motum Bagaudarum comprimendum: poſitiſque caſtris conſtitiſſet Octoduri ſacrificij cauſa : Comperto quod Thebæa legio à reliquis copiis, ne impiorum ſacrorum fœditate inquinaretur, diſceſſerat : protinus ad Mauritium ducem alióſque agminis illius anteſignanos miſit, iubens vt in caſtra ad ſacrificia redirent. Qui ſe Chriſtiana religione impediri reſponderunt. At hoc eorum reſponſum ille indigniſſimè ferens, maiori iracundia quàm antea exarſit. Itaque immiſſa parte exercitus in Thebæos, decimum quemque eorum primùm occidi iuſſit: quod martyrium hortante maximè Mauritio, ferre maluerunt, quàm ſcelerata Principis mandata facere. Non deſtitit tantæ pietatis intuitu nefarius tyrannus : quin magis exaſperatus deinde omnes ad internecionem vſque deleri mandauit, qui conſtantiſſimè Chriſtum prædicantès, protinus trucidati laureatos ſpiritus immortali triumpho, ad cœlum tranſmiſerunt. Eodem die paſſio ſancti VICTORIS Martyris. Hic nec legionis eiuſdem fuit, neque miles, ſed emeritæ iam militiæ veteranus, qui iter agens cùm in eos incidiſſet qui læti ſpoliis Martyrum paſſim epulabantur, ab

SS. MAVRITIVS, EXVPERIVS, CANDIDVS, INNOCENTIVS & ſocij Martyres 6666.

VICTOR.

iſtis ad conueſcendum inuitatus, quod conuiuarum impietatem deteſtaretur, ſeque cultorem Chriſti aſſereret ſyncerum, ab iis iugulatus eſt: cæteriſque Martyribus quorum agonem glorioſum commendabat honore coniunctus. Quorum omnium inſignium Chriſti bellatorum illuſtriſſimam de idololatria victoriam, ſanctus Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus præclaro panegyrico quem miſit ad Syluium Epiſcopum celebrauit. Fortunatus trophæa eleganti poëmate cecinit. Sigiſmundus Rex palæſtram mauſoleo nobili decorauit. Pignora ſanctus Martinus venerabundus viſitauit: ampullámque ſacri eorum cruoris pretioſo hinc munere acceptam, perenniter geſtans, ad extremum dum carnem exueret ſecum in tumulo reponi præcepit: denique hiſtoriam luculentam Marbodus Epiſcopus Redonenſis, nobili lucubratione proſecutus, poſteris conſignauit. Ex qua aliíſque priſcis monumentis habetur exploratum quod cadauera Deo chara ſancti Mauritij, eiúſque plurimorum conſortium poſt truculentam ſtragem coniecta in Rhodanum, fluctibus huius fluminis Viennam Allobrogum fuerint cœleſti diſpoſitione euecta: inter quæ ſancti Mauritij omnium Principis corpus eò ſeorſim delatum: caput à trunco diuulſum clypeo eius decenter ſicut nauigio impoſitum, enatauit. Quæ pretioſa ſpolia diuinitus deſtinata, ſanctus *Paſchaſius* Viennenſis Antiſtes supernè admonitus, cum Clero honorificè obuiam progreſſus condigna religione ſuſcipiens, in baſilica Sanctorum Machabæorum collocauit cultu æterno proſequenda: in qua repoſita, tutelam ſibi eiuſdem ædis Principis, ipſiúſque ciuitatis ſancto Mauritio turmæ illius purpuratæ primicerio tandem vindicárunt. Cuius ſacrum caput illic conditum, Bozo Burgundiæ Rex ornauit ferculo aureo gemmis inſignito. E quo elicita maxilla ad Vrſicampi cœnobium pridem aduecta fuit percolenda per Simonem loci illius fundatorem, Epiſcopum Nouiomenſem, Hugonis magni Veromanduorum Comitis filium. Sed & lanceam cum galea ſancti Mauritij dudum ipſa Viennenſis Eccleſia cuſtodiuit ſuo in ſacrario. Vnde vtramque accipiens Carolus Martellus his inſtructus armis, ceu ſecuris præſidiis, proceſſit ad pugnam contra Saracenos, Gallias furioſo æſtu inuadentes: quos Martyris tanti felici ope munitus, ad internecionem deleuit. Cæterùm ſeruat Eccleſia matrix Andegauenſis ſancti Mauritij (cuius tutelæ addicta eſt) etiamnum gladium vaginæ argenteæ inditum. Annulum geſtant pro principatus indice, Sabaudiæ Duces. Corpus poſt multas ſitus viciſſitudines tandem Carolus Emanuel Philebertus non ita diu collocauit Auguſtæ Tauri-

norum. E quo tamen pridem decerptæ variæ particulæ, per diuersas dispersæ Galliæ Ecclesias, & gloriosi inclyti huius agminis coryphæi cultum toto regno propagârunt: & eiusdem almi Christi testis præsidium plerisque vrbibus, oppidis, pagis imperti-erunt.

EMMERAMVS. Ipso die Natalis sancti EMMERAMI Episcopi Ratisbonensis & Martyris, patria Aquitani. Qui Spiritu sancto duce ad hanc Cathedram euectus, illam sanctitatis splendoribus mirificis illustrauit. Demúmque vt boni illius pastoris, qui animam pro ouibus posuit exemplum sequeretur, vt multos liberaret, sæuissimam Christi amore, mortem patienter perpessus est.

IOANNES. In pago Tornodorensi sancti IOANNIS Abbatis & Confessoris, qui vrbis Lingonicæ indigena, amore Christi incensus anno ætatis vigesimo in solitudinem secessit cum duobus pueris, vbi cùm Angelicam vitam institueret, confluentium discipulorum turba exagitatus, in Lerinense monasterium se cum duobus asseclis recepit tutum pietatis asylum. Hinc reuocatus in patriam à sancto Gregorio Episcopo Lingonensi iussus est locum quem deseruerat incolere, fratrúmque desolationem, qui Magistrum eum spirabant, subsidio nouæ solicitudinis recreare. Iussis paruit vir humilis collectísque alumnis misericordiæ vbera tetendit: curam iis indefessam exhibens, viámque iustitiæ diuinis actibus ostendens, hinc signis miris refulsit: nam oratione dæmones expulit, basiliscum interemit, pauit diuino ex penu pauperes, demúmque ætatis anno centesimo ad immortalitatem migrauit.

SANCTINVS. Apud Ciuitatem Meldensem Natalis sancti SANCTINI primi illius vrbis Episcopi à sancto Dionysio constituti: qui mores eius Apostolicos imitatus, actáq. diuina non calamo solùm, sed opere complexus: post Euangelicæ prædicationis feliciter expleta munera, ad coronam peruênit gloriosis laboribus repositam.

FLORENTIVS. Ipso die Lugduni sancti FLORENTII Presbyteri, quem ortu Pictauiensem sanctus Martinus consecrauit cœlestibus indiciis ac miraculis conspicuum, à quo ille diuertens, ne ob susceptam inuitè dignitatem decus honoris perciperet, in locum à frequentia semotum prosiliens, ad littus Ligeris venit, vbi erat spelunca serpentibus plena quos oratione fugauit: hícque consistens cœlo defixus, precibus, ieiuniis, vigiliis, Christi sese addixit obsequiis. At cùm puerum aquis fluuij præfocatum matri mœrenti viuum reddidisset: veritus ne facti fama sibi vigili pareret existimationem, statione dimissa, Lugdunum ad latendum contendit, vbi è stadio mortis digressus, æternam ad patriam quam quærebat à superno Rege euocatus est senio quidem confectus, at meritis (quod ipso nomine præferebat) valde

florens & ornatus. Ipſo die apud Lerinum monaſterium ſancti FLORENTII Abbatis, diuinarum virtutum imitatione nobilis. Florentius Abbas. In territorio Bituricenſi ſancti SILVANI Confeſſoris, vita hominibus quidem abſcondita at Deo cognita beatiſſimi: ſicut Silvanus. ſanctitatis eius diffuſa pridem gloria toto illo tractu teſtatur. Apud Lugdunum Clauatum ſanctæ SALABERGÆ ſancti Euſtaſij Abbatis Luarienſis diſcipulæ: quæ trecentarum virginum Salaberga. Abbatiſſa omni ſanctimoniæ exemplo iis præluxit, claráque miraculis, illud in amœnum præclarúmque palatium tranſlata eſt, ad quod cœleſti viſione paulò ante obitum fuerat à caſtarum animarum amatore ſuauiter inuitata. In agro Catalaunenſi, ſanctæ LVTRVDIS Virginis ſanctimonialis, ſororis ſanctæ Puſinnæ, Lutrudis. de qua actum vigeſima tertia Aprilis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

DOMINICA poſt feſtum ſancti Matthæi facta eſt Meloduni ad Sequanam miraculoſa inuentio reliquiarum ſancti *Gregorij Papæ, beatorúmque Aſpaſij & Blaſij Epiſcoporum, beatæ Mariæ Magdalenæ, necnon ſanctæ Agnetis Virginis & Martyris:* quæ in ſancti Petri cœnobio repoſitæ fuerant congruenti honore. Ipſo die ad beatas conceſſit ſedes piæ memoriæ GERARDVS II. Epiſcopus Tornacenſis *Gerardus.* poſt vtriuſque Præſulatus Nouiomenſis & Tornacenſis antea coniuncti ſeiunctionem: vir fide & ſapientia clariſſimus, & ab ipſis infantiæ rudimentis, mira Dei gratia præditus, qui Eccleſiam ſibi creditam magna cum omnium ædificatione gubernauit, iuuans pauperes eleemoſynis, religioſos patrocinio, omnes exemplo. Fuerat priùs Abbas Villarienſis II. atque in Claraualle ſancti Bernardi percharus alumnus, à quo in Brabantiam miſſus, Villarij erectionem promouit egregiáq. multa operatus eſt: quorum affluentem mercedem tandem à cœleſti munerario percepit. Ad ſupernos montes cœleſtis patriæ hodie feliciter peruenerunt MATTHÆVS BORDIER, NICOLAVS DANES, & ADRIANVS ROSSIGNOLIVS, ordinis ſancti Franciſci de Paula religioſiſſimi Profeſſores. In quibus vnus idémque ſpiritus multiplicis gratiæ ſuæ dona mirificè patefecit, quibus eorum ornata memoria, venerabilis apud pios iuſtóſque meritorum eorumdem æſtimatores iure ſuo perdurat. *Matthæus, Nicolaus & Adrianus.*

Nono Kalend. Octobris. Luna

23 G I.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
18	19	20	21	22	23	24	25	25	26	27	28	29	30			

NATALIS ſancti LINI Papæ & Martyris, qui vir Apoſtolicus ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo ædificandæ Eccleſiæ SS. Linus. magno adiumento fuit. Miſſúſque in Galliam à ſancto Petro Veſuntione veniens apud Onaſium Tribunum hoſpitatus eſt, quem Chriſti notitia illuſtrauit: ædificatáque ad officia pietatis

in eius fundo sacra ædicula, quam in honorem dominicæ quam prædicabat resurrectionis, sanctæ Deiparæ Virginis & beati Protomartyris Stephani dedicauit: multos è ciuitatis huius incolis, cœlesti facundia, Christi ouibus aggregauit. Et iam longè plurimi ad veram lucem aspirabant: cùm ecce quodam die contigit, vt populus diis suis quos in lapideis columnis erexerat, sacrificaret. Accurrit Linus Dei gloriæ & humanæ salutis zelo æstuans, & per turbam in locum vbi diis fiebat irrumpens: *Desinite*, ait, *eiusmodi numina reuereri: & vni Deo optimo maximo debitum honorem, nolite fictilibus simulachris impendere. Quin potiùs me duce verè diuinam salutarémque fidem amplectemini.* Quorum verborum fulmine vna è columnis icta, simulachrum quod sustinebat solo afflicta collisit. Exacerbauit sacrificulos hæc iniuria. Extemplo igitur superstitiosam multitudinem in diuinum præconem exasperant: vnde commota plebs, & Christianam perosa fortitudinem, facto impetu suum Apostolum eiúsque discipulos ciuitate extrudit. Itaque ad beatum Petrum reuersus, ab eo peramanter susceptus est: à quo in Episcopatu Romano factus adiutor, post eius agonem in ipsius vrbis & totius orbis Pontificatu proximè eidem successit, spiritúque planè Apostolico, orbatam Cathedram omnium supremam repleuit. Donec tandem ob singulare veréque Pontificium Christianæ fidei studium, iussu Saturnini impij ingratissimíque Consulis, cuius filiam dæmonum æstu agitatam diuinitus liberauerat, ipsi caput amputatum est. Ipso die in Episcopali Ecclesia Regiensi, totáque in eius diœcesi celebratur Natalis sanctæ THECLÆ Virginis illius sedis Patronæ & primæ omnium sexus fœminini Martyris. Hæc Iconij in Lycaonia nobilissimis parentibus nata, à Paulo Apostolo fidei præceptis instituta, pro Christi confessione in ardentem rogum iniecta, indéque liberata diuinitus, Antiochiam venit. Vbi denuo comprehensa feris exposita & tauris alligata diuersè incitatis: mox præceps deiecta in fossam plenam serpentibus, diuina ope ex omnibus his periculis erepta est. Post quæ superata in patriam rediens, cœlestibus virtutibus & miraculis insignis, annum agens nonagesimum abiit ad Dominum. Eius res diuinè gestas Patres mirificis encomiis extulerunt. Porro sacra spolia ex Oriente in Galliam traducta, Carnuti in celebri toto orbe sanctissimæ Deigenitricis basilica ad perpetuam venerationem recondita sunt: in præsidium illius vrbis Galliæque vniuersæ decus sempiternum. Ex his tamen decerpta duo inclytæ Virginis brachia, alterum Vernoni ad Sequanam in basilica sanctæ Deigenitricis: alterum Regij in prædicta

THECLA Protomartyr virgo.

Cathe-

Cathedrali Ecclesia, cum eiusdem maxilla, & duabus scapulis omni cum decoro & religione conseruantur. Aruernis veneratio synonymæ Virginis. quæ propter probitatem morum & vitæ sanctitatem THECLÆ nomen sortita: Calamariensi monasterio idipsum indidit, quod Theclatense inde dictum est, quia ipsa Deo dedita Virgo, post immaculatæ vitæ exactum decursum, illic sepulta est, vbi ante altare S. Pardulfi requiescit. THECLA virgo sanctimonialis. Lutetiæ Parisiorum sancti PAXENTII Martyris, qui ingenuus adolescens sub Antonino Principe post multas perpessas pro fide Christi immanium cruciatuum acerbitates, impacto demum capiti trabeali clauo agonem suum coronans, pro prҿmio victoriæ diadema decoris & palmam gloriæ immarcessibilem de manu Domini percepit. PAXENTIUS. Sacrum eius corpus honoro loculo cōditum seruatur in cœnobitica Ecclesia Regalis Cœnobij S. Martini Campestris, vbi eius natalis per dies octo magna solemnitate & populi deuoti frequentia celebratur. Ibidē Natalis S. ALBINÆ Virginis & Martyris ipsius B. Paxentij sororis, pro pietatis & pudicitiæ assertione coronatæ: cuius sacra spolia cum illius Lipsanis conseruantur. ALBINA. Eodem die in agro Constantiensi Repositio S. *Paterni* Episcopi Abrincensis & Confessoris, cuius colitur beatus transitus die decima sexta Aprilis. Bituricis S. SYLVINI Confessoris, qui viam diuinorum mandatorum postquam magna obseruantia percurrisset, omni virtutum exercitatione nobilis peruenit ad præmium. SYLVINUS. Apud Gemblacum cœnobium Namurcensis diœcesis eleuatio corporis sancti Christi Confessoris GUIBERTI asceterij illius fundatoris, miraculis præclari. GUIBERTUS. Facta ab Oberto Leodiensi Episcopo, decreto Prouincialis Synodi Coloniensis, atque pia instantia Liethardi Abbatis. In territorio Parisiensi Calensi cœnobio sanctæ HERSUUIDÆ: quæ Regina Angliæ, sceptrum, regnúmque Christi amore deserens: ad celebre hoc ancillarum Dei collegium, se contulit, vbi admirādæ pietatis, humilitatis, & regularis quam professa est obseruantiæ, editis exemplis, beato fine consummata, regni cœlestis præmium emeruit. HERSUUIDA. Cuius gloriosa facinora venerabilis Beda demoratus egregiis commendauit præconiis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

MORIBVNDI cœnobio in Bassigneyo Campaniæ Franciæ, obitus beatæ memoriæ OTHONIS Episcopi Frisingensis. *Otho.* Qui sancti Leopoldi Marchionis filius, Parisios missus ad humaniorum sacrarúmque literarum studia nobiliter eruditus, ordinem Cisterciensem professus est in prælibato asceterio. Inde ingentium meritorum intuitu ad Ecclesiam Frisingensem postulatus, iubente summo Pontifice suscepta illius gubernatione, omni pietate & prudentia curam eius gessit. Deinde cum Conrado Sueuo, Imperatore huius nominis secundo in Græciam Syriámque profectus, omnibus bellis interfuit, quæ cum Christiani nominis hostibus

geſta ſunt: Conſilióque & armis rem Chriſtianam admodum iuuit, Hieroſolymam & ſacrum Domini ſepulchrum adiit, adorauit. Chronicam ab ortu mundi vſque ad ſua tempora deduxit. Demum dimiſſo Epiſcopatu Morimundum reuerſus inter manus fratrum beatã animam exhalauit, cuius beatitudinem magna quæ ſubſecuta ſunt funus eius prodigia teſtata ſunt. Ipſo die ad lucidas euolauit beatarum mentium manſiones, beatæ itidem memoriæ GVIDO Abbas Caroli loci, vir magnæ religionis, humilitatis & patientiæ, qui pro pietate & iuſtitia multas moleſtias perpeſſus, meritis diues & conſpectus Chriſti cupidus, feliciter exuta carnis ſarcina, votis ſummis potitus eſt. Abiit hoc ipſo die ad Dominum piæ memoriæ OTTO conuerſus Villarienſis S. Iuettæ pater, clarus genere, clarior conuerſione, clariſſimus miraculis, quæ grata Deo poſtremæ eius conuerſationis merita coronarunt. Item ANTONIVS de Bolonia Epiſcopus Dinienſis, vir multæ miſericordiæ & pietatis, atque raræ manſuetudinis: expleto laudabilis præſulatus decurſu, æternam migrauit ad requiem, non ſine ſanctitatis opinione.

Guido. *Otto.* *Antonius.*

Octauo Kalend. Octobris. Luna

24 A *.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
19	20	21	22	23	24	25	26	26	27	28	29	30	1			

SS. Andochius, Thyrsus & Felix.

AVGVSTODVNI Æduorum natalis Sanctorum Martyrum ANDOCHII Preſbyteri, THYRSI Diaconi, & FELICIS. Quorum Andochius & Thyrſus B. Polycarpi Epiſcopi Smyrneorum alumniq. S. Ioannis Euangeliſtæ, diſcipuli: vna cum Benigno Preſbytero & Andeolo Subdiacono miſſi in Gallias, ad *populum ſubſtantiuum* (ſicut diuinus illis magiſter dum eos delegaret prædixerat) *ſua prædicatione generandum*: Maſſiliam appulſi, Andeolũ quidem Carpentoractem ad facem inferendũ diuinæ agnitionis ſummiſerunt. Porro Andochius & Benignus, Thyrſúſq. ad Æduos profecti, Auguſtoduni ſubſiſtentes à Fauſto Senatore obuiis vlnis excepti, Euãgelico lumine totam eius domum repleuerũt. Cùm igitur Fauſtus ipſe & filius eius Symphorianus (qui paulò pòſt pro Chriſti fide glorioſum agonem iniit) totáq. illius familia, ſalutari lauacro expiata, Chriſto adiuncta eſſet. Salutis Gẽtiliũ cupidus ipſe Fauſtus, diuinos præcones ad propagandũ gratiæ nuntiũ, vt regionem totã offuſam tetræ ſuperſtitionis caligine peragrando luſtrarent admonuit. Eiúſq. hortatu Benignus Lingonas profectus eſt, atque à Leonilla ſorore eiuſdem Senatoris magna veneratione ſuſceptus, Tergeminos eius nepotes, cœleſti verbo erudiẽs, Chriſti eximios cultores & pugiles reddidit: deinde Diuionem progreſſus, erectis Chriſto trophæis, apud Spaniacum certamen extremũ inſigni parta laurea conſummauit. Cæterùm Andochius & Thyrſus Auguſtoduni cùm iã ampla cœleſtis ſementis incrementa edidiſſent: ipſo rogante Fauſto, Sedelorum

pagum (cuius is Dynasta erat) adierunt: vbi negotiator quidam Orientalis, Christo deditus residebat: omnia substantiæ incrementa quotidie in egenos erogans. Hic nomine & merito *Felix* Andochium & Thyrsum ad se à Fausto ablegatos, ceu destinatos de cœlo nuntios, suam in domum excepit. Qua de redelatus ad Præsidem: iussus est quos susceperat aduenas, ceu numinum aduersatores, protinus iudicio vt sisterentur, tradere. Renuit vir fidelis, nefas arbitratus paratæ neci, æternæ vitæ satores obiicere. Vi igitur eius effracta domo, Christi mystæ Andochius sacerdos Thyrsúsque Leuita, à satellitibus comprehensi, nexibúsque ferreis post tergum vincti, ad sæuum Iudicem adducti sunt. Quos subsecutus sponte sua Felix, Andochium magno pietatis æstu eundo interpellabat: ne à sua corona separari pateretur, quem à Christo datum acceperat non hospitem modò, sed sanctæ confessionis comitem & sponsorem. Igitur subsistenti Andochio ac Thyrso, adiunctus est superno nutu ipse Felix. Trésque vnà fero Præsidi oblati: déque dogmate Christiano inquisiti sese vnici omnium Saluatoris & seruatoris Christi IESV synceros cultores liberè professi sunt. Andochius qui coryphæus erat, piæ triadis magnifica prædicatione, Christi diuinitatem asseuerauit: itavt omnes qui tribunali aderant vi cœlestis eloquentiæ percelleret. Qua & falsa numina insectatus, eorum vanitatem propalauit: simúlque incussit vnius æterni numinis, à quo orbis sit conditus, reparatúsque necessariam cuique hominum ad salutem agnitionem ac adorationem. Diuini cuius oris fulmina cùm impius Iudex ferre nequiret: ita ira efferbuit, vt ipsum Andochium cum sociis horrendam in specum coniecerit, dirè pugnis, calcibúsque impetitum. Hinc verò postridie eductos compellat pietatis assertores, vt eiurato Christi cultu, protinus diis ex auito more sacrificent: sin minùs, omni cruciatu se dilacerandos, teterrimáque morte sciant sibi mox intereundum esse. At Christi pugiles, nihil hac sæua interminatione perterriti: maiori quàm antea constantia Christi fidem & honorem propugnauerunt. Quapropter primùm verberibus cæsi, deinde inuersis manibus tota die suspensi, pòst in rogum iniecti, ex quo tamen immunes exierunt, postremò vectib. percussi, contusis ceruicibus, ad supernos triumphos victores euolarunt. Quorum sanguis semen Christianorum factus, multam fidelium sobolem inuictæ patientiæ spectaculo meritóq. gloriosæ mortis, illico excitauit: calcatóque inferorum imperio, omnem circumquaque regionem Christi regno subegit, æternóque consecrauit immaculatæ eius religionis obsequio. Porro Christi bellatorum veneranda cada-

uera, *Faustus* Senator *Symphorianúsque* eius filius de nocte collegerunt, abditáque sepelierunt non procul à loco, vbi palmari victoria extremo in agone sunt potiti. Deniq. cùm toto orbe Christiana pietas iam procellis exempta floreret, Brunechildis Regina, ædificato à se Mausoleo insigni in vrbe Æduensi, sancti Andochij & sociorum sacra ossa inuexit: dignóque cultu conseruanda commisit Virginibus sacris, quas sub sanctæ Deigenitricis & beati ipsius Andochij gloriosi Christi mystæ & Martyris patrocinio illic, de licentia S. Gregorij Papæ ad perennem Christi

VVLGISVS. famulatum constituit. Ipso die S. VVLGISI Martyris, qui Dei charitate plenus pro eius veritate & iustitia sic certauit, vt occumbens felici agone palmam lauréamq. retulerit immarcessibilem. Colitur præcipuè in oppido cui nomen est de Firmitate Milonis, vbi pignora eius sacra pretiosa habentur. Claromonte Ar-

RVSTICVS. uernorum depositio sancti RVSTICI Episcopi illius municipij & Confessoris. Qui cùm indigena & Presbyter esset illius ciuitatis, Parœcúsque pagi de Alnato post S. Venerandi felicia funera, diuina designatione ad hanc cathedram prouectus, cœlestíque lumine circumfusus, vitæ præcepta & exempla creditæ sibi plebi assiduo diuina placita exercendi impetu, præbuit, demúmq. omni sanctitatis laude clarus quieuit in Domino. Corpus eius non in matrice Ecclesia sepultum fuit: sed eius ex iussione (quod humilem situm optaret vir magnus) Alnatum relatum, ibidem reconditum est: sícque huius loci tutelam perpetuam apud Deum gerit, cuius curam egit dum viueret specialem. In territorio Bel-

GEREMARVS. luacensi S. GEREMARI Abbatis & Confessoris. Hic Rigoberti Comitis & Agæ eius coniugis fœminæ nobilissimæ vnicus filius, ab ætatis primordio traditus optimis disciplinis, cùm pietate & iustitia iam niteret, charis parẽtibus orbatus, amplissimi patrimonij copiam non in luxus, sed in charitatis officia impendit, egentibus, orphanis viduísque fouendis; ieiuniis, vigiliis, & piis meditationibus prorsus intentus: nihil in votis gerebat quàm Dei beneplacitum perficere. Cuius pietatis & solertiæ peruecta fama ad aures Dagoberti Regis, suasu Sanctorum Eligij & Audoëni ab eo in aulam ascitus, atque palatij inter Comites cooptatus, magna suæ prudentiæ & probitatis in rebus regni gerendis argumenta prodidit. Hinc connubio iunctus est iussu Regis

DOMANA, cum vtraque filia. cum DOMANA, inclytæ stirpis & virtutis fœmina: è qua trinam prolem suscepit. Mortua vxore quæ piissimis moribus decus sanctitatis promeruit cum vtraque filia. Filium quem vnicum pignus ipsi reliquerat, ad sanctum Audoënum Rotomagensem Archiepiscopum sua ætate perlucidum sidus pietatis misit,

in Dei timore & cultu erudiendum. Ipse verò curis sæculi iam præcipuis absolutus, cùm in animo secessum ab aula meditaretur: sancto in proposito ab ipso beato Audoëno confirmatus, eius consilio monasterium sancti Petri in nemore ædificauit: vbi *Archarium* famosæ religionis virum curauit archimandritam præfici. Ad quem sæpiùs diuertens, ascetæ perfecti studia æmulabatur. Tandem venia renuntiandi sæculo à Rege impetrata: aulicáque dignitate in filium *Almabertum* virtute suprà ætatem iam ditatum, de Regis ipsius assensu deuoluta: ad sanctum Audoënum quem vnicè colebat se contulit, à quo in Clerum admissus schematéque monastico indutus Pentalini asceterij moderator factus est. Dici vix potest quanta hic abstinentia, ac austeritate, quanta deuotione, vigilantia & religionis cura emicuerit. Singulis diebus ieiunium ad vesperam vsque protrahebat: victum tum ex modico pane & salita aqua capiens: noctes in orationibus transigebat: dies omni splendore virtutis illustrabat, quo in tramitem iustitiæ creditas sibi animas dirigeret. Hoc in cœnobio ascetæ multi degebant, variis ex partibus aggregati, qui religiosissimi Abbatis correctiones non ferentes eò dementiæ venerunt, vt necem illi machinarentur. Cultellum igitur in lectulo posuerunt, manubrio demisso, erecto acumine, vt rediens Abbas à Matutinorum officiis, se super telum sternens cum impetu, imprudens seipsum transfoderet. Ille autem rediens ab Ecclesia peractis diuinis præconiis, dum lectum gestit ascendere, diuino instinctu manum præter morem circumducens ferrum reperit in suam paratum perniciem: attamen ea re nihil commotus quietè ad Ecclesiam reuersus est, vbi in oratione & gratiarum actione deuota pernoctauit. Illucescente die, fratres ad Capitulum vocauit: miniméque de iniuria conquestus, at potiùs se professus indignum Superioris munere, pacato animo Cœnobij regimini renuntiauit. Rediens tum ad sanctum Audoënum presbyterij honore ab ipso decoratus, in sancti Samsonis crypta suprà quinquennium exegit defixus diuinis meditationibus, & actibus pollens Angelicæ conuersationis, quibus aliquot adlectis castissimæ institutionis obseruatoribus, Euangelicæ perfectionis theoremata præferebat. Interim Almabertus eius filius in Aquitania defunctus est: cuius corpus regia dispositione ad natale solum reuehebatur, quo insigniori cohonestaretur funere. Re percepta Geremarus acerbitate nuntij nihil concussus est: sed Deo gratias vberes rependit, quod amoris carnalis omnem sibi amputasset fomitem: vt iam ab omni illicio creaturæ expeditus, liberiori affectu in di-

uinæ ipsius maiestatis cultu & obsequio conquiesceret. Deus, inquit, hunc mihi dedit. idem & abstulit. sit nomen eius benedictum. Tamen vt solueret iura humanitatis funus defuncti filij procurauit, quem in æde Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli à se constructa sepeliuit, in spectabili affluentium vndique Procerum frequentia. Porrò non sine diuinæ virtutis ostensione, quæ rei gestæ monimentum, sacellum in honorem sancti Ioannis edito miraculo excitauit. Verùm quòd adolescens sine prole excessisset Amalbertus: Clodoueus Rex omnes possessiones in parentem pium defuncti à quo erant refudit: qui vnici numinis amator omnia hæc dominia non suis reuindicauit vsibus, sed Dei cultui amplificando dedicauit. Igitur in loco qui Flauiacus dicitur, afflatu irradiatus superno cœnobium instruxit in venerationem sanctissimæ Trinitatis, adscriptísque pio loco villis, castris, prædiis ac censibus quibusque suis: Angelo duce seipsum illic cum nonnullis asseclis perpetuo famulatui creatoris mancipauit. Ferunt irrigua nube cœlitus immissa, sacræ mansionis ambitum designatum: cum rore mirè defluente madefactum solum apparuit, vbi Ecclesiæ cœnobiíque foret fabrica erigenda. Qua constructa, Abbas illic iussione sancti Audoëni, Geremarus resedit: adlectísque plerisque cœnobitis magna sanctimonia annis tribus suprà dimidium præfuit: denique religiosa vita ad beatum finem perducta, cum suis migrationem ex præsenti stadio prædixisset, vocato omni religioso cœtu, diuinæ gratiæ munera enixè sibi conferri petiit, quibus omni deuotione perceptis, cœlo quo tendebat defixus beatam animam exhalauit. Cæterùm sacro eius corpore in basilica monasterij tumulato: Eius merita quæ transitum subsecuta sunt admiranda prodigia clarificauerunt. Ipso die Blesis sancti SOLENNIS Episcopi Carnotensis & Confessoris. Is Presbyter integræ vitæ miræque religionis fama pollebat; cùm *Flauius* sedis illius Antistes, absoluto laudabiliter præsulatu, ex humanis decessit. Propterque eximia diuinæ gratiæ insignia Cleri vniuersi delectu & applausu maximo plebis, ad gubernacula Ecclesiæ huius euocatus, se ne delatum honorem reciperet, tamdiù abdidit quousque *Aduentinum* in sui renitentis vicem surrogatum audiuit. Tunc enim securè vt putabat de latebra egressus, in vrbem rediit nouo Præsuli honoris primitias præstiturus. At necdum Aduentinus ordinationis munus receperat. Móxque ac apparuit Solennis, facto ad eum ingenti populi concursu, ab his raptus atque ad Ecclesiam deductus, Aduentino lubenter digniori se honorem Pontificalem cedente: magna cum omnium in-

SOLENNIS.

ſtantia ac iubilatione inauguratus, atque in ſedem Epiſcopalem Clericorum ac ciuium quaſi humeris ſubuectus, dignitatem quam humilitatis ſtudio recuſabat, ſubire compulſus eſt charitatis officio. Franci tunc temporis Gallias ſibi vi regia ſubigebant, qui cum Rege ſuo Clodouæo ethnica adhuc ſuperſtitione deluſi ab erroris parente tenebantur. Horum conuerſionem ad Chriſti redemptoris ſalutare obſequium, zelo Apoſtolico adorſus Solennis, ſic proſperè cœleſti aſpirante gratia huic curæ incubuit, vt piæ intentionis fructum vberem tandem perciperet. Felici enim conteſſeratione cum ſancto Remigio Remorum Archipræſule, beatóque Melanio Redonenſi Epiſcopo, ac ſancto Vedaſto tunc Preſbytero inita, Clodouæum Regem à nefando Idolorum cultu abduxit, fideíque ſacris imbutum, gentis huius primitias Chriſto cui tam excelſum caput ſubdidit, conſecrauit. Trecentos inde ſeptuaginta Francos præcipuæ nobilitatis, ſacto lauacro expiatos, ouili paſtoris æterni aggregauit. Irradiatúſque diuino lumine procedentem Clodouæum iam Regem Chriſtianiſſimum, contra Alaricum Vviſigothorum Regem patronum Arianæ ſectæ pietatis intuitu, ad tam glorioſam expeditionem ſtimulauit: quem & victoria potiturum, cœleſti ſpiramine pollicitus eſt. Euentus vaticinij fidem firmauit. Triumphans enim rediit Clodouæus, qui ſanctum hunc Epiſcopum multo ſemper affectu coluit, feréque vt parentem reuerebatur. Is ipſe beatus Antiſtes corpus ſancti Arnulphi Archiepiſcopi Turonenſis & Martyris, diuino nutu ſuam in diœceſim deportatum excepit, atque quo dignum erat honore tumulauit in loco, cui ob clara ipſius Martyris, ſupernis virtutibus micantis, inſignia, eiuſdem nuncupatio temporis ſucceſſu indita eſt. Interim cùm inter maxima Pontificatus negotia ad cœleſte otium Præſul beatus ſuſpiraret: quantúmque corpore in mediis occupationum turbis implicatior erat, tanto magis animo ad cœleſtem patriam aſpiraret? Hanc illi demum quietem, Deus, poſt diuturnam villicationem indulſit, cùm è vinculis corporis euocatum in beatorum ſedibus collocauit. Apud Malliacenſe cœnobium, vt ſupremo voto concupierat, ſepultus eſt vir beatus: Diúque delituit ſacrarum eius exuuiarum theſaurus. At Deus tandem ſerui fidelis congruo tempore merita propalare voluit. Singulis enim noctibus lumen ingens è crypta vbi iacebat occultus, refulgebat: quo condita illic gemma adeò precioſa indicabatur. Verùm mirantibus, qui ſpectabant, nec inquirentibus ſuperna diſpoſitione factum eſt, vt duo energumeni conditum eò loci Solennis ſanctiſſimi Epiſcopi corpus repetita voci-

feratione inclamarent: cuius ope se solatium, atque quotquot piè orarent, suffragium, percepturos contestabantur. Effossa igitur humo quam illi vnguibus aperire nitebantur, inuentum est sacratissimum corpus magno in sepulchro antiquæ formæ quiescens, quo conspectо duo illi energumeni mox dæmoniaca vexatione erepti sunt. Plerique verò infirmi ad nouum medicum delati, medelam desideratam, ope eius implorata, receperunt. Eodem die Cameraci eleuatio sancti GAVGERICI Episcopi & Confessoris, facta ob patentia signa eius sanctitatis, in basilica sancti Medardi, quam in monte ad honorem eius condiderat ipsemet sanctus Gaugericus: qui deinde arce illic extructa per Carolum quintum Imperatorem, ad parœcialem ædem sancti Vedasti cum sacrarum mystarum choro translatus est, cui iam gloriosum nomen indidit. Massiliæ ipso die in sancti Victoris monasterio sancti ISARNI Abbatis admirandæ sanctitatis & miraculorum gloria conspicui. Qui patria Tolosanus per gradus humilitatis, ad virtutum culmen conscendit: charitatéque feruens immensa Lerinenses monachos captiuos deductos in Hispaniam, ab impia seruitute redemit. Miseratúsque eorum qui à carnificibus interficiuntur, procurando illorum spirituum solatio, sacrificia diuinæ Maiestati frequenter obtulit, qua pietate meruit, vt pleræque absolutæ à Purgatorij carcere animæ, ipsi gratias rependerent, dum lætæ ad cœlum euolarent. Tantis verò sanctitatis coruscationibus fulsit vir diuinus, vt benedictione sua vinum deficiens auxerit. Arcem quæ sæpiùs fulmine impetebatur, aspersa aqua mystica, ab excidio seruauerit: prece sua tonitruum horrendos mugitus frænauerit. Visum mulieri reddiderit. Multa denique admiranda operatus est, quibus quam grata Deo mente famularetur innotuit. Cæterùm adueniente optata illa hora qua ad Domini transiturus erat gloriosos conspectus, coactos in vnum discipulos ad mundi contemptum & rerum cœlestium amorem exhortatus, deposita mortalitatis sarcina, ad supernorum ciuium beatum emigrauit consessum. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

GAVGERICVS. ISARNVS.

Nicolaus. OBIIT pio fine in Claræuallensi cœnobio NICOLAVS Episcopus Bochildensis assertor egregius Ecclesiasticæ libertatis, ob quam sede sua post mulras pressuras eiectus, exúlque factus, inter municipes supernæ ciuitatis, fortitudinis & patientiæ præmio, promeruit adcenseri. Abiit etiam ad Dominum piæ *Arnaldus.* memoriæ ARNALDVS Abbas XVII. Cisterciensis, magnæ vir religionis & sanctimoniæ.

Septimo Kalend. Octobris. Luna

25 B xix.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
20	21	22	23	24	25	26	27	27	28	29	30	1	2			

AMBIANI Natalis ſancti FIRMINI primi illius ciuitatis Epiſcopi & Mattyris glorioſi. Qui Pompeiopoli alias Pampiloniæ Nauarræ regia ciuitate in Vaſconibus, ad Pyrenæi montis radices ortus, patre *Firmo* Senatote, matte *Eugenia*: iam ferè ab vtero diuinæ electionis priuilegio honoratus eſt. Cùm enim beatus Saturninus, ſancti Clementis diſpoſitione in Aquitaniam ad Chriſti glotiam prædicandum veniſſet, Toloſæque iam fauſtè à ſe ſtatuta religionis arce, in Hiſpaniæ vicinas vſque oras cum *Honeſto* ſanctiſſimo ſacerdote profectus, Pampiloniæ cœleſtis doctrinæ fluenta diffundetet: *Firmus* ciuitatis illius Senatot, cum vxore *Eugenia*, totáque familia gtatanter ſuſcepto ex ore diuini præconis primo veritatis Chriſtianæ rore, vitalibus vndis regenerationem diuinam adeptus, Infantulum Firminum filium recens natum, ſanctiſſimo ipſimet Præſuli obtulit: à quo is ſalutari quoque lauacro expiatus, primitias benedictionis ſuſcepit: eóque augurio inſignitus eſt, quod gloriæ Dei egregius buccinator aſſertórque fortis aliquando exiſteret. Hinc Saturninus Toletum vſque progreſſus, vbi Chriſtum quoque felici præconio annuncians, primam illic gratiæ ſobolem ptogenuit; (Pelagium qui Epiſcopatum poſtea Toletanum, Paternum qui Eluſanum geſſit:) Hiſpaniâ ſic primo ſplendore Euangelij, Septimaniáque illuſtratâ, Toloſam rediit, præcipuam quam fixerat pietatis ſedem, quam ciuitatem dum penitus abducere à nefandis idolorum ritibus, ad immaculatum Dei cultum ſanctis prædicationibus ac diuinis operationibus nititur, captus, taptatus, præcipitatus, dilaceratus ab impiis, auguſtiſſimum martyrium conſummauit. Superſtes diuino nutu ad fouendum Euangelij lumen ea in vrbe relictus eſt Honeſtus Preſbyter, vir cœleſtis facundiæ admirandæque ſanctitatis, ad quem paulò pòſt Saturnini glorioſum agonem Firmus Senator, Firminum miſit filium diuinis ac humanis imbuendum diſciplinis. Tanti magiſtri dignum ſe diſcipulum Firminus exhibuit: qui ſuperna afflante aura, in eam mox euaſit doctinæ & ſanctitatis indolem, vt cùm annorum eſſet duntaxat ſeptemdecim, feſſum iam ſenio SS. FIRMINUS.

Doctorem certissimæ religionis, labore prædicationis subleuaret: cuius officium tanta dignitate exercebat, vt duplicem spiritum Apostolicæ virtutis, & doctrinæ verbo & opere potens, se adeptum ostenderet. Quamobrem vt fructum vberiorem, maturus iam sacræ potestati proferret, ab Honorato Tolosano Episcopo, (quem vir Dei Honestus, in sacerdotali apice, studio humilitatis sibimet prætulerat:) anno ætatis trigesimo Presbyter, Episcopúsque ordinatus est. Qui vt receptæ benedictionis gratiam excitaret, suadente ipso Honesto, à cuius diuino ore pendebat, Galliam longè latéque peregrinare constituit, fidei iubar quod proferebat in gentium salutem diffusurus. Agennum igitur primùm petiit, ciuitatem sitam in Vasconiæ ac Guiennæ confiniis, vbi aliquandiu cum *Eustachio* Presbytero, adiuua sancti operis commoratus, magna pietatis contentione, populum Christi agnitione iam ex parte præditum in fide confirmauit, magnámque multorum ad gregem Domini edidit accessionem. Hinc pergens in Aruerniam, vbique ardens zelo diuinæ glorificationis, impiæ superstitionis præcipuos sectarores *Arcadium* & *Romulum* sic aggressus est, vt diuinæ eloquentiæ vi & mirorum operum splendore ad Christi iugum pertraxerit: iisque cum plerisque aliis salutis fonte ablutis. Andegauum progressus, *Auxilio* Episcopo in infidelium conuersione desudanti id auxilij attulit, vt intra menses quindecim, quibus apud eum moratus est, ciuitatem totámque circum-regionem, Christi reddiderit placitis obsequentem. Digressus hinc in Neustriam strenuus hominum opitulator, secundæ Lugdunensis populos vitæ præcepta edocuit Multáque fruge parta laboris, (cuius hodiéque perstant gloriosa insignia:) audita fidelium tribulatione, quos Valerius Præses truculenta rabie prosequebatur, Bellouacum adiit, contra eum, pro lege & grege Christi certaturus. A quo dirè habitus, flagellísque penè vsque ad mortem cæsus, in arctam custodiam detrusus est. Moritur interim infelici occasu Valerius: cui suffectus Sergius, præconem Christi in carcere ad suum vsque obitum vinctum detinuit. At ille iridem de medio diuinitus sublato: pietate populi fidelis Firminus è custodia eductus, magna illic religioni incrementa addidit, omnibus ferè ciuitatis ac tractus illius incolis baptismo initiatis, sacrísque ædibus constructis ad agenda diuinorum mysteriorum officia. Nec his hæsit terminis inclytus athleta: at Ambianos progressus tria ibi ferè hominum millia ad Christum conuertit: sed his Christianæ pietaris prouectionibus exacerbatus Iulianus præses, qui Lutetiæ Parisiorum immanis fidelium per-

secutor residebat: missis Longulo & Sebastiano lictoribus Ambiani Firminum sacra impia exturbantem comprehendi fecit. A quibus dura inquisitione lacessitus: cùm sacrificare recusaret, quod Deos gentium dæmonia esse contestaretur, in carcerem coniectus est. At Martyris constantia, specus fœditate diræque mortis, quæ imminebat terrore labefactari haud potuit. Fortior eius enituit fides. Zelus magis tuendæ pietatis exarsit. Cinxit suum pugilem Christus ampliori gloria, insigniori opera ac virtute illum clarificauit. Nam ipso in carcere tot prodigiis Firminus eluxit: vt mirabilium fulgore plures quàm cùm in foro vicísque prædicabat, ad agnitionem & cultum ipsius redemptoris pertraheret. Quem cùm persecutores viderent paralyticos & leprosos sanantem, cæcos illuminantem, multáque alia in Christi nomine signa facientem, præ timore populi qui totus ferè in eum propensus erat: eum in carcere capite truncari iubent, eiúsque corpus dissecari ne illud postea Christi cultores venerarentur. Cernitur etiamnum lapis ingens ad portam antiquam ciuitatis, cui carcer hærebat pridem, erectus: quem cruore pretioso inclytus Christi bellator irrigauit, membrorúmque sacrorum illustrauit dissectione. Porro hæc colligens *Faustinianus* Senator, Martyris in Christo primogenitus, clam sustulit, sepeliuítque honorificè suo in cœmeterio. Postea B. *Saluius* Ambianensis Episcopus, corpus S. Martyris cœlesti indicio repertum in ædē Cathedralem magna cum diuinæ gloriæ coruscatione transtulit: vbi altari summo impositum in lipsanotheca pretiosa, continua populi deuotione colitur. Pars tamen venerandorum eius pignorum iampridem ad sancti Dionysij cœnobium delata, per Dagobertum Regem illius cœnobij fundatorem, ibidem asseruatur religioso cultu, proprio in feretro & sacello. Ipso die Suessione sancti PRINCIPII Episcopi & Confessoris, qui sancti Remigij Remorum Archiepiscopi suíque Metropolitæ frater maior natu, patruúsque beati Lupi successoris sui, post sanctum *Edibium* Ecclesiæ huius administrationem suscepit mirabili gratiæ copia conspicuus, felicitérque adeo gessit, vt cathedram cui insedit morum integritate, regiminis solertia, instantia prædicationis, ac religionis gloria, plurimùm illustrauerit. Hunc demiratus Apollinaris ille Sidonius, qui tunc & ipse Galliæ perlucidum sidus renidebat, sic eundem fratri sanctissimo Remigio meritis comparem prædicauit, vt excelsis quibus attollit præconiis, perfectum absoluti Antistitis ipsum esse simulachrum asseueraret. Ambos autem cum egregiis illis confert Mose & Aaron germanis, atque his nominibus celebrat, vt pietatis omnis & gratiæ

PRINCIPIVS.

ornamentis actibúsq. censear suspiciendos, pontificiíque vtriusque legis mystica perfunctione admirabiles. A felici siquidem connexione spiritus & litteræ, sacerdotalis prorsus officij eosdem asserit fuisse peritos: atque ita diuini cultus & saluris humanæ studiosos, vt vtrumque munus sacræ praxis obseruantia » mirè complecterentur. Testatur enim, nihil eos ignis alieni so- » litos ad altare Dei adferre, sed comitantibus victimis charitatis, » castitatísque fragrantissimum incensum in thuribulis cordis ado- » lere: legis iugum superborum ceruicibus per vincula prædica- » tionis astringendo, mysticos Deo tauros spiritualiter immolare: » hircorum virulentiam mactare, dum stimulis correctionis impel- » lebant pollutos fœtore luxuriæ, ad pudicitiæ suaueolentiam. » Turtures offerre dum animas ad gemitus lapsuúmque lamenta » excitabant. Frictam offerre continentiæ sartagine similam, quan- » do quemcumque obæsum crapula, crebro ieiuniorum igne car- » nem decoquere ad animam consecrandam instruebant. Deni- » que purgatissimos propositionis panes cum azymis synceritatis » & veritatis proferre: quotiens aliquem mentis perfidiæ figmen- » ta ponentem, sanam respondere doctrinam, fidem credere, viam » tenere, vitam sperare suadebant: conuersósque ab hæresi, exem- » ptos schismate, liberos ab hypocrisi Christo quoslibet dedica- » bant. Hæc verò tantorum Pontificum admiranda facinora præclaráque decora, quæ sibi narrata ab Antiolo Episcopo innuit, ab ipso ita narrata refert, vt quamquam credat verè de iis ab illo *magna dicta fuisse: reputet tamen eumdem maiora tacuisse.* Subnectítque pro laudum coronide id speciale Principij elogium, neminem esse qui inficietur, ipsum censeri bonum cùm indicatur, meliorem cùm legitur, optimum cùm videtur. Tantúmque meritis eius sanctitatis tribuit fiduciæ, vt pluris ducat eius apud Deum intercessionibus sibi flagitari salutem, quàm crebris affatibus coli per literas dignitatem. His meritis plenus Principius tandem cum ingenti animarum fructu Pontificatum absoluit, transmissóque ad gloriam beatissimo spiritu, extra vrbis mœnia sepultus est in ædicula sanctæ Theclæ Virginis, quam

Lvpvs. speciali deuotione coluerat. Ipso die Lugduni sancti Lvpi primæ illius sedis Episcopi & Confessoris præclari. Hic Christi amore incensus, calcato omni sæculi affectu, anachoreta ætate adhuc ineunte in Insula Barbara, Lugduno vicina, factus est. Radiísque tot sanctitatis effulsit, vt memorabili vaticinio de eo Sigismundus Rex, martyrio postea insignis diuinè afflatus prædixerit: Lupum non fore raptorem ad perdendum, sed ouium prouisorem ad saluandum. Pastorem siquidem futurum in vrbe

Araria:

Araria: illícque Christi Ecclesias erecturum, fabricaturum ouiũ caulas, gregem Domini adaucturum: talentum demum sibi creditum duplicatum, in præsentia Domini sui repositurum: vnde præmium referret sempiternum. Ita prorsus vt prædicta erat res Lupo successit: qui sancto Viuentiolo in Præsulatu suffectus, felicia hæc auguria auspice Christo impleuit, ac vbi Aurelianensi III. Concilio præfuisset ad consessum cœlestium Senatorum pro meritis euectus est. Et diem quidem extremum Lugduni peregit: at quod primam palæstram virtutis cordi semper insitam retinuisset: sicut decreuerat amatæ solitudinis memor in Insula Barbara sepultus est, prope eam cellulam quam primùm Christo deditus incoluerat. Autissiodori sancti ANGARII ciuitatis huius Episcopi & Confessoris. Hic genere nobilis cùm adolescens in palatio Gunteranni Regis moraretur, postposita sæculi pompa, clericali militiæ adscribi peroptauit. *Siagrium* deinde expetiit Augustodunensem Episcopum tùm doctrina & sanctitate præcellẽtem: cuius eruditione & exemplo apprimè informatus, crescentibus subinde meritorum insigniis, transeunte ad superos B. *Ætherio* Episcopo Autissiodorensi, eius in locum electus est. In Episcopatu pietate, clementia, misericordia, omníque sanctitatis laude præluxit: sacras ædes decorauit, auxit S. Germani ædificiis ac censibus cœnobiũ. Sed & Synodum habuit, in quo conuocatis septem Abbatibus, & triginta quatuor Presbyteris, tribúsque qui vice Presbyterorum subscripserũt Diaconis, præclaras sanctiones edidit de Ecclesiasticis disciplinis, morúmque piorum obseruantia. His similibúsque curis gloriosè perfunctus, doctrinæ & vitæ ex Euangelij præscripto actæ laude insignis, feliciter in Christo obdormiuit, venerabilémq. sepulturam in monasterio S. Germani cuius cultor eximius fuerat, sortitus est. Eodem die Lingonis S. CEOLFRIDI Presbyteri & Confessoris, qui venerabilis Bedæ didascalus, Abbásq. monasterij Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in Anglia, (vbi scriptor ille insignis sua sub eo volumina exarauit:) iam ætate prouectus, causâ deuotionis Romam perrexit, adoratísq. Apostolorum vestigiis, in reditu cùm Lingonas peruenisset, illic exhaustus viribus, at plenus virtutibus defunctus est: anno presbyteratus quadragesimo quarto, Abbatialis officij vigesimo quinto. Humatus verò in Tergeminorum Martyrum Ecclesia, miris gloriæ fulgoribus emicuit. Ipso die in territorio Bisuntinensi vico de Santoche depositio sancti ERMENFREDI Abbatis cœnobij de Cusancia: qui sicut castissimis moribus in vita claruit; sic post mortem refulsit gloriosis beatitudinis emeritæ indiciis. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

ANGARIVS. CEOLFRIDVS. ERMENFREDVS.

Sexto Kalend. Octobris. Luna

26																	B XXVIII.
	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
	r	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
	21	22	23	24	25	26	27	28	28	29	30	1	2	3			

SS. Ioannes Euangelista. TRANSITVS ſancti IOANNIS Euangeliſtæ prædilecti Chriſti Apoſtoli: ac Galliarum per diſcipulos magnifici illuminatoris. Cuius venerandæ memoriæ & promerendæ rutelæ, quaquà patet latiſſimo ſinu Gallia, prope innumera à maioribus condita templa, altaria, ſacella, xenodochia conſecrata ſunt. Turonis

Septem dormientes Gallici. Natalis ſeptem dormientium CLEMENTIS, PRIMI, CLETI, THEODORI, GAVDENTIS, QVIRIACI & INNOCENTII, qui ſancti Martini duobus ex fratribus nepotes, conuerſatione ſanctiſſima quam profeſſi ſunt fidem magnificè illuſtrârunt: feliciſque deinde tranſitu, ad cœleſtes perpetuæ pacis rhalamos agni amici commigrârunt; geſta quorum cum præconiis beatus Gregorius Turonenſis inſigni libello proſecutus eſt. Eodem die

Evtropia. Claromonte Aruernorum ſanctæ EVTROPIÆ viduæ. Quæ venerabilis matrona ſingularis exempli decore ſanctis ſui æui Epiſcopis, imprimíſque Apollinari Sidonio ſpectabilis; parcimonia (vt is de illa ſcriptum prodidit) & humanitate in ipſa certantibus, non minùs ſe ieiuniis, quàm cibis pauperes paſcebat, & in Chriſti cultu peruigil, ſola in ſe compellebat peccata dormire. Ad extremum multis afflictionibus impetita, patientiæ, charitatis & miſericordiæ operibus inſignis in ſpiritali animæ ſerenitate, conquieuit, atque æternæ pacis & gloriæ præmia emerita feliciter adepta eſt. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum.*

Iacobus de Hecque. MARTYR occubuit pro fide orthodoxa IACOBVS de Hecque aſceta ordinis Præmonſtratenſis, necatus puluetis tormentarij incendio ab auitæ pietatis deſertoribus, Caluiniſtis hæreticis in cœnobio ſancti Iodoci de nemore diœceſis Ambianenſis, cuius domus alumnus & prouiſor erat: vir integræ conuerſationis, magnæque pietatis & innocentiæ. Eodem die cœli iter capeſſiuit

Honoratus. apud Caluum montem obiens Pater HONORATVS de Champigny, ordinis Capucinorum Pariſienſis tractus Prouincialis, vir regularis obſeruantiæ zelo valde incenſus: vtque Apoſtolicis virtutibus micans, ſic diuinis ſignis in vita & poſt mortem honoratus.

Quinto Kalend. Octobris. Luna

27 D XXVIII.

a b c d e f g h i k l m n p q r ſ
5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21

t u A B C D E f F G H M N P
22 23 24 25 26 27 28 29 29 30 1 2 3 4

TRIVMPHVS Sanctorum Martyrum COSMÆ & DAMIANI, qui in Diocletiani perſecutione Ageæ in Sicilia à Lyſia Præfecto, de fide interrogati, quòd ſe Chriſtianos liberè profiterentur, atque à ſententia abduci nulla arte aut terrore poſſent: exquiſitis torti ſuppliciis, poſt vincula & carceres, poſt vndas & ignes, cruces, lapides & ſagittas diuinitus ſuperatas, demum cum maiori ardore Chriſti nomen adorandum prædicarent: ſecuri icti purpurea diademata cruore fortiter effuſo, palmáſque immortalis gloriæ, ſua è victoria retulerunt. Quorum pretioſa cadauera clam Chriſtiani colligentes, quo potuerunt honore prope Ageam ſepelierunt: vbi gloriæ diuinæ virtus magnificè deinde reſplenduit: beatorúmque heroum ita illuſtrauit trophæa, vt totius orbis veneratione iampridem eorum natalis cœperit celebrari: templáque eorum memoriæ vbique conſecrari. Inter quæ illud inſigne fuit quod ſanctus Germanus Autiſſiodorenſis cum adiuncto monaſterio extruxit, dotauítque cenſibus ac ornatibus copioſis. At creuit ſubinde in Gallia eorum cultus cùm ſacratiſſima eorum corpora ex Oriente Ioannes de Bellomonte eques, qui ſub Alexandro III. ad terræ Sanctæ vindicias cum Francicis agminibus in Palæſtinam profectus fuerat, rediens in patriam magna religione aduexit: atque in caſtro de Luzarchiis, (quod regiæ vrbis ſacro ſubeſt imperio) ædificata, ad illorum cultum inſigni baſilica repoſuit, commiſítque Canonicis à ſe illic conſtitutis perpetuo honore obſeruanda: demptis aliquot pignoribus quæ ad teſtandum deuotæ mentis obſequium, matrici Pariſiorum Eccleſiæ donauit adornata gemino conditorio elegantis operæ: in quibus nunc vſque conſeruata, hodie, fidelium opem tantorum patronorum piè poſcentium, venerationi exhibentur. Eodem die Caſtro Seduno ad Rhodanum Natalis Sanctorum Martyrum FLORENTII & HILARII, qui cùm à Chriſti cultu & amore diuelli nequirent vllo cruciatu; abciſſis linguis quæ ab ipſius Seruatoris præconio non ceſſabant, demum amputatis capitibus confeſſionem egregiam conſummârunt. Ipſo die Lutetiæ Pariſiorum ſancti CERANNI Epiſcopi auguſtæ illius

SS. COSMAS & DAMIANVS.

FLORENTIVS & HILARIVS.

vrbis & Confessoris, qui Simplicio succedens Apostolica gratia & virtute illam Ecclesiam direxit. Martyrúmque deuotione incensus, cùm gesta eorum magnifica doleret, iteratis orbis concussionibus ferè sepulta de hominum memoria deleri: quo illa ad debitum gloriæ decus reuocaret, eorúmque meritis & exemplis posteris suffragaretur: quocumque delitescerent abdita ipsorum acta perquirere: atque in codicem digesta euulgare disposuit. Vnde cùm Lingonas misisset ad tergeminorum Martyrum inquirendum res gestas, Passionis seriem priscis ex monimentis depromptam atq. abstersam à temporum squalore, Vvariharij religiosissimi ascetæ opera, hac cum pij studij commendatione, quæ limini historiæ præfigitur, recipere promeruit. *Præcipuis beatissimorum personis Episcoporum assiduè coæquari meritis non desistis, in omni conuersatione sacerdotij, sancta quotidie exornari religione festinans: diuinarum scripturarum legendi studio vniuersa dogmata peragrasti. Nunc Sanctorum Martyrum gesta ad laudis tuæ cumulum pro amore religionis congregare in vrbe Parisiaca intendis: vnde sancto Eusebio Cæsariensi in æmulationis studio coæquandus es, & pari gloriæ dono perpetualiter memorandus.* Subinde veniam ab eo petit imperitiæ, quòd ipsi debita meritorum præconia rependere non valeret. Satis tamen quam benè meritus fuerit beatus iste vir de religione & patria hinc apparet: cui Deus demum, dignè adimpleto Episcopatu, piorum laborum amplam mercedem retribuit feliciter euocato in cœlitum consortium, quorum decora propalare ad æternam sui nominis gloriam, ipsorum beatorum honorem, fideliúmque perpetuam eruditionem memorãdo conatu vir sanctus instituerat: quem etsi ad colophonẽ non perduxerit, incœpti tamen operis tã præclari laudem non modò demeruit: sed ex deuoti affectus fœnore absolutæ quasi collectionis præmiũ, æternámq. quæ his fastis hæreat facti commendationem. Transiit igitur ad superos placido exitu vir beatus atque in crypta basilicæ Apostolorum tumulatus est, ad læuam S. Virginis Genouefæ, iam præcelsæ huius ædis gloriosæ tutelaris.

PETRVS. Metis S. PETRI Episcopi & Cõfessoris, qui Villici in sacra dignitate hæres annis decẽ magna religione huic Ecclesiæ præfuit: deinde animarum lucris ditatus, ad beatitudinem emeritã profectus est.

ELZEARVS. Ipso die Parisiis S. ELZEARI Comitis Ariani in Gallia Narbonẽsi, in quo Deus se ita admirabilem ostendit, vt in hoc vno insigniorum Sanctorum merita renouaret. Hic enim in castris Machabæus, in Eremo Elias, in templo Hieremias, Dauid in Palatio, Ioseph in connubio, Iob in lectulo, fortitudine, austeritate, deuotione, prudentia, castimonia, patientiáq. admiranda præcelluit. Deniq. vita

in omni religione exacta, virginitate quam cum *Delfina* vxore castissima illibatam seruauit Angelis coæqualis, ex aula terrena, ad cœlestis regni præmia beatissimo fine euolauit, ætate florenti, scilicet ab ortu suo anno vigesimo octauo, cùm à Roberto Siciliæ Rege & Prouinciæ Comite fuisset ablegatus, ad Carolum Regem Christianissimum cognomento speciosum. Corpus eius in habitu Franciscano (quòd tertij ordinis instituta coluisset) apud Minoritas Parisienses primò sepultum: eodem anno sicut in extremis castæ coniugis memor præceperat, Aptam Iuliam translatum est, magnis in via coruscans signis diuinæ clarificationis. Atque illic tandem in æde sancti Francisci depositum crebris miraculis refulsit, excitatis per eius inuocationem mortuis, illuminatis cæcis, infirmísque quouis morbi genere optatæ sanitati restitutis. Felicem sponsum ad beatitudinem & ipsa DELFINA sanctissima Virgo subsecuta est: prorogata in puro Christi famulatu ad annum vsque septuagesimum sextum mortali conuersatione: die scilicet Nouembris vigesima sexta, Oriente Sole, filia lucis ad Sanctorum perennes splendores, Regísque gloriæ desideratum conspectum emigrauit ornata monilibus gratiæ, fidei lampade, chlamyde puritatis, & corona Iustitiæ. Cuius nitidæ exuuiæ, puris mariti virginis ossibus honoro eodem tumulo, sicut florido olim thalamo, sociatæ, iisdem gloriæ insigniis, qua beati simul in cœlo gaudent, coruscarunt. DELFINA.

Lætiis cœnobio in Hannonia sanctæ HILTRVDIS Virginis quæ Vingberro Comite & Ada matre prognata, Christi amore Hugonem Burgundiorum Principem sponsum in terris fugiens, à Theodorico Cameracensi Episcopo sacrum velamen accepit, & annis septemdecim, mundo mortua soli Deo viuens permansit in cellula, quam sibi fabricandam curauerat, pone monasterium Lætiense suis à parentibus editum & dotatum. Sícque manipulis pietatis & iustitiæ onusta, flore virginitatis, frugéque ditata vberi sanctæ professionis carnis oculos in mortem clausit, atque vitæ immortalis compos tandem votorum præmia adepta est. Sacra eius ossa *Erluinus* Cameracensis Antistes, quòd signis rutilarent è terra leuauit, & in loculo decenter posita super altare sancti Lamberti prædicti cœnobij collocauit. HILTRVDIS.

In Armorica territorio Venetensi beati Gildæ cœnobio sancti GINGVRIANI conuersi, qui ipsius sancti Gildæ discipulus sub eodem in omni pietatis disciplina effloruit, humilitate præcipuus, deuotione singularis, puritate insignis. Cui ob castæ mentis decora non semel cœli ciues apparuerunt. Et maximè sanctus Michaël, à quo pridie mortis visitatus ad paratam in gloria man- GINGVRIANVS.

Gibrianus. sionem inuitatus est. Remis translatio sancti GIBRIANI Confessoris eiusdémque repositio in sacratissima abside basilicæ sancti Remigij. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Amedeus. PERREXIT ad Dominum piæ memoriæ AMEDEVS Episcopus Lausanensis ex Abbate Altæ combæ, vir virtutibus plenus, zelo Dei feruens, atque in sanctissimam Virginem Deiparam impensè deuotus, in cuius laudem octo insignes homilias quæ Patrum monimentis insertæ sunt concinnauit. Viam Gilbertus. itidem æternitatis hodie ingressus est piæ memoriæ GILBERTVS asceta Claræualiensis, gratiæ donis perornatus, raptibúsque, quos in contemplatione ferebat: & cœlestibus reuelationibus illustris.

Quarto Kalend. Octobris. Luna

28 E 25. XXVI.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
23	24	25	26	27	28	29	1	30	1	2	3	4	5			

SS. Ennemundus qui & Dalphinus Martyr. IN Æduis pone Cabilonem Natalis sancti ENNEMVNDI cognomine DALPHINI Lugdunensis Episcopi & Martyris, illic pro Iustitia cæsi. Hic natione Romanus, Sigonij Dynastæ ac Perroniæ filius, ob claras virtutum dotes Clodouæo II. adeo charus fuit, vt is primogenitum suum Clotarium III. lustricum eius filium esse voluerit, plurimúmque eius consiliis in regni administratione vsus fuerit. Cuius Regis voluntate post Gauderici mortem in Episcopum Lugdunensem promotus est: huiúsque prouinciæ ciuilis administratio ipsius fratri concessa. Verùm Clodouæo post annos aliquot vita functo, viduáque eius sancta Bathilde apud Kalam Cœnobium pio voto reclusa. Cùm Ebroinus Maior domus regiæ homo crudelissimus, & erga sacros homines pessimè affectus, sacrilegiis, rapinis necibúsque innoxiorum vbique sæuiret: illius in odium facilè beatus Episcopus incurrit, quod communis rei subleuationem affectu pietatis & iustitiæ apud Regem instantiùs curare videretur. Igitur fratre sancti Præsulis Lugdunensi Præfecto, per calumniam, quasi Regium Imperium excutere tentasset obtruncato Aureliis: Ebroinus mox ipsum Ennemundum impetiit. Qui calumniis apud Regem magis ac magis oneratus, agnitis sæui aduersarij machinationibus primùm Lugduno abscessit. Mox autem confirmatus, omníque cura sui in Deum abiecta regressus: dum orationi & piis operibus studiosiùs insistit, per Ebroini emissarios tentus, & mœrente ac lugente ciuitate vniuersa,

Lugduno abstractus est specie abductionis ad Regem, at in itinere prope Cabilonem noctu confossus, cùm pro inimicis Dei clementiam interpellaret: pro præmio iustitiæ, charitatis & patientiæ, coronam gloriæ immarcessibilem recepit. Corpus sancti Antistitis nauiculæ absque rectore impositum, Angelorum ministerio Lugdunum peruenit, festo vbique sono concrepantibus per seipsas campanis, quacumque transiret. Cæterùm in S.Petri Ecclesia quam cum cœnobio puellari construxerat, beatus Episcopus humatus est: ipso illud voluntatis suæ signum exhibente, quòd priusquàm aduenissent duæ ipsius germanæ, quæ in eo monasterio virginitatem Deo addixerant, non potuerit sacrum corpus à Lugdunensi portu, quem iam subierat, in vrbem inferri. Ad cuius sepulchrum miracula omnis generis innumera edita sunt: & attactu baculi cui vir sanctus inniti solebat, aut vestium aliarúmque rerum quarumcumque, quas viuens contigisset ingentia opera perfecta diuinitus, at maximò enituerunt prodigia in epilepticorum, (qua præsertim gratia opitulationis Deus sanctum suum mirificauit) frequenti curatione. Ipso die apud Tolosam sancti EXVPERII Episcopi & Confessoris illustrissimi. Qui vir Apostolici spiritus & virtutis misericordia adeo pronus fuit in inopes, vt (quemadmodum nobili encomio prædicat sanctus Hieronymus) *ipse esuriens egenos pasceret, oréque pallente ieiuniis fame torqueretur aliena. Sibi parcus aliis largus omnem substantiam pauperibus erogaret. Quorum sic miseriam subleuabat, vt vasis sacris consumptis, corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portaret in vitro. Auaritiam is è templo eiecit*; & absque funiculo & increpatione, cathedras vendentium columbas, id est, dona Spiritus sancti, mensásque subuertit mammonæ, & nummulariorum æra dispersit, vt domus Dei domus orationis & non spelunca latronum vocaretur. Idem templum Mineruæ in Ecclesiam beatæ Mariæ (quæ deaurata dicitur) conuertit. In Agrippinensi Synodo Christi diuinitatem asseuerauit: contra Euphratem Pseudoepiscopum portenta blasphemiæ euomentem. Præterea Ecclesiasticæ disciplinæ zelator Innocentium Maximum Pontificem Christi Vicarium de sacris theoriis consuluit, à quo & honorificis apicibus salutatus, responsísque Apostolicis edoctus est. Tandem ab excidio imminenti ex Vvandalorum incursu, sub quo Galliæ dira strage vastatæ sunt, Tolosana ciuitate suis apud Deum suffragiis seruata: meritorum cumulis in cœlum euectus, fidelis dispensationis remunerationem accepit, signísque post beatum transitum non minùs claruit, quàm profusis celebratus est Sanctorum Patrum præ-

EXVPERIVS.

coniis. Quiescit in basilica sancti Saturnini in argentea lipsanotheca, altari sanctissimæ Deigenitricis, quæ de consolatione nuncupatur superposita. Caput verò eius sacratissimum diuisum à corpore, conditum seruatur in ferculo argenteo, sacrario peculiari incluso vnà cum vitreo calice in quo sanguinem Domini offerebat: aliisque beati ipsius Pontificis reliquiis, quarum aqua contactu benedicta, & cum fide hausta febrium ardore decoctis, refrigerium medelámque impertit. Autissiodori
Allodius. sancti ALLODII Episcopi, beati Germani immediatè sequacis. Qui ipso viuente omni religione clarens eiusdem monasterij archimandrita extiterat: doctrinæque & piæ vitæ meritis ad Episcopatum post eius obitum promotus, vestigia quoque eius sanctitatis secutus, post sedis annos triginta gloriosè expletos, in magna pietatis testificatione beatum spiritum in redemptoris manus commendauit: à cuius excessu vacuit sedes Episcopalis annos decem, quòd barbarorum in Gallia furentium immanitate exterriti viri sacri, onus pastorale formidarent suscipere. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

Faustus. SANCTO fine hodie decessit FAVSTVS Episcopus Regiensis multis doctrinæ & piæ conuersationis titulis gloriosus, quem ipsa Regiensis Ecclesia ex antiquo more, cultu sanctitatis honorat: cuique integra manere sanctitatis suæ iura Cardinalis Baronius, re tandem maturiùs perpensa, confessus est. Mi-
Laurentius. grauit ad Christum beatæ memoriæ LAVRENTIVS Dunensis asceta in territorio Furnensi, vir cùm omni religionis obseruantia, tum maximè pietate in sanctam Deigenitricem conspicuus. Cui in oratione Angelus magno cum splendore apparens, decadem rosarij superno munere obtulit, aucta autem cum eiusmodi dono charismatum copia, cliens deuotus benedictæ Virginis, multa cum lætitia, ad aulam gloriæ tandem profectus est. Ipso die transitus
Fulcardus. FVLCARDI Conuersi Claræuallensis, viri extatici & miræ simplicitatis, cui defuncto sanctus Bernardus hoc elogium rependit. *Transtulit eum Dominus,*
Ioannes. *quoniam cum eo ambulauit: & verè cum ipso operatus est.* IOANNES Signoret apud Aquitanos quartùm Prouincialis ordinis Minimorum concionaudi assiduitate, animi fortitudine & constantia obseruantiæ regularis nulli non comparandus, beato fine quieuit.

Tertio Kalend. Octobris. Luna

29 F XXIV.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
24	25	26	27	28	29	1	2	1	2	3	4	5	6			

SS. Michael Archang. FESTIVITAS sancti MICHAELIS Archangeli Regni Francorum præcipui tutelaris, in cuius venerationem Ludoui-

cus *vndecimus Rex Christianissimus*, diuina ob præsidia recepta ope tanti cœlitis equestrem sub eius inuocatione ordinem (à posteris Regibus nunc vsque propagatum excultúmque) multa solemnitate instituit. Autissiodori sancti FRATERNI Episcopi & Martyris: qui post decem annorum interpontificium sancto Allodio suffectus ipso consecrationis suæ die, à barbaris vrbem vastantibus, cùm pro gregis salute intercederet, trucidatus, glorioso agone coronatus est. Treuiris sancti LVITVINI Episcopi Metropolis huius & Confessoris, qui sancti Clodulphi Austrasiæ Ducis & post Treuirensis Archiepiscopi nepos, & Geruini Ducis Lotrechij filius, constructo sumptibus propriis Mediolacensi monasterio super Saroam fluuium in Lotharingiæ confinio: illic deposito gloriæ sæcularis ornatu, Christi se obsequio dedicauit: fidéque & bonis operibus florens post beati *Basini* auunculi sui obitum, meritorum intuitu ad sedis tantæ gubernacula euocatus, sua sanctissima conuersatione & sedulis exhortationibus, multos dispersos greges ad caulas Domini reuocauit: demúmque cum religionis Christianæ decora plurimùm prouexisset emeritus militiæ, repromissum percepit à Rege superno donatiuum. Eodem die Trecis depositio sancti VRSIONIS, qui sancti Auentini, Diaconi sancti Lupi, ac eremitæ discipulus, iisdem quibus ille progressibus diuinorum placitorum palæstram emensus; perfectionis Euangelicæ conscenso culmine, ad cœlestis patriæ peruenit fruitionem. In ipsa Insula in qua segregatus à sæculo Deo puro famulatu seruierat sepultus fuit, iisque resplenduit sanctitatis testimoniis, vt ibidem basilica subinde ad memoriæ eius venerationem fuerit constructa: in qua sanctus Maurelius, monitu Sanctorum Pontificum *Hilarij, Martini & Aniani, beato Leoni Abbati apparentium*, promouit (vt tanti hospitis consortio sic in solo vt in polo frueretur) post felicem migrationem tumulari. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

FRATERNVS.

LVITVINVS.

VRSIO.

TRECIS hodie feliciter expirauit IOANNES Gandauensis, dictus sancti Claudij eremita: cui beato deuotus admodum, eius ad mausoleum sæpiùs piè peregrinatus est: pone euius cœnobium, tuguriolo subinde erecto, in eo magna cum spiritus puritate, Deo, ieiuniis, orationibus, ac sanctis meditationibus intentus, strenuè militauit. Cúmque in Gallia omnia armis perstreperent, regnúmque vndique concussum ex Francorum Anglorúmque conflictationibus ferè collaberetur: diuinitus afflatus, sæpè pacis studio & publicæ vtilitatis affectu, Carolum septimum Regem belli adeo ancipitis diuturnitate afflictum conuenit, inquisiuitque num pacem sibi dari peteret. Qui eidem respondit: Ita quidem si Deo id lubesceret, se exoptare. Inde ad Angliæ Regem

IoannesGandauensis.

profectus ab eodem percontatus est, si pacis quoque ineundæ cupidus esset. Qui fastu victoriarum inflatus, ei dixit, nihil se de pace curare: quin potiùs sibi regnum vniuersum vi armorum subiugare, omnino esse animo præfinitum. Tum Ioannes supernè irradiatus eidem denuntiauit ipsum votorum haud fore compotem, quin ex Dei iudicio breui rebus humanis excessurum, Anglósque penitus exclusum iri Galliæ Imperio. Varem veracem effectus comprobauit: qui & alia, pari successu, nonnulla auguratus est. In quibus id imprimis memorabile fuit, quod eidem Carolo Regi ad cumulum felicitatis prædixit, masculam prolem ad fulcimentum regni ipsum suscepturum: sceptrique fore hæredem primogenitum illum, qui breui in lucem auspice Christo esset proditurus. Alia cœlesti spiramine dixit, fecitque ipse Ioannes, quem etiam miraculorum haud exilis splendor clarificauit. Ad extremum Catholicæ fidei zelator feruentissimus, Regnique Christianissimi sedulus apud Deum opitulator, Trecis dum in transitu ageret, piis exhaustus laboribus, nexibus mortis solutus est: placidóque excessu defunctus, in Dominicanorum æde sacra sepultus iacuit, quousque instanre Ludouico Rege, cuius natiuitatem prænunriauerat, per Ludouicum Episcopum Trecensem è terra eleuatus est. Qui Rex apud Romanum Pontificem per literas institit pro eius canonizatione, minime tamen ab ipso præpediro morte, vsque ad effectum perducta. Item in agro Parisiensi Longipontis cœnobio claustra mortis abrupit, immortaliratis candidatus IOANNES Monachus cognomento *humilis*, ex Domino montis mirabilis, cuius conuersio admirabilis, conuersatio Angelica, mórsque in Dei conspectu extitit pretiosa. Tantis siquidem post beatam consummationem miraculis fulsit, vt quotquor ad eius sepulchrum opem petituri confluerent, sanati redirent à quacunque infirmitate.

Ioannes cognomine humilis.

Pridie Kalend. Octobris. Luna

30 G XIII.x.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	p	q	r	ſ
8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
t	u	A	B	C	D	E	f	F	G	H	M	N	P			
25	26	27	28	29	1	2	3	2	3	4	5	6	7			

SS. VICTOR & VRSUS.

SOLODORI in Geneuensi Præsulatu Natalis beatissimorum Martyrum VICTORIS & VRSI, qui in nobili illa Thebæorum legione adscripti, à cuius strage declinauerant: denuo ad agonem euocati, quod Christi fidem magno pietatis ardore profiterentur, impuróque Ioui & Mercurio litare abnuerent, ab Hyrtaco Præside grauiter primùm excruciati, deinde ope diuina suppliciis erepti, in ignem coniiciuntur, è quo rursus incolumes cùm prodiissent, postremò capitali sententia damnati, gladio percussi, & de ponte in alueum præcipitati: at de tyranno, ferro & flumine triumphantes, inclyti certaminis agonem consummauerunt. Victoris corpus in suburbano Geneuensi ab *Egonio* Maurianensi Episcopo diuino beneficio postea repertum: In Ecclesia quam in eius honorem *Sedeleuba* Regina, Regis Theodorici

vxor construxerat: ipso Rege præsente, eximio cultu & veneratione collocatum est: tribus Episcopis officium repositionis magna religione peragentibus, nempe prædicto *Egonio*, cum *Rustico* & *Patricio*. Cæterùm virtutis diuinæ mirabilia actionem hanc illustrarunt: siquidem magnifica, eo ipso die Inuentionis, ad ipsius sepulchrum Martyris, sanitatum signa peracta cœlitus memorantur. Eodem die Natalis sancti LEOPARDI Martyris: qui Iuliani Apostatæ domesticus, odio Seruatoris quem eiurare noluit, capite truncatus, Romæ trophæum insignius quàm Cæsarum sua confessione erexit. Eius corpus postea à Carolo Magno in Galliam aduectum, Aquisgrani congrua honorificatione repositum fuit, in basilica sanctæ Mariæ. Lutetiæ Parisiorum solemnitas sanctarum RELIQVIARVM, quas sanctus *Ludouicus* in perenne redemptionis cuius pignora sunt monimentum, sua in Regia Capella ad harum cultum extructa, honorificè recondidit. Attrebati translatio corporis sancti VEDASTI facta per sanctos Confessores & Pontifices *Autbertum* & *Audomarum*, qui orbatus oculorum lumine, visum tunc inexpetitum recepit. Opéque ipsius cœlitis implorata, sibi recludi lucis meatus, ad exercitium patientiæ impetrauit. Eodem die translatio sancti HVBERTI Episcopi & Confessoris gloriosi, facta per VVLCANDVM beatum Episcopum, à Leodio, ad Aidanum monasterium, vbi perpetuo miraculorum lumine clarificatus requiescit. *Et alibi in Gallia aliorum plurimorum Sanctorum*, &c.

Leopardus. Vedastus. Hubertus. Vulcandus.

ARELATE Dominica post festum S. Michaëlis celebratur translatio S. TROPHIMI Apostolici viri & Martyris, facta per Raymundum Arelatensem Archiepiscopum, præsentibns Vvalfrido Auenionensi, Bernardo Auraicensi, Berengario Vasionensi, Petro Massiliensi Episcopis, multisque tam Arelatensis quàm Narbonensis ac Aquensis Prouinciarum Proceribus, cum innumera populi multitudine, Corpore sacratissimo ipsius Martyris à sancti Honorati Ecclesia, in ipsam basilicam Arelatensem religiosa pompa delato: vbi nunc vsque congruo cultu quiescit collocatum in editiori Ecclesiæ abside; è qua semel duntaxat in anno elicitum, populo spectandum & percolendum exhibetur. Ipso die recolitur fundatio basilicæ Cluniacensis facta hortatu B. *Bernonis* per Vvillelmum Aquitaniæ ducem, ac Aruernorum Comitem, in honorem sanctæ Deigenitricis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Felici morte in Christo obdormiuit piæ memoriæ CONRADVS ex Abbate Cisterciensi S. R. E. Cardinalis & Episcopus Portuensis, qui in Gallia Legatus ordinem Prædicatorum recens ortum confirmauit, piéque admodum prouexit. Deinde in Orientem missus pro Reipublicæ Christianæ necessitatibus, strenuam operam collapsis rebus restituendis impendit. Redux, in summum Pontificem electus, tantum honorem recusauit. Atque tandem Claræuallis post religiosum finem sepultus est. De quo id proditur memoria dignum, quòd digiti sacri quibus Dominici corporis diuinam Hostiam offerebat, tanta luminis claritate sæpè effulgere visi sunt: vt noctis ei tenebras tanquam meridiem illustrarent. Ei etiam frequenter Virgo beatissima, cui admodum deuotus erat, apparuit, de exhibitis sibi officiis à fideli cliente gratulata.

Trophimus. *Conradus.*

Errata hîc notata candidus Lector sic emendet: cætera quæ prætermissa sunt, quoniam leuiora, benignè ignoscat.

Primus numerus indicet paginam. l. lineam. ant. f. ante finem insinuet.

IN APPARATV AD MARTYROLOGIVM GALLICANVM. *Pag.* 1, *in Præfat. l.* 6, *lege* quisque. 7, *ant. f. lege* huc. 9, *l.* 11, *dele* sinceritate. *l.* 10, *lege* Christianus Duntaxat. 11, *l.* 7, *lege* vos. 12, *l.* 4, *lege* ipsum. *l.* 34, *lege* ad S. 17, *l.* 11, *lege* Descendente. 19, *l.* 4, *lege* has. 23, *l. vlt. lege* sibi. 27, *l.* 18, *lege* firmandis: 33, *l.* 8, *lege* tolleretur. 41, *l.* 9, *lege* leguntur. 45, *l.* 17, *ant. f. post* fatigati, *adde* quòd essent. *ibid. l.* 6. *dele* iam. 46, *l.* 18. *lege* excidisse. 57, *in marg. lege* Insf. 61, *l.* 21, *lege* exemplarium. *l.* 41, *lege* Fastos. 64, *l.* 26, *lege* etiam. 73, *l.* 28, *lege* sigillatim. 78, *l.* 26. *post* ordo. *adde* longè planior. *l.* 31, *lege* ideóque. 81, *in titulo dele*, & cur eius series 82, *in annotat.* 2, *l.* 3, *ant. f. lege* studia. 89, *l.* 28, *lege* ipso *ibid. l.* 28, *post* Rom. *adde* textum Martyrol. IN MARTYROLOGIO. *Pag.* 15, *l.* 24, *in fine dele* &. 16, *l.* 11. *dele* com, *lege* tum. 18, *l* 18, *lege* speculatione. 20, *l.* 27, *lege* Mosam. 22, *l.* 12, *lege* Pridie Kal. 27, *l* 2, *lege* diuinè. 37, *l.* 17, *lege post* Principe, oppressam. 38, *l.* 32, *ant. f lege* attraxerit 39, *l.* 31, *dele* adeo. 43. *l.* 28, *lege* in qua. 47, *l.* 22, *ant. f. lege* se 48, *l.* 13, *lege* eximium 52, *l.* 18, *lege* encologium. 56, *l.* 7, *lege* præstitit. 59, *l.* 5, *lege* vndique exereret *ibid. l.* 37, *lege* Millium. 68, *l* 25, *dele* fuisse. 73, *l.* 6, *lege* Apostolicorum virorum *ibid l.* 11, per summissos. 77. *l.* 4, *lege* quem imparem 78, *l.* 4. *lege* Confessarios. 79, *l* 26, cœlitum. *ibid l.* 36, *lege* litteras 81, *l* 20 *pro* sibi *lege* sies 83, *l.* 4, *lege* Gildasij. 84, *l* 13, *lege* Christicolis *ibid, l.* 19, fluctus. *l* 20, asylum. *l* 27 *lege* Brugensi. 104, *ant. f. l.* 35, *lege* acerbo 109, *l.* 7. & 8, *lege* peruenit. *l* 11 *dele* proximam, *lege* coniunctam. *l.* 29, nisus *l* 27. deuotissimis sensu. 121, *lege* Rutenorum. 124, *ant f. l.* 26, *dele* sancto. 126, *l.* 3, *dele* vel. *l.* 7, *lege* dies vlla. *l* 24 *pro* victa *lege* vecta. *l.* 27, vbi. *l.* 30, *pro* colitur. *lege* cœtui 127, *ant. f. l.* 21, *lege* felicis mortis excessu. *l.* 5, Clero & populo 128, *ant f. l* 12, *dele* eosdem. 136, *l.* 14, Niuom, *lege* Niuum. 138, *dele* art de Bono abb. 146, *l.* 3, *lege* in basilicam. 158, *l.* 4, *lege* Flauiniacum. 159, *ant. f. l.* 24, *lege* cœlitus 163, *ant. f.* ... *lege* remigationem. 172, *l.* 17, *ant. f lege* Festa. 175, *l.* 22, piorum 176, *l* 5. & 6. *ant f* & vbicumque occurrerit *lege* Angadrisma. 181, *ant f l.* 8, *lege* sanctitate. *l.* 5, adhærendo. 183, *l.* 3, *ant. f.* dignatione. 187, *l.* 14, Notgeri. 189, *ant f l.* 11, famulatu. 191, *l.* 19. *ant f.* sobleueretur. 196, *l. vlt* Claramontem. 199, *ant f. lege* Dominici curâ. 206, *ant. f l* 11, vallis rosarum. 209, *l* 6. S. Memorij. 211, *l* 7. & 8, *pro* frustra, *lege* fructu. *ibid l.* 13, *lege* enocauit 214, *ant f.* Maglorianum. 218, *ant f. l* 5, Signiaci. 240, *ant f* illatæ. 249, *ant f. l.* 5, Oscæ, *l.* 8, Fastis. 253, *l* 5, *ant. f lege* Sonerij & Catiuphi discipuli. 261, *l* 1, Monstralium *l* 2, *pro* Ebroicensi, *lege* Ebroicensi. 263, *l.* 18, *pro* superuas, superuos. 264 *l* 15 *ant. f. lege* gloriosorum *l.* 13, Confessorum. 267, *ant. f. l.* 20, *lege* glorificandus. 269, *l.* 20, *pro* Remigij, *lege* Remos. 272, *l.* 17, *pro* Leonis, *lege* Leonio. 274, *l.* 11, *pro* luminum, *lege* luminum. 278, *l.* 26, ipso ce- 280, *l* 29, insignioréque. 282, *l* 4, *ant f pro* vix, *lege* vix. 283, *ant. f. l.* 14, *lege* à Beato. 288, *in marg. lege* Itala *l* 16, & alij duo. 280 *l.* 2, infudit 302, *l* 2, ipso. 305, *l* 10, *ant. f. lege* Godo *circa init ibid* Antonino. 307, *l* 3, *ant f* Brixiensis 312, *l.* 15, *lege* Manuei. *l.* 10, *ant. f.* Paderborna. 315, *l.* 23, *dele* Lerioensis *l* 24, *dele* illius. 326, *pro* imperatos, *lege* superatos. 345, *ant. f. l.* 13, *dele* eam. 347, *l.* 15, *lege* excideret. *l.* 4, illatæ. *l* 41, collocatæ. 348, *ant f l* 22, *lege* Episcopium. 352, *l penult. post* Gorzia, *adde* dicitur. 353, *ant f l* 9, *lege* contraiectis 355, *l.* 18, exhaustus 357, *l.* 25, *ant f.* clares. *l* 34, secunda. 362, *l.* 12, functaont 363, *ant. f. l.* 18, magnifice 366, *ant f l.* 5, *lege* Episcopis. 367, *l.* 7, receperunt. 368, *l* 10, consecraret. 372, *l.* 6, tenere *l.* 15, areæ. *l.* 27, Laudensis 379, *l.* 1, legem. & 381, *ant f. l.* 5, charitatem 383, *l.* 10, *lege* & improbæ, *l deleta* (,) 385, *ant. f. l.* 21, Cameraci. 386, *ant f. l penult.* affinis. 387, *ant. f l.* 12. Galliam. 388, *ant. f. l* 17, *lege* Clodouæi magni. 394. *ant. f. l.* 22, *post* beator. *adde* Apostolorum. 401, *ant. f. l.* 5, *lege* à quo. 409, *l* 1, Mauriliο. 412, *l* 3, *ant. f.* digressus 414, *ant. f. l* 15, Pontruensi. 423, *l.* 23, eliceret 424, *ant. med.* Ambianæ. 430. *l.* 13, *dele* curauit, *repone* fecit 436, *l.* 21, *ant. f lege* Ruremundam 440, *l.* 23, Leudradum 443, *l.* 3, *dele* alterius, *lege* alternis *l.* 17, *ant f pro* tamen, *lege* tantum. 444, *ant. f. l* 10 *dele* fore. *l.* 7, *pro* ab, *lege* ac. 446, *l.* 16, *lege* primi. 448, *l.* 22, *lege* à Castro. 441, *ant f l.* 4, *lege* Segetium insulensem. 450, *l.* 29, *ant. f. lege* ciuitatis solo 454, *l.* 1, præcepta. 455, *l. vlt. pro* quoque, *lege* quique. 460, *l.* 17, *lege* super candelabrum. *l.* 19. gloriæ. *l* 24, Osuualdi. 463, *l penult. lege* miris 470, *l.* 18, altaris eiusque 473, *l.* 9, *pro* sanctis, *lege* sanctitatis. *l.* 5, *ant. f.* Alinardus 476, *l* 14, quem 477, *l.* 20, *pro* solum, *lege* solem. 478, *l.* 8, *lege* Seullon. 479, *l.* 29, *ant. f.* dissimilis. 481, *l.* 18, quingentos 486, *in med* condita. 487, *l.* 4, *ant. f.* commemorationes. 495, *l.* 34, ingraueret. 499, *l.* 18. destinatus, 105, *l.* 2, *pro* Romæ, *repone* Centumcellis io Tulcia. 510, *l* 14, *lege* Apostolus. *l.* 18, indicio. 513, *l* 18, ve filij. *l* 8, *ant. f dele* seu, *lege* sex 514, *l vlt. pro* cuius, *lege* coras. 520, *ant. f, l.* 7, repositio. 524, *ant. f.* venerationem. 529, *l.* 18, *ant f* admirandis. 531, *l* 10, fratrum. 532, *l.* 8, *post* se, *adde* pro. 539, *l* 6, *pro* Crolio, *lege* Cradilo. 540, *l.* 22, *post* sancti, *adde* Petri *l.* 21, *lege* enocatus. 542, *l.* 18, officij 545, *post* virtutum, *adde* dotibus 551, *l.* 14, *lege* Nosocomicon. *l* 21, *post* Robert *adde* de. 572, *l.* 16, *lege* suescetus, *pro* tenereiur. *l* 24. Bonifac, *adde* 8 582, *l.* 1, *sic lege* in quo memorandum hoc pigout & *l.* 10, fitum. 582 *l* 22, plebis. 603, *l.* 18, quæ, *lege* quod. 605, *l.* 1, *dele* morienti *lege* monente. 613, *ant f l* 3, *post* Celticam, *adde* ac Belgicam subinde *l. vlt.* laboraret, 615, *l* 19, Conocoas. 620, *l* 5, *ant f* sese; *lege* sede. 626, *l.* 16, *lege* vitæ perennis. *l.* 4, *ant f. post* conuertisset, *adde* plurimos. 627, *l.* 17, *post* ibidem. *adde* Episcopi 629, *l.* 21, Gemeticensis 631, *l.* 4, *lege* à quo. 632, *l.* 13, *lege* sanctæ. 633, *in marg. dele* Castidius, *repone* Ferreolus. 637, *l* 19, reliquum 639, *l* 18, prætulit. 640, *l* 1 *pro* sacro, *lege* sancto. 643, *l.* 17, *lege* Aptæ Iuliæ. 344, *l.* 12, *pro* factus, *lege* factis, 346, *l* 5, *ant f pro* vigili, *lege* vulgi. 649, *l* 8 *ant. f* Motimondi 658, *l* 1, *pro* certiss *lege* castissimæ. *l* 10, peregrinari. *l.* 14, persequebatur. *l.* 9, illo. *l.* 4, 21, *lege* ad. 663, *l.* 1, *lege* Cilicia. 668, *l.* 15, vacauit.





